DOM. M. PRÜMMER O. PR.

MANUALE THEOLOGIAE MORALIS

Christmas 1924.

John Berry
ECÔNE 1976

MANUALE THEOLOGIAE MORALIS

TOMUS III

MANUALE
THEOLOGIAE MORALIS

SECUNDUM

PRINCIPIA S. THOMAE AQUINATIS

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

DOMINICUS M. PRÜMMER O. PR.
PROFESSOR IN UNIVERSITATE FRIBURGI HELVETIORUM

TOMUS III

„Aquinatem sequi tutissima est via ad profundam divinarum rerum cognitionem."
Pius X, Motuproprio d. 24 Iunii 1914
(Acta Ap. Sedis VI 335).

EDITIO ALTERA ET TERTIA
AUCTA ET SECUNDUM NOVUM CODICEM IURIS CANONICI RECOGNITA

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXIII
HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI, S. LUDOVICI MO.

De mandato Rev^mi P. Fr. Ludovici M. Theissling Mag. Gen. Ord. Praed. nos infrascripti attente perlegimus opus cui titulus «**Manuale Theologiae Moralis secundum principia S. Thomae Aquinatis**» ab Adm. Rev. P. *Fr. Dominico Prümmer,* S. Theologiae Magistro et Iuris canonici Doctore, conscriptum, et nihil contra fidem ac bonos mores, sed ubique solidam atque clare propositam doctrinam invenimus. Quapropter studentibus et confessariis magnae fore utilitatis censemus, ut tale opus typis denuo mandetur.

Friburgi Helvetiorum, die 26 Oct. 1922.

P. Fr. **Marcus M. Sales** O. Pr.,
S. Theologiae Magister.

P. Fr. **Franciscus Marin Sola** O. Pr.
S. Theologiae Magister.

Attentis approbationibus quae supra imprimi permittimus.
Romae, die 1 Nov. 1922.
(L. S.)

Fr. **Ludw. Theissling,**
Magister generalis O. Pr.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 8 Novembris 1922

Dr. **Mutz,** Vic. Gen.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

Index partium.

PARS II.

De sacramentis in genere et in specie.

Pag.

Prologus 1

TRACTATUS I.

De sacramentis in genere.

Caput I. De essentia et exsistentia sacramentorum 2
Art. I. De nomine sacramenti 2
Art. II. De reali definitione sacramenti 4
Art. III. De signo sensibili seu de materia et forma sacramentorum . . 7
§ 1. De notione ac necessitate materiae et formae 7
§ 2. De immutabilitate materiae et formae 9
§ 3. De unione materiae et formae 12
§ 4. De certitudine materiae et formae 13
§ 5. De applicatione formae ad materiam 14
§ 6. De repetitione materiae vel formae 16
§ 7. De forma condicionali 17
Art. IV. De exsistentia sacramentorum 19
Caput II. De numero et divisione sacramentorum N. L. 22
Caput III. De efficacia et effectibus sacramentorum 27
Art. I. De primario effectu sacramentorum, scil. de gratia . . . 27
§ 1. De productione gratiae ex opere operato 27
§ 2. De quantitate et qualitate gratiae productae 31
§ 3. De reviviscentia sacramentorum 33
Art. II. De secundario effectu quorundam sacramentorum, seu de charactere 35
Caput IV. De institutore sacramentorum 38
Caput V. De ministro sacramentorum 43
Art. I. De persona ministri 43
Art. II. De fide et probitate ministri 45
Art. III. De attentione ministri 50
Art. IV. De intentione ministri 50
Art. V. De modo et ritu conferendi sacramenta 57
Art. VI. De obligatione dandi aut denegandi sacramenta . . . 58
§ 1. De sacramentis dandis 58
§ 2. De sacramentis negandis 61
Art. VII. De simulatione et dissimulatione sacramentorum 65

Pag.
Caput VI. De subiecto sacramentorum 67
§ 1. De valida sacramentorum susceptione 68
§ 2. De licita sacramentorum susceptione 69
Appendix de sacramentalibus 71

TRACTATUS II.

De baptismo.

Caput I. De notione, institutione, divisione baptismi 74
Caput II. De essentia baptismi 77
Art. I. De materia baptismi 77
Art. II. De forma baptismi 82
Caput III. De effectibus baptismi 85
Caput IV. De necessitate baptismi 88
Caput V. De ministro baptismi 91
Caput VI. De subiecto baptismi 94
Art. I. De baptizandis infantibus catholicorum et acatholicorum . . 95
Art. II. De infantibus nondum natis et de foetibus abortivis baptizandis 98
Art. III. De baptizandis adultis 101
Caput VII. De caeremoniis baptismi 104

TRACTATUS III.

De confirmatione.

Caput I. De notione, exsistentia, effectibus confirmationis 111
Caput II. De materia et forma confirmationis 115
Caput III. De ministro confirmationis 118
Caput IV. De subiecto confirmationis 120
Caput V. De caeremoniis confirmationis 122

TRACTATUS IV.

De eucharistia.

SECTIO I.

De eucharistia, prout est sacramentum.

Caput I. De notione et institutione eucharistiae 124
Caput II. De materia et forma eucharistiae 126
Art I. De materia remota eucharistiae 126
§ 1. De valida et licita materia panis 126
§ 2. De valida et licita materia vini 129
Art. II. De materia proxima eucharistiae 130
Art. III. De forma eucharistiae 133
Caput III. De effectibus eucharistiae 135
Caput IV. De subiecto eucharistiae 137
Art. I. De ipsa persona subiecti 138
Art. II. De dispositionibus requisitis ad sumendam eucharistiam . . 139
§ 1. De dispositione animae 139
§ 2. De dispositione corporis 143
Art. III. De obligatione suscipiendi eucharistiam 150
Art. IV. De communione frequenti 155
Caput V. De ministro eucharistiae 157
Art. I. De consecratione eucharistiae 158

Pag.
Art. II. De distributione eucharistiae 158
Art. III. De asservatione eucharistiae 164

SECTIO II.

De eucharistia, prout est sacrificium.

Caput I. De natura et effectibus sacrificii Missae 166
Art. I. De natura sacrificii Missae 167
Art. II. De valore, effectibus, fructibus Missae 170
§ 1. De valore et effectibus Missae in generali 170
§ 2. De fructibus Missae in speciali, in quantum participantur . 174
Art. III. De applicatione Missae 176
§ 1. De applicationis modo 176
§ 2. De iis, pro quibus Missa applicari potest 178
Caput II. De obligatione celebrandi Missam 179
Art. I. De obligatione ratione sacerdotii suscepti 179
Art. II. De obligatione ratione officii 180
Art. III. De obligatione ratione beneficii 183
Art. IV. De obligatione ratione stipendii accepti 184
Art. V. De obligatione ratione promissionis 193
Art. VI. De obligatione ratione oboedientiae 193
Caput III. De requisitis liturgicis ad celebrandum 194
Art. I. De tempore celebrationis Missae 194
§ 1. De Missis ultimo triduo hebdomadae sanctae 194
§ 2. De pluribus Missis dicendis eodem die 196
§ 3. De hora Missae celebrandae 200
Art. II. De loco celebrationis 201
Art. III. De sacris utensilibus 204
Art. IV. De ritibus observandis 207

TRACTATUS V.

De poenitentia.

Caput I. De essentia poenitentiae 211
Art. I. De notione poenitentiae 211
Art. II. De virtute poenitentiae 212
Art. III. De exsistentia sacramenti poenitentiae 215
Art. IV. De essentia sacramenti poenitentiae 217
§ 1. De definitione sacramenti poenitentiae 217
§ 2. De materia remota sacramenti poenitentiae 219
§ 3. De materia proxima sacramenti poenitentiae 222
§ 4. De forma sacramenti poenitentiae 225
Art. V. De effectibus sacramenti poenitentiae 230
Caput II. De subiecto sacramenti poenitentiae 233
Art. I. De contritione 233
§ 1. De natura, divisione et effectu contritionis in genere . . 233
§ 2. De attritione 235
§ 3. De dotibus contritionis sive perfectae sive imperfectae . . 239
§ 4. De proposito 243
Art. II. De confessione 245
§ 1. De essentia et necessitate confessionis 244
§ 2. De dotibus confessionis 249
1. Necessitas et extensio integritatis 252
2. Causae excusantes ab integritate materiali 261
3. Media ad integritatem confessionis obtinendam . . . 265
§ 3. De confessionum iteratione et de confessione generali . . 266

Pag.
Art. III. De satisfactione 269
§ 1. De natura et divisione satisfactionis 270
§ 2. De necessitate satisfactionis imponendae 271
§ 3. De necessitate satisfactionis acceptandae et implendae . . . 275
§ 4. De commutatione satisfactionis impositae 277
Caput III. De ministro sacramenti poenitentiae 278
Art. I. De potestate ministri 278
§ 1. De potestate ordinis 278
§ 2. De iurisdictione in genere 279
§ 3. De iurisdictione putativa, dubia, probabili 283
§ 4. De iurisdictione religiosorum et in religiosos 284
§ 5. De restrictione iurisdictionis 287
§ 6. De absolutione a casibus reservatis 291
Art. II. De confessarii officiis et obligationibus 296
§ 1. De officiis confessarii ante confessionis actum 297
§ 2. De officiis confessarii in actu confessionis 299
§ 3. De officiis ministri post confessionem 302
Art. III. De ratione agendi cum occasionariis, consuetudinariis, recidivis . 309
Art. IV. De abusu confessionis 313
§ 1. De absolutione complicis 314
§ 2. De sollicitatione ad turpia 318

TRACTATUS VI.

De poenis ecclesiasticis.

Caput I. De poenis ecclesiasticis in genere 324
Art. I. De notione et divisione poenae ecclesiasticae 325
Art. II. De auctore et subiecto poenae ecclesiasticae 328
Caput II. De censuris ecclesiasticis in genere 329
Art. I. De notione et divisione censurae 329
Art. II. De auctore censurae 332
§ 1. De potestate ferendi censuras 332
§ 2. De condicionibus requisitis in censuris ferendis . . . 333
Art. III De subiecto censurae 334
Art. IV. De obiecto censurae 336
Art. V. De causis a censuris excusantibus 338
§ 1. De causis excusantibus ab incursu censurae 338
§ 2. De causis excusantibus ab effectu censurae 339
Art. VI. De absolutione a censuris 340
§ 1. Quomodo censurae auferantur 340
§ 2. Quis possit absolvere a censuris 341
§ 3. Quaenam sint condiciones requisitae ad absolvendum . . 343
§ 4. Quo ritu absolutio danda sit 344
Caput III. De censuris in specie 344
Art. I. De excommunicatione 345
§ 1. De notione et divisione excommunicationis 345
§ 2. De effectibus excommunicationis 346
§ 3. De excommunicationibus hodie exsistentibus 349
I. Excommunicationes specialissimo modo reservatae Sedi Apostolicae 349
II. Excommunicationes speciali modo reservatae Sedi Apostolicae 349
III. Excommunicationes simpliciter reservatae Sedi Apostolicae 354
IV. Excommunicationes Ordinariis reservatae 358
V. Excommunicationes nemini reservatae 360

Pag.
Art. II. De interdicto 361
§ 1. De interdicto in genere 361
§ 2. De interdictis in specie hodie vigentibus 363
Art. III. De suspensione 364
§ 1. De suspensione in genere 364
§ 2. De suspensionibus hodie vigentibus 365
1. Suspensiones S. Sedi reservatae 365
2. Suspensio reservata Ordinario 366
3. Suspensio reservata Superiori maiori religioso . . . 367
4. Suspensiones nemini reservatae 367

TRACTATUS VII.

De indulgentiis.

Art. I. De natura et divisione indulgentiarum 368
Art. II. De auctoritate indulgentias concedendi 374
Art. III. De condicionibus requisitis ad lucrandas indulgentias . . 377
Art. IV. De indulgentia iubilaei 383
Art. V. De quibusdam indulgentiis in particulari 385

TRACTATUS VIII.

De sacramento extremae unctionis.

Art. I. De notione et exsistentia sacramenti extremae unctionis . . 391
Art. II. De materia et forma extremae unctionis 393
Art. III. De effectibus extremae unctionis 396
Art. IV. De subiecto extremae unctionis 398
Art. V. De ministro extremae unctionis 401

TRACTATUS IX.

De sacramento ordinis.

Caput I. De natura sacramenti ordinis 402
Art. De notione et distinctione ordinis 402
Art. II. De effectibus ordinis 404
§ 1. De effectibus ordinis in genere 404
§ 2. De effectibus et officiis singulorum ordinum . . . 405
Art. III. De materia et forma ordinis 406
Caput II. De ministro sacramenti ordinis 409
Art. I. De ministro validae ordinationis 409
Art. II. De ministro licitae ordinationis 410
Caput III. De subiecto ordinis 413
Art. I. De qualitatibus ordinandi requisitis ex iure divino . . 414
Art. II. De qualitatibus ordinandi requisitis ex iure ecclesiastico . . 416
Art. III. De irregularitatibus et impedimentis 417
§ 1. De irregularitatibus in genere 417
§ 2. De irregularitatibus ex defectu 420
§ 3. De irregularitatibus ex delicto 422

TRACTATUS X.

De matrimonio.

Praenotamen 424
Caput I. De matrimonii natura et divisione 427
Art. I. De natura matrimonii 427

Pag.

Art. II. De intima indole contractus matrimonialis 429
Art. III. De divisione matrimonii 433
Caput II. De matrimonio, ut est sacramentum 436
Art. I. De exsistentia sacramenti matrimonii 436
Art. II. De materia et forma sacramenti matrimonii 449
§ 1. De materia et forma matrimonii in genere 449
§ 2. De consensu maritali in specie 450
Art. III. De ministro sacramenti matrimonii 456
Art. IV. De subiecto sacramenti matrimonii 457
Caput III. De matrimonii proprietatibus 459
Art. I. De unitate matrimonii 459
Art. II. De indissolubilitate matrimonii 462
§ 1. De divortio perfecto seu quoad vinculum 466
§ 2. De divortio imperfecto seu quoad torum et cohabitationem . 473
Caput IV. De matrimonii bonis 484
Caput V. De matrimonii obligationibus 488
Art. I. De liceitate actus coniugalis 488
Art. II. De obligatione actus coniugalis 492
Art. III. De peccatis coniugum 494
§ 1. De notione et malitia onanismi coniugalis 495
§ 2. De cooperatione ad onanismum coniugalem 497
§ 3. De mediis ad cavendum onanismum coniugalem . . . 498
§ 4. Quomodo confessarius agere debeat cum coniugibus onanistis vel aliter peccantibus contra castitatem 499
Caput VI. De matrimonii praeparatione, i. e. de sponsalibus, examine sponsorum et bannis 500
Art. I. De sponsalibus 500
§ 1. De essentia sponsalium 501
§ 2. De condicionibus requisitis ad sponsalia valida . . . 501
§ 3. De celebratione sponsalium 504
§ 4. De effectibus sponsalium 506
§ 5. De dissolutione sponsalium 507
Art. II. De examine sponsorum et de bannis seu proclamationibus matrimonialibus 510
Caput VII. De forma celebrationis matrimonii 516
Art. I. Quinam ad statutam formam teneantur 517
Art. II. Quaenam requirantur ad validam et licitam celebrationem externam matrimonii 518
§ 1. Valida et licita celebratio matrimonii ordinaria . . . 519
I. Condiciones requisitae ad validam assistentiam . . . 519
II. Condiciones requisitae ad licitam assistentiam . . . 525
§ 2. Valida et licita celebratio matrimonii extraordinaria . . . 528
Art. III. Quaenam facienda sint post matrimonium celebratum . . . 530
Caput VIII. De matrimonii impedimentis 532
Art. I. De notione et divisione impedimentorum 532
Art. II. De impedimentis prohibentibus 534
§ 1. Ecclesiae vetitum 535
§ 2. Tempus clausum 536
§ 3. Sponsalia 537
§ 4. Votum 537
§ 5. Mixta religio 539

Pag.

Art. III. De matrimonii impedimentis dirimentibus 544
§ 1. Error et condicio servilis 545
§ 2. Defectus aetatis 549
§ 3. Vis et metus 550
§ 4. Raptus 555
§ 5. Ligamen 557
§ 6. Impotentia physica 559
§ 7. Impedimentum dirimens voti sive professionis religiosae . . 564
§ 8. Impedimentum ordinis sacri 567
§ 9. Cultus disparitas 571
§ 10. Cognatio naturalis sive consanguinitas 574
§ 11. Cognatio spiritualis 581
§ 12. Cognatio legalis 583
§ 13. Affinitas 584
§ 14. Honestas publica 587
§ 15. Crimen 588
Art. IV. De cessatione impedimentorum matrimonii 592
§ 1. De notione et divisione dispensationis matrimonialis . . 592
§ 2. De auctoritate dispensandi 594
1. Dispensationes concessae a Curia Romana . . . 594
2. Dispensandi facultas episcopis competens 595
3. Dispensandi facultas concessa simplicibus sacerdotibus . 596
§ 3. De causis dispensationum 597
§ 4. De modis petendi dispensationem 601
§ 5. De modis exsequendi dispensationem obtentam . . . 605
Art. V. De matrimonii invalide contracti convalidatione 609
§ 1. De convalidatione matrimonii per renovationem consensus . 609
§ 2. De convalidatione matrimonii per simplicem dispensationem . 611
§ 3. De convalidatione matrimonii per sanationem in radice . . 611
Caput IX. De matrimonio et divortio civili 617
Art. I. De matrimonio civili 617
Art. II. De divortio civili 622

Index alphabeticus rerum (vol. I—III) 627

PARS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET IN SPECIE.

PROLOGUS.

Connexio materiae tractandae. Postquam in prima parte huius Manualis pertractavimus actus humanos virtutesque prout ordinantur ad finem supernaturalem assequendum, restat agere de adiumentis proximis sine quibus impossibile est obtinere finem supernaturalem. Quae quidem adiumenta sunt gratia divina, quae nobis imprimis confertur in sacramentis a Christo institutis. Ideo nunc in altera parte huius Manualis tractandum est de sacramentis deque iis omnibus, quae eorum administrationem aut susceptionem afficiunt (de censuris, indulgentiis, irregularitatibus etc.).

Utilitas huius tractatus est maxima. Quare scite Catechismus Romanus 1
ait[1]: «Cum omnis christianae doctrinae pars scientiam diligentiamque desiderat tum sacramentorum disciplina, quae et Dei iussu necessaria et utilitate uberrima est, parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut eius accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus praestantissimae ac sanctissimae res digne et salutariter impertiri possint, et sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: ‚Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.'»[2] — Et revera! Licet enim sacramenta non sint sola media assequendi gratiam et gloriam, cum etiam oratione et exercitio aliarum virtutum gratiae promereantur, tamen Concilium Tridentinum[3] merito illa vocat maxima auxilia, «per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur». Etenim per sacramenta gratiae conferuntur certius et uberius. — Sacerdotalis autem vita fere tota insumitur in sacramentis administrandis recipiendisque. Nonne igitur suo officio plane deesset sacerdos, qui doctrinam disciplinamque de sacramentis non perfecte calleret? — Forsan ex insufficienti scientia, certo autem ex insufficienti spiritu fidei provenit illa detestabilis administratio quasi mechanica sacramentorum, qualis a quibusdam sacerdotibus cum scandalo populi exercetur. Quapropter in hoc Manuali (brevitati quidem studentes) conamur tradere satis completam doctrinam de hac materia.

Divisio huius partis ex ipsa natura rei perspicitur tam clare, ut inde a saeculis sit eadem apud omnes auctores, scil. agitur primo de sacramentis in genere et deinde de singulis sacramentis in specie.

---

[1] Pars 2, c. 1, q. 1. [2] Mt 7, 6. [3] Sess. 7, decr. de sacr.

TRACTATUS I.

De sacramentis in genere.

Litteratura. De hac ampla materia, quam plurimi auctores tam veteres quam moderni scripserunt, quorum non nisi paucos sed principaliores afferimus, scil. S. Thom., S. theol. 3, q. 60—65; S. Alph., Theol. mor. l. 6, n. 1—94; Drouven O. Pr., qui duo magna volumina erudite conscripsit de re sacramentaria (ed. 2, Venetiis 1756); Christ. Pesch, Praelectiones dogmaticae t. VI; Aug. Lehmkuhl, Theol. mor. (ed. 12), n. 3—43; Gihr, Die heiligen Sakramente der kath. Kirche (ed. 2) I, 1—178; Schanz, Die Lehre von den Sakramenten der kath. Kirche (1893); Pourrat, La théologie sacramentaire (ed. 4), Paris 1910.

Dividimus tractatum de sacramentis in genere in sex capita: 1. de essentia et exsistentia sacramentorum; 2. de numero et divisione sacramentorum; 3. de efficacia et effectibus sacramentorum; 4. de institutore sacramentorum; 5. de ministro sacramentorum; 6. de subiecto sacramentorum. In fine tractatus per modum appendicis agemus de sacramentalibus.

CAPUT I.

De essentia et exsistentia sacramentorum.

Subdividimus istud caput in quattuor articulos: 1. de nomine sacramenti; 2. de reali definitione sacramenti; 3. de materia et forma sacramentorum; 4. de exsistentia sacramentorum.

ARTICULUS I.

De nomine sacramenti.

2 Vox sacramenti in multis et diversis sensibus adhibetur a scriptoribus tam profanis quam sacris. Non est cur multum immoremur, quibus significationibus huius vocis utantur scriptores profani. Istae enim significationes facile videri possunt in quolibet bono Dictionario latino. Principaliores sunt: a) pignus a litigantibus in loco sacro depositum; b) obligatio ad servitium militare; c) iuramentum perseverantiae militibus impositum [1].

In S. Scriptura et apud veteres auctores ecclesiasticos vox sacramenti in tot diversis sensibus adhibetur, ut haud raro opus sit magna circumspectione ad verum sensum auctoris perspiciendum [2]. Sensus principaliores et frequentiores videntur esse tres sequentes:

---

[1] *Fahneneid, military oath.* Cf. *Cicero,* De offic. 1, 11; Pro domo 29; Pro Milone 27.

[2] Apud solum S. Cyprianum potest percipi verbum sacramenti in decem diversis acceptationibus usurpatum, nempe 1. pro iuramento; 2. pro professione fidei; 3. pro

1. Sacramentum significat idem quod verbum graecum *μυστήριον*, i. e. *res sacra occulta seu secreta*. In hoc sensu Incarnatio vocatur «sacramentum voluntatis Dei»[1]. Item veritates fidei vocantur sacramentum, ideoque dicit S. Paulus: «Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec . . . illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.»[2] Ipse Christus appellatur «magnum pietatis sacramentum»[3]. — SS. Patres quoque sacramenti verbum saepe adhibent in hoc sensu. Sic e. g. S. Cyprianus vocat unionem ecclesiasticam «sacramentum unitatis». S. Ambrosius inscribit tractatum de Incarnatione: «Liber de Incarnationis dominicae sacramento.» Hugo de S. Victore scribens de theologia posuit titulum: «De sacramentis [i. e. de mysteriis] christianae fidei.» — Aliquando, sed rarissime, sacramenti nomen sumitur etiam pro secreto seu arcano *malo*, e. g.: «Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiae, quae portat eam.»[4]

2. Sacramentum significat *signum* seu symbolum alicuius rei sacrae occultae. In quo sensu matrimonium christianum vocatur a S. Paulo[5] magnum sacramentum, quoniam significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Pariter figurae Veteris Testamenti, e. g. manna, Iudaeorum transitus per Mare Rubrum, vocantur a S. Ambrosio sacramenta[6].

3. Sacramentum significat *sanctificationem humanam*[7], ita ut sacramentum sit signum non solum sanctum, sed etiam signum sanctificationis actu dandae. Talia signa iam complura habebantur in Vetere Testamento, ideoque S. Thomas loquens de sacramentis Veteris Legis dicit: «Sacramenta proprie dicuntur illa, quae adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scil. deputabantur quodammodo ad cultum Dei.»[8] Verumtamen sacramenta Veteris Legis

causa salutis nostrae; 4. pro figura prophetica; 5. pro symbolo; 6. pro signo memorativo; 7. pro prophetia; 8. pro testimonio; 9. pro deposito fidei; 10. pro vinculo. Cf. *J. B. Ponkens* in «Bulletin d'ancienne litt. et archéol. chrét.» II 289.

[1] Eph 1, 9. [2] Eph 3, 8 sq. [3] 1 Tim 3, 16. [4] Apc 17, 7.

[5] Eph 5, 32. Nihilominus ex hoc textu potest solide probari, matrimonium esse verum sacramentum Novae Legis. Cf. infra n. 643.

[6] De sacr. l. 1, c. 4 sqq. (*Migne*, Patr. lat. 16, 420 sqq.).

[7] Haec acceptio est communior post S. Augustinum, cui tribuebatur definitio sacramenti: est visibile signum invisibilis gratiae; quae tamen definitio non verbotenus, sed tantum quoad sensum apud S. Augustinum invenitur (cf. *Gietl*, Die Sentenzen Rolands p. 155). Hugo de S. Victore, qui profecto eminet inter theologos tractantes de sacramentis, haec habet: «Tria genera sacramentorum in prima consideratione discernenda occurrunt. Sunt enim quaedam sacramenta, in quibus principaliter salus constat et percipitur, aqua baptismatis et perceptio corporis et sanguinis Christi. Alia sunt, quae etsi necessaria non sunt ad salutem (quia sine his salus haberi potest), proficiunt tamen ad sanctificationem, quia his virtus exerceri et gratia amplior acquiri potest, ut aqua aspersionis et susceptio cineris et similia. Sunt rursum alia sacramenta, quae ad hoc solum instituta esse videntur, ut per ipsa ea, quae ceteris sacramentis sanctificandis et instituendis necessaria sunt, quodammodo praeparentur et sanctificentur vel circa personas in sacris ordinibus perficiendis, vel in iis quae ad habitum sacrorum ordinum pertinent initiandis et ceteris huiusmodi» (De sacr. l. 1, c. 7; *Migne*, Patr. lat. 176, 327).

[8] S. theol. 1, 2, q. 102, a. 5.

non valuerunt ex se ipsis producere veram sanctificationem internam suscipientis; sacramenta vero Novae Legis non tantum significant sanctificationem, sed etiam illam producunt ex opere operato. Ceterum amplior sermo infra redibit de efficacia sacramentorum. In sequentibus articulis nomen sacramenti nihil aliud significat nisi *signum practicum sanctificationis nostrae.*

ARTICULUS II.

De reali definitione sacramenti.

3 Communis theologorum sententia admittit etiam in Vetere Testamento fuisse vera sacramenta, quae licet multo imperfectiora fuerint quam septem sacramenta Novi Testamenti, non tamen ad puram analogiam sacramenti detrudi possunt[1]. Quare S. Thomas[2] simpliciter docet: «Ante Christi adventum necesse fuit quaedam sacramenta institui», et Concilium Tridentinum[3] definit: «S. q. d. ea ipsa Novae Legis sacramenta a sacramentis Antiquae Legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus externi, A. S.» Constat igitur exstitisse tam in Nova quam in Antiqua Lege vera sacramenta, et tamen essentiale discrimen inter utraque esse. Quaerenda est itaque definitio quasi *generica,* quae includit omnia sacramenta cum Antiquae tum Novae Legis. — Scholastici multum insudaverunt ad inveniendam huiusmodi definitionem; sed in varias sententias abierunt[4]. Melior nobis videtur definitio a S. Thoma[5] data:

«Definitio generica. Sacramentum est signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines.»

4 **Explicatur.** Dicitur 1°: Sacramentum est *signum* et quidem sensibile. Etenim in omnibus sacramentis (etiam Veteris Legis) continetur aliquid sensibile (e. g. circumcisio, ablutio, unctio etc.), quod significat effectum spiritualem. Unde veteres scholastici dicere solebant: sacramentum est *in genere signi* et non in genere causae, quia scil. sacramentum formaliter sumptum non causat sed tantum significat effectum supernaturalem. Quam ob rem sacramenta Veteris Legis significabant quidem gratiam sanctificantem, sed utpote «elementa infirma» illam causare non valebant per se ipsa; gratia enim proveniebat non praecise ex istis sacramentis, sed ex fide in Messiam futurum. Sacramenta vero Novae Legis non tantum significant sed etiam causant gratiam sanctificantem[6].

Dicitur 2°: *rei sacrae.* Quae quidem res sacra multiplex est. Imprimis est *gratia sanctificans.* Omnia sacramenta cum Antiquae tum

---

[1] S. Thomas iunior videtur docuisse sacramenta Veteris Legis non esse sacramenta in sensu univoco cum sacramentis Novae Legis; attamen senior factus hanc sententiam retractavit, ut clare ostendunt Caietanus, Dom. Soto, Ioannes a S. Thoma (cf. *Billuart,* De sacr. diss. 1, a. 1).

[2] S. theol. 3, q. 61, a. 3. [3] Sess. 7, can. 2 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 845).

[4] Videsis *Lugo,* De sacr. in gen. disp. 1, sect. 1.

[5] S. theol. 3, q. 60, a. 2. [6] Cf. infra n. 35.

Novae Legis significant gratiam sanctificantem conferendam. Unde Eugenius IV in Decreto pro Armenis docuit: «Illa [scil. sacramenta Antiquae Legis] non causabant gratiam, sed eam per passionem Christi dandam esse figurabant.»[1] Deinde est *gratia sacramentalis* unicuique sacramento propria, ut infra dicetur.

Dicitur 3°: *in quantum est sanctificans homines.* Omnes theologi catholici docent: a) sacramenta Novae Legis aut conferre aut augere gratiam sanctificantem[2]; b) sacramenta Antiquae Legis non contulisse gratiam sanctificantem ex opere operato[3].

Ad rem scripsit S. Thomas[4]: «Sacramenta Veteris Legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solum significabant fidem, per quam iustificabantur. . . . Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio, sicut et alia sacramenta Veteris Legis, erat solum signum fidei iustificantis. . . . In circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futurae.» — Ex quibus verbis S. Thomae manifeste apparet, Deum in circumcisione aliisque sacramentis Antiquae Legis contulisse sanctificationem hominis non quidem propter ipsa, sed in quantum fuerunt protestationes fidei in Christum futurum. Idem Angelicus Doctor adhuc explicitius exprimit eandem doctrinam de circumcisione, quae est unum ex sacramentis Antiquae Legis: «In circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus; aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectae; in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio; ita scil. quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se vel alius pro parvulis.»[5]

Omnia igitur sacramenta sunt signa *practica* gratiae sanctificantis. Cum autem in gratia sanctificante praeterea possit considerari eius *causa meritoria,* scil. passio Christi, et eius *finis,* scil. gloria aeterna, hinc S. Thomas docet sacramenta tria significare, scil. *passionem Christi,* quae est causa meritoria sanctificationis; *gratiam sanctificantem,* quae est sanctificationis forma; *vitam aeternam,* quae est sanctificationis finis ultimus[6].

Corollaria. 1. Sacramenta non possunt esse signa practica gratiae sanctificantis nisi *ex institutione divina.* Prorsus enim excedit facultatem cuiusque rei naturalis *practice* significare aliquid supernaturale, quale est gratia sanctificans.

---

[1] *Denz.* n. 695. [2] Cf. infra n. 35.

[3] Pauci tantum Scotistae, ut *Mastrius* (De sacr. disp. 1, q. 2, a. 2, n. 86), *Bosco* (Theol. sacram. disp. 1, sect. 2, concl. 6, n. 65), contrarium docuerunt de circumcisione et sic dicto sacramento naturae.

[4] S. theol. 3, q. 62, a. 6, corpus et ad 3. [5] Ib. q. 70, a. 4.

[6] Cf. ib. q. 60, a. 3: «Sacramentum est et signum *rememorativum* eius, quod praecessit, scil. passionis Christi; et *demonstrativum* eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scil. gratiae; et *prognosticum,* i. e. praenuntiativum futurae gloriae.» Quae quidem tria Angelicus Doctor posuit pulcherrime in Antiphona: «O sacrum convivium»: «Recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.»

2. Non omnia signa sacra habent rationem sacramenti. E. g. crux, imagines sacrae, transitus per Mare Rubrum, manna, serpens aeneus, quam plurimae caeremoniae etc. Ratio est, quia haec omnia sunt quidem signa sacra, sed deest eis institutio divina elevans ea ad signa practica gratiae sanctificantis.

3. Etiam *sacrificia* non sunt sacramenta. Ratio est, quia sacrificium primario ordinatur ad *cultum* ipsi Deo exhibendum; sacramenta vero ordinantur primario ad *sanctificationem hominum.* Nihil autem obstat, ne idem sub diversa ratione acceptum possit esse sacrificium et sacramentum. Sic revera eucharistia in Nova Lege et immolatio agni paschalis in Vetere Lege sunt simul sacrificium et sacramentum, sed sub diversa ratione acceptum.

4. Falsa est haereticorum sententia de sacramentis docentium illa esse tantum testimonia iustitiae acceptae (Lutherani); vel signa, quibus homo distinguitur a gentilibus et iudaeis (Anabaptistae et Sociniani); vel oppignorationes aliquas, quibus homines se obligant Christo atque palam profitentur se eius religionem sequi velle (Zwingliani); vel symbola externa benevolentiae divinae erga nos et testificationes nostrae fidelitatis erga Deum (Calvinistae), vel signa commemorativa beneficiorum a Deo acceptorum, quae quidem signa non ab ipso Christo, sed ab apostolis eorumque posteris introducta fuerunt (Modernistae)[1]. Unde sacramentis non competit vera causalitas interioris sanctificationis nostrae iuxta omnes istos haereticos, quorum sententiae ideo sunt falsae, quia nituntur falso fundamento, nempe iustificationem hominis non fieri per infusionem gratiae sanctificantis, sed vel per solam fidem vel per meram imputationem meritorum Christi[2].

5. Cum definitione data concordant definitiones allatae a Concilio Tridentino et Catechismo Romano. Concilium Tridentinum definit sacramentum: «symbolum rei sacrae et invisibilis gratiae forma visibilis»[3]. Catechismus Romanus duas definitiones affert: a) «Sacramentum est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram iustificationem institutum»[4]; b) «*sacramentum est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae cum significandae tum efficiendae vim habet.*»[5] Prior definitio Catechismi convenit omnibus sacramentis; posterior vero definitio (quae semper habita est tamquam perfectissima) congruit Novae Legis sacramentis, quae sola possunt proprie causare gratiam sanctificantem[6]. Ideo **haec definitio est specifica** pro istis sacramentis.

6. Ad essentiam cuiuslibet sacramenti tria requiruntur: signum externum et sensibile, interior gratia et institutio a Deo facta. De institutione sacramentorum tractabitur infra c. 4, de interiore gratia infra c. 3. Nunc autem magis explicandum est signum externum et sensibile.

---

[1] Cf. *Loisy,* L'Évangile et l'Église[3] c. 6. — Modernistarum errores circa sacramenta hoc modo describuntur in Encyclica «Pascendi» d. 8 Sept. 1907: «Sacramenta Modernistis nuda sunt symbola seu signa; quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam, quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas robustas maximeque percellentes animos.» — In decreto S. Officii d. 3 Iulii 1907 «Lamentabili» proscripta est propositio (41) Modernistarum: «Sacramenta eo tantum spectant, ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam» (*Denz.* n. 2041).

[2] Optime refert refutatque sententias haereticorum *Drouven,* De re sacr. l. 1, c. 2; cf. etiam *Schanz,* Die Lehre v. d. Sakr. 1, § 4.

[3] Sess. 13, c. 3 (*Denz.* n 876). [4] Pars 2, c. 1, q. 3. [5] Ib. q. 8.

[6] Alias definitiones datas a S. Augustino, ab Hugone de S. Victore etc. videsis apud *Petrum Ledesma,* Summa, de sacr. 1.

ARTICULUS III.

De signo sensibili seu de materia et forma sacramentorum.

Praenotamen. In hoc articulo sermo est de solis sacramentis Novae Legis; quia sacramenta Antiquae Legis non iam exsistunt, neque perficiebantur materia et forma[1]. Etenim nullibi legitur e. g. in circumcisione aut in esu agni paschalis determinata verba fuisse necessario proferenda. — Cum hic articulus sit satis longus, claritatis causa dividitur in septem paragraphos: 1. de notione et necessitate materiae et formae; 2. de earum immutabilitate; 3. de earum unione; 4. de earum certitudine; 5. de applicatione formae ad materiam; 6. de repetitione materiae vel formae; 7. de forma conditionali.

§ 1.

De notione ac necessitate materiae et formae.

Notio. Signum externum et sensibile sacramentorum duplici ele- 6
mento componitur, materia scil. et forma, quae a legitimo ministro applicari debent. Quare Eugenius IV in Instructione ad Armenos dicit: «Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.»[2] Secundum autem Concilium Tridentinum[3] «materia et forma sacramenti essentia perficitur». Similiter docet Catechismus Romanus[4]. «Duo enim sunt, ex quibus quodlibet sacramentum conficitur, quorum alterum materiae rationem habet atque elementum dicitur, alterum formae vim, et verbum communi vocabulo appellatur.... Qua in re notum est atque apud omnes pervulgatum illud S. Augustini[5] testimonium: ‚*Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*‘»

Duplex acceptio. Materia et forma duplici sensu sumuntur in 7
re sacramentaria: a) Materia est *totum signum sensibile,* e. g. in baptismo ablutio aquae cum prolatione verborum; forma est significatio istorum omnium, scil. *gratia sanctificans.* Haec acceptio est parum usitata, ac proinde nos illam non adhibemus deinceps[6]. — b) Materia est *res vel actus signi sensibilis;* forma sunt *verba* aut signa, quibus istae res seu actus suam determinatam significationem et efficaciam accipiunt; e. g. aqua et ablutio cum aqua facta est materia in sacramento baptismi, cuius forma sunt verba: «Ego te baptizo etc.»

Origo huius terminologiae. «Observandum est has voces ‚materia et 8
forma‘ respective ad sacramenta non fuisse in usu nisi circa annum 1215 et esse usurpatas primo a Guilielmo Antisiodorensi (Auxerre), cum nullibi ante ipsum, nec apud Magistrum Sententiarum [Petrum Lombardum] reperiantur.»

---

[1] Cf. S. theol. 3, q. 60, a. 6 ad 3. [2] *Denz.* n. 695.

[3] Sess. 14, c. 2 de sacr. poen. (*Denz.* n. 895).

[4] Pars 2, c. 1, q. 10.

[5] In Ioan. tr. 80, n. 3 (*Migne,* Patr. lat. 35, 1840).

[6] Forma sacramenti adhuc sumitur pro gratia sanctificante in locutione «sacramenti informis», quod est sacramentum non producens gratiam sanctificantem, licet sit validum. Cf. infra n. 33.

Ita Billuart[1] cum Chr. Pesch, Hurter, Fei et communi sententia. Sane SS. Patres cognoverunt id, quod nos vocamus materiam et formam sacramenti, sed aliis verbis denominabant, e. g. vocabant materiam signum vel elementum, formam autem verbum. Cum autem Scholastici iuxta philosophiam peripateticam docerent, quodlibet ens creatum sensibile componi ex materia et forma, per analogiam idem dicebant de sacramentis. Materia est pars determinabilis; forma autem determinat materiam ad rem individuam. Sic a pari in sacramentis res sensibilis est indeterminata, i. e. nondum determinata ad aliquid speciale significandum. Verba autem huic materiae applicata dant illi specialem significationem. Haec locutio de materia et forma sacramentorum inde a saeculo XIII universaliter recepta est in Ecclesia tam latina quam orientali. Pauci tantum theologi (inter quos est Durandus a S. Portiano in 4, dist. 1, q. 3) hanc locutionem quasi hylomorphisticam reiecerunt. Contra quos plane constat hunc explicandi modum esse aptissimum, praesertim ad discernendum, utrum aliquod sacramentum sit validum necne. Etenim quotiescumque adest mutatio substantialis materiae vel formae, sacramentum non conficitur; econtra exsistente sola mutatione accidentali, valor sacramenti non attingitur. De hac mutatione sermo redibit in paragrapho sequenti[2].

Distinctio. Inde a temporibus S. Thomae[3] solet in sacramentis distingui materia *proxima* et *remota*.

Materia remota est ipsa res sensibilis in sacramentis adhibita, e. g. aqua in baptismo, chrisma in confirmatione.

Materia proxima est actus humanus, nempe actualis applicatio rei sensibilis seu materiae remotae; e. g. materia proxima in baptismo est ablutio cum aqua facta; in confirmatione materia proxima est unctio cum chrismate facta.

Forma sacramenti debet exprimi oraliter verbis; attamen in sacramento matrimonii, cuius forma est mutua manifestatio et acceptatio consensus maritalis, etiam scripto vel nutu exprimi potest (saltem valide).

9 **Necessitas materiae et formae.** Communissima sententia theologorum, quae valde confirmatur verbis Eugenii IV, Concilii Tridentini et Catechismi Romani supra citatis, docet materiam et formam esse de ipsa essentia cuiuslibet sacramenti Novae Legis, ac proinde omnino necessarias. Unde S. Thomas[4] dicit: «Quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes essentiae.» Missas facio sententias Durandi, qui hoc negat, et quorundam Scotistarum, qui etiam post Concilia Florentinum et Tridentinum audacter docent sacramenta perfici quidem, non autem intrinsecus *constitui*, ex materia et forma[5].

---

[1] De sacr. diss. 1, a. 4, § 2.

[2] Cf. de progressu scientiae theologicae hac in re inde a saeculo XIII *Pourrat,* La théol. sacr. chap. 2, § 5. Modus loquendi factus est quidem diversus, sed res ipsa iam nota fuit SS. Patribus.

[3] Cf. S. theol. 3, q. 84, a. 2.

[4] Ib. q. 90, a. 2.

[5] Cf. *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VI, n. 34.

§ 2.

De immutabilitate materiae et formae.

Si materia et forma ad essentiam sacramenti pertinent, ut ex para- 10
grapho praecedenti patet, sequitur illas non solum esse prorsus necessarias ad validitatem sacramenti, sed etiam immutabiles seu invariabiles, ita ut quotiescumque alterutra sit substantialiter mutata, sacramentum non sit valide confectum. Essentiae enim rerum sunt immutabiles.

Materiam formamque sacramentorum esse invariabilem quoad substantiam, semper docuit Ecclesia. Sic Concilium Tridentinum[1] declarat: «hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, *salva eorum substantia*, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret». — Ex quibus verbis deduci potest, inveniri duplicem materiae formaeque mutationem, alteram substantialem, alteram accidentalem.

Mutatio substantialis materiae habetur, si iuxta communem 11
aestimationem hominum materia censetur alia *nomine* et *significatione*, etsi forte specie physica non differt. Unde licet e. g. massa cruda farinae specie physica non differat a pane, aut glacies ab aqua, censetur tamen theologice mutatio substantialis adesse quantum ad sacramenta eucharistiae et baptismi. Etenim si quis homo prudens interrogatur de farina aut glacie: Estne hoc panis aut aqua? statim respondet negative. Quapropter quidam theologi recte distinguunt mutationem substantialem in *physicam* et *theologicam*. Mutatio substantialis physica adest, quoties ex una materia fit alia essentialiter diversa, sicut e. g. ex ligno combusto fiunt cineres. Mutatio autem substantialis theologica est illa, quae iuxta communem aestimationem hominum reddit materiam ineptam ad significandum in sacramento id, ad quod est instituta. Non tantum physica, sed etiam theologica mutatio substantialis materiae annullat sacramentum. Sic e. g. nonnulli colores liquidi nihil aliud sunt nisi aqua, cui addita est materia colorata, puta viridis, atra etc. Nihilominus tales colores liquidi[2] sunt materia inepta ad baptismum, quia nequeunt significare ablutionem in baptismo faciendam. Nemo enim abluit faciem suam colore viridi.

Mutatio accidentalis materiae habetur, si iuxta communem 12
aestimationem hominum materia remanet specie eadem, licet sit mutata in qualitate aut in aliis accidentibus. E. g. aqua calida et frigida, aqua lutulenta et aqua odoribus mixta, vinum purum et vinum cui parva quantitas alterius liquoris commixta est; haec omnia non sunt nisi mutationes accidentales.

Mutatio substantialis formae habetur, quando non amplius 13
salvatur debitus et per se intentus verborum sensus, quo sacramenti

---

[1] Sess. 21, c. 2 (*Denz.* n. 931). [2] Vulgo *Wasserfarben*, détrempe.

effectus significatur. Substantia enim formae consistit in recto sensu, siquidem forma debet significare effectus diversorum sacramentorum a Christo volitos. Sic e. g. sensus formae baptismi est ablutio a peccato originali. Quapropter non adest mutatio substantialis, si quis loco «Ego te baptizo etc.» dicat: «Ego te abluo in nomine Patris etc.» Econtra esset mutatio substantialis, si quis putans interventionem B. M. V. esse necessariam baptizaret sub forma: «Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et B. M. V.»[1] — Ad iudicandum, utrum in aliquo casu mutatio substantialis formae adfuerit necne, multum inservit non solum obiectivus sensus verborum, sed etiam *subiectiva intentio ministri*[2]. Qui si intendit falsam pronuntiare formam, facilius adest mutatio substantialis, quam si habeat intentionem rectam. Celebre exemplum huius rei habemus in responsione Papae Zachariae ad S. Bonifatium (saec. VIII): Aliquis ex ignorantia linguae latinae, sed cum optima intentione baptizavit sub hac forma: «Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritus sancta.» Papa istum baptismum declaravit validum, dummodo minister talem formam non pronuntiaverit ex haeretica intentione[3].

14 **Mutatio accidentalis formae** adest, si alia quidem verba adhibentur ac ea, quae in Rituali praescribuntur, sed remanet *idem sensus* formae. Cf. exemplum modo allatum de forma baptismi.

Solent afferri octo modi, quibus contingit sacramentorum forma mutari:

1. Ex parte idiomatis, e. g. si quis verba pronuntiat consecrationis in lingua vernacula. Talis mutatio est accidentalis, quia non mutatur sensus formae.

2. Si verba praescripta mutantur in synonyma, e. g. loco «baptizo» dicitur «abluo». Talis quoque mutatio est accidentalis ob eandem rationem.

3. Corrumpendo aut mutilando formae verba; e. g. si quis loco Patris dicit Patrias; loco corpus copus; loco calix calis; loco est es etc. — Si non obstante corruptione facile intelligitur formae sensus atque adest recta intentio, mutatio talis est accidentalis, secus est substantialis. Quare illae nationes, quae non possunt facile pronuntiare litteras h aut x, et proinde in consecratione dicunt: «oc est corpus meum», vel «ic est calis etc.», valide sacramentum conficiunt.

4. Addendo aliquid ad verba formae, e. g. «Baptizo te in nomine Patris omnipotentis et Filii unigeniti et Spiritus Paracleti et in honorem B. M. V.» — Istae similesve additiones censentur esse mutationes substantiales, si mutant notabiliter sensum formae; secus sunt accidentales.

5. Subtrahendo aliquid a verbis formae praescriptae; e. g. si quis omittit in baptismo verbum «ego», aut in consecratione verbum «enim». — Si ex tali subtractione non mutatur notabiliter sensus formae, ut accidit in exemplis allatis, est mutatio accidentalis; secus est mutatio substantialis.

---

[1] Ita *S. Thomas* (Sum. theol. 3, q. 60, a. 8), qui tamen addit: «Si vero sic intelligitur . . . non quasi nomine B. Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio baptismi.»

[2] Cf. *Leonis XIII* Const. de ordinationibus anglicanis d. 15 Sept. 1896.

[3] c. 86, dist. 4 de consecr.

6. Transpositione verborum, e. g. «In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ego te baptizo.» — Ut plurimum inde non oritur nisi mutatio accidentalis, quia sensus formae non notabiliter mutatur.

7. Repetitione partiali formae, e. g. aliquis scrupulosus dicit consecrando: «Hoc, hoc, hoc, est, est, est enim corpus, corpus meum.» — Talis mutatio est accidentalis, cum sensus formae satis facile intelligatur.

8. Disiunctione materiae et formae seu laedendo unionem, de qua specialiter tractabitur in paragrapho sequenti.

Quidam auctores sequentibus versiculis exprimunt (sed non ita complete) modos, quibus mutatio formae fieri prohibetur:

Nil formae demas, nil addas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Principium. *a) Qui substantialem mutationem materiae vel formae facit, sacramentum reddit invalidum et, si scienter agit, gravissime peccat; b) qui vero accidentalem materiae vel formae mutationem facit, sacramentum non reddit invalidum, sed plus minusve peccat, si scienter et sine causa sufficienti agit.* 15

a) Mutationem *substantialem* materiae vel formae invalidum reddere sacramentum, patet ex dictis, cum inde destruantur elementa essentialia sacramenti.

Ille, qui scienter, deliberate et libere talem mutationem substantialem perpetrat, committit peccatum mortale continens quadruplicem malitiam; nempe ille peccat α) contra *religionem,* quia committit grave sacrilegium abutens re sacra, atque quodammodo illudens Christo, quoniam contra eius institutionem adhibet signa inepta ad gratiam conferendam; β) contra *grave praeceptum Ecclesiae* prohibentis quamcumque substantialem mutationem in sacramentis; γ) contra *caritatem,* quia privat proximum pretioso dono gratiae sacramentis validis annexae; δ) contra *iustitiam,* idque certum est, si minister ex iustitia tenetur sacramenta administrare, ut e. g. parochus. Probabiliter idem dicendum est, etsi minister non tenetur ex iustitia administrare sacramenta; quia hoc ipso, quod voluntarie in se suscipit sacramenti administrationem, tacitum contractum init valide et recte illud administrandi. — Dixi autem, *scienter et libere* mutantem peccare graviter; nam si talis mutatio substantialis accidat ex ignorantia, potest esse sine omni peccato, e. g. si laicus ex ignorantia invalide administrat baptismum privatum. Sacerdos autem, qui ex officio tenetur et scire et diligenter observare praescriptum ritum sacramentorum, difficulter excusari potest a peccato, si propter ignorantiam aut insufficientem advertentiam facit mutationem substantialem materiae vel formae.

b) Mutatio *accidentalis* materiae vel formae non reddit sacramentum invalidum, cum eius essentia salva consistat; sed ille, qui scienter, deliberate et libere talem mutationem facit, plus minusve peccat, cum laedat praeceptum Ecclesiae et irreverentiose tractet rem sacram. Utrum talis mutatio sit peccatum grave an leve, non potest regula generali determinari, sed debet relinqui iudicio prudentis viri. Ita recte Billuart[1].

[1] De sacr. diss. 1, a. 6, § 2.

Hinc complures theologi docent non esse nisi peccatum veniale, si quis scienter et negligenter omittit in baptismo verbum «ego», aut in consecratione verbum «enim». — Mutatio autem (licet accidentalis) facta in materia vel forma sacramenti evadit gravis culpa: α) si fit ex contemptu; β) cum proximo periculo errandi in substantialibus; γ) cum scandalo fidelium; δ) ex prava intentione ministri.

§ 3.

De unione materiae et formae.

16 **Necessitas et qualitas unionis.** Sicuti pro constitutione corporis physici materia et forma debent simul uniri, ita etiam est in sacramentis. Cum tamen sacramentum sit *ens morale*, non requiritur ad eius validitatem unio perfecte physica, sed sufficit *unio moralis* inter materiam et formam. Dico autem ad eius *validitatem*, nam ad liceitatem administrationis saepe maior unio requiritur, ut infra de singulis sacramentis dicetur.

Regula. *Censetur adesse haec unio moralis, quando considerata natura cuiusque sacramenti iuxta communem aestimationem hominum verba revera afficiunt materiam atque cum ipsa unum constituunt signum*[1].

17 **Resolves.** 1. Maxima requiritur unio et coexsistentia (quae ideo a pluribus auctoribus vocatur *unio physica*) in consecratione eucharistiae, in qua pronomina «hoc», «hic» demonstrant, materiam esse physice praesentem inde ab initio, quando forma consecrationis pronuntiatur. Ceterum cum hoc sacramentum consistat in re permanenti, et non in actione transeunti, vix possibile est, ut materia et forma non sint simul.

2. Minor requiritur unio et coexsistentia formae et materiae ad validitatem baptismi, confirmationis, extremae unctionis et ordinis. Unde certe valida sunt haec sacramenta, si saltem partialis licet minima coexsistentia physica inter formam et materiam proximam adfuerit. Sic e. g. validus est baptismus, si baptizans aquam fuderit super baptizandum, et quando ultima guttula aquae fluit, subito incipit dicere: «Ego te baptizo etc.» Pariter valida est extrema unctio, si sacerdos pronuntiando ultimum verbum formae tandem incipit ungere. Ita sententia communis. — Iuxta sententiam saltem theoretice probabilem etiam tunc valide collata sunt ista sacramenta, si inter applicationem materiae et formae est brevissimum intervallum. Ratio autem est, quia, quamvis formae praedictorum sacramentorum significent tempus praesens: baptizo, signo etc., moraliter tamen loquendo tempus praesens admittit aliqualem latitudinem et censetur adhuc praesens, quod *immediate* praecessit aut immediate sequitur. Sic e. g. censetur etiam verax dicens: bibo ad vestram sanitatem, etsi nunc non bibit sed statim bibiturus est. Auctores non concordant, quantum intervallum destruat validitatem istorum sacramentorum. Billuart[2] putat morulam interiectam unius «Ave» non destruere valorem; S. Alphonsus[3] autem opinatur moram unius «Pater» invalidare ista sacramenta. At vero S. Officium in Instructione d. 2 Maii 1858 ad Vicarium apostolicum

[1] Cf. *S. Thom.*, Sum. theol. 3, q. 60, a. 8 ad 3.
[2] De sacr. diss. 1, a. 6, § 3. [3] Theol. mor. l. 6, n. 9.

Abyssiniae data declarat baptismum (omniaque alia sacramenta post baptismum ita collatum) esse sub conditione repetendum, si completa iam omnino ablutione forma pronuntietur, vel contra absoluta prolatione formae ad ablutionem procedatur [1]. Quae quidem Instructio S. Officii videtur esse observanda in praxi ubique terrarum. Contraria autem sententia Lugonis [2] asserentis in hoc casu sacramentum non esse necessario reiterandum iam non videtur esse tuta in praxi. Ita quoque S. Alphonsus, qui, licet l. c. sententiam Lugonis aliorumque videatur approbare, tamen in «Exam. ordinandorum» n. 6 illam vocat practice non probabilem.

3. Adhuc minor unio formae et materiae requiritur ad validitatem poenitentiae et matrimonii. Etenim in poenitentia materia proxima, scil. contritio et confessio, debet omnino praecedere absolutionem, et sufficit, ut contritio virtualiter coexsistat absolutioni, quae potest etiam aliquantisper differri, scil. iuxta quosdam per tres aut quattuor horas [3]. In sacramento matrimonii, in quo contractus a sacramento nequit separari, forma sacramenti est acceptatio consensus alterius partis. Quamdiu autem perseverat moraliter iste consensus, tamdiu potest accedere acceptatio alterius partis (etiam post plures menses) et tunc tandem aliquando sacramentum conficitur. Ergo adhuc minor simultaneitas inter formam et materiam requiritur. Talis modus recipiendi sacramentum potest accidere, quando matrimonium contrahitur per procuratorem vel per litteras [4].

§ 4.

De certitudine materiae et formae.

Ex materia et forma pendet valor sacramentorum, ut vidimus. Hinc 18
gravis adest obligatio adhibendi in sacramentis conferendis materiam et formam *certam et praescriptam*. Quid autem faciendum est, si in casu particulari non potest haberi materia certa, sed tantum dubia? Tunc valet principium: *Extra casum urgentis necessitatis spiritualis est grave peccatum adhibere materiam non moraliter certam* [5]. Ergo quotiescumque agitur de valore sacramentorum, non licet sequi opinio-

---

[1] Collect. de Prop. Fide n. 1159.

[2] De poenit. disp. 7, n. 275. Quidam auctores, ut *Gaudé* (in notis ad novam editionem Theologiae S. Alphonsi l. 6, n. 9), citant pro sententia Lugonis plures decisiones S. Officii, nempe d. 12 Sept. 1877, 17 Martii 1897, 30 Nov. et 14 Dec. 1898, quibus nonnullae ordinationes sacerdotales validae declaratae sunt; sed istae decisiones non sunt ad rem, 1. quia nondum constat inter auctores, quaenam sit essentialis forma et materia sacramenti ordinis (utrum impositio manus, an traditio instrumentorum, an utrumque simul); 2. quia in istis casibus propositis dubium non proprie versabatur de simultaneitate materiae et formae requisitae, saltem si excipias decisionem d. 17 Martii 1897 sequentis tenoris: «Cum orator sacrum suscepit presbyteratus ordinem, quattuor vel quinque insimul erant ordinandi, qui omnes certatim instrumenta tangere connitebantur. Meminit se prius talia tetigisse, sed quando prolata est formula, etsi conaretur illa denuo tangere, impeditus fuit a manibus ceterorum.» Responsio S. Officii confirmata a Leone XIII sonabat: «Orator acquiescat.» (Analect. eccl. V [1897] 203.) In isto casu forma prolata fuit post tactum calicis; sed quia non constat, quaenam sit forma huius sacramenti, nec ista decisio destruit decisionem eiusdem S. Officii d. 2 Maii 1858 supra citatam.

[3] Cf. *Billuart* l. c. a. 4, § 2.

[4] Cf. infra in tractatu de matrimonio.

[5] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 29.

nem etiam probabiliorem, aut adhibere formam materiamve dubiam. Ratio est, quia secus sacramentum frivole exponeretur periculo nullitatis, quod quidem gravem irreverentiam Deo irrogaret. Quapropter damnata est ab Innocentio XI propositio (1): «Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.» [1] Dixi autem: *extra casum urgentis necessitatis spiritualis.* Etenim sacramenta sunt propter homines, non autem homines propter sacramenta. Ideo debet praesumi, Christum Dominum ob infinitam suam erga nos caritatem velle, ut etiam cum periculo nullitatis sacramenti hominum saluti provideatur, quando hoc aliter fieri nequit. Hinc puero morituro potest, immo debet, deficiente aqua limpida, baptismus administrari cum caffé; moribundo sensibus destituto potest absolutio sacramentalis impertiri, etsi sacerdos dubitat de dispositione eius, immo et de baptismo suscepto. Idem valet de extrema unctione, quae licite potest administrari cum chrismate (deficiente oleo infirmorum), quando moribundus, forsitan in peccato mortali exsistens, non potest recipere sacramentum poenitentiae. Uno verbo: quotiescumque vel minima probabilitas adest, quod sacramentum valide administrari possit, potest et debet administrari (conditionate), si secus homo versatur in urgenti periculo salutis aeternae. — Extra autem urgentem necessitatem non licet hoc modo sacramenta ministrare. Hinc sacerdos non potest consecrare materiam dubiam, ut morituro communionem porrigat.

Quomodo confessarius agere debeat, si dubitat de contritione sufficienti poenitentis, vide infra in tractatu de poenitentia.

§ 5.

De applicatione formae ad materiam.

19 1. **Ab uno eodemque ministro** *debet ordinarie fieri applicatio formae ad materiam.* Administratio enim sacramentorum est *una* actio nomine Christi ponenda, quae ex duobus elementis componitur, scil. ex applicatione formae ad materiam. Iamvero si alter materiam, alter formam applicaret, potius duae quam una actio perficerentur. Praeterea saepe non verificaretur significatio formae, si alter materiam remotam applicaret et alter formam pronuntiaret; e. g. falsa esset forma baptismi, si alter aquam infunderet super baptizandum et alter diceret: «Ego te baptizo etc.» [2]

Dixi tamen *ordinarie.* Nam in sacramento poenitentiae materiam applicat poenitens, scil. ponendo actus contritionis, confessionis et satisfactionis; confessarius autem applicat formam pronuntiando absolutionem. Praeterea potest

[1] *Denz.* n. 1151. Cf. explicationem huius propositionis damnatae apud *Concina,* De sacr. in gen. l. 1, diss. unic., c. 1, ubi etiam asseritur, hanc damnatam propositionem esse propugnatam a plus quam 70 probabilistis.

[2] Cf. S. theol. 3, q. 67, a. 6.

accidere, ut complures simul consecrent eucharistiam, sicut fit in ordinatione presbyteri, et saepius in Ecclesia graeca. In extrema unctione quoque singulae unctiones fieri possunt a diversis, ut infra dicetur in tractatu de extrema unctione.

2. **Vocaliter et sine interruptione** *forma debet applicari.*

a) Cum forma sit pars signi sensibilis in sacramentis et consistat verbis, necessario debet exprimi vocaliter. Unde requiritur, ut minister pronuntiando formam se audiat vel saltem possit se audire. Non autem sufficit tantum *mentaliter* verba formae exprimere. Ad sacramenti matrimonii autem valorem satis est, ut consensus ab utraque parte quocumque signo externo manifestetur. Nihilominus ordinarie insistendum est, ut nupturientes consensum oraliter exprimant. (De hac re latius in tractatu de matrimonio.)

b) Verba formae debent uno tractu et sine interruptione pronuntiari. Ratio est, quia secus suam significationem facile perdunt. Quare si interruptio tanta est, ut verba non amplius unum integrum sensum efficiant, invalidum est sacramentum[1]. Attamen in praxi difficulter potest certo determinari nullitas sacramenti propter interruptionem formae. Merito autem notant casuistae multo facilius sensum formae perire, si non tantum verba, sed etiam *syllabae* seiungantur. Sic e. g. dicunt: Si baptizans dicto «Ego te baptizo» exclamaret versus sacristanum: «Ita teneto catillum», vel si sternutaret, vel modice tussiret, vel spueret, et deinde prosequeretur: «in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti», baptismus esset valide collatus. Vel si confessarius dicto «Ego te absolvo», animadvertens poenitentem e confessionali discessisse, eum revocat exclamans: «Quid est hoc? quare non exspectasti? revertere et genuflecte», et demum tunc addit: «a peccatis tuis», valide absolvit. Econtra dicunt, invalidam esse consecrationem, si sacerdos dicto «Hoc est enim cor» tussiret notabiliter et tunc prosequeretur: «pus meum»[2]. — Omnes istae similesve resolutiones casuisticae sunt parvae utilitatis pro praxi, in qua sequentia sunt observanda: 1. *Quaelibet interruptio formae est sedulo ac pro viribus vitanda.* Unde revera scandalose agunt sacerdotes, qui durante pronuntiatione formae interiectiones emittunt. 2. Quando durante pronuntiatione formae aliqua involuntaria interruptio accidat, e. g. sternutatione aut tussi, tunc *forma denuo est pronuntianda, nisi certo constet essentialem partem formae iam esse pronuntiatam.* Sic e. g. si sacerdos, dum pronuntiat verba «Hoc est enim corpus», tussit aut sternutat, multo melius facit, si tussi aut sternutatione finita iterum incipit: «Hoc est etc.» — Econtra si tussit vel sternutat, postquam dixerit «hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti», non debet, finita tussi vel sternutatione, reincipere formam, sed illam prosequi.

---

[1] L. c. q. 68, a. 8, ad 3.

[2] Cf. *Noldin,* De sacr. n. 16.

§ 6.

De repetitione materiae vel formae.

21 Forma repetita potest applicari materiae aut *absolute* aut *conditionate*. Conditio autem est: si prima applicatio formae non fuit valida, tunc applicatur forma denuo, secus non. De hac repetitione sequentia sunt notanda:

a) Forma debet *absolute* repeti, si applicata fuit materiae certo ineptae, vel si sacramentum certo fuit invalidum. Ideo e. g. si sacerdos pronuntiavit verba consecrationis super aquam in calice exsistentem, debet (aqua effusa et vino infuso) iterum absolute consecrare. Ita omnes.

b) Si *dubium leve et infundatum* oritur de valore sacramenti, nullo modo licet sacramentum collatum iterare. Ille autem, qui nihilominus sacramentum temere iterat aut formam super eandem materiam (licet conditionate) repetit, graviter peccat. Ratio est, quia hoc modo gravis irreverentia irrogatur religioni. Etenim si quis e. g. ex dubio levi temere repetit baptismum, secundus baptismus probabilissime esset nullus, et baptizans pronuntiando secunda vice «Ego te baptizo» aliquid falsum dicit. Quod quidem est religioni graviter irreverentiosum. Neque *conditionalis* repetitio in isto casu est licita, quia conditio talis adiecta, si dubium est pure negativum, habetur pro non apposita. Qui sacramentum baptismi *temere* iterat, incurrebat praeter reatum peccati mortalis irregularitatem ob delictum, sed haec irregularitas iam amplius non exsistit. — Dixi autem: qui *temere* iterat; nam si quis scrupulo licet non ita fundato exagitatus iterat ad maiorem securitatem formam sacramenti, plerumque non graviter peccat, deest enim omnis intentio Deum inhonorandi, sed econtra propter honorem Dei et salutem eius qui suscipit sacramentum repetitur forma. Iste casus facile evenire potest, si confessarius ex diuturna auditione confessionum valde defatigatus aliquibus vicibus non recordatur se pronuntiasse formam absolutionis. Tunc licet secreto iterum sub conditione pronuntiare absolutionem; nam nec scandalum oritur, nec religioni irrogatur irreverentia, quia licet etiam in aliis casibus absolutionem pronuntiare super peccata iam alias remissa. Verumtamen omnes (et praesertim scrupulosi) sedulo adlaborare debent, ut inanes repetitiones formae sacramentalis vitentur. Si enim quis sciens se habere huiusmodi habitum repetendi non conatur sedulo illum deponere, a peccato non excusatur. Quod quidem peccatum est *obiective* grave, quia istae repetitiones superfluae sunt religioni irreverentiosae. Nihilominus non ausim dicere, tunc singulas repetitiones sine sufficienti fundamento factas esse peccatum mortale, nisi adest grave scandalum et prava intentio. Experientia enim constat, istas repetitiones inutiles fieri sine sufficienti libertate et deliberatione propter scrupulos aliasque rationes.

Nota. Quando agitur de sacramentis *valde necessariis ad salutem*, e. g. de baptismo, de absolutione moribundi exsistentis in peccato mortali, de extrema unctione pro moribundo peccatore sensibus de-

stituto, tunc etiam cum tenui, sed *vero* dubio licet sacramenta sub condicione iterare[1]. Ratio est ea, quae iam saepius adducta est: sacramenta sunt propter homines. Pariter licet sacramentum ordinis iterare, exsistente tenui, sed vero dubio de eius valore; quia maxima damna orirentur, si quis sacerdotio non rite initiatus celebraret Missam, audiret confessiones ceteraque officia sacerdotalia obiret.

c) Licet sub condicione repetere sacramentum, quando *rationabile dubium* de eius valore ortum est; immo hoc fieri *debet*, si secus grave damnum accidere possit sive uni sive pluribus. Ratio semper est eadem, quia sacramenta sunt propter homines. Christus enim maxima misericordia motus sacramenta instituit propter nostram salutem. Ergo minime offensus erit, si quis exsistente serio dubio de valore sacramenti collati ad maiorem securitatem illud reiteret. Immo idem Christus exigit, ut tunc sacramenta sub condicione reiterentur, ne homines priventur tantis bonis neve tantis periculis exponantur. — Quotiescumque aliquod sacramentum dubie collatum repetitur, debet adhiberi *forma condicionalis*, de qua statim sermo erit.

§ 7.

De forma condicionali.

Notio. Forma condicionalis dicitur illa, quae profertur sub con- 22
dicione sive verbis sive saltem mente expressa, quod minister non intendat sacramentum conferre, nisi omnia requisita ad eius validitatem adsint. Forma condicionalis adhibetur cum in iteratione sacramenti, e. g. «Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.», tum in prima collatione sacramenti, si scil. adest dubium insolubile de aliqua condicione essentiali requisita, e. g. confessarius absolvit hominem sensibus destitutum, de cuius morte dubitatur, dicens: «Si vivis, ego te absolvo etc.»

Ratio et modus formae condicionalis. Ratio, cur condicio- 23
nalis forma adhibetur, est *reverentia* debita sacramento. Minister enim hoc modo protestatur se minime velle nomine Christi sacramentum administrare, si desit condicio essentialiter requisita. Cuilibet consideranti facile apparet, in omni sacramentorum administratione formam esse aliqualiter condicionalem, quia minister semper habet intentionem implicitam: conficio sacramentum, dummodo omnia necessaria adsint. — Condicio apposita aliquando debet iuxta praescriptum Ritualis[2] *expressis verbis* manifestari, scil. in baptismo et in extrema unctione. In baptismo dicendum est: «Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.», in extrema unctione sacerdos dicat: Si es capax, per istam sanctam unctionem etc.... In aliis sacramentis sufficit *sola mente* condicionem exprimere.

Liceitas. Tamquam regula generalis pro licita praxi formae con- 24
dicionalis solet afferri: *Licet conferre sacramentum sub condicione, quoties*

[1] Cf. infra de repetitione baptismi pro neoconversis ex haeresi n. 139.
[2] Tit. 2, c. 1, n. 9; tit. 5, c. 1, n. 12.

illud absolute collatum exponeretur periculo nullitatis, absolute autem negatum privaret hominem magno bono aut in grande periculum salutis aeternae illum detruderet.

Condicio apposita aut est de praesenti aut de praeterito aut de futuro.

1. Numquam fere licet condicionem *de futuro* apponere, immo omnia sacramenta (excepto matrimonio) sic collata sunt nulla[1]. Ratio est, quia ministro incumbit officium conferendi sacramentum hic et nunc applicatione formae ad materiam; arroganter autem sibi assumit potestatem, quam non habet, si vult effectum sacramenti suspendere usque post condicionem futuram impletam. Unde huiusmodi sacramentum condicionate collatum est nullum nunc et in futuro. Nunc enim minister non habet intentionem plene illud administrandi; in futuro autem iam non adest coexsistentia moralis formae et materiae, quae essentialiter requiritur ad valorem sacramenti, ut ex supradictis apparet. — *Matrimonium* autem sub condicione de futuro initum evadit validum post adimpletam condicionem. Quod quidem accidit propter specialem indolem matrimonii, quod est contractus. Cum enim matrimonii sacramentum perficiatur eo ipso, quod legitimus consensus contrahentium manifestatur, hoc sacramentum exsistere incipit, si condicione de futuro adimpleta idem consensus perseverat. Plerumque autem huiusmodi matrimonia condicionata sunt illicita[2]. — Ex dictis sequitur, quam prave agant vel saltem quam incaute loquantur illi confessarii, qui dicunt poenitenti: «Do tibi absolutionem sub condicione, si relicturus sis hanc occasionem peccandi; secus absolutio tua est invalida.» Potest quidem confessarius dicere: «Nisi mihi serio promittas, te relicturum esse occasionem peccandi, non possum tibi concedere absolutionem.» Quodsi poenitens id serio promiserit hic et nunc, confessarius debet absolute sine ulla condicione dare absolutionem[3].

2. Sacramentum collatum sub condicione *de praesenti aut de praeterito* valet, si condicio verificatur; secus nullum est. — E. g. si confessarius dicit moribundo sensibus destituto: «Si vivis, ego te absolvo», absolutio valida est, si iste homo (ceteroquin dispositus) adhuc vivit; secus nulla est. Ratio est, quia cum intentio ministri tum unio formae et materiae tum ceterae poenitentis dispositiones requisitae adsunt.

Scholion. De origine formae condicionalis. Forma condicionalis non videtur fuisse in usu primis septem saeculis[4]. Prima mentio formae condicionalis saeculo VIII reperitur apud Benedictum Levitam[5]. Desumpsit autem collector capitulare hoc ex statutis S. Bonifatii in Concilio Liptinensi statut. 28[6], ubi praescribitur: «De quibus dubium est, utrum sint baptizati

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 26.
[2] Cf. infra in tractatu de matrimonio, n. 661 sqq.
[3] Cf. infra in tractatu de poenitentia n. 332.
[4] Cf. *Billuart*, De sacr. diss. 1, a. 6, appendix 2; *Concina*, De sacr. diss. unic., c. 6.
[5] Capitularium collect. l. 2, n. 184 (*Migne*, Patr. lat. 97, 770).
[6] *Migne* l. c. 89, 823.

annon, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur his tantum verbis: Non te rebaptizo, sed si non es baptizatus, baptizo te in nomine Patris etc.» Similia praescripta sunt saec. XII et XIII ab Alexandro III et Gregorio IX. A saeculo XIII in omnibus Latinorum ecclesiis forma condicionalis invaluit. Primo quidem usurpata est in solis sacramentis, quae characterem imprimunt, praesertim in baptismo et ordine, deinde etiam in aliis sacramentis, e. g. in poenitentia, adhibita est. Igitur ex constanti usu Ecclesiae iam constat licitam esse formam condicionalem.

ARTICULUS IV.

De exsistentia sacramentorum.

Postquam satis explicata est essentia sacramentorum, paucis verbis probanda est eorum exsistentia, et quidem non solum in Novo sed etiam in Vetere Testamento. Solent a theologis hac in re distingui tres status generis humani: a) status originalis iustitiae; b) status naturae lapsae usque ad Christum; c) status post Christi redemptionem.

a) **Status originalis iustitiae** est status protoparentum in paradiso ante peccatum. Nullum de facto exstitisse sacramentum in paradiso communis est theologorum sententia; cum quia de sacramentorum institutione tunc temporis nullibi vel minimum vestigium invenitur, tum quia ille status putatur brevissimo tempore durasse, ac proinde sacramenta fuissent inutilia. Unde matrimonium Adae et Evae, quamvis vocetur a S. Paulo [1] sacramentum, non fuit sacramentum proprie dictum, conferens gratiam, sed tantum contractus legitimus, sicut generatim omnia matrimonia ante Christum (et nunc matrimonia infidelium). 26

Ulterius quaerunt theologi, num saltem potuissent congruenter institui in paradiso. S. Thomas et cum eo Thomistae probabilius negative respondent [2]. Suarez autem cum quibusdam aliis tenet contrarium. Quaestio ista nullius fere est utilitatis practicae et etiam parvi momenti. Unde illam brevitatis causa omittimus [3].

b) **Status naturae lapsae usque ad Christum** solet dividi in duas epochas, scil. in statum ante legem scriptam et statum post legem scriptam. Prima epocha solet vocari status *legis naturae,* non quia excludit legem supernaturalem — in ea enim observari debebant praecepta supernaturalia fidei, spei et caritatis — sed quia tunc nulla erat lex scripta ex positiva voluntate Dei. Durabat illa epocha post eiectionem e paradiso usque ad Abraham, qui ex mandato Dei circumcisionem peregit. Secunda epocha durabat ab Abraham usque ad adventum Christi. 27

In prima epocha exsistebat remedium cum pro peccato originali tum pro peccatis actualibus, quod remedium probabilius fuit sacramentum.

Cuius quidem sententiae non invenitur stricta probatio neque in S. Scriptura neque in definitionibus Ecclesiae, sed iam S. Augustinus docuit: «Nec ideo

---

[1] Eph 5, 32. [2] Cf. S. theol. 3, q. 61, a. 2.
[3] Videsis *Billuart* l. c. diss. 2, a. 1; *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VI, n. 39 sqq.

credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluit. Nam et sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi.»[1] S. Thomas quoque idem docuit[2]. — Possunt etiam afferri rationes congruentiae: Etenim sacramenta sunt signa sensibilia invisibilis gratiae sanctificantis. Atqui post peccatum Adae valde conveniens fuit, ut huiusmodi signa a Deo instituerentur. Ergo . . . Prob. Min. Post peccatum Adae nemo salvari potest nisi per fidem in Christum Redemptorem[3]. Valde autem conveniens est, ut haec fides signis sensibilibus manifestetur 1. ratione naturae corporeae in homine, quae per peccatum sensibile corrupta fuit, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; 2. ratione Redemptoris humanitate sua sensibilis; 3. ratione unitatis sensibilis fidelium. Ubicumque enim est societas visibilis, ibi etiam debet esse aliquod signum sensibile distinctivum. Ergo valde conveniens est, post Adae peccatum a Deo instituta fuisse signa sensibilia invisibilis gratiae sanctificantis seu sacramenta. — Quod autem omni tempore Deus vera et sincera mente voluit omnibus concedere gratiam sanctificantem, sequitur ex eius voluntate salvifica universali. «(Deus) omnes homines vult salvos fieri.»[4] Sin autem Deus non dedisset aliquod remedium contra peccatum originale, difficulter intellegitur, quomodo vera possibilitas salutis aeternae adfuisset *infantibus* morientibus ante institutam circumcisionem. Quae cum ita sint, omnes theologi concorditer docent, adfuisse saltem pro infantibus istius status aliquod remedium salutis, quod merito vocatur sacramentum. Num adfuerit etiam pro adultis istius epochae aliquod sacramentum, negatur a Suarez, Vasquez, Lugo aliisque, sed merito affirmatur a S. Thoma[5] et Thomistis, quia vix possibile esse videtur, ut omnes homines, etiam rudes, sine externo signo ex sola fide interna in Christum venturum mundarentur a peccatis actualibus commissis[6].

In secunda epocha i. e. post Abraham usque ad Christum vera sacramenta a Deo instituta fuisse, est sententia moraliter certa et communissima, cuius negatio notam temeritatis haud effugeret. Etenim constat, in lege Mosaica Deum instituisse multas caeremonias sacras, quae ad sanctificationem legalem, ac proinde saltem indirecte etiam ad sanctificationem internam spectabant[7]. Praesertim circumcisio interiorem sanctificationem procurabat[8]. — Idem constat ex Conciliis Florentino et Tridentino, quae docent, sacramenta Novae Legis multum differre a sacramentis Veteris Legis[9]. Si autem adest differentia, ergo exsistunt sacramenta Veteris Legis; nam absonum esset dicere, sacramenta Novae Legis differre a sacramentis Veteris Legis, si haec ultima nec exsisterent.

28 **Numerus sacramentorum Veteris Legis** non eodem modo assignatur a theologis. Omnes quidem admittunt, *circumcisionem* fuisse sacramentum. Unde S. Augustinus iam dixit: «Circumcisio fuit illius temporis sacramentum,

---

[1] Contra Iulian. l. 5, c. 11 (*Migne*, Patr. lat. 44, 809).
[2] S. theol. 3, q. 61, a. 3, et 65, a. 1 ad 7. [3] Cf. Rom 3, 22 sqq.
[4] 1 Tim 2, 4. [5] S. theol. 3, q. 65, a. 1 ad 7; 4, dist. 1, q. 1, a. 2, sol. 3.
[6] Cf. *Billuart*, De sacr. diss. 2, a. 1, et *Drouven*, De re sacr. l. 1, c. 2.
[7] Cf. Lib. Levit. [8] Cf. supra n. 4. [9] *Denz.* n. 695 et 845.

quod praefigurabat nostri temporis baptismum.»[1] Cum autem non nisi pueri saltem octo dies nati circumcisionem recipere possent, decuit simile remedium contra peccatum originale et simile signum protestativum fidei in Messiam venturum exsistere pro feminis et etiam pro pueris, qui ante diem octavum moriebantur. Quod quidem signum a theologis solet vocari *sacramentum legis naturae*[2].

Sicut autem per circumcisionem aut sacramentum legis naturae totus populus consecrabatur ad cultum Dei, ita speciali modo Aaron et filii eius consecrabantur ad sacerdotium vel ad officium levitarum[3]. Huiusmodi *consecratio levitarum*, quae praefigurabat sacramentum ordinis, a theologis communiter habetur ut sacramentum[4]. Pauci tamen hoc negant. — *Esus agni paschalis* figurabat pascha nostrum, i. e. Christum[5]. Propterea communiter habetur ut sacramentum praefigurans sacramentum eucharistiae. Idem docet S. Thomas de esu panum propositionis, qui solis sacerdotibus permittebatur et quidem in loco sacro[6]. Tandem erant in Vetere Lege *variae purificationes* a quibusdam exterioribus immunditiis et etiam expiationes a peccatis[7]. Quae quidem omnia praefigurabant sacramentum poenitentiae. Unde generatim dici potest in Vetere Lege fuisse *quattuor categorias* sacramentorum, scil.

1. circumcisio vel sacramentum naturae praefigurans baptismum;
2. esus agni paschalis vel panum propositionis praefigurans eucharistiam;
3. diversae purificationes et expiationes praefigurantes poenitentiam;
4. consecratio levitarum et sacerdotum praefigurans ordinem.

Tribus vero sacramentis Novae Legis, scil. confirmationi, extremae unctioni, matrimonio nihil respondebat in Vetere Lege. Nam «sacramento confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in Vetere Lege aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod «nihil ad perfectum adduxit lex.»[8] Similiter autem et sacramento extremae unctionis, quod est quaedam praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in Vetere Lege, pretio [redemptionis] nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in Vetere Lege, prout erat officium naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis Christi et Ecclesiae, quae nondum erat facta. Unde et in Vetere Lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem.»[9]

c) **In Nova Lege** exsistere sacramenta et quidem distincta a 29
sacramentis Veteris Legis, est de fide definitum in Conciliis Florentino et Tridentino[10].

Rationes congruentiae. Ex ratione naturali non potest quidem stricte probari exsistentia sacramentorum, quippe quae sint dona prorsus supernaturalia; possunt tamen complures rationes convenientiae adduci, e. g. 1. valde congruum est, ut homini composito ex corpore et anima gratia conferatur per signa sensibilia, qualia sunt sacramenta a Christo instituta; 2. sacramenta multum inserviunt ad Ecclesiae so-

---

[1] De anima l. 2, c. 11, n. 15 (*Migne*, Patr. lat. 44, 504).
[2] Cf. S. theol. 3, q. 70, a. 4 ad 3.
[3] Cf. Ex c. 29 et Lv c. 8.
[4] Cf. S. theol. 1, 2, q. 102, a. 5.
[5] 1 Cor 5, 7.
[6] Lv 24, 9. Cf. S. theol. l. c.
[7] Lv c. 12 sqq.; Nm c. 19 sqq.
[8] Hebr 7, 19.
[9] S. theol 1, 2, q. 102, a. 5 ad 3.
[10] Cf. supra n. 27 et etiam cap. seq., ubi de numero sacramentorum sermo erit.

cietatem visibilem roborandam, ad cultum religionis promovendum, ad memoriam passionis Christi vivide retinendam, ad humilitatem nostram exercendam, ad fidem profitendam[1].

Catechismus Romanus[2] enumerat septem rationes congruentiae, cur sacramenta institui oportuerit:

1. Ut humani ingenii imbecillitatem adiuvent. Ex signis sensibilibus homo facilius percipit interioris gratiae exsistentiam et efficaciam.

2. Ut credendi tarditatem erigant. Signis enim externis fides nostra excitatur.

3. Ut parata et certa sit medicina ad depellendos animi morbos et salutem tuendam. Certius enim fructus passionis Christi per sacramenta communicatur quam per contritionem perfectam aliaque media.

4. Ut sint christianismi veraeque religionis symbola et sanctae societatis vincula. Ex sacramentis enim susceptis homines christiani dignoscuntur et inter se in visibili Ecclesia copulantur.

5. Ut sint fidei nostrae protestatio.

6. Ut sint incitantia fidei et caritatis.

7. Ut sint humilitatem excitantia. Per sacramenta enim superbia edomatur, cum homo cogatur se subicere sensibilibus elementis, ut Deo obtemperet.

CAPUT II.

De numero et divisione sacramentorum N. L.

In articulo praecedente iam satis dictum est de numero sacramentorum Veteris Legis, unde hic non agimus nisi de numero et divisione sacramentorum Novae Legis.

Propositio. *Septem sunt sacramenta N. L., scil. baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium. Est de fide.*

Ita definiverunt Concilia Florentinum et Tridentinum. «S. q. d., sacramenta Novae Legis non fuisse a Iesu Christo Domino Nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S.»[3] — Ex hac tamen definitione non licet deducere, septenarium numerum esse *infimam* divisionem sacramentorum; nam, ut infra in tractatu de ordine patebit, iuxta omnes theologos saltem presbyteratus et diaconatus sunt vera et propria sacramenta. Itaque quidem sacramentum ordinis subdividitur in plures partes, quae sunt vera sacramenta utpote signa sensibilia a Christo instituta ad gratiam sanctificantem conferendam, sed tamen non constituunt insimul nisi unum sacramentum ordinis, utpote ordinata ad unum principale, nempe ad sacerdotium.

[1] Cf. S. theol. 3, q. 61, a. 1 et 4. [2] Pars 2, c. 1, q. 7.

[3] Conc. Trid. sess. 7, can. 1 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 844); cf. Conc. Flor., Decr. pro Armenis (*Denz.* n. 695).

Septenarium numerum sacramentorum negant omnes fere Protestantes, exceptis tantum quibusdam Ritualistis. Initio sic dictae Reformationis Protestantes admiserunt modo duo, modo tria, modo quattuor sacramenta; immo Luther initio suae apostasiae adhuc septem sacramenta agnovit[1]. Hodie autem Protestantes communiter non admittunt nisi duo sacramenta. Anglicani in libro «Book of Common Prayer» haec habent: «Quot in Ecclesia sua Christus instituit sacramenta? Duo tantum quae ad salutem generatim sunt necessaria, scil. baptismum et coenam.» Ratio huius erroris fundamentalis est duplex: a) quia iuxta Protestantes sacramenta minime producunt iustificationem, sed tantum excitant ad fidem; vel non sunt nisi pignora, quibus homo de peccatorum remissione certior efficitur. Porro talia pignora de remissione peccatorum habentur in baptismo et eucharistia tantum; b) quia cetera sacramenta (praeter baptismum et eucharistiam) non ita clare in S. Scriptura describuntur.

1. *Argumentum traditionis.* Christum revera septem sacramenta 31
instituisse, probari potest ex traditione in Ecclesia tam latina quam orientali. Fatendum quidem est, neque in S. Scriptura neque apud ullum auctorem usque ad saeculum XII sermonem esse de *septenario* numero sacramentorum. Sed exinde Protestantes non possunt argumentum desumere contra doctrinam catholicam. Etenim S. Scriptura omnino non enumerat sacramenta, et sicut non enumerat septem, ita nec etiam enumerat duo sacramenta, quae admittunt Protestantes. SS. Patres veteresque auctores loquuntur de omnibus septem sacramentis in Ecclesia catholica receptis, ut infra patebit, quando tractabitur de exsistentia singulorum sacramentorum. Sic omnes fere SS. Patres loquuntur de baptismo et eucharistia; Tertullianus, S. Cyprianus et multi alii etiam de confirmatione; S. Augustinus in diversis locis tractat insuper de poenitentia, extrema unctione, ordine et matrimonio.

Quod vero SS. Patres numquam diserte et explicite de *septenario* numero sacramentorum loquuntur, provenit ex diversis causis:

a) Priscis temporibus usque ad saeculum XIII verbum sacramenti habuit dissimiles significationes et notanter includebat etiam sacramentalia et sacras caeremonias. Sic e. g. adhuc saeculo XI S. Petrus Damiani († 1072) enumerabat duodecim sacramenta, inter quae benedictiones rerum, canonicorum, monachorum, monialium, immo et aquam lustralem; Hildebertus Touronensis († 1134) enumerabat novem sacramenta. S. Bernardus († 1153) cognoscit decem sacramenta, inter quae etiam habetur lotio pedum in coena Domini[2].

---

[1] Cf. Sermo de Novo Testamento a. 1520.

[2] Canonistae saeculi XII, ut Rufinus, Stephanus Tornacensis, Ioannes de Faenza, Sicardus Cremonensis, Huguccio, solebant distinguere sacramenta quadruplicis generis. Sic e. g. loquitur Rufinus: «Sacramentorum species quadriformiter propagatur. Alia enim sunt salutaria, alia ministratoria, alia veneratoria, alia praeparatoria. Salutaria sunt, quibus salus acquiritur, ut baptismus, eucharistia et confirmatio. — Ministratoria: quae in officiorum ministeriis exercentur, ut missarum laudes et cetera diurna vel nocturna officia clericorum vigiliis sedulo deputata. — Veneratoria: quae per certa anni tempora in alicuius rei sacrae memoriam venerabiliter exercentur, ut sunt dominicae festivitates. . . . — Praeparatoria: quae omnibus praefatis sacramentis celebrandis praeparantur, ut clericorum, ecclesiarum . . . consecratio» (Die «Summa Decretorum», ed. *Singer,* Paderb. 1902, 537; cf. *J. de Ghellinck,* in «Revue des Sciences phil. et théol.» 1912, 528).

Cum igitur veteres auctores non ita clare determinarent significationem sacramenti, facile intelligitur, quare non eodem modo numerum sacramentorum indicaverint[1]. Primus, qui expresse enumeravit septem sacramenta, videtur fuisse S. Otto episcopus Bambergensis (c. 1139)[2]. Idem fecit Magister Rolandus Bandinellus (postea Alexander III) in «Sententiis», quas circa annum 1150 composuit[3]. Petrus Lombardus († 1164) satis clare sacramentum definit et deinde septem sacramenta enumerat. Post Petrum Lombardum paulatim omnes theologi septenarium numerum sacramentorum agnoverunt[4].

b) Apud veteres auctores non habetur ita systematica tractatio de omnibus sacramentis, sicuti inde a saeculo XIII, ac proinde illi auctores explicabant quidem doctrinam de singulis sacramentis, si occasio occurrebat, non autem omnia insimul enumerabant.

Aliqui theologi[5] putant, sic dictam *disciplinam arcani* fuisse causam, quare veteres auctores non enumeraverint septem sacramenta. Iure merito reicit istam explicationem Pourrat[6]; etenim a) si SS. Patres potuerunt singula sacramenta explicare, sicuti revera fecerunt in scriptis suis, quare non potuerunt indicare omnia simul per numerum septenarium? Deinde b) numquid disciplina arcani impedivit auctores a saeculo VI usque ad saeculum XII, quominus clare indicarent numerum septenarium? Aut num eadem disciplina arcani impulit istos auctores, ut modo duodecim modo decem modo novem sacramenta enumerarent? Nemo sane hoc dicet. Ergo silentium aut dissensus veterum auctorum de numero septenario sacramentorum potius explicandum est ex multiplici et non constanti acceptatione verbi sacramenti.

Argumentum validum pro numero septenario sacramentorum desumitur ex consensu Ecclesiarum orientalium hac in re.

Etenim omnes Ecclesiae orientales, etiam eae, quae iam a saeculo V se separaverunt ab Ecclesia Romana, asserunt numerum septenarium sacramentorum[7]. Unde quotiescumque tractabatur de reconciliatione Ecclesiae orientalis cum catholica, numquam vel minimus dissensus oriebatur circa numerum sacramentorum, cum econtra infinitae prope disputationes haberentur de aliis rebus non ita magni momenti, e. g. de modo baptismi administrandi, de pane azymo, de cantico «Alleluia» etc. Hoc autem clare demonstrat, in Ecclesiis orientalibus iam a saeculis admissum esse numerum septenarium sacramentorum; secus certo certius Orientales doctrinae catholicae contradicere conati fuissent. In Ecclesia autem catholica semper fuerunt in usu septem sacramenta, ut patebit, quando de singulis sacramentis argumentum traditionis afferetur. — Praeterea Protestantes non possunt ex historia probare, aliquod sacramentum esse ab aliquo episcopo vel Papa introductum. Unde strenue argumentatur Drouven[8] dicens: «Edisserant nobis adversarii, quis tandem ille fuerit insani, ut loquuntur, dogmatis fabricator? quo nomine

[1] Praeclarum exemplum diversarum acceptionum, in quibus veteres theologi adhibebant verbum sacramenti, habetur Hugo de S. Victore, qui eminet inter auctores antiquos scribentes de hac re; vide supra n. 2.

[2] In vita S. Ottonis, 2 Iul. apud Bolland.

[3] Cf. *Gietl,* Die Sentenzen Rolands 154 sqq. et 194 sqq.

[4] Cf. *Schanz,* Die Lehre v. d. Sakr. I, § 13; *Pourrat,* La théol. sacr. chap. 5, § 4.

[5] Cf. *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VI, n. 91; *Tanquerey,* Theol. dogm. III, de sacr. c. 1, n. 22 aliique; *Gihr,* Die heiligen Sakramente § 24.

[6] *Pourrat* l. c.

[7] Cf. *Drouven,* De re sacr. l. 1, q. 3, c. 2, § 1. [8] L. c.

appellatus? qua patria oriundus? cuius instituti professor? qua denique praeditus auctoritate, ut non Occidenti tantum, sed et Orienti universo contra doctrinam veterem persuadere potuerit, non duo aut tria, sed septem esse evangelii sacramenta, gratiae efficacia? Quodsi in re tam necessaria obmutescant, ut revera hactenus, saepius licet provocati, siluerunt, eos iure nostro mendacii accusabimus fruemurque interim hereditate nostra, quam . . . hoc ipso antiquam et coaevam Ecclesiae merito gloriamur iuxta illud Tertulliani toties decantatum axioma: Quod apud omnes unum invenitur, non est erratum, sed traditum.»

2. *Argumentum convenientiae.* Catholicae Ecclesiae sacramenta sep- 32
tenario numero definita sunt. Cur autem neque plura neque pauciora enumerentur, optime explicat Catechismus Romanus[1] sequens vestigia S. Thomae[2]. Vita enim spiritualis quadantenus similis est vitae corporali. Atqui in vita corporali septem sunt praecipue necessaria, scil. quinque ad perfectionem *individui* et duo ad perfectionem *societatis*. Ad perfectionem *individui* requiritur, 1. ut homo nascatur, quod spiritualiter fit per baptismum; 2. ut crescat et roboretur, quod spiritualiter fit per confirmationem; 3. ut nutriatur, quod fit in vita spirituali per panem coelestem eucharistiae; 4. ut sanetur a morbo fortasse incurso, quod fit in vita spirituali per poenitentiam; 5. ut post morbum recuperet perfecto modo pristinam sanitatem, quod fit spiritualiter per extremam unctionem, quae tollit peccatorum reliquias. — Ad perfectionem autem *societatis* requiritur 1. potestas regendi, quae in Ecclesia confertur cum sacramento ordinis; 2. propagatio generis humani, quae in vita spirituali sanctificatur per sacramentum matrimonii.

Divisiones sacramentorum. Iam supra distinximus sacramenta 33
Veteris et Novi Testamenti. Sacramenta autem Novi Testamenti solent dividi:

1. Ratione *necessitatis* in sacramenta *omnibus necessaria* ad salutem, scil. quinque priora sacramenta et in sacramenta non quidem pro singulis hominibus, sed *pro societate christiana necessaria*, scil. ordo et matrimonium.

Sacramenta omnibus et singulis necessaria non eandem necessitatem habent; alia enim sunt necessaria *necessitate medii*, scil. baptismus pro omnibus; poenitentia pro lapsis in peccatum mortale, et secundum complures auctores etiam eucharistia pro illis, qui expeditum rationis usum habent[3]. Salus igitur aeterna non potest haberi, nisi ista sacramenta recepta fuerint saltem *in voto*. Non autem absolute requiritur, ut ista sacramenta etiam reapse recipiantur. *Pro Ecclesia* est necessarium necessitate medii sacramentum ordinis; quia sine isto sacramento Ecclesia visibilis non potest subsistere[4]. Cetera sacramenta sunt necessaria *necessitate praecepti* tantum, scil. confirmatio, extrema unctio, et secundum complures auctores etiam eucharistia. De necessitate singulorum sacramentorum sermo redibit amplior infra in tractatu de sacramentis in specie. Modo generali definivit sacramentorum necessitatem Concilium Tridentinum[5]: «S. q. d. sacramenta Novae Legis

---

[1] Pars 2, c. 1, q. 12. [2] S theol. 3, q. 65, a. 1. [3] Cf. infra n. 205 sqq.
[4] Cf. S. theol. 3, q. 65, a. 4. [5] Sess. 7, can. 4 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 847).

non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, A. S.»

2. Ratione *subiecti* in sacramenta mortuorum et vivorum.

Sacramenta *mortuorum* per se instituta sunt ad conferendam spiritualiter mortuis, i. e. carentibus gratia sanctificante, vitam spiritualem. Sunt baptismus et poenitentia, quae *ex se* conferunt gratiam primam; *per accidens* autem, quando scil. homo suscipiens iam est in statu gratiae sanctificantis, conferunt gratiam secundam, seu augent gratiam iam exsistentem. — Sacramenta *vivorum*, scil. confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo et matrimonium, sunt illa, quae solis spiritualiter vivis, i. e. in statu gratiae sanctificantis exsistentibus, licite administrari valent; causant igitur per se gratiam secundam, seu augent gratiam sanctificantem. — *Per accidens* autem, quando scil. homo suscipiens est in statu peccati mortalis cum ignorantia inculpabili, causant gratiam primam [1].

3. Ratione *effectus* in sacramenta characterem imprimentia et non imprimentia.

Sacramenta, quae *characterem* imprimunt indelebilem ac proinde iterari nequeunt, sunt baptismus, confirmatio et ordo. Quattuor alia sacramenta non imprimunt characterem, atque iterari possunt. Priora vocantur etiam sacramenta *non-iterabilia;* posteriora vero sacramenta *iterabilia.*

4. Ratione *habitudinis ad subiectum* in sacramenta formata et informia.

Sacramenta *formata* ea sunt, quae producunt aut augent formam sacramenti, prout forma sumitur in primo sensu supra n. 7 explicato, seu prout est gratia sanctificans. — Sin autem propter obicem exsistentem sacramentum non potest gratiam producere et tamen valide collatum fuit, est sacramentum *informe.* Sacramentum igitur informe non est confundendum cum sacramento invalido (propter substantialem defectum materiae aut formae aut ministri). — Veteres theologi sacramenta informia vocabant sacramenta *cum fictione suscepta,* quia tunc suscipiens non est vere sed ficte dispositus [2]. Distinguebant autem duplicem fictionem: alteram *materialem,* quando ille, qui suscipit sacramentum, invincibiliter ignorat aut non advertit defectum dispositionis necessariae, e. g. quando adultus recipit baptismum, quin advertat se non habere sufficientem attritionem de peccatis personalibus commissis; alteram *formalem,* quando homo sacramentum scienter suscipit indigne. Fictio igitur materialis reddit sacramentum simpliciter informe, fictio vero formalis reddit illud insuper sacrilegum.

34 **Scholion. De ordine diversorum sacramentorum.** Concilium Tridentinum [3] definivit sacramenta Novae Legis non esse omnia inter se paria. Hinc quaeritur, quomodo sacramenta sint inter se coordinanda. Solet autem distingui triplex ordo, videlicet naturae, dignitatis et necessitatis. Ordo *naturae* disponit convenienter sacramenta, sicuti communiter solent enumerari: baptismus, confirmatio etc., quia sacramenta necessaria pro homine *individuo* (scil. quinque priora sacramenta) prius ponenda sunt quam ea, quae sunt necessaria pro *societate* (scil. duo ultima sacramenta) [4]. — Ordo *dignitatis* ponit

[1] Ampliora de hac re vide infra n. 40.
[2] Cf. *S. Thomas* in 4 D. 4, q. 3, a. 2, quaestiunc. 2, ad 2.
[3] Sess. 7, can. 3 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 846).
[4] Ampliorem explicationem videsis S. theol. 3, q. 65, a. 2.

eucharistiam in primo loco, quia in eucharistia Christus ipse continetur, in aliis autem sacramentis non nisi gratia Christi. Praeterea omnia alia sacramenta ordinantur ad eucharistiam velut ad finem[1]. — Ordo *necessitatis* ponit baptismum in primo loco, quia nullum sacramentum pro omnibus est tam necessarium quam baptismus, de quo dicitur: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.»[2]

CAPUT III.

De efficacia et effectibus sacramentorum.

Dividimus istud caput in duos articulos: 1. de primario effectu sacramentorum, scil. de gratia; 2. de secundario effectu, scil. de charactere, qui ab aliquibus sacramentis producitur.

ARTICULUS I.

De primario effectu sacramentorum, scil. de gratia.

Cum iste articulus sit satis longus, claritatis gratia subdividitur in tres paragraphos: 1. de productione gratiae ex opere operato; 2. de quantitate et qualitate gratiae productae; 3. de reviviscentia gratiae, obice sublato.

§ 1.

De productione gratiae ex opere operato.

Principium. *De fide catholica est, sacramenta Novae Legis conferre ex opere operato gratiam omnibus obicem non ponentibus.* 35

1. Definivit enim Concilium Tridentinum[3]: «S. q. d. sacramenta Novae Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, A. S.» — «S. q. d. per ipsa Novae Legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S.» Ut consideranti apparet, istae definitiones sunt contra falsas acceptiones sacramentorum ab haereticis Reformatoribus traditas[4]. — Doctrina igitur catholica haec est: Sacramenta Novae Legis conferunt gratiam ex opere operato. Sane cum sacramenta sint sensibilia signa, non possunt conferre gratiam supernaturalem tamquam causae principales, sed tantum ut *causae instrumentales.* Causa enim principalis cum efficiens tum meritoria omnis gratiae est Christus. Utitur igitur Christus sacramentis ad producendam gratiam in hominibus fere sicut scriptor utitur penna ad scribendum. Dicitur: sacramenta conferunt gratiam *ex opere operato,* i. e. non *ex opere operantis;* aliis verbis, non ex sanctitate ministri aut merito

---

[1] S. theol. 3, q. 65, a. 3. [2] Io 3, 5.
[3] Sess. 7, can. 6 et 8 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 849 et 851).
[4] Cf. supra n. 5.

suscipientis, sed per ipsam applicationem materiae et formae rite factam, dummodo tamen ne sit obex ex parte suscipientis[1].

Cum virtutes supernaturales et dona Spiritus Sancti semper comitentur gratiam sanctificantem[2], ista quoque producuntur aut augentur per sacramenta.

Probatur doctrina catholica de efficacia sacramentorum tum ex S. Scriptura tum ex SS. Patribus tum ex ratione theologica.

a) *Ex S. Scriptura,* in qua homines licet iam credentes et poenitentes nihilominus iubentur sacramentum suscipere ad obtinendam remissionem peccatorum. «Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.»[3] Ergo baptismus revera causat peccatorum remissionem, quae sine collatione gratiae fieri nequit.

b) *Ex SS. Patribus* multi textus afferri possunt pro doctrina catholica[4]. Sufficiat adducere tantum tres textus. S. Chrysostomus[5] concinne dicit: «Quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua: siquidem in aqua fingitur et formatur.» — S. Augustinus autem, qui prius dixerat: «Non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, a quo institutus est»[6], alio loco[7] exclamat: «Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat!» Tertullianus[8] dicit: «Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saguinetur.»

c) *Ex ratione theologica.* Etenim baptismus infanti valide collatus ab infideli confert gratiam. Iamvero ista gratia nequit dari ex fide aut merito ministri, ut patet, neque ex fide aut merito infantis, quippe qui incapax sit eliciendi aliquem actum deliberatum. Ergo datur vi solius sacramenti, seu ex opere operato.

36 2. **De modo, quo sacramenta causant gratiam.** Concordant quidem omnes catholici in hoc, quod tenent, sacramenta causare gratiam *ex opere operato,* et non ex opere operantis, sicut docent Protestantes; ast minime consentiunt, utrum causalitas sacramentorum sit physica an moralis.

Expressio *ex opere operato* dupliciter explicatur, scilicet:

a) *Ex ipsa valida administratione sacramenti, dummodo ne adsit obex.* Obex autem non invenitur nisi in solis *adultis,* et est *defectus alicuius dispositionis essentialiter requisitae,* e. g. fidei, poenitentiae etc.

b) *Ex ipso opere redemptionis a Christo facto.* Quae quidem altera explicatio a paucis theologis[9] proposita minus est recta. Etenim Christus

---

[1] Cf. infran. 36. [2] Cf. supra I, n. 445 et 472.

[3] Act 2, 38. Cf etiam Act 22, 16; 1 Cor 6, 11; Tit 3, 5; Eph 5, 26; 2 Tim 1, 6; 1 Petr 3, 21.

[4] Videsis *Drouwen,* De re sacr. l. 1, q. 5.

[5] Hom. 25 vel 26 in Ioan. n. 1 (*Migne,* Patr. graec. 59, 153).

[6] Contra Crescon l. 4, c. 16, n. 19 (*Migne,* Patr. lat. 43, 559).

[7] In Ioan. tr. 80 (*Migne* l. c. 35, 1840).

[8] De resur. carn. c. 8 (*Migne* l. c. 2, 852).

[9] *Möhler,* Symbolik § 28; *Hilgers,* Symbolische Theologie 157.

Redemptor per suam passionem est quidem causa meritoria gratiae sacramentalis, immo et omnium aliarum gratiarum, sed in sacramentis Novae Legis gratia causatur *effective* (licet instrumentaliter) per ipsum signum sensibile, i. e. per debitam applicationem formae ad materiam.

Expressio *opus operantis* significat merita et dispositiones sive ministri sive suscipientis sacramentum.

Protestantes non raro derident expressionem «ex opere operato», quippe quae sit recenter introducta, immo et peccet contra regulas grammaticae [1]. Fatendum est quidem Petrum Pictaviensem (de Poitiers † 1205) fuisse primum, apud quem invenitur haec expressio [2]. S. Thomas cognovit quidem hanc expressionem, ipse vero eam numquam adhibuit [3]. Sed numquid locutio «materia et forma» occurrit ante idem tempus? Nonne licet adhibere nova et aptiora verba ad exprimendam rem veterem? — Quae autem dicuntur de violatis regulis grammaticae, sunt satis misella. Etenim unaquaeque disciplina habet terminos uti dicunt technicos, qui non semper respondent obvio sensui verborum. — Ceterum nihil obstat, ne verbum «operari» sumatur in sensu passivo. Sic e. g. habetur apud Tertullianum [4] «charismata perperam operata». Lactantius, cuius elegans latinitas multum laudatur, loquitur «de susceptis operatisque virtutibus» [5]. S. Augustinus habet hanc phrasim: «a femina nobili Lucilla operata corruptio» [6]. Vel ipse Cicero aliquando adhibet verba deponentia in sensu passivo, e. g. scribit ad Nepotem: «Qui est pauper, aspernatur.» — Ergo Protestantium derisiones de expressione «opus operatum» sunt et ipsae deridendae.

Sententiae catholicorum de causalitate sacramentorum. Est de 37
fide catholica, sacramenta Novae Legis causare gratiam ex opere operato, i. e. per vim illis divinitus communicatam. Sed quomodo haec vis exseritur? Cum haec quaestio pertineat potius ad Theologiam dogmaticam quam ad moralem, hic non nisi brevissime afferuntur diversae auctorum sententiae.

1. Sacramenta Novae Legis causant gratiam sicut causa instrumentalis *physica*. Sane Deus est principalis causa, sed sicut artifex adhibet penicillum ad pingendum, ita fere Deus adhibet sacramenta ad gratiam animae infundendam. Hanc physicam causalitatem sacramentorum docent S. Thomas (saltem senior) [7], et fere omnes Thomistae [8]; insuper Suarez, Bellarmin, Schaetzler, Scheeben [9] aliique.

2. Sacramenta Novae Legis causant gratiam sicut causa *moralis* instrumentalis. Tutores istius sententiae non concordant inter se, quid sit ista causalitas moralis. Alii putant, illam esse quandam dignitatem moralem sacramentis inhaerentem, cui gratia debetur. Alii opinantur, sacramenta esse quasi *petitiones* seu orationes a Christo institutas, ut ex eis Deus infallibiliter moveatur ad gratiam conferendam propter merita Iesu Christi. Melchior

---

[1] Cf. *Harnack*, Dogmengeschichte III 463 482 sqq.
[2] Sent. l. 5, c. 6 (*Migne*, Patr. lat. 211, 1235).
[3] 4, dist. 1, q. 1, a. 5, quaestiunc. 1.
[4] De praescript. c. 27 (*Migne* l. c. 2, 48).
[5] Instit. 7, 27 (*Migne* l. c. 6, 819).
[6] De unit. Eccl. c. 25, 73 (*Migne* l. c. 43, 443).
[7] S. theol. 1, 2, q. 112, a. 1 ad 2; 3, q. 62, a. 1 3 4 6.
[8] Cf. *E. Hugon* O. Pr., La causalité instrumentale en théologie, Paris 1907.
[9] Die Mysterien des Christentums § 82.

Canus (saec. XVI.) fertur fuisse primus, qui in hanc quaestionem introduxit terminum «causae moralis»[1]. Causalitatem moralem sacramentorum propugnant Lugo, Lessius, omnes fere Scotistae et omnes fere Iesuitae moderni, ut Franzelin, Chr. Pesch, Hurter, Lehmkuhl etc.

3. Sacramenta Novae Legis instrumentaliter et efficienter causant non quidem ipsam gratiam, sed *quandam dispositionem ad illam;* quae quidem dispositio est character in tribus sacramentis, *ornatus* autem quidam in quattuor aliis sacramentis. Ita S. Thomas iunior[2] et multi alii, praesertim antiqui et ex modernis aliqualiter Billot[3].

4. Sacramenta Novae Legis sunt merae *conditiones* et occasiones gratiae conferendae. Ad explicandam hanc sententiam affertur sequens exemplum[4]: «Est simile de illo, qui accipit denarium plumbeum facta tali ordinatione, ut, qui habuerit unum de illis denariis, habeat centum libras e rege; qui quidem denarius non dat illas centum libras, sed solum rex accipienti ipsum.» Haec sententia tribuitur Alexandro Halensi, S. Bonaventurae, Scoto et docetur etiam a Durando[5].

Ex quibus quattuor explicationibus praeferenda videtur causalitas physica a) propter auctoritatem S. Thomae; b) propter auctoritatem Catechismi Romani, qui manifeste favet huic sententiae[6]; c) propter maiorem dignitatem inde sacramentis tributam. Etenim sicut mediante humanitate Christi Deus miracula fecit, ita mediantibus signis sacramentalibus Deus gratiam in animas hominum infundit. Dignius est autem causare physice excellentissimam qualitatem gratiae, quam solummodo causare moraliter. — Unica fere seria difficultas contra causalitatem physicam sacramentorum petitur ex reviviscentia quorundam sacramentorum; quae tamen difficultas bene solvitur a Billuart[7], qui etiam totam hanc quaestionem optime tractat.

38 **Corollarium.** Ex dictis breviter complecti possumus hoc modo totam productionem gratiae mediantibus sacramentis: Gratiae a sacramentis productae Christus est *causa meritoria;* minister est *causa ministerialis* coniungendo materiam et formam; sacramentum ex materia et forma compositum est *causa instrumentalis;* fides, poenitentia, pietatis officia etc. hominis suscipientis sacramentum sunt *conditiones requisitae* sive ad valorem sive ad liceitatem sacramenti.

---

[1] Reiectis pluribus aliis explicationibus M. Canus dicit: «Nos vero . . . cum Concilio Florentino pronuntiamus nostra sacramenta et continere gratiam et eam suscipientibus digne conferre. Continere, inquam, non ut causa naturalis continet suum effectum, sed ut *causa moralis*. Crumena siquidem continere dicitur captivi redemptionem, quoniam pecuniam continet: et sacramenta, quae continent sanguinem Christi, continere dicuntur gratiam et remissionem peccatorum. Et sicut crumena pecuniam administrans redemptionem confert, ita sacramentum confert gratiam, pretium sanguinis applicans» (Relect. de sacr. P. 4, concl. 6).

[2] 4, dist. 1, q. 1, a. 4.

[3] De sacram. q. 62, thes. VII. Cf. *Dalmatius Löcher* O. Pr., Die Theorie vom sakram. Seelenschmuck, Bonn 1913.

[4] *S. Thom.* 4, dist. 1, q. 1, a 4.

[5] In 4, dist. 1, q. 4; cf. *Billot,* De Eccles. sacr. q. 62, § 3.

[6] Pars 2, c. 1, q. 14, et praesertim q. 18: «Fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem *in sacramentis inesse, qua id efficiant,* quod sua vi res ipsae naturales praestare non possunt.»

[7] De sacr. diss. 3, a. 2.

§ 2.

De quantitate et qualitate gratiae productae.

1. **Quantitas** gratiae productae dependet ex duobus: a) a disposi- 39
tione suscipientis; b) ab ipso sacramento suscepto. — Quantitatem gratiae recipiendae dependere a dispositione suscipientis, patet ex Concilio Tridentino[1] docente unumquemque in iustificatione accipere gratiam sanctificantem secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. Hinc e. g. qui cum maiore fervore et meliore dispositione recipit eucharistiam, accipit quoque maiorem gratiam quam alius minus dispositus. Econtra duo infantes (quippe qui sint eiusdem dispositionis) recipiunt in baptismo eandem gratiam. — Ita clare docet S. Thomas[2]. — Quantitatem gratiae dependere etiam ab ipso sacramento, eruitur ex diversa dignitate diversorum sacramentorum. Si enim sacramenta non sunt paris dignitatis[3], ut definivit Concilium Tridentinum, probabile est illa nec etiam producere parem seu aequalem gratiam. Quare cum eucharistia sit omnium sacramentorum dignissimum, videtur etiam maximas gratias producere. Nihilominus accidere potest, ut quis minus dispositus recipiens eucharistiam accipat minorem gratiam quam alius melius dispositus recipiens sacramentum matrimonii. Ratio est, quia quantitas gratiae praecipue mensuratur ex dispositione suscipientis sacramentum.

2. **Qualitas** gratiae a sacramentis productae est diversa: 40

a) Sacramenta mortuorum per se causant gratiam primam, per accidens autem gratiam secundam; sacramenta autem vivorum per se causant gratiam secundam et per accidens aliquando gratiam primam. —

Quid sit gratia prima et secunda, ex supradictis patet. Veritas autem enuntiatae propositionis elucet ex hoc, quia sacramenta per se causant id, ad quod a Christo primario sunt instituta. Porro sacramenta mortuorum a Christo instituta sunt primario, ut spiritualiter mortuis, i. e. carentibus gratia sanctificante, conferatur vita spiritualis, videlicet ut baptismus abluat peccatum originale et poenitentia peccata actualia. Sin autem ista duo sacramenta recipiuntur ab homine iam contrito ac proinde iustificato, per accidens causant gratiam secundam, i. e. augent gratiam sanctificantem iam exsistentem. Ita sententia communissima et certa. Ratio autem est, quia secus ista sacramenta frustrarentur, licet non adesset obex; quod est contra naturam sacramentorum. — Sacramenta vero vivorum per se instituta sunt pro vivis, i. e. supponunt statum gratiae in suscipiente. Per accidens autem, quando e. g. homo attritus putat, se esse rite absolutum, sed ob defectum confessarii revera non est absolutus, per ista sacramenta recipit gratiam primam. Ita sententia magis pia, probabilior et fere apud omnes recepta[4]. Hinc S. Thomas loquens de eucharistia, quae est sacramentum vivorum, dicit[5]: «Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati . . . etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum

---

[1] Sess. 6, c. 7 (*Denz.* n. 799). [2] S. theol. 3, q. 69, a. 8.
[3] Sess. 7, can. 3 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 846).
[4] *S. Alphonsus,* Theol. mor. l. 6, n. 6. [5] S. theol. 3, q. 79, a. 3.

non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati.» Idem docet Angelicus Doctor de confirmatione [1] et de extrema unctione [2].

Ratio est, quia iuxta Concilium Tridentinum [3] sacramenta conferunt gratiam omnibus, qui non ponunt obicem. Porro ille, qui bona fide putans se esse in statu gratiae recipit sacramentum vivorum, non videtur ponere obicem, quia eius peccata sunt retractata per veram et sinceram attritionem. Unde theologi solent generaliter dicere: homo attritus recipiens aliquod sacramentum fit *contritus* [4].

Cum igitur eucharistia homini attrito et in bona fide exsistenti causet gratiam sanctificantem, complures auctores [5] docent, in extrema necessitate etiam *laicum* posse administrare eucharistiam moribundo qui, deficiente sacerdote, licet attritus non potest confiteri. Forte enim iste non potuit elicere perfectam contritionem, ideoque, ne moriatur cum sola attritione ac sic damnetur, melius et securius est, ut recipiat etiam ex manu laici eucharistiam, et sic ex attrito fiat contritus. Huic sententiae favet S. Alphonsus [6] et S. Congr. de Prop. Fid. die 21 Iulii 1841 [7].

b) Omnia sacramenta causant praeter gratiam sanctificantem (vel augmentum illius) etiam *gratiam sacramentalem.*

Communiter quidem theologi docent, quodque sacramentum conferre specialem gratiam sacramentalem, sed quid sit ista gratia sacramentalis, non concordant. Aliis est *gratia actualis* quaedam, quae dabitur tempore suo ad hoc, ut quilibet possit facilius implere obligationes ex sacramento ortas. Aliis est *ius ad gratias actuales,* quoties opus fuerit, obtinendas. Aliis est specialis *habitus infusus* (Aureolus, Paludanus). Aliis demum cum Billuart est *ipsa gratia sanctificans* cum ordine et iure ad auxilia specialia tempore debito habenda. — Prima sententia displicet, quia sacramenta utpote effectiva ex opere operato producunt statim suum totum effectum et non in futuro. Adhuc magis displicet tertia sententia, cum iste habitus infusus gratis prorsus fingatur, nec ullum fundamentum habeat in Scriptura aut Traditione. Secunda et quarta sententia fere coincidunt et videntur praeferendae. Sic e. g. gratia sacramentalis baptismi est ius ad auxilia necessaria pro vita spirituali pure et innocenter ducenda: confirmationis est ius ad robur in tentationibus et difficultatibus et ad praecavenda peccata futura; eucharistiae ad nutriendam et fovendam vitam spiritualem, extremae unctionis ad auxilium habendum in ultimo agone; ordinis ad officia clericalia rite persolvenda; matrimonii ad

---

[1] S. theol. 3, q. 72, a. 7 ad 3.

[2] 4, dist. 23, q. 1, a. 2, quaestiunc. 1 ad 1.

[3] Sess. 7, can. 7 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 850).

[4] Obiectiones contra hanc alteram partem propositionis videsis apud *Billuart,* De sacr diss 3, a. 3.

[5] *Suarez* (De sacr. disp. 72, sect. 1); *Laymann* (Theol. mor. l. 5, tr. 4, c. 7, n. 6) etc.

[6] Theol. mor. l. 6, n. 237.

[7] «An permitti potest in hoc persecutionis tempore, ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati, et quibus in carcere defertur ss. eucharistiae sacramentum occulte, possint illud suis manibus accipere et sese occulte communicare, ne sacerdos . . . a persecutoribus agnoscatur et prehendatur? Affirmative, dummodo nullo irreverentiae . . . periculo tantum sacramentum exponatur.» Collect. de Prop. Fide n. 928.

vitam coniugalem sancte agendam. S. Thomas de hac re scribit: «Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem.»[1].

§ 3.

De reviviscentia sacramentorum.

Notio. Reviviscentia[2]) sacramentorum in eo consistit, quod sacra- 41
mentum valide quidem, sed infructuose susceptum propter obicem existentem, postea, remoto obice, omnes effectus suos producit. Brevius: *Reviviscentia est transitus sacramenti informis ad sacramentum formatum.* Obex fructibus sacramenti obsistens communiter quidem est graviter culpabilis (nempe voluntaria susceptio sacramenti vivorum in statu peccati mortalis), sed non semper, ut supra n. 33, n. 4, dictum est.

Quaenam sacramenta reviviscant, neque Ecclesia definivit 42
neque theologi consentiunt. Sunt tres sententiae: Prima asserit, *nullum* omnino sacramentum informe reviviscere. Quae quidem sententia tribui solet Vasquesio[3]. — Secunda sententia docet, *omnia* prorsus sacramenta reviviscere sublato obice, quia quodlibet sacramentum est et manet opus Christi, quod semper suum effectum producet, si obex sublatus fuerit. Ita Haine[4]. Unde iuxta hanc sententiam e. g. ille, qui centies sacrilege communionem recepisset, si tandem aliquando cum attritione sacramentum poenitentiae suscepisset aut etiam solam contritionem elicuisset, reciperet totum cumulum gratiarum centum communionum sacrilegarum. Hanc sententiam vocat S. Alphonsus[5] absurdam. — Tertia sententia asserit, *quaedam* quidem sacramenta informia reviviscere, obice sublato, sed non omnia. Quae quidem sententia est communissima. In assignandis autem sacramentis, quae reviviscant, theologi iterum non concordant; consentiunt vero, saltem tria sacramenta imprimentia characterem et insuper sacramentum matrimonii reviviscere.

a) De *baptismo* docet S. Thomas[6]: «Impeditur autem quandoque per fictionem [est idem ac obex]; unde oportet, quod remota ea per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.» Idem iam

---

[1] S. theol. 3, q. 62, a. 2.

[2] Haec vox reviviscentia, quae in re sacramentaria non invenitur apud S. Thomam aliosque veteres theologos, proprie loquendo non est accurata. Reviviscere enim dicitur id, quod fuit vivum, dein mortuum et postea iterum vivum. Iamvero sacramentum cum obice susceptum non est vere vivum ac proinde nequit proprie reviviscere. Difficile autem est invenire melius verbum. Forte possit dici surrectio sacramentorum.

[3] Cf. *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VI, n. 315, qui contendit immerito tribui hanc sententiam Vasquesio.

[4] De sacr. in gen. q. 7.

[5] Theol. mor. l. 6, n. 87. Reviviscentiam eucharistiae docuit quoque *Caietanus* (Opusc. 1, tr. 5, q. 5), sed hoc revocavit Comm. in S. theol. 3, q. 79, a. 1.

[6] S. theol. 3, q. 69, a. 10.

docuerat S. Augustinus[1]: «In illo, qui fictus [ad baptismum] accesserat, fit, ... ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat, cum illa fictio veraci confessione recesserit.» Ratio autem est, quia, si non admittitur reviviscentia baptismi, vix intelligitur, quomodo homo ita cum obice baptizatus possit postea remissionem peccati originalis obtinere. Etenim talis remissio nequit obtineri per poenitentiae sacramentum, quod sola peccata actualia remittere potest.

b) Sicut baptismus ita et *confirmatio* et *ordo,* cessante obice, reviviscunt, «quia, cum haec sacramenta nequeant iterari, videtur consentaneum divinae bonitati, ne tales suscipientes relinquantur destituti gratia sacramentali, tam proficua in confirmatis ad resistendum tentationibus, et in ordinatis ad obeunda munia clericalia.»[2]

c) Idem dicendum videtur probabiliter de *extrema unctione* et *matrimonio,* quia haec quoque sacramenta aliquatenus iterari nequeunt, scil. durante eodem morbo eodemve coniugio. Ergo si quis post validam sed indignam susceptionem extremae unctionis aut matrimonii contritionem perfectam elicuit, aut sacramentum poenitentiae digne suscepit, gratia istorum sacramentorum reviviscit.

d) Reviviscentia *poenitentiae* valde dubia est[3]; a S. Alphonso citatur quidem S. Thomas[4] pro sententia affirmativa, sed verba Angelici Doctoris facile admittunt aliam explicationem. Lugo[5] autem docet, poenitentiam posse reviviscere. Sed merito dubitatur, num sacramentum poenitentiae possit revera esse validum et tamen informe. Si quis enim etiam bona fide accedit ad poenitentiam putans, se habere saltem attritionem sufficientem, revera autem illam non habet, sacramentum est nullum, quia attritio est de essentia poenitentiae. Ergo in hoc casu sacramentum non est informe, sed prorsus invalidum. Unicus casus, de quo quaeri potest, est iste: si poenitens ex bona fide non elicit dolorem universalem, e. g. si duorum peccatorum mortalium reus (e. g. fornicationis et violati ieiunii), unius plane immemor de sola fornicatione dolet ex *motivo particulari,* nempe quia expresse dictum est in S. Scriptura fornicarios non intrare in regnum coelorum. — Sed ut quisque videt, iste casus est fere theoreticus et numquam in praxi accidit, ac praeterea non est certum, num dolor particularis sufficiat in hoc casu ad valorem sacramenti. Certe omnes adhortandi sunt, ut dolorem eliciant ex motivo universali et non particulari. Sin autem adfuisset in casu praedicto motivum universale doloris, etiam peccatum oblivione omissum per sacramentum fuisset remissum. Unde in praxi quando quis inculpabiliter alicuius peccati obliviscitur ac proinde nec etiam eius poenitet, cum tamen supponi debeat contritio vel attritio generalis de omnibus peccatis, sufficit, ut istud peccatum antea omissum et menti iterum occurrens in sequenti confessione declaretur. Sin autem

[1] De bapt. contra Donat. l. 1, c. 12, n. 18 (*Migne,* Patr. lat. 43, 119).
[2] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 87.
[3] Cf. infra n. 353.
[4] 4, dist. 17, q. 3, a. 4, sol. 1. [5] De sacr. in gen. n. 103 et 104.

numquam in mentem veniat, nihilominus indirecte remissum est in confessione peracta [1].

Sacramentum eucharistiae non reviviscere, iam supra dictum est.

Doctrina igitur proposita de reviviscentia sacramentorum hoc modo potest breviter resumi: *Quinque sacramenta, si sint informia, reviviscunt, nempe baptismus, confirmatio, extrema unctio, ordo, matrimonium*; *duo autem sacramenta informia non reviviscunt, scil. eucharistia et poenitentia.*

Conditiones requisitae ad reviviscentiam. Admissa re- 43
viviscentia quorundam sacramentorum quaeritur, quid sit praestandum, ut ista sacramenta reapse reviviscant.

Regula generalis est: *Ut sacramenta informia reviviscant, requiritur et sufficit eadem dispositio, quae erat in ipsa receptione requisita ac sufficiens ad gratiam consequendam.*

Resolves: 1. Quando sacramentum informe fuit simul *sacrilegum,* illud non reviviscit, usquedum status gratiae acquisitus sit sive per contritionem perfectam sive per absolutionem sacramentalem. Ita omnes.

2. Quando post sacramentum informe (etiam inculpabiliter) susceptum quis perpetravit peccatum mortale, sacramentum istud non reviviscit, usquedum status gratiae sit acquisitus sive per contritionem sive per absolutionem sacramentalem. Ita omnes.

3. Quando sacramentum vivorum *inculpabiliter* informe remansit, e. g. quando quis putavit, se habere attritionem sufficientem, revera autem non habet, et propterea invalide absolutus recipit in bona fide confirmationem, hoc sacramentum non reviviscit, nisi acquisitus sit status gratiae per contritionem aut attritionem veram cum absolutione sacramentali. Ita sententia probabilior.

4. Quando sacramentum *mortuorum* (et idem valet de extrema unctione) inculpabiliter remansit informe, videtur sufficere sola attritio, ut illud sacramentum reviviscat. E. g. aliquis suscepit extremam unctionem, quando fuit iam sensibus destitutus neque habuit etiam attritionem sufficientem; tunc videtur hoc sacramentum informe reviviscere, quando homo postea elicit actum verae attritionis [2]. Ceterum, ut iam supra monuimus, Ecclesia nihil de sacramentorum reviviscentia eiusque conditionibus requisitis hucusque definivit.

ARTICULUS II.

De secundario effectu quorundam sacramentorum, seu de charactere.

Principium. *Doctrina catholica est, in sacramentis baptismi,* 44
confirmationis et ordinis non solum gratiam conferri, verum etiam imprimi in anima characterem, i. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde et ista tria sacramenta iterari non posse [3].

Tria igitur de fide catholica credenda sunt: 1. characterem esse signum quoddam spirituale et indelebile animae impressum; 2. hoc

[1] Cf. de hac re *S. Alph.* l. c. n. 444, et *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 401 sq.

[2] Cf. *I. Kern,* De sacr. extr. unct. (1907) 372 sqq.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 7, can. 9 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 852); *Eugenius IV,* Instr. ad Armenos (*Denz.* n. 695), et *Innoc. III* in c. 3, X 3, 42.

signum imprimi a tribus sacramentis: baptismo, confirmatione et ordine; 3. haec sacramenta non posse iterari. — Cetera omnia, quae theologi subtiliter de hac re disputant, utilia quidem sunt, sed ad fidem minime pertinent.

45 1. **Exsistentiam** characteris negant Wicleff et Reformatores[1]. Chemnitz autem vocat charaterem inventum Innocentii III (saec. XIII.) et commentum scholasticorum. Econtra quidam theologi catholici[2] non tantum in tribus enumeratis sacramentis characterem admittunt, sed insuper in matrimonio et extrema unctione (quippe quae sint sacramenta aliquatenus initerabilia), ponunt *quasi-characterem*. Verumtamen iste quasi-character nullum fundamentum habet neque in S. Scriptura neque in doctrina Ecclesiae et SS. Patrum; ideoque non est admittendus. — Exsistentia vero characteris in tribus enumeratis sacramentis minime inventa est ab Innocentio III, quippe qui iam de charactere loquatur sicut de re omnibus nota. — Etsi non clare describitur in S. Scriptura character; manifeste autem admittitur a SS. Patribus.

In S. Scriptura tres loci occurrunt, qui intelligi possunt (licet non debeant) de charactere sacramentali: «Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos Deus; qui et *signavit* (σφραγισάμενος) nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.»[3] «Credentes *signati* estis Spiritu promissionis Sancto.»[4] «Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo *signati* estis (ἐσφραγίσθητε) in diem redemptionis.»[5] — Clarius de charactere locuti sunt SS. Patres, quorum testimonia videri possunt e. g. apud Billuart[6]. Sufficiat adducere verba S. Augustini, qui agnoscit in baptismo etiam indigne suscepto imprimi characterem: «Ecce accipit sacramentum nativitatis homo baptizatus; sacramentum habet; ... attendat tamen in cor; ... videat, si habeat caritatem; ... si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.»[7] Saeculo XIII testante Angelico Doctore omnes theologi agnoverunt characterem in quibusdam sacramentis imprimi[8]. Pro exsistentia characteris S. Thomas dat hanc *rationem congruentiae:* Quicumque deputatur ad aliquod officium magnum, consuevit ad illud aliquo signo distinctivo consignari, sicuti antiquitus milites adscripti solebant quibusdam characteribus insigniri. Atqui in tribus sacramentis enumeratis fideles deputantur ad magna officia divini cultus, ut infra explicabitur. Ergo valde conveniens est, ut in istis sacramentis character imprimatur[9].

46 2. **Natura et qualitates characteris.** Character definiri potest: *signum spirituale animae indelebiliter impressum, quo homines ad divinum cultum speciali modo deputantur et ab aliis distinguuntur.*

Dicitur 1°: *signum spirituale* per oppositionem ad signum sensibile, quale est ipsum sacramentum. Character enim sola mente percipi potest.

---

[1] Cf. *Harnack,* Dogmengesch. III 140.

[2] Oswald, Schwetz, Farine. Iste ultimus auctor in opusculo: Der sakram. Charakter, Freiburg i. Br. 1904, putat characterem sacramentalem esse ipsum Spiritum Sanctum; atque etiam alias opiniones satis singulares proponit.

[3] 2 Cor 1, 21 sq. [4] Eph 1, 13.

[5] Eph 4, 30. — Cf. S. theol. 3, q. 73, a. 1; Cat. Rom. P. 2, c. 1, q. 18.

[6] De sacr. diss. 4, a. 1. [7] In 1 Ioan. tr. 5, n. 6 (*Migne,* Patr. lat. 35, 2015).

[8] 4, dist. 4, q. 1, a. 1. [9] S. theol. 3, q. 63, a. 1.

Dicitur 2°: *animae indelebiliter impressum.* Character imprimitur non in essentia animae (ut volunt Vasquez, Suarez, Lugo, alii), sed in potentia eius, et quidem non in voluntate, ut volunt Scotistae, sed *in intellectu practico.* Character est enim spiritualis *potestas* supernaturalis ordinata ad divinum cultum. Cultus autem consistit in quadam externa protestatione fidei. Ergo convenienter ponitur character in eadem animae potentia, in qua est fides[1]. — Character est prorsus indelebilis, non ita quidem, quasi ab omnipotentia divina non possit deleri (sic enim et ipsa anima immortalis deleri potest), sed quia de facto numquam delebitur neque in hac neque in altera vita. Characterem non deleri in hac vita, definitum est a Concilio Tridentino[2]; illum autem non deleri in altera vita, est doctrina communis theologorum. Quare S. Thomas[3] docet: «Post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui sunt victi, ad poenam.» Ex hac indelebilitate omnimoda sequitur, ut e. g. sacerdos, qui post mortem resuscitaretur, non esset iterum neque baptizandus neque confirmandus neque ordinandus; manet enim sacerdos in aeternum. Econtra coniuges mortui et resuscitati, si vellent matrimonium continuare, deberent iterum copulari, cum coniugale vinculum morte dissolvatur[4]. Ratio, quare character sacramentalis sit indelebilis, est (praeter voluntatem Dei sic statuentem) indoles ipsa characteris, qui non dependet a libero arbitrio hominis, sicuti gratia sanctificans, sed a solo Deo, cuius est instrumentum. Insuper gratia sanctificans habet aliquid sibi contrarium, nempe peccatum mortale, a quo proinde expelli potest; character autem *nihil contrarium* habet ideoque semper manet.

Dicitur 3°: *quo homines ad divinum cultum speciali modo deputantur.* Duplex praecipue est effectus et officium characteris: 1. *distinguere* homines per ipsum insignitos ab aliis; unde hoc exprimitur in fine definitionis datae; 2. *idoneos reddere homines ad divinum cultum vel suscipiendum vel exercendum.* Sic sacramentis atque omnibus beneficiis religionis suscipiendis idoneus ac potens efficitur homo in baptismo; in confirmatione autem recipit characterem *militis Christi,* qui fortiter profiteri valet ore et opere fidem; in ordine demum homo redditur aptus ad sacramenta conficienda aliaque opera cultus divini peragenda. Cum autem totus ritus christianae religionis derivetur a sacerdotio Christi, S. Thomas docet, characterem sacramentalem esse nihil aliud nisi *participationem sacerdotii Christi* ab ipso Christo derivatam[5]. Dupliciter enim homo potest et debet configurari Christo: a) secundum *naturam,* et hoc producitur a gratia sanctificante, quae homines reddit consortes divinae naturae[6] et coheredes Christi; b) secundum *munus,* et hoc fit per characterem sacramentalem, quatenus homo imitans Christi exemplum debet clarificare Patrem, i. e. colere Deum. Per

[1] L. c. a. 4 ad 3. [2] L. c. [3] S. theol. 3, q. 63, a. 5 ad 3.
[4] Cf. 1 Cor 7, 39. [5] S. theol. 3, q. 63, a. 3. [6] 2 Petr 1, 4.

baptismum et confirmationem omnes etiam laici recipiunt istam sacerdotii Christi participationem. In quo sensu dicit S. Petrus: «Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.» [1] Character est quaedam *potentia,* ut supra dictum est. «Sicut autem baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi quasi ex officio.» [2] Praeter sacerdotium generale, quod in baptismate et confirmatione omnibus confertur, est sacerdotium speciale, quod adhuc perfectior est configuratio cum sacerdotio Christi et quod homini tribuit potestatem omnia sacramenta ministrandi et peragendi specialia cultus divini officia. Quod quidem sacerdotium speciale profluens ex charactere speciali confertur in sacramento ordinis.

Ex dictis de natura characteris sequitur, ut characteri tres qualitates vel potius tria munia competant, quae a veteribus theologis ita solebant exprimi:

1. character significat et distinguit;
2. character disponit (scil. ad specialem cultum Deo exhibendum);
3. character assimilat (scil. sacerdotio Christi).

47 **Scholion.** De natura characteris sacramentalis olim multae controversiae exsistebant inter theologos. Sic Durandus putabat characterem esse puram denominationem extrinsecam seu *relationem rationis,* sicut cum quis a rege deputatur ad aliquod ministerium [3]. Quae quidem sententia est temeraria, cum Concilium Tridentinum definiat characterem esse signum spirituale et indelebile animae impressum [4]. Ergo non est quid extrinsęcum. Complures alii theologi ante Concilium Tridentinum putabant characterem esse *relationem realem.* Verum etiam ista sententia sustineri nequit, cum relatio (etiam realis) non det potestatem ad recipiendum vel agendum, sicut revera facit character. Unde melius vocatur character sacramentalis *potentia quaedam physica supernaturalis impressa in intellectu practico* [5].

CAPUT IV.

De institutore sacramentorum.

Praenotamen. Caput praesens potius inscribimus de institutore quam de causa sacramentorum, quia, ut S. Thomas praenotat ad quaestionem 64 part. 3 in S. theol., causa sacramentorum est duplex: nempe per *auctoritatem* et per *ministerium.* Prima est causa principalis atque vocari potest institutor; altera est causa instrumentalis et nominari potest minister sacramentorum. Nunc agimus de causa principali seu de institutore sacramentorum.

48 Solum Deum esse auctorem principalem omnium sacramentorum cum Veteris tum Novi Testamenti, per se fere patet. Nemo enim nisi Deus

[1] 1 Petr 2, 9. [2] S. theol. 3, q. 72, a. 5 ad 2. [3] In 4, dist. 4, q. 1, n. 11.
[4] Sess. 7, can. 9 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 852).
[5] Plura de hac re videsis apud *Billuart,* De sacr. diss. 4, a. 1, qui suam doctrinam fideliter deprompsit ex S. theol. 3, q. 63.

potest determinare signa sensibilia, cum quibus coniuncta est gratia (ut in Vetere Testamento) vel quae instrumentaliter causant gratiam sanctificantem (ut in Novo Testamento). Unde S. Thomas docet: «Solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti [ergo a fortiori ipsa sacramenta], tum quia solus Deus illabitur animae, in qua sacramenti effectus exsistit, ... tum quia gratia, quae est interior sacramenti effectus, est a solo Deo.» [1] «Sacramenta Novae Legis sunt digniora quam sacramenta Veteris Legis. Sed omnia sacramenta Veteris Legis sunt a Deo instituta. Ergo multo fortius omnia sacramenta Novae Legis habent institutionem ab ipso Christo.» [2]

Deus est ita *auctor principalis* omnium sacramentorum, ut potestatem auctoritativam instituendi sacramenta nequeat communicare ulli creaturae. Nam «potestas auctoritatis communicata alicui traheret ipsum extra terminos creaturae; quia non potest esse quod creatura sit agens principale respectu nobilissimi effectus, quo ultimo fini coniungimur, cuiusmodi est gratia, per quam fit remissio peccatorum. Et ideo *omnes* dicunt, quod potestas auctoritatis nulli creaturae communicari potuit». [3] Praeter potestatem auctoritativam instituendi sacramenta theologi, praeeunte S. Thoma [4], loquuntur de auctoritate *excellentiae* in instituendis sacramentis, quae competit Christo ut homini, seu humanitati ipsius, et quidem propter quattuor rationes: 1. quia virtus passionis Christi hominis operatur in sacramentis; 2. quia sacramenta nomine Christi administrantur; 3. quia potuit tamquam excellens instrumentum divinitatis instituere sacramenta; 4. quia potuit effectum sacramenti, scil. gratiam sanctificantem, etiam sine sacramento, nempe solo imperio suo concedere. Breviter igitur dici potest: Christus ut *Deus* est *auctor principalis;* ut *homo* autem excellens *auctor ministerialis* omnium sacramentorum.

Thesis 1. *Omnia Novae Legis sacramenta sunt immediate instituta a Christo ante suam ascensionem.* 49

Haec thesis, quae a nonnullis theologis (e. g. Bellarmin, Becan, Gonet) habetur ut ad fidem pertinens, est saltem theologice certa. Ante Concilium Tridentinum aliqui theologi putabant, quaedam sacramenta non esse immediate a Christo instituta. Sic Hugo de S. Victore, Rolandus, Magister Sententiarum censuerunt, extremam unctionem ab apostolis esse institutam post ascensionem Christi; Alexander Halensis [5] miro errore deceptus putavit confirmationem institutam esse in Concilio Meldensi (Meaux) a. 845, cum tamen in huius Concilii canonibus nihil habeatur de institutione confirmationis. S. Bonaventura [6] putat, sacramenta confirmationis et extremae unctionis ab apostolis esse instituta. Quam tamen sententiam postea ab illo esse correctam, asserunt Editores Quarrachiani.

Cum SS. Patres, ut supra vidimus, non ita claram definitionem sacramenti darent neque eorum septenarium numerum indicarent, sed inter sacramenta

[1] S. theol. 3, q. 64, a. 1. [2] Suppl. q. 29, a. 3 ex 4, dist. 23, q. 1, a. 1.
[3] 4, dist. 5, q. 1, a. 3, sol. 1. [4] S. theol. 3, q. 64, a. 3.
[5] S. theol. 4, q. 9, membr. 1; cf. *Pourrat,* La théol. sacr. chap. 6, § 4, p. 308.
[6] 4, dist. 7, a. 1, q. 1 et dist. 23, a. 1, q. 2.

enumerarent, quae certe sunt sacramentalia ab Ecclesia instituta (e. g. consecratio ecclesiae, unctio regis etc.), neque etiam potuerunt clare docere, omnia sacramenta esse immediate a Christo instituta. Baptismum et eucharistiam a Christo esse instituta, omnes docuerunt; immo auctor vetustissimus libri pseudoambrosiani de sacramentis docet conceptis verbis: «Quis est auctor sacramentorum nisi Dominus Iesus? De coelo ista sacramenta venerunt.»[1] Cum nonnuli Modernistae, ut Loisy[2], errores sparserint de origine sacramentorum, Pius X in Decreto «Lamentabili» damnavit propositionem (40): «Sacramenta ortum habuerunt ex eo, quod apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.»[3]

Probatur institutio *immediata* omnium sacramentorum a Christo facta:

1. *ex Concilio Tridentino:* «S. q. d. sacramenta Novae Legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino Nostro instituta . . . A. S.»[4] Licet autem in hoc canone non sit expresse dictum, Christum instituisse *immediate* omnia sacramenta — Concilium enim noluit condemnare sententiam plurium catholicorum non admittentium nisi mediatam institutionem divinam — tamen hoc esse de mente Concilii sequitur ex tribus:

a) Post Concilium nullus fere theologus catholicus ausus est negare immediatam institutionem.

b) Idem Concilium[5] definivit, extremam unctionem esse a Christo institutam et a S. Iacobo promulgatam. Ergo vel extrema unctio, de qua omnium maior difficultas exsistit, tantum promulgata et non instituta est ab aliquo apostolo, sed ab ipso Christo. A fortiori igitur alia sacramenta a Christo immediate instituta sunt.

c) Idem Concilium[6] declarat Ecclesiam non posse mutare substantiam sacramentorum. Ergo a fortiori non potest sacramenta instituere idque nec etiam ex auctoritate Christi, quia non constat de exsistentia talis auctoritatis collatae.

2. *rationibus theologicis.* a) Nullibi neque apostoli neque Ecclesia sibi tribuunt potestatem delegatam instituendi sacramenta, sed potius hoc negant. Ergo Christus solus est auctor sacramentorum. Apostoli se nominabant ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, numquam autem institutores sacramentorum. Econtra S. Paulus strenue increpavit Corinthios disputantes, a quo unusquisque baptizatus esset, arguens omnes esse baptizatos in nomine Christi.

b) Sicut Deus auctor Veteris Legis omnia eius sacramenta instituit, ita Christus auctor Novae Legis omnia sacramenta ipse instituit.

c) Sacramenta utpote instrumenta necessaria ad salutem pertinent ad ipsum *fundamentum* cultus religiosi et Ecclesiae. Porro valde conveniens est, ut auctor religionis et Ecclesiae christianae ipse determinet fundamenta ista.

50 **Thesis 2.** *Christus non tantum immediate instituit omnia sacramenta Novae Legis, verum etiam eorum materiam et formam ita specifice determinavit, ut eas substantialiter mutare non liceat.*

---

[1] Apud *Migne*, Patr. lat. 16, 439. [2] L'Évangile et l'Église chap. 6, n. 2.
[3] *Denz.* n. 2040. [4] Sess. 7, can. 1 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 844).
[5] Sess. 14, can. 1 de extr. unct. (*Denz.* n. 926).
[6] Sess 21, c. 2 de comm. (*Denz* n. 931).

Haec doctrina sequitur ex prima propositione tamquam corollarium. Cum enim essentia cuiusque sacramenti consistat in materia et forma[1], debuit ille, qui immediate sacramenta instituit, etiam eorum formam et materiam determinare. Proinde omnes theologi post Tridentinum viventes docent determinationem materiae et formae a Christo factam; disputant autem inter se, quousque se extendat ista determinatio; solet enim triplex determinatio distingui, nempe *individualis, specifica, generica*. Determinatio individualis attingit omnia et singula etiam accidentia; specifica non attingit nisi substantialia; generica demum solummodo effectus sacramentorum stabilit.

a) Apud omnes quidem constat, Christum non determinasse singula accidentia in sacramentorum administratione adhibenda, quia lapsu temporis ista accidentia satis mutata sunt, et adhuc multum differunt in Ecclesia latina et orientali. Unde absque omni dubio materia et forma, seu potius sacramenta, non sunt directe a Christo determinata *in individuo*, i. e. quantum ad omnes qualitates etiam accidentales. Proinde e. g. utrum baptismus fiat immersione an infusione; utrum consecratio fiat in pane azymo necne etc., non est directe a Christo determinatum.

b) Disputant theologi, utrum Christus *in genere* an *in specie* determinaverit materiam et formam sacramentorum. *In genere* Christus hanc determinationem fecisset, si e. g. dixisset apostolis: Ego statuo septem sacramenta, scil. baptismum, confirmationem etc., et volo, ut utamini materia et forma effectum uniuscuiusque sacramenti apte significantibus, ita ut in baptismo significetur ablutio a peccato originali, in confirmatione robur ad firmiter resistendum diabolo, in eucharistia nutrimentum animae etc. — Quem modum si elegisset, Christus adhuc remaneret verus et immediatus auctor septem sacramentorum, cum voluisset, septem esse determinatos modos gratiae conferendae per sacramenta. — *In specie* Christus dicitur determinasse materiam et formam sacramentorum, si praeter institutionem genericam modo explicatam etiam *substantialia* cuiusque sacramenti praescripsit, e. g. baptismus est administrandus cum aqua et forma: «Ego te baptizo etc.»; confirmatio cum chrismatis unctione, impositione manus episcopi et forma: «Signo te signo crucis etc.» — Mutationes autem accidentales materiae et formae a Christo demandatae sunt Ecclesiae, quare quaedam differentiae accidentales etiam in materia et forma exsistunt inter Ecclesiam latinam et orientalem.

Sententia docens *specificam* determinationem a Christo esse factam 51
praeferenda videtur. Nam si Christus in genere tantum sacramenta determinasset, Ecclesia necessario haberet auctoritatem mutandi substantialiter materiam et formam sacramentorum; quod tamen a Concilio Tridentino negatur[2]. E. g. si Christus tantum in genere instituisset

[1] Cf. supra n. 9.

[2] Sess. 21, c. 2 de comm. (*Denz.* n. 931).

sacramentum confirmationis, Ecclesia posset statuere, ut loco chrismatis adhiberetur oleum quodcumque, et loco formae usitatae quaecumque alia significans robur conferendum. — Praeterea accedit auctoritas S. Thomae[1], S. Alphonsi[2] et multorum theologorum magnae auctoritatis. En verba Angelici Doctoris: «Quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificatur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis Novae Legis . . . oportet *uti rebus ex divina institutioue determinatis.*» — Demum dignitas sacramentorum crescit ex hac determinatione specifica. Etenim cum Christus ex sua infinita bonitate sacramenta tamquam media principalia nostrae salutis instituerit, valde conveniens est dignitati istorum mediorum, ut non generali et vago, sed speciali modo ab ipso fundatore ordinata sint.

52 Sunt theologi, qui concedunt quidem in quibusdam sacramentis, e. g. in baptismo et eucharistia, a Christo esse determinatam substantiam materiae et formae, non autem in omnibus, et notanter non in sacramento ordinis, quippe quod in Ecclesia orientali administretur sine traditione instrumentorum cum sola impositione manuum[3]. Quamvis haec doctrina aliquam probabilitatem tenuem habeat, tamen non ita apparet, cur Christus in sacramento ordinis, quod est ita excellens et necessarium, permiserit eam libertatem, quam in aliis sacramentis denegavit. Ergo dicendum est, aut solam impositionem manuum esse de essentia sacramenti ordinis, aut etiam in Ecclesia orientali haberi traditionem instrumentorum, scil. indirectam, cum ordinandus debeat tangere altare, super quod posita sunt instrumenta. (Quaenam sententia praeferenda sit, vide infra in tractatu de ordine n. 595.) — Ex matrimoniis clandestinis, quae valida fuerunt ante Concilium Tridentinum, non autem postea, nulla seria difficultas oriri potest contra doctrinam expositam. Etenim legitimus contractus et consensus nupturientium semper fuit et est essentia sacramenti matrimonii. Per impedimentum clandestinitatis a Concilio Tridentino introductum Ecclesia prorsus nihil mutavit circa hanc essentiam, sed solummodo statuit, ut nupturientes nequeant valide maritalem consensum exprimere nisi coram proprio parocho et duobus testibus.

---

[1] S. theol. 3, q. 60, a. 5.

[2] Theol. mor. l. 6, n. 12.

[3] Inter modernos hanc sententiam paulo modificatam tuetur *Pourrat* (La théol. sacr. chap. 6, § 1, p. 274), sequens vestigia Cardinalis Newman: «Le Christ a institué immédiatement tous les sacrements; mais tous les sacrements n'ont pas été donnés à l'Église par le Sauveur pleinement constitués. Sur plusieurs, particulièrement essentiels au christianisme, le baptême et l'eucharistie par exemple, le Christ s'est expliqué complètement. . . . Quant aux autres, le Sauveur en a posé les principes essentiels; le développement devait montrer aux apôtres et à l'Église ce que le Maître a voulu faire. Jésus en effet ne pouvait pas tout dire à ses apôtres: ‚Non potestis portare modo'. . . . On comprend alors, pourquoi l'Église, d'après le témoignage de l'histoire, n'a pas eu, tout à fait dès l'origine une conscience *pleine et entière* de quelques sacrements. . . . Jésus a institué immédiatement et *explicitement* le baptême et l'eucharistie; il a institué immédiatement mais *implicitement* les cinq autres sacrements.» — Quae quidem sententia est valde periculosa atque haud multum dissimilis propositioni damnatae (40) in Decreto «Lamentabili» (cf. supra n. 49).

CAPUT V.

De ministro sacramentorum.

Claritatis causa dividimus istud caput in septem articulos: 1. de persona ministri; 2. de eius fide et probitate; 3. de eius attentione; 4. de eius intentione; 5. de modo et ritu conferendi sacramenta; 6. de sacramentis dandis aut denegandis; 7. de simulatione et dissimulatione sacramentorum.

ARTICULUS I.

De persona ministri.

Postquam demonstratum est Christum Deum esse causam principalem et ministrum auctoritativum sacramentorum, nunc de causa ministeriali, seu de ministro humano disserendum est. Quamvis enim Deus sit auctor sacramentorum, ea tamen neque per se neque per angelos in Ecclesia administrare vult, sed mediante homine.

Propositio. *Solus homo viator isque consecratus aut saltem le-* 53
gitime deputatus est minister sacramentorum.

Loquimur de casibus *ordinariis,* nam miraculoso modo Deus potest sacramenta administrare per Angelos aut per animas defunctorum. In historia ecclesiastica enarrantur sacramenta administrata per angelos, e. g., teste Nicephoro [1], S. Amphilochius ab angelis fuit consecratus episcopus, hancque consecrationem ratam habuerunt alii episcopi; teste bulla canonizationis S. Agnetis de Monte Politiano, angelus ei saepe porrexit communionem. Pariter si sacerdos mortuus revivisceret, posset rite celebrare Missam, cum character sacerdotalis maneat in aeternum; attamen Deus certe impediret, ne sacerdos damnatus consecraret corpus Christi. Sed de istis casibus extraordinariis hic non loquimur. Per se etiam patet maximam prudentiam esse adhibendam, antequam huiusmodi factorum miraculosorum narratio credatur.

Ratio, cur soli homines viatores sint ministri sacramentorum, est imprimis voluntas Dei. Hinc S. Paulus dicit: «Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum.» [2] Deinde valde conveniens est, ut, sicut Christus homo fuit primarius minister sacramentorum, ita etiam alii homines a Christo deputati sint ministri secundarii [3]. Non omnem autem hominem cuiuslibet sacramenti esse ministrum, definitum est contra Lutherum et Reformatores a Concilio Tridentino [4]: «S. q. d. christianos omnes in verbo et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, A. S.» — Idem patet ex S. Scriptura, in qua Christus fertur constituisse in Ecclesia quosdam apostolos, quosdam pastores, quosdam doctores in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi [5]. Specialiter de sacramento ordinis monet S. Paulus: «Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.» [6] Ergo si non quilibet potest

---

[1] Calist. l. 11, c. 20 (*Migne*, Patr. graec. 146, 630).
[2] Hebr 5, 1. [3] Cf. S. theol. 3, q. 64, a. 7.
[4] Sess. 7, can. 10 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 853).
[5] Cf. Eph. 4, 11 sq. [6] Hebr 5, 4.

recipere sacramentum ordinis, a fortiori illud non potest administrari a quolibet. — Demum *rationes convenientiae* adduci possunt: a) In Vetere Lege Deus graviter praecepit, ne quis se immisceret sacris ministeriis nisi illi, qui fuerunt de stirpe Aaron consecrati; unde rex Osias graviter punitus est, quia usurpavit munus sacerdotale. Ergo a fortiori in Nova Lege, ubi ministeria et sacramenta sunt multo sacratiora, non omnes possunt sacramenta administrare. — b) In quolibet regno ordinato non omnes possunt omnia officia adimplere ex auctoritate regis. Ergo conveniens est, ut ista disparitas officiorum etiam habeatur in Ecclesia.

Corollarium. Cum Christus sit minister principalis omnium sacramentorum, homo minister est tantum mandatarius Christi, ac proinde debet se conformare intentioni Christi quantum ad materiam et formam et potestatem necessariam. Proinde ea, quae ad *valide* administranda sacramenta ex parte ministri requiruntur, sunt sequentia: 1. debita *potestas;* non enim omnes possunt administrare omne sacramentum, ut supra dictum est; 2. debita *intentio,* scil. faciendi quod facit Ecclesia, ut infra dicetur; 3. recta *applicatio formae ad materiam,* ut supra n. 19 explicatum est. Cetera autem omnia, quae ex parte ministri requiruntur, sunt de liceitate quidem, sed non de validitate administrationis.

54 **Distinctiones.** Minister sacramentorum solet distingui diversimode:

1. Minister *consecratus* et *non consecratus.*

Minister consecratus, ut iam verbum indicat, specialem consecrationem accepit ad sacramenta ministranda. Talis minister requiritur in quinque sacramentis, nempe: in confirmatione, eucharistia, poenitentia, extrema unctione, ordine. — Minister non consecratus caret tali consecratione. Sufficit autem minister non consecratus in sacramentis baptismi et matrimonii. Ad baptismi sacramentum, quod est ita necessarium pro salute aeterna, Deus deputavit tamquam ministros omnes homines (saltem in casu necessitatis). Ad matrimonium autem propter peculiarem rationem huius sacramenti, quod seiungi non potest a contractu matrimoniali, ipsi nupturientes deputati sunt ministri.

2. Minister *ordinarius* et *extraordinarius.*

Ordinarius ille dicitur, cui ex officio incumbit talia sacramenta administrare. Sic e. g. episcopus est minister ordinarius confirmationis et ordinis. Extraordinarius ille est, qui solum in casu necessitatis et ex speciali delegatione sacramentum administrare potest, e. g. sacerdos est minister extraordinarius confirmationis, diaconus extraordinarie communionem administrare potest.

3. Quidam auctores adhuc distinguunt ministrum *publicum* et *privatum.*

Prior ille est, qui adhibitis omnibus caeremoniis in Rituali praescriptis sacramentum sollemniter administrat. Posterior ille est, qui in casu necessitatis, omissis omnibus aliis, tantum formam ad materiam sacramenti applicat; e. g. si quis (etiamsi est sacerdos) necessitate cogente baptizat, omissis omnibus praeter materiam et formam essentialem, est minister privatus baptismi.

ARTICULUS II.

De fide et probitate ministri.

Propositio 1. *Ad validam administrationem sacramentorum non requiritur neque fides neque probitas (i. e. status gratiae sanctificantis) ministri.* 55

Veritas huius propositionis iam apparet ex dictis. Quia enim homo non suam sed Christi personam gerit in sacramentis administrandis, quae producunt effectus proprios ex opere operato (et non ex opere operantis), semper ea *valide* administrat minister, dummodo sine mutatione substantiali formam ad materiam debitam applicet habens intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Insuper sequeretur maximum inconveniens, si valor sacramentorum dependeret a fide et probitate ministri. Etenim tunc homo non posset habere certam fiduciam de propria salute; semper enim in dubio esset, utrum minister administrans, e. g. sacramentum poenitentiae, sit in statu gratiae sanctificantis. Quam plurimi etiam infantes salutem aeternam perderent, nempe omnes ii, qui baptizati fuerunt a ministro malo. Haec autem sunt absurda et repugnant misericordiae divinae, quae vult omnes homines salvos fieri. Unde merito dicit S. Thomas: «In forma sacramentorum non plus facit verbum a iusto quam a peccatore prolatum, quia non operatur ibi meritum hominis, sed passio Christi et virtus Dei.»[1] — Idem docent *traditio* et *definitiones Ecclesiae.*

Traditio. Inde ab antiquissimis temporibus falsa fides ministri non putabatur destruere valorem sacramenti. Notissimum est, quomodo S. Stephanus I iam saeculo III valorem baptismi collati ab haereticis defenderit contra S. Cyprianum, Firmilianum aliosque episcopos contrarium sentientes. Saeculo XII et XIII Waldenses et Albigenses falso docuerunt sacramenta administrata a quocumque malo ministro esse nulla. Demum saeculo XIV Wicleffitae ea tantam sacramenta esse valida, quae a ministris praedestinatis conferuntur. — S. Stephanus Papa scripsit ad S. Cyprianum: «Si qui ergo a quacumque haeresi venient ad vos, nihil innovetur [i. e. nullum sacramentum repetatur], nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in poenitentiam. . . . Quaerendum non esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit. . . . Multum proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut, quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi.»[2] Prae ceteris S. Augustinus compluribus in locis propugnat doctrinam catholicam, e. g.: «Si quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit.»[3] Idem S. Augustinus contra S. Cyprianum asserit consuetudinem non rebaptizandi eos, qui ab haereticis baptizati redeunt ad veram Ecclesiam, «esse ex apostolica traditione derivatam»[4].

Definitiones Ecclesiae. Concilium Nicaenum I (a. 325) statuit, ut Paulianistae redeuntes ad Ecclesiam omnino rebaptizarentur, quia isti in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizati fuerunt; econtra eadem

[1] Opusc. 18 de forma absolut. c. 3. — Latius disserit Angelicus Doctor de hac re S. theol. 3, q. 64, a. 5, et Contra gent. 3, 77.

[2] *Denz.* n. 46 et 47 (*Migne*, Patr. lat. 3, 1174 sq.).

[3] In Ioan. tr. 5, n. 18 (*Migne* l. c. 35, 1424).

[4] De bapt. l. 2, c. 7 (*Migne* l. c. 33, 133).

synodus prohibuit, ne Novatiani et Cathari rebaptizarentur, quia eorum baptismus fuit validus[1]. — Concilium Constantiense damnat propositionem (4) Wicleff: «Si episcopus vel sacerdos exsistat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.»[2] — Concilium Tridentinum definivit: «S. q. d. baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris ... cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, A. S.»; et: «S. q. d. ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S.»[3]

56 **Propositio 2.** *Ad* **licite** *conficienda sacramenta sub gravi requiritur status gratiae sanctificantis (saltem si minister consecratus extra casum necessitatis sollemniter sacramenta administrat).*

Hinc grave peccatum est conficere sacramenta in statu gravis peccati, exceptis casibus modo indicatis et infra explicandis. Ita docent omnes fere theologi. Ratio autem est multiplex:

Probatur. 1. Non minor, sed multo maior munditia requiritur in ministris Novi Testamenti quam in levitis Veteris Legis. Iamvero isti graviter obligabantur ad munditiam legalem: «Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra [scil. Aaron] ad ea, quae consecrata sunt, ... in quo est immunditia, peribit coram Domino.»[4] Ergo a ministris Novi Testamenti convenientissime exigitur munditia spiritualis a peccato gravi.

2. Rituale Romanum dicit: «Etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt.»[5]

3. S. Thomas[6] docet: «Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint, consequens est, quod tale peccatum *ex genere suo sit mortale.*»

4. Revera est gravissime indecens, quod minister, qui fuit sollemniter consecratus ad sacramenta digne administranda, nunc autem maculatus sordibus peccati ac proinde constitutus sub potestate diaboli, vult nihilominus sollemniter gerere personam Christi sanctissimi et purissimi in sacramentis administrandis, atque producere in anima (suscipientis sacramentum) excellentissimum donum gratiae sanctificantis. Quam quidem gratiam ipse minister postposuit sordido peccato. Est enim talis arrogantia peior, quam si servus porrigeret vas exterius sordidum ad vinum pretiosum propinandum amicis regis.

57 **Exceptiones.** Sunt tamen *casus excepti,* in quibus minister in statu peccati mortalis exsistens non graviter peccat administrando sacramenta.

a) Si non est minister *consecratus.* Unde laicus exsistens in statu peccati mortalis, qui in casu necessitatis administrat baptismum, non peccat graviter. Ita sententia solide probabilis multorum doctorum;

---

[1] *Denz.* n. 55 et 56; cf. n. 97. [2] *Denz.* n. 584.
[3] Sess. 7, can. 4 de bapt. et can. 12 de sacr. in gen. (*Denz* n. 860 et 855).
[4] Lv 22, 3. [5] De sacr. in gen. n. 4.
[6] S. theol. 3, q. 64, a. 6.

vocat tamen sententiam oppositam S. Alphonsus probabiliorem[1], quia etiam talis homo committit gravem irreverentiam Deo et sacramento. Sane adest aliqua irreverentia, sed utrum ea sit tanta, ut constituat peccatum mortale, non constat. Ceterum *in praxi,* consentientibus omnibus, laicus administrans in casu necessitatis baptismum non peccat mortaliter, *α*) quia obiective non constat de gravitate irreverentiae commissae; *β*) quia solet adesse tanta angustia temporis, ut impossibilis sit cum actus contritionis tum confessio sacramentalis; *γ*) quia solet adesse ignorantia obligationis eliciendi contritionem. — Cum contrahentes sint ministri sacramenti matrimonii, ipsi non peccant quidem graviter administrando sed *suscipiendo* hoc sacramentum vivorum in statu peccati mortalis. In praxi sufficit iuxta omnes theologos, si talis peccator in confessione dicit: In statu peccati mortalis suscepi sacramentum matrimonii.

b) Etiam minister *consecratus* non videtur graviter peccare, si *in casu necessitatis* conficit sacramentum modo non sollemni, vel si deficit tempus comparandi sibi statum gratiae (saltem per contritionem). Ita evidenter docent de baptismo Angelicus Doctor, omnes fere Thomistae[2] et plurimi alii[3]. En verba S. Thomae[4]: «In articulo tamen necessitatis [sacerdos] non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset laicus baptizare; sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti. Secus autem est in aliis sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis sicut baptismus.» — Unde non peccat e. g. sacerdos in statu peccati mortalis exsistens, qui ministrat baptismum aut sacramentum poenitentiae moribundo, qui decederet sine baptismo aut absolutione, si sacerdos ipse prius vellet confiteri aut conteri. Quae quidem doctrina potest haud incongrue confirmari exemplo: Esset profecto maxima irreverentia, si minister regis sollemniter deputatus ad suum officium appareret in habitu sordido coram rege. Sin autem idem minister in casu magnae necessitatis subito deberet servire regi extra horam proprii servitii, non esset irreverentia gravis neque rex esset valde offensus, si appareret in habitu sordido. Tunc enim minister non ex contemptu regis, sed ex necessitate ageret. Ergo non videtur peccare graviter minister consecratus, qui exsistens in statu peccati mortalis in gravi necessitate administrat sacramenta. Nihilominus cum sacerdos multo melius quam laicus debeat cognoscere sanctitatem sacramentorum et multo facilius elicere valeat actum contritionis, curet, si est conscius peccati mortalis, saltem elicere actum perfectae contritionis vel — quod est multo melius et securius — recipere sacramentalem absolutionem post confessionem

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 32.

[2] Cf. *Billuart,* De sacr. in gen. diss. 5, a. 4; *Concina,* De sacr. in gen. c. 11, § 5, n. 15; *Gonet,* Clypeus theol. thom., de sacr. in gen. disp. 6, n. 95.

[3] Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 43; *Haine,* Elem. theol. mor. q. 25; *Göpfert,* Moraltheol. III, 14.

[4] S. theol. 3, q. 64, a. 6 ad 3.

peractam[1]. Sin autem agitur de *eucharistia* conficienda (vel sumenda, non autem administranda), non sufficit sola contritio, sed requiritur sacramentalis confessio et absolutio, *si adest copia confessarii*[2]. Quid sit copia confessarii, vide infra in tractatu de eucharistia (n. 192).

Iuxta S. Alphonsum[3] sacerdos in mortali celebrans committit quattuor sacrilegia: 1. quia sacramentum indigne conficit; 2. indigne suscipit; 3. indigne ministrat; 4. sibi indigno ministrat. Alii autem (Lugo, Ballerini etc.) docent adesse tantum duo peccata mortalia, scil. quia talis sacerdos indigne consecrat et indigne suscipit sacramentum; Billuart[4] demum docet adesse unum peccatum, quia omnia illa coniunguntur in uno mysterio violato. Pro praxi ista controversia est nullius momenti, cum in confessione sufficiat simpliciter declarare indignam celebrationem.

Ex dictis sequitur, ut graviter peccet minister in peccato mortali exsistens, qui extra casum urgentis necessitatis sollemniter baptizat aut confirmat aut celebrat aut absolvit aut extremam unctionem aut ordines sacros confert; non autem, qui assistit matrimonio, cum sacerdos non sit minister sacramenti matrimonii.

58 **Quaeritur.** 1. *Quot peccata committit minister, qui in statu peccati exsistens sollemniter administrat plura sacramenta?*

Non concordant theologi. Noldin[5] docet: «Unum numero peccatum committit, qui una administratione pluribus successive idem sacramentum confert; qui ergo plures absolvit, plures simul baptizat, plures confirmat, plures ordinat in statu peccati.» Haec sententia tamen communiter reicitur. Quare merito dicit Lehmkuhl[6]: «Communiter ita statuitur, ut toties mortale peccatum numero distinctum committi dicatur, quoties sacramentum ministretur.» Ratio autem est, quia unumquodque sacramentum est *res in se completa,* ac proinde tot irreverentiae graviter peccaminosae committuntur, quot sacramenta sunt ministrata in statu peccati mortalis. Unde licet sententia a Noldin aliisque propugnata non sit prorsus improbabilis, tamen multo consultius est accusare numerum sacramentorum administratorum in statu peccati mortalis. Et ita fert etiam praxis ordinaria; quae tamen patitur exceptionem quantum ad distributionem communionis, de qua statim.

59 2. *Utrum sit pro sacerdote aut diacono peccatum grave administrare in statu peccati mortalis sacram communionem?*

Non concordant theologi. S. Alphonsus[7], Billuart[8] et complures alii putant hoc esse peccatum mortale. Cui sententiae favet Catechismus Romanus dicens: «Quodsi homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur?»[9] Verum Lugo[10], Sporer[11], pluresque alii citati a S. Alphonso[12],

---

[1] Cf. Cat. Rom. P. 2, c. 1, q. 17; Rit. Rom., de sacr. in gen. n. 4.
[2] Conc. Trid. sess. 13, c. 7 (*Denz.* n. 880). [3] L. c. n. 35.
[4] De sacr. in gen. diss. 5, a. 4 Consectaria; et de pecc. diss. 2, a. 4.
[5] De sacr. in gen. n. 32. [6] Theol. mor. II, n. 47.
[7] Theol. mor. l. 6, n. 35. [8] De sacr. in gen. diss. 5, a 4 Consectaria.
[9] Pars 2, c. 1, q. 17. [10] De sacr. in gen. disp. 8, n. 155.
[11] Theol. mor. P. 1, c. 3, n. 172. [12] L. c.

et inter modernos Lehmkuhl[1], Noldin[2], Haine[3], Génicot[4], Göpfert[5] putant probabiliter non adesse peccatum mortale, quia in illo actu minister non causat instrumentaliter gratiam sanctificantem, quippe quae non producatur per porrectionem hostiae consecratae, sed per eius manducationem. Aliunde eucharistiam distribuens non est necessario persona sacra; antiquis enim temporibus laici eam secum asportabant domum atque eam dabant sibi et aliis in casu necessitatis. — Ex dictis patet hanc secundam et benignam sententiam esse probabilem cum extrinsece tum intrinsece. Nihilominus cum a) certo sit valde indecens, quod sacerdos exsistens per suum peccatum mortale membrum diaboli tangat in eucharistia sanctissimum Christi corpus, neque b) habeamus fideles trutinas, quibus malitiae gradus ponderentur, talis infelix peccator ne audeat eucharistiam distribuere, antequam per sacramentalem absolutionem aut saltem per contritionem perfectam recuperavit statum gratiae sanctificantis. — Omnes fere auctores (etiam defensores primae sententiae) affirmant, in statu peccati mortalis exsistentem ministrum, si distribuat successive pluribus s. communionem, non committere nisi *unum* peccatum, quia adest tunc tantum unum convivium.

Illi, qui admittunt secundam sententiam, inde logice deducunt diaconum portantem aut tangentem ss. eucharistiam, pariter diaconum subdiaconumve et a fortiori ministros minores ministrantes in Missa sollemni aliisque functionibus sacris non peccare mortaliter, si exsistant in statu peccati mortalis. Posset S. Thomas videri contrarius huic doctrinae, cum doceat: «Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indigne illud faciat: unde patet quod mortaliter peccat.»[6] Sed Sanctus Doctor in Summa theologica, ubi plures opiniones retractavit, quas in commentariis sustinuit, nihil habet de hac re. Deinde sacrum officium non potest sumi in lato sensu; secus etiam ostiarius aperiens portam vel acolythus portans cereum peccaret mortaliter, si non esset in statu gratiae, quod videtur prorsus improbabile. Ergo Angelicus Doctor vel sumpsit officium pro sacramento, vel intellexit «peccatum mortale»: peccatum mortale *notorium*, ita ut scandalum inde oriatur.

Hodie communius docetur, diaconum et subdiaconum suas functiones obeuntes in statu peccati mortalis non peccare mortaliter, nisi tamen accedat gravis contemptus, qui satis facile adest, si illi frequenter vel ex consuetudine eas functiones in mortali exerceant.

Concionatorem, qui in mortali sermonem sacrum habet, non peccare mortaliter communior est sententia, neque contradicit S. Thomas[7]. Idem dicendum est de aliis sacris functionibus, quae a clericis peragi debent, ut sunt consecratio ecclesiae, vasorum; benedictiones etiam cum sacramento etc.[8]

Scholion. De immunitate a censuris et irregularitate. Ad licitam 60
sacramentorum administrationem requiritur praeterea: a) debita iurisdictio vel licentia; b) immunitas a censuris et irregularitate. Sacramenta autem absque his conditionibus administrata valida sunt (excepta poenitentia in quibusdam casibus et matrimonio). De quibus omnibus amplior doctrina habebitur infra in tractatu de singulis sacramentis, de censuris et irregularitatibus.

---

[1] Theol. mor. II, n. 43. [2] De sacr. in gen. n. 32. [3] De sacr. in gen. q. 25.
[4] Theol. mor. II, n. 115. [5] Moraltheol. III 14.
[6] 4, dist. 24, a. 3, sol. 5. [7] 4, dist. 19, q. 2, a. 2 ad 2.
[8] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 38—41.

ARTICULUS III.

De attentione ministri.

61 Attentio solet distingui duplex: altera interna, altera externa. Attentio *interna* est applicatio mentis ad ea, quae aguntur. Attentio *externa* est partim quid negativum, scil. est absentia cuiusvis actionis externae, quae est incompatibilis cum attentione interna, et partim quid positivum, in quantum causat, ut opus externum revera fiat. De attentione latius tractatum est supra II, n. 354.

1. Ad *validam* sacramentorum administrationem nulla requiritur attentio interna, sed sufficit et requiritur *attentio externa*.

Ita omnes, excepto Lacroix, cuius sententiam S. Alphonsus [1] minime probabilem vocat. Ratio autem est, quia, exsistente externa, licet deficiente omni interna attentione actio administrativa sacramentorum *vi intentionis praehabitae* remanet vere humana. Porro ad validam sacramentorum administrationem sufficit, ut actus sit vere humanus et ex persona Christi perficiatur, ut supra habitum est. Ergo validum est sacramentum collatum, quoties super validam materiam vere pronuntiavit formam necessariam minister, licet fuerit voluntarie distractus.

2. Ad *licitam* sacramentorum administrationem requiritur attentio interna excludens omnem voluntariam divagationem mentis.

Reverentia enim sacramentis debita ita exigit, ut per se patet. Unde minister voluntarie distractus durante administratione sacramentorum committit peccatum, quod tamen culpam venialem non excedit, nisi inde oriatur verum periculum errandi in iis, quae pertinent ad essentiam sacramenti. Sin autem sacerdos durante ipsa consecratione in Missa esset prorsus voluntarie distractus, tunc propter magnam irreverentiam commissam contra Christum in ipso momento, quo miraculose descendit inter manus consecrantis, iuxta complures auctores adesset peccatum mortale; quod tamen ab aliis negatur [2].

ARTICULUS IV.

De intentione ministri.

62 **Notio.** «Intentio idem est quod voluntas ratiocinata prout dirigitur in finem.» Ita optime dicit S. Bonaventura [3]; intendere enim est actus voluntatis in ordine ad rationem [4]. Est igitur differentia inter velle et intendere: «velle tendit in finem *absolute*» [5]; intendere autem appetit finem per media apte ordinata. In sacramentis minister debet mediante signo sensibili intendere saltem id, quod facit Ecclesia, ut infra n. 65 dicetur.

Divisiones. Intentio solet distingui multiplex cum *ratione subiecti* tum *ratione obiecti*.

63 **Ratione subiecti** distinguitur intentio actualis, virtualis, habitualis, interpretativa.

---

[1] L. c. n. 14. [2] Cf. *S. Alph.* l. c. [3] 4, dist. 6, P. 2, a. 2, q. 2.
[4] *S. Thom.*, De verit. q. 22, a. 13. [5] Ib.

1. *Actualis* ea dicitur intentio, quae hic et nunc elicitur. Potest subdividi in *reflexam* et simpliciter *directam.* Reflexa adest intentio actualis, quando homo non tantum actualiter vult aliquid, sed etiam scit se illud hic et nunc velle. Sin autem ista scientia reflexa deest, habetur intentio actualis simpliciter directa. E. g. qui baptizat et advertit ad baptismum, habet intentionem actualem simpliciter directam; qui autem insuper reflexe cogitat se nunc velle baptizare, habet intentionem actualem reflexam.

2. *Virtualis* ea dicitur intentio, quae antea habita ut actualis, deinde numquam retractata est et nunc, etsi non de novo elicita immo nec percepta, tamen adhuc influit in opus perficiendum. E. g. sacerdos, qui vadit ad audiendas confessiones cum intentione absolvendi omnes poenitentes rite dispositos, si postea iam non advertit ad istam intentionem et cum distractionibus verba absolutionis profert, habet intentionem virtualem absolvendi. — Ad ambiguitates evitandas numquam potest nimis prae oculis haberi, veteres auctores non semel promiscue sumere intentionem habitualem et virtualem. Sic e. g. S. Thomas[1] dicit: «Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, puta cum sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, *ex virtute* primae intentionis perficitur sacramentum.» In exemplo ab Angelico Doctore allato manifeste habetur intentio virtualis et non habitualis[2] in sensu modernorum.

3. *Habitualis* proprie est illa intentio, quae aliquando quidem habita et numquam retractata fuit, sed iam nullo modo in opus *positive* influit. E. g. aliquis iustus habens habitum orandi orat in somno ex intentione habituali; vel aliquis iustus peccans venialiter ordinat hunc actum habitualiter in Deum, quia habitus caritatis exsistens in iusto omnia refert in Deum. Attamen est absurdum dicere habitum caritatis influere actualiter vel virtualiter in peccatum veniale illudque sic referre in Deum.

4. *Interpretativa* vocatur illa intentio, quae nec est nunc nec antea fuit, quae tamen, ut praesumitur ex claris indiciis, adesset, si homo hic et nunc attenderet aut attendere posset[3]. E. g. aliquis Protestans moribundus et sensibus destitutus, qui recte vixit et in bona fide fuit, censetur habere intentionem interpretativam suscipiendi absolutionem sacramentalem, ac proinde tuta conscientia confessarius potest illum absolvere (saltem condicionate). — Ut postea latius explicabitur: ad sacramenta *suscipienda* (saltem in casu necessitatis) sufficit quaelibet ex istis quattuor intentionibus; ad sacramenta vero *administranda* non sufficit neque interpretativa neque habitualis intentio, sed requiritur actualis aut saltem virtualis. Ratio autem est, quia ad aliquid *recipiendum vel patiendum* non solet requiri tantus actus voluntatis quantus ad aliquid *agendum et positive producendum.* Iamvero in susceptione sacramentorum homo est potius suscipiens et patiens; in administratione vero est potius causans ac (instrumentaliter) producens gratiam.

Breviter enuntiari potest differentia inter quattuor intentiones enumeratas hoc modo:

[1] S. theol. 3, q. 64, a. 8 ad 3.

[2] Cf. *Billuart,* De sacr. in gen. diss. 5, a. 7, § 3.

[3] Nonnulli theologi, ut Suarez (in III, disp. 13, s. 3, n. 2), Sylvius (in III, q. 64, a. 8, concl. 5), Lugo (de sacr. in genere disp. 8, n. 73) intentionem interpretativam aequiparant voluntario indirecto.

Intentio actualis adest et influit in opus *cum advertentia agentis.*
Intentio virtualis adest et influit in opus *sine advertentia agentis.*
Intentio habitualis adfuit sed iam nullum influxum in opus exercet, *in quantum est actus humanus.*
Intentio interpretativa neque adfuit neque adest neque influit in opus.

64 **Ratione obiecti** voliti intentio dividi potest:

a) in *claram* et *confusam,* prout obiectum intentum clare vel confuse obversatur menti.

E. g. qui intendit baptizare clare sciens essentiam et effectus baptismi, habet intentionem claram; Iudaeus autem baptizans, qui solum intendit facere quod facit Ecclesia, quin praecise cognoscat effectum baptismi, habet intentionem confusam.

b) in *determinatam* et *indeterminatam,* prout obiectum undequaque limitatum intenditur aut voluntas fertur in obiectum vago tantum modo designatum.

E. g. sacerdos consecrans hostiam ante se in altari positam habet intentionem determinatam; sin autem ex cumulo hostiarum vult consecrare tres tantum non specialiter designatas, habet intentionem indeterminatam (et invalide consecraret, ut infra probabitur).

c) in *explicitam* et *implicitam,* prout res clare cognita intenditur vel in se ipsa, vel in alia, quacum est coniuncta.

Sic e. g. qui libere suscipit subdiaconatum, explicite intendit suscipere ordinem, implicite autem intendit suscipere coelibatum, qui est coniunctus cum subdiaconatu.

d) in *absolutam* et *condicionatam,* prout obiectum sine ulla adiecta restrictione, vel solum sub certa restrictione aut condicione intenditur.

E. g. sacerdos, qui consecrat hostiam ante se in altari positam, habet intentionem absolutam; qui autem absolvit hominem sensibus destitutum sub condicione: «si vivis», habet intentionem condicionatam. Supra n. 22 quando sermo fuit de forma condicionata, satis dictum est de intentione absoluta et condicionata ministri sacramentorum.

Quibus praenotatis videndum est, num intentio requiratur in administratione sacramentorum et quaenam sit haec intentio.

65 **Necessitas intentionis.** *Ad valide conficienda sacramenta requiritur, ut minister habeat saltem intentionem faciendi quod facit Ecclesia.*

Quid sibi velit haec locutio «intentio faciendi quod facit Ecclesia», infra explicabitur. Doctrina autem enuntiata in propositione est de fide catholica definita contra Lutherum et Calvinum[1] in Concilio Tri-

[1] Stilo vere indecenti Calvinus in Antidoto ad can. 11 sess. 7 Concilii Tridentini haec scribit: «Parvi se facere anathemata sua ostendunt, in quibus fundendis adeo sunt prodigi. Quod de intentione consecrandi garriunt, a sophistis nulla probabili ratione fuit proditum. . . . Nam si necessaria est ministri intentio, nemo est nostrum, qui certam baptismi sui fidem facere sibi ausit. . . . Qualis erit fides, quae pendebit a secreta alterius voluntate? Et adhuc sua anathemata, hoc est suos crepitus, nobis minari porci isti non verentur, nisi mox subscribamus talibus blasphemiis. Ego vero sacrosanctae Christi institutioni tantum defero, ut, si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi

dentino[1]: «S. q. d. in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, A. S.» — Iam antea declaravit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV: «Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.»[2] Cum Protestantes communiter non agnoscant efficaciam sacramentorum ex opere operato, atque putent sacramenta esse solummodo efficacia propter fidem suscipientis, logice inde deducunt nullam prorsus intentionem ex parte ministri requiri, ac proinde sacramenta esse valida, etiamsi minister sit rationis impos aut mimice et irrisorie agat. Quam absurdus sit iste error, manifeste patet ex sequentibus. Etenim a) tunc validus esset baptismus, si quis amens e fenestra funderet situlam aquae super Iudaeum catechumenum transeuntem et simul pronuntiaret verba: «Ego te baptizo etc.»; b) tunc sacerdos legens in refectorio alta voce in capite 26 S. Matthaei verba consecrationis, consecraret omnes panes mensae appositos et omnes vini phialas.

Potest insuper doctrina catholica probari directe ex rationibus theologicis:

1. Materia et forma obiective tantum consideratae sunt adhuc *indeterminatae* significationis; possunt enim adhiberi etiam in sensu naturali aut irrisorio. Determinantur autem ad significationem supernaturalem sacramenti, quam habere debent, per intentionem ministri agentis. Ergo haec intentio est necessaria.

2. Iam supra dictum est ministrum debere agere *in persona Christi et humano modo*. Quapropter non sufficit, ut agat mere tamquam instrumentum inanimatum, e. g. tamquam machina phonographica. Porro tunc tantummodo homo agit proprie humano modo, si agit cum intentione seu propter finem determinatum[3]. — Quantum ad difficultates, quae contra doctrinam catholicam moventur ex quibusdam narratiunculis antiquis, vide Billuart[4].

Qualitas intentionis requisitae in ministro. 1. Non sufficit 66
intentio *interpretativa aut habitualis*. Ratio est, quia istae intentiones nullo modo influunt in actum administrandi, neque proinde reddunt illum actum humanum; quod tamen ad valorem administrationis requiritur[5].

2. Intentio *actualis* optima quidem est et pro viribus appetenda; ast non omnino requiritur, neque ex ipsa natura sacramenti neque ex ulla lege positiva praecipitur. Sufficit intentio *virtualis*. Ita docent

coenam ex Christi mandato et secundum regulam ab eo datam rituque legitimo administret, non dubitem panem et calicem illius manu porrectum, revera mihi esse corporis et sanguinis Christi pignora. Putidas istas naenias piget excutere, ubi dicunt: Saltem faciendi quod facit Ecclesia.»

[1] Sess. 7, c. 11 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 854). [2] *Denz.* n. 695.
[3] Cf. S. theol. 3, q. 64, a. 8. [4] De sacr. in gen. diss. 5, a. 7, § 1.
[5] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 16.

omnes auctores catholici[1]. Ratio est, quia intentio actualis revera est aliquando moraliter impossibilis. Quomodo e. g. confessarius audiens centenas confessiones potest in qualibet confessione renovare actualem intentionem administrandi sacramenti? Porro Christus impossibilia non iubet in administrandis sacramentis. Insuper ad actionem sacramentalem sufficit, ut procedat ex deliberata ministri voluntate. Iamvero exsistente virtuali intentione, actio sacramentalis est revera sufficienter deliberata. Ergo pro administratione sacramentorum non requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis[2].

3. Requiritur intentio *determinata* ad certam materiam vel personam. Sicuti enim in rebus physicis numquam res exsistere potest nisi sub determinata materia et forma, ita etiam est de re morali sacramenti. Error *accidentalis* autem, quem minister habet circa quantitatem vel qualitatem materiae, non annullat sacramentum. Itaque e. g. si sacerdos putat se consecrare unam hostiam ante se positam, revera autem sunt duae hostiae sibi invicem adhaerentes, consecratio est valida; vel si confessarius absolvit Petrum putans eum esse Paulum, valide absolvit, nisi tamen expresse intenderit Paulum absolvere et Petrum non absolutum dimittere. In praxi tutius est, ad multas ambiguitates vitandas, ut minister sacramentorum *semel pro semper* determinatas et claras intentiones sibi formet; e. g. sacerdos sibi dicat: Semper durante Missa consecrabo materiam omnem (consecrabilem), quae invenitur super altari eo fine posita, ut consecretur; pariter absolvo illos poenitentes, qui coram me confessionem rite instituunt, et parum refert, cuius nominis aut qualitatis aut sexus sint etc.

Si quis in sacramentorum administratione aut susceptione habeat duas intentiones easque insociabiles et contrarias, tunc praevalet *praedominans*, nempe ea, quae eligeretur cognita incompossibilitate. E. g. si quis Protestans contraheret matrimonium, intendens illud esse solubile, idque tali animo, quod, si sciret, illud esse insolubile, non contraheret, tunc nullum esset matrimonium saltem in foro interno; nam in foro externo talis intentio deberet prius clare probari[3]. Sin autem etiam cognita insolubilitate nihilominus contraxisset, validum est matrimonium. — Si inter intentiones contrarias una *succedat* alteri, posterior solet valere, nisi tamen prior intentio annullaverit inde ab initio omnem aliam intentionem subsequentem; nam tunc non posterior sed prior intentio praevalet.

Successio intentionum insociabilium circa eandem materiam sacramenti non ita facile accidit, nisi apud homines scrupulosos; multo facilius evenire potest in alia re, quae aliquatenus cum sacramentis coniuncta est, scil. in *applicatione Missae;* e. g. sacerdos, qui ante hebdomadam proposuit hodie dicere Missam iuxta determinatam intentionem, immemor istius intentionis applicat Missam pro alio fine. Ad evitandas multas difficultates in praxi quilibet sacerdos sibi proponat regulam generalem, iuxta quam suas applicationes

[1] Cf. *S. Alph*, Theol. mor. l. 6, n. 18.
[2] Cf *S. Thom.*, S. theol. l. c., et *S. Alph.* l. c.
[3] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 24.

Missarum ordinare intendit, e. g. semper volo adimplere priorem intentionem, nisi sit expresse revocata (cf. infra n. 245).

4. Requiritur intentio *interna* et non sufficit intentio externa. Cum iuxta definitionem Concilii Tridentini supra allatam minister sacramenti omnino teneatur habere saltem intentionem faciendi quod facit Ecclesia, theologi acerrime inde a saeculis disputaverunt, quousque se extendat ista intentio. Recte enim dicit Billuart[1] plura posse spectari in eo, quod facit Ecclesia: a) ipse ritus externus praecise et materialiter sumptus; b) ritus ut *habetur ab Ecclesia tamquam sacer,* abstrahendo, num Ecclesia in tali acceptione erret necne; c) ritus *ut est absolute in se sacer* et verum sacramentum; d) ritus ut producit gratiam vel etiam characterem. — Communiter hodierni theologi admittunt, ad validitatem sacramenti non requiri intentionem tertii et quarti modi. Sed est controversia, num intentio solius primi modi sufficiat necne. Haec prima intentio per metonymiam vocata est *externa,* non quia ipsa revera esset externa — hoc est omnino impossibile, cum omnis intentio sit actus interior voluntatis —, sed quia extendit se ad solum ritum externum et physicum sacramenti, scil. ad solam applicationem externam formae ad materiam. Nonnulli theologi catholici docuerunt, hanc externam intentionem esse sufficientem; sic enim homo est magis certus de sacramento valide administrato.

Controversia de intentione interna vel externa. Ambrosius Catharinus 67
(1487—1553) non raro vocatur primus auctor, qui docuerit externam intentionem sufficere; sed hoc est omnino falsum. Iam Rolandus Bandinellus (postea Alexander III, saec. XII) hanc sententiam docuit dicens: «Erit verum baptisma et ratum, sive intentionem habeat, qui baptizat, sive non, dummodo illud in forma Ecclesiae tradatur.»[2] Eandem sententiam docuit Robertus Pullus († c. 1150) in libro V Sententiarum[3]. S. Thomas, etsi ipse requirit intentionem internam, cognoscit opinionem contrariam: «Alii dicunt, quod in baptismo et in aliis sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta; et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.»[4] Sententiam istam Innocentius IV (saec. XIII) in Commentariis[5] (quos edidit non ut Summus Pontifex, sed ut homo privatus) satis dure expressit his verbis: «Non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quae baptizat, quis baptizatus et unde sit; nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, immo si contrarium gereret in mente, scil. non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.»[6] Propter auctoritatem S. Thomae aliorumque magnorum scholasticorum sententia de intentione externa per complura saecula quasi sepulta erat, usquedum tempore Concilii Tridentini illam resuscitaverunt Ambrosius Catharinus O. Pr. et Alphonsus S. J., quos postea sequebantur Contenson,

---

[1] De sacr. in gen. diss. 5, a. 7, § 2.
[2] Cf. *Gietl,* Die Sentenzen Rolands 206.
[3] Apud *Migne,* Patr. lat. 186, 841 sq.
[4] 4, dist. 6, q. 1, a. 2 ad 2.
[5] Super Libr. Decretal. 3, tit. 42, c. 1.
[6] Cf. *Pourrat,* La théol. sacr. 345; *Fr. Morgott,* Der Spender der hl. Sakramente n. 76.

Natalis Alexander, Juénin, Serry, Drouven, Milante, Stattler, Dobmayer, Oswald, Glossner aliique [1].

Quidam auctores [2] insinuaverunt istam opinionem esse proscriptam cum a Concilio Tridentino tum praesertim ab Alexandro VIII, qui damnavit propositionem: «Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.» [3] Qua damnatione, inquit Benedictus XIV [4], «negari non potest grave vulnus praefatae opinioni inflictum». Sed nihilominus idem Benedictus XIV merito eodem loco dicit: «Melioris iudicii theologi Catharini opinionem ab haeresis censura vindicant, latumque inter illam ac Lutheri et Calvini doctrinam discrimen intercedere demonstrant. . . . Non est episcopi priorem [i. e. Catharini] opinionem reprobare.» Tantum abest ut sententia de intentione externa sit damnata, ut econtra haud parvum pondus acquisierit per Constitutionem Leonis XIII de ordinationibus Anglicanis [5]. En verba Summi Pontificis: «De mente vel intentione utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat; at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero *cum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse, quod facit Ecclesia.* Quo sane principio innititur doctrina, quae tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur.» — Ambrosii Catharini doctrina non videtur in praxi multum differre ab his verbis Summi Pontificis.

68 Sed nihilominus praeter ritum externum et internam intentionem serio peragendi hunc ritum, adhuc requiritur intentio peragendi istum ritum, *in quantum sacer habetur a vera Ecclesia.* Etenim:

1. Inde a temporibus Guillelmi Antisiodorensis, qui primus videtur adhibuisse formulam «intentio faciendi quod facit Ecclesia», cum theologi meliores omnes, tum Summi Pontifices, tum Concilia oecumenica exigunt ad valorem sacramenti, ut praeter materiam et formam adsit intentio ministri faciendi quod facit Ecclesia. Ergo non sufficit pura intentio externa, quae nihil aliud est ac voluntaria applicatio formae ad materiam.

2. Minister sacramentorum debet agere humano modo et tamquam *mandatarius Christi.* Ergo requiritur, ut deliberate velit agere in persona Christi, seu ut velit applicare formam ad materiam perficiendo ritum, quem Ecclesia habet sacrum. Non sufficit ergo sola intentio externa.

Haec sufficiant de ista controversia circa intentionem externam vel internam. Qui plura cupit, adeat Billuart [6], qui clare, profuse et profunde hanc quaestionem tractat [7]. Ceterum in praxi nobis videtur esse haud ita magna dif-

[1] Cf. *Hurter*, Theol. dogm. III, n. 294; *Fr. Morgott* l. c. n. 98 sqq.

[2] Sic e. g. *Chr. Pesch* (Prael. dogm. VI, n. 280) non recte dicit: «Historice constat non quidem Catharini sed Farvacquesii fuisse propositionem damnatam, qui erat propugnator sententiae Catharini.»

[3] *Denz.* n. 1318. [4] De syn. dioec. l. 7, c. 4, n. 8.

[5] Die 13 Sept. 1896 (Collect. de Prop. Fide n. 1954, p. 345).

[6] De sacr. in gen. diss. 5, a. 5.

[7] Cf. etiam *Schanz*, Die Lehre v. d. Sakr. I, § 11, ubi clare ista controversia exponitur, vel *Fr. Morgott*, Der Spender d. hl. Sakramente 105 sqq.

ferentia inter utramque sententiam rite explicatam. Disputationes videntur potius ortae ex subobscure explicato quaestionis puncto.

Nota pro praxi: 69

a) Aliud est intentio faciendi quod *facit* Ecclesia, et aliud faciendi quod *intendit* Ecclesia. Facit enim Ecclesia externum ritum *sacrum* a Christo institutum; intendit autem, ut mediante hoc ritu conferatur gratia. Ad valorem sacramenti minime requiritur, ut minister intendat collationem gratiae. Ita omnes.

b) Aliud est *velle serio facere* ritum, quem Ecclesia christiana ut sacrum habet, et aliud est *ipse credere* istum ritum esse revera sacrum. Sic e. g. Iudaeus baptizans potest habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia christiana, etiamsi interius cogitat hanc Ecclesiam errare et ritum exhibitum esse prorsus inefficacem. Nihilominus iste baptismus est validus, dummodo debita materia et forma adhibitae sint. Quod constat ex praxi Ecclesiae, quae numquam baptismum iteravit ob eam solam rationem, quod ab haeriticis aut infidelibus fuerit collatus[1]. Quare S. Thomas dicit: «Quamvis ille, qui non credit baptismum esse sacramentum aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi reputet illud nihil esse; et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite.»[2]

c) Pariter non est necessarium, ut minister habeat intentionem faciendi id quod facit Ecclesia *catholica*, dummodo intendat facere, quod facit Ecclesia ab illo christiana putata. Sic baptismata collata a ministris protestantibus, qui putant Ecclesiam catholicam esse falsam, non sunt eo ipso propter hunc errorem invalida. Sin autem isti ministri (vel etiam quicumque alii) sunt prorsus increduli negantes divinitatem Christi, immo et exsistentiam Dei personalis, tunc baptismus ab ipsis collatus valde dubie est validus. Etenim quomodo tales ministri possunt serio et cum vera intentione faciendi quod facit Ecclesia baptizare, quoniam negant Christi divinitatem, immo et Ecclesiam ab illo institutam? Quare timendum est, ne ex hoc capite innumera baptismata sint irrita, saltem si sententia de externae intentionis sufficientia non est vera. Si enim externa intentio sufficiat, tunc omnia illa baptismata sunt valida, quia adhibentur debita forma et materia. In praxi omnes ita baptizati redeuntes ad gremium Ecclesiae rebaptizandi sunt sub conditione.

ARTICULUS V.

De modo et ritu conferendi sacramenta.

Cum sacramenta sint res sanctissimae, Ecclesia complura praecepta 70
in Rituali dedit ad dignam eorum administrationem. Ergo extra casum gravis necessitatis non licet sacramenta administrare praetermissis ru-

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 22. [2] 4, dist. 6, q. 1, a. 3, sol. 2 ad 1.

bricis praescriptis a Rituali. Quare Concilium Tridentinum[1] definivit: «S. q. d. receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae pastorem mutari posse, A. S.» Communiter adhibendum est Rituale Romanum; sunt tamen adhuc complures Ecclesiae, quae ex privilegio Apostolico utuntur proprio Rituali.

Rubricae Ritualis non omnes pari modo obligant; et idem dicendum est de aliis libris liturgicis. Solent enim distingui rubricae *essentiales*, quae versantur circa ipsam essentiam sacramenti, scil. circa applicationem formae ad materiam, et *accidentales*, quae potius respiciunt decentem quam validam administrationem. Solent etiam distingui rubricae *praeceptivae*, quae directe obligant in conscientia, et *directivae*, quae potius consilia seu directiones continent. Quamvis haec ultima distinctio communissime ab auctoribus afferatur, tamen saepe est valde difficile, immo et impossibile discernere, quaenam rubricae sint praeceptivae et quaenam tantum directivae. Tamquam criteria haberi possunt consensus auctorum et decisiones S. Congr. Rituum. Generatim dici potest omnes rubricas habere rationem legis positivae, ac proinde graviter vel leviter obligare in conscientia pro earum gravitate materiae. Sicuti autem quaelibet lex positiva non obligat cum magno incommodo, ita nec etiam obligant rubricae (si sunt accidentales) in administratione sacramentorum praescriptae, si inde magnum incommodum oriatur. Sacerdotes autem sedulo conentur in administratione sacramentorum fideliter et digne rubricas observare; hoc enim multum inservit ad aedificationem fidelium, sicuti etiam neglectus istarum rubricarum facile causare potest grave scandalum.

71 **Nota.** Sacerdotes, qui ex privilegio utuntur speciali Rituali, ut est in aliquibus dioecesibus et ordinibus religiosis, nihilominus possunt ex rationabili causa sequi Rituale Romanum, nisi hoc sit specialissime prohibitum. Ratio est, quia Ecclesia aliqualiter desiderat, ut ubique terrarum Ritus Romanus observetur; unde adest adagium: Semper bonum est imitari Ecclesiam Romanam. Si pro aliqua dioecesi vel regione speciale Rituale est legitime approbatum, extranei quoque sacerdotes possunt in administratione sacramentorum uti hoc Rituali; privilegio enim locali uti possunt peregrini.

ARTICULUS VI.

De obligatione dandi aut denegandi sacramenta.

§ 1.

De sacramentis dandis.

Obligatio sacramenta administrandi oritur a) *ex iustitia* vel b) *ex caritate*.

72 **Principium 1.** *Ii, quibus cura animarum vi muneris incumbit, tenentur ex iustitia administrare sacramenta subditis suis rationabiliter petentibus.*

[1] Sess. 7, can. 13 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 856); cf. quoque Cod. iur. can. c. 733.

Ratio est, quia suscipiendo munus isti pastores inierunt quasi-contractum sedulo procurandi salutem spiritualem subditorum. Porro ad salutem spiritualem habendam sacramenta sunt media valde excellentia et necessaria. Munus curae animarum ex officio respectu suorum subditorum incumbit episcopis, parochis, viceparochis et superioribus regularium, non autem simplicibus sacerdotibus aut etiam cooperatoribus parochorum. — Dicitur autem: *rationabiliter petentibus.* Etenim quotiescumque pastoribus animarum certo gravius incommodum oritur ex administrato quam fidelibus ex denegato sacramento, tunc nulla est obligatio (saltem gravis) acquiescendi petitioni fidelium. Secus adest obligatio administrandi sacramenta, quae eo gravior est, quo gravius damnum emergit fidelibus ex sacramentis denegatis. Si haec tamquam regula generalis prae oculis habentur, facile intelliguntur sequentia.

Resolutiones: 1. Pastor animarum non peccat, si denegat aliquando 73
sacramentum poenitentiae scrupulosis aliisque importune petentibus. Ratio est, quia ex ista denegatione vel nullum vel modicum contingit damnum spirituale petentibus; exsurgeret autem magnum incommodum pastori, si semper deberet huiusmodi petitionibus parum fundatis acquiescere.

2. Peccat pastor animarum, qui se morosum et difficilem exhibet in sacramentis administrandis; qui non libenter visitat infirmos iis sacramenta administraturus; qui non vult confessiones suscipere nisi fixis diebus. Ratio est, quia fideles rationabiliter possunt esse inviti contra tales agendi modos. Accedit, quod tunc fervor in sacramentis suscipiendis paulatim evanescit cum magno damno fidelium.

3. Pastor animarum non peccat, si non per se ipsum, sed per idoneos vicarios sacramenta administrat, dummodo tamen inde scandalum ne oriatur et adsit consensus saltem tacitus superioris. Ratio patet, quia tunc fidelibus nullum damnum spirituale obvenit.

4. Pastor animarum tenetur etiam cum periculo vitae aliisve magnis incommodis temporalibus sacramenta administrare fidelibus *in extrema necessitate spirituali* versantibus. E. g. tenetur tempore pestis aliusve morbi contagiosi administrare sacramentum baptismi vel poenitentiae etiam cum periculo vitae, iuxta illud: «Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.»[1] Idem valet de administratione extremae unctionis, si tamen aegrotus sacramentum poenitentiae certo suscipere nequit.

5. Acriter disputant auctores, num in iisdem circumstantiis parochus teneatur cum periculo vitae administrare *viaticum.* Sententia affirmativa est verior saltem in praxi, quidquid est de theoretica probabilitate sententiae negativae. Nam fideles graviter scandalizarentur, si tempore morbi contagiosi parochus nollet administrare moribundis viaticum. — Gregorius XIII die 26 Oct. 1576 rescripsit parochum debere *omnino* administrare baptismum et poenitentiam; ac ita modificat decisionem S. Congr. Concilii quindecim diebus antea emanatam, in qua statuebatur parochos tempore pestis teneri parochianis suis peste laborantibus ministrare *dumtaxat* duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum et poenitentiam[2].

---

[1] Io 10, 11.

[2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 233. Late tractat de hac controversia *Benedictus XIV,* De syn. dioec. l. 13, c. 19.

6. Tempore pestis aliusve morbi contagiosi parochus potest et debet adhibere congruas cautiones, ne ipse inficiatur morbo, e. g. tradendo communionem mediante cochleari deaurato vel faciendo unctiones mediante aliqua virga, in cuius extremitate adest modicum bombycis. Benedictus XIV per decretum S. Officii 11 Iunii 1754 hoc permisit, sed vehementer hortatus est Vicarium apostolicum Algeriae, ut durante peste procuraret administrationem eucharistiae et extremae unctionis [1]. Merito autem scribit Lehmkuhl [2]: «Nimius timor nimiaque cautela sive parochi sive aliorum sacerdotum vere reprehensibilis est, siquidem fideles tantum metum videntes scandalum potius quam aedificationem capturi sunt. Fiducia in Deum et remedia cum sobria prudentia adhibita periculum satis removebunt. S. Carolus Borromaeus heroicum plane exemplum dedit caritatis, cum ipse Mediolanensis archiepiscopus, tempore pestis, in ministrandis sacramentis praeiret, immo ad aegrotos in nosocomiis decumbentes accederet, ut non necessaria tantum sacramenta, sed ipsam etiam confirmationem conferret.»

74 **Principium 2.** *Qui vi muneris non sunt pastores animarum, ex caritate obligantur sacramenta administrare rationabiliter petentibus; quae quidem obligatio est gravis, si ex denegata administratione oriatur grave scandalum aut magnum damnum spirituale pro fidelibus.*

Per se patet sacerdotes, qui non sunt ex officio pastores animarum, non tam stricte obligari ad sacramenta administranda, sicut pastores. Nihilominus scandalum vitandum vel ordo caritatis servandus etiam iis obligationem istam imponere potest. Et primo quidem *scandalum vitandum;* etenim haud parvum scandalum oritur, si sacerdos recusat sacramentum rationabiliter petenti; e. g. si confessarius sedens in confessionali recusaret audire confessionem alicuius hominis pauperis, cum admitteret complures divites. — *Deinde ordo caritatis* exigit, ut succurramus proximo in necessitate degenti. Qui si degit in *extrema* necessitate spirituali, etiam cum periculo vitae corporalis sacerdos debet administrare sacramenta necessaria ad salutem. Per se patet hanc obligationem non exsistere, si alius sacerdos adest, qui potest et vult sacramentum administrare. Itaque e. g. simplex sacerdos debet sub gravi dare absolutionem moribundo peccatori rite disposito, si non adest alius confessarius volens aut potens audire confessionem. — Sin autem proximus degit in *gravi necessitate* spirituali, sacerdos tenetur etiam cum notabili incommodo corporali administrare sacramenta. Unde e. g. confessarius tenetur etiam cum aliquali defatigatione audire confessiones, si secus poenitentes debent per notabile tempus in statu peccati mortalis permanere. — In *levi aut communi necessitate* proximi non quidem adest stricta obligatio illi administrandi sacramenta, verumtamen nihilominus sacerdos ne se praebeat difficilem in sacramentis administrandis nisi necessitate aut saltem rationabili causa id flagitante. Econtra sit semper paratus ad praebendum fidelibus tam efficacia media salutis aeternae.

---

[1] Collect. de Prop. Fide n. 596 nota.
[2] Theol. mor. II, n. 51.

§ 2.

De sacramentis negandis.

Quantum ad denegationem sacramentorum ponuntur duo principia generalia et deinde subiunguntur quaedam applicationes particulares pro singulis sacramentis, omissis omnibus iis theoreticis hypothesibus, quae hodie non iam sunt practicae.

Principium 1. *Numquam licet administrare aliquod sacramentum subiecto* **incapaci,** *ita ut sacramentum non tantum illicitum, sed etiam prorsus invalidum sit.* 75

Ratio est, quia talis administratio est intrinsecus mala utpote pessimus abusus rei sacratissimae. Est enim grave sacrilegium directe procuratum. Hinc etiam ad evitandam mortem minister non potest e. g. conferre ordines sacros mulieri, confirmationem aliaque sacramenta alicui non baptizato, dare absolutionem sacramentalem alicui, qui certe non habet sufficientem attritionem etc. Licet autem sacerdos non sit proprius minister sacramenti matrimonii, tamen numquam potest assistere alicui matrimonio, quod certe est nullum, e. g. ob impedimentum ligaminis.

Principium 2. *Non licet administrare aliquod sacramentum subiecto* **indigno** *nisi ex gravissima causa.* 76

Ratio est, quia minister ex triplici titulo tenetur denegare sacramenta subiecto indigno, memor illius praecepti: «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos» [1], scil. a) *ex virtute religionis,* quae prohibet, ne res sacra qualis est sacramentum irreverentiose tractetur; b) *ex fidelitate,* cum ministro non sit concreditum munus administrandi sacramenta nisi tamquam dispensatori fideli et mandatario Christi, non autem tamquam domino absoluto, qui potest facere, quidquid vult; c) *ex caritate,* quia ex indigna administratione causatur magnum damnum cum suscipienti, qui committit grave sacrilegium, tum societati christianae, quae inde (saltem aliquando) grande scandalum patitur. — *Indignus* dicitur ille, cui deest aliqua dispositio essentialiter requisita ad liceitatem sacramenti, scil. vel scientia necessaria vel status gratiae sanctificantis requisitus pro licita susceptione sacramentorum vivorum. Ob defectum aliqualis saltem cognitionis mysteriorum Trinitatis et Incarnationis non licet administrare adulto sacramentum baptismi [2], ut iam supra dictum est I, n. 490. — Dicitur: *nisi ex gravissima causa.* Ratio est, quia licet cooperari materialiter ad peccatum alterius, si adest gravis causa. Iamvero administrare indigno aliquod sacramentum ex gravi causa videtur non esse nisi *materialis* cooperatio ad peccatum suscipientis sacramentum. Etenim ex sola malitia suscipientis provenit, quod actio ministri, quae in se est bona, evadat mala. Quod quidem confirmatur ex exemplo ipsius Christi, qui iuxta communem interpretationem veterum exegetarum contulit

[1] Mt 7, 6. [2] Cf. S. Offic. d. 25 Ian. 1703.

Iudae Iscariotae indignissimo sacramenta eucharistiae et ordinis[1]. Christi actio est nostra instructio; ideoque dicit Angelicus Doctor[2]: «Ideo Christus Iudam non repulit a communione, ut daret exemplum tales peccatores non esse ab aliis sacerdotibus expellendos.»

77 **Causae,** ex quibus licitum est dare indignis sacramenta, sunt:

1. *Ne violetur sigillum sacramentale.*

Ita omnes docent nostris temporibus. Opinati sunt quidam veteres auctores, confessarium posse sacramentum negare ob crimen in confessione auditum sub praetextu aliarum causarum[3], sed haec sententia iam non est practice tuta, cum reddat confessionem odiosam et inducat laesionem sigilli sacramentalis. Ceterum S. Officium d. 18 Nov. 1682[4] similem sententiam proscripsit. Quare e. g. confessarius tenetur communionem dare poenitenti exigenti, quem immediate ante inabsolutum dimisit ob eius indispositionem.

2. *Ne ipse, qui petit indigne sacramentum, incurrat gravissimam infamiam ex divulgatione criminis occulti.*

Hinc e. g. parochus non potest excludere a celebratione matrimonii Paulum, quem occulte scit fornicatum et nondum confessum esse. Ratio autem est, quia parochus ita agendo illicite diffamaret Paulum. Nec potest obici: inter duo mala esse eligendum minus et diffamationem peccatoris esse minus malum quam sacrilegam susceptionem sacramenti. Nam «licet peius sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi quam infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi peius est peccare mortaliter infamando iniuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato.»[5] Vel breviter: Non sunt facienda mala, ut veniant bona.

3. *Ne oriatur grave scandalum fidelium,* qui, si causam negationis ignorarent, a sacramentis arcerentur, cum sibi etiam repulsam timerent[6].

Iste casus raro accidere potest nostris diebus, nam aut agitur de publico peccatore, et tunc non potest oriri verum et fundatum scandalum ob denegatum sacramentum, aut agitur de peccatore occulto, et tunc publice petenti non licet negare sacramentum, ut infra dicetur.

78 **Scholion.** Veteres modernique auctores multum disputant, utrum *periculum mortis* simileve malum imminens sacerdoti sit ratio sufficiens dandi sacramentum indigno. Quidquid est de theoretica probabilitate sententiae affirmantis aut negantis, iste casus hodie vix est possibilis. Etenim in sacramentis matrimonii et poenitentiae iste casus occurrere nequit: Non in matrimonio, quia sacerdos non est minister huius sacramenti et non prohibetur aliquando passive assistere matrimonio publici peccatoris, ut infra dicetur. Non in poenitentia, quia homo iniuste minitans mortem aliudve grave damnum confessario non solum indigne, sed *invalide* susciperet sacramentum.

---

[1] Complures, praesertim moderni exegetae putant Iudam non recepisse s. communionem sed exiisse post Pascha sumptum. Cf. *Knabenbauer* in Comm. super Matth. c. 26.

[2] S. theol. 3, q. 81, a. 2 ad 2.

[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 51 et 658. Textus, qui ex *S. Thoma* (4, dist. 9, q. unic., a. 5, sol. 1) affertur pro hac sententia, non est ita clarus. Ceterum manifeste docet contrarium Angelicus Doctor in S. theol. 3, q. 80, a. 6 dicens: «Si vero non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest iis petentibus sacra communio denegari.»

[4] *Denz.* n. 1220. [5] S. theol. 3, q. 80, a. 6 ad 2.

[6] Ita *Noldin,* De sacr. in gen. n. 36.

Porro numquam licet administrare sacramentum incapaci, ut supra dictum est. — Pariter iste casus vix ac ne vix quidem in aliis sacramentis accidere potest. Nam si istae minae mortis aliusve mali sunt publicae, solent fieri in odium fidei aut in contemptum religionis aut cum magno scandalo populi, et tunc sacerdos deberet potius obire mortem quam cedere tali odio aut contemptui. Sin autem minae sunt occultae et peccator est occultus, tunc publicae petitioni cedendum est. Occulta autem petitio vix umquam locum habebit. S. Alphonsus [1], Petrus de Ledesma [2], Concina [3], Lehmkuhl [4] negant licere administrationem sacramenti ex metu mortis; affirmant autem Lugo [5], Sporer-Bierbaum [6], Ballerini-Palmieri [7], Génicot [8], D'Annibale [9], Noldin [10].

Regulae practicae. 1. *Sacramenta (excepto matrimonio) negari* 79 *debent: a) publico peccatori, de cuius emendatione non sufficienter constat; b) occulto peccatori occulte petenti.*

2. *Sacramenta non debent negari occulto peccatori publice petenti.*

Peccator *publicus* censetur ille, cuius crimen est scandalosum et notorium notorietate sive *iuris* sive *facti*, i. e. qui aut in publico iudicio criminis magni fuit convictus, aut in loco, ubi petit sacramenta, est ita notorie criminosus, ut a magna parte populi cognoscatur. Peccatoribus iure publicis in hac re aequiparantur haeretici aut schismatici, etiam bona fide errantes, quibus non licet sacramenta administrare nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint [11].

Peccator *occultus* habetur ille, cuius indignitas uni vel paucis hominibus discretis nota est.

Petitio sacramenti est publica, si fit in conspectu complurium; est vero occulta, si fit coram solo ministro vel coram paucis aliis, qui sacramenti negationem non percipiunt, ita ut nulla infamia inde oriatur.

Quibus praenotatis facile explicatur prima pars primae regulae. Etenim Rituale Romanum [12] statuit: «Arcendi sunt [a s. communione] publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames: ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alii eius generis publici peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint.» — Ex quibus verbis apparet publicum peccatorem, licet rite absolutum a peccatis, non posse statim admitti ad *publicam* sumptionem communionis, nisi prius scandalum datum reparaverit. Quo autem determinato modo hoc scandalum sit reparandum, oportet stabilire consideratis omnibus circumstantiis personarum et locorum. In praxi saepe praestat prius consulere episcopum de hac reparatione scandali. Cuilibet peccatori sincere emendato et rite absoluto potest *occulte* administrari s. communio. Ita saltem iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam.

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 49.
[2] Summa, de euchar. c. 12, concl. 2, dub. 3.
[3] De sacr. in gen. c 12, n. 12.
[4] Theol. mor. II, n. 59.
[5] De sacr. in gen. disp. 8, n. 181.
[6] Theol. mor. III, P. 1, c. 3, n. 188.
[7] Opus theol. IV, n. 689.
[8] Theol. mor. II, n. 122.
[9] Summula Theol. mor. III, n. 264.
[10] De sacr. in gen. n. 36.
[11] Cod. iur. can. c. 731, § 2.
[12] Tit. 4, c. 1, n. 8.

Altera pars primae regulae hoc modo a Rituali Romano[1] exprimitur: «Occultos peccatores, si occulte petant [s. communionem] et non eos emendatos agnoverit, repellat [sacerdos].» — Ratio autem utriusque partis est, quia ex hoc, quod peccatori occulte petenti aut peccatori publico denegatur sacramentum, nulla diffamatio sequitur neque aliud grave incommodum. Econtra peccator recipit salutarem monitionem, et sacramentum protegitur contra irreverentiam attentatam.

Secunda regula non solum manifeste continetur in Rituali Romano[2], sed etiam clare sequitur ex supra enumeratis causis, propter quas licet, immo oportet administrare sacramentum indignis. Ex denegatione enim sacramenti tunc sequeretur magna infamia petentis et scandalum populi.

80 **Applicationes** ad singula sacramenta. 1. De baptismo infantium, qui sunt progeniti a parentibus catholicis, non est neque difficultas neque obstaculum. Infantes autem parentum acatholicorum et praesertim Iudaeorum non sunt baptizandi (excepto articulo mortis), nisi parentes promittant omnia necessaria, ut infra n. 128 latius dicetur. Adulto nequit dari baptismus (extra articulum mortis), nisi de eius bona dispositione positive constet.

2. Confirmatio non potest conferri nisi illi, de cuius dignitate moraliter et positive constat. Solet episcopus (minister confirmationis) exigere testimonium de dignitate confirmandi hominis vel a parocho vel ab alio legitimo superiore.

3. Ad eucharistiae administrationem imprimis spectant regulae supra datae. Quod eucharistia publice petatur a publico peccatore, accidit nostris diebus praesertim in duobus casibus: a) si homo catholicus spretis legibus Ecclesiae init matrimonium mixtum atque permittit acatholicam educationem prolis. Quid faciendum sit, antequam talis homo admittatur ad sacramenta, dicetur infra in tractatu de matrimonio n. 784; b) si quis vivit in notorio concubinatu et nunc in gravi morbo versans petit viaticum. Quo in casu sacramentum non est concedendum, nisi prius scandalum sit remotum. Aegrotus igitur tenetur concubinam aut e domo eicere aut in matrimonium ducere, antequam sacramentum recipit.

4. Sacramentum poenitentiae numquam denegandum est homini rite confesso et contrito. Potest autem, immo et debet confessarius exigere, ut poenitens ea omnia praestet, quae ad sufficientem dispositionem requiruntur, et notanter praeviam remotionem scandali, occasionis proximae voluntariae et censurae forte incursae. Omni moribundo adulto baptizato (etiam haeretico), qui est sensibus destitutus, potest et debet absolutio sacramentalis dari saltem condicionate, nisi manifeste constet, eum repudiare hoc sacramentum. Ratio est, quia talis moribundus solet versari in extrema necessitate spirituali, in qua licet sacramentum administrare, etiam dubie validum.

5. Extrema unctio, cum non ministretur nisi homini in periculo vitae exsistenti, non debet negari sincere petenti (explicite aut saltem interpretative). Si tamen aegrotus est mentis compos, debet antea promittere seriam emendationem vitae aliaque necessaria secundum praecepta Ecclesiae catholicae.

6. Sacramentum ordinis iuxta sententiam veriorem numquam administrari potest indigno, quippe qui (licet occulte indignus) ab ordinibus omnino sit

[1] Tit. 4, c. 1, n. 9. [2] L. c.

arcendus[1]. Quare S. Thomas[2] docet non sufficere, quod praelatus nesciat ordinandum esse in peccato, «sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram ordinis . . . diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum». Concilium Tridentinum[3] statuit, ut praelatus possit clerico vetare ascensum ad ulteriores ordines et tunc clericus teneatur oboedire, etiamsi «ei (iste) ascensus... ex quacumque causa rationabili, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus». Ratio est, quia sacramentum ordinis indigne susceptum causat maxima damna cum ipsi clerico tum toti Ecclesiae.

7. Matrimonio publici peccatoris facilius assistere potest sacerdos, cum ipse huius sacramenti non sit minister, sed solummodo testis qualificatus. Quare ad maiora mala vitanda Ecclesia permittit, ut, servatis quibusdam cautionibus, parochus praestet assistentiam in matrimonio publici peccatoris. (Latius de hac re sermo redibit infra in tractatu de matrimonio n. 753). Pariter permittit Ecclesia, ut pars catholica ex gravissima causa matrimonium contrahat cum parte acatholica vel peccatrice.

ARTICULUS VII.

De simulatione et dissimulatione sacramentorum.

Notio simulationis. *Simulatio vel fictio sacramentorum est illicita mutatio materiae vel formae vel intentionis necessariae clam facta a ministro, ita ut sacramentum sit nullum et suscipiens in errorem inducatur.* 81

Etsi omnes theologi consentiunt, fictionem sacramenti numquam esse licitam, tamen multum laborant in definienda illa. Definitio allata videtur esse bona et completa. Sicut enim actus fictus ille dicitur, qui externe ita ponitur, ac si omnia ad valorem requisita adsint, revera autem est nullus propter essentialem defectum internum et clandestinum, ita etiam administratio sacramenti est ficta, si exterius omnia necessaria ad valorem sacramenti specietenus ponuntur, clam vero minister apponit defectum essentialem, ita ut sacramentum sit nullum et susceptor in errorem ducatur. In definitione allata dicitur autem *illicita* mutatio propter sacramentum matrimonii, in quo aliquando licet mutare materiam vel formam vel intentionem. Si quis enim ex gravi et iniusto metu cogitur ad matrimonium contrahendum, licite potest exterius exprimere quidem consensum, interius autem illum cohibere. Nam licet ex tali ficto consensu consors, qui putat se inire verum contractum matrimonii, ducatur in errorem, tamen non adest proprie dicta fictio sacramenti, sed fictio contractus matrimonialis. Iste vero modus ficte consentiendi est licitus in casu, cum quia primario attingit contractum et non sacramentum, tum quia est legitima defensio contra atrocem iniuriam metus iniuste incussi, ut infra in tractatu de matrimonio latius dicetur.

Modi. Simulatio seu fictio a ministro fieri potest tribus modis: a) si clam adhibet materiam ineptam ad sacramentum, e. g. si loco vini consecrandi poneret in calice alium liquorem prorsus similem; b) si essentialiter mutat clam formam, e. g. si confessarius pronuntiando formam absolutionis sacramentalis, voce intelligibili diceret: «Ego te absolvo a peccatis tuis»; voce 82

[1] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 52. [2] Suppl. q. 36, a. 4 ad 3.
[3] Sess. 14, c. 1 de reform.; cf. Cod. iur. can. c. 970.

autem valde submissa interponeret verbulum «non»[1]. c) si interius cohibet intentionem administrandi sacramenta.

83 **Principium.** *Numquam licita est simulatio aut fictio sacramenti.* Patet hoc 1. ex propositione (29) ab Innocentio XI damnata: «Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.»[2]

2. Fictio seu simulatio sacramenti est mendacium valde nocivum et detestabile sacrilegium. Est mendacium, quia in errorem ducit illum, qui iuste putat se suscipere sacramentum; est sacrilegium, quia est abusus rei sacrae; minister enim abutitur sacramento ad mentiendum, si non verbis, tamen factis.

84 **Dissimulatio.** Fictio seu simulatio sacramenti toto coelo differt a *dissimulatione* sacramenti, seu potius a *dissimulatione sacramenti denegati.* Talis dissimulatio est positio actionis *non*-sacramentalis, ex qua alii (non suscipiens) erronee iudicant sacramentum esse collatum, e. g. confessarius dat poenitenti, cui absolutionem denegare debuit, benedictionem atque quasdam preces recitat eo fine, ne circumstantes percipiant denegatam esse absolutionem; vel sacerdos, qui ex conventione facta faceret signum crucis ante os hominis in scamno communionis genuflectentis, qui propter gravem rationem neque communionem recipere neque recedere potest a publica mensa communionis; et tunc sacram hostiam reponeret in ciborio. In hoc ultimo casu tamen requiritur causa valde gravis, quia adhibetur ipsa ss. eucharistia ad finem quidem bonum, sed etiam ad deceptionem aliorum; quod quidem aliquam irreverentiam includere videtur. Plane autem illicitum esset in hoc casu porrigere homini isti (quamvis scienti et consentienti) hostiam non consecratam, cum talis agendi modus esset idololatria saltem materialis, quia tunc iste homo exterius saltem adoraret aliquid, quod est vilis creatura. «Sicut enim peccaret externe adorando idolum, etiam ex metu mortis, sic quoque semper peccaret externe adorando hostiam non consecratam. Et peccaret gravius, quam si indigne communicaret; ut patet ex cap. De homine 7 de celeb. miss., ubi dicitur gravius peccare sacerdotem, qui in Missa non consecraret, quam qui sacrilege consecraret et communicaret.»[3] S. Thomas[4] de hac re docet: «Hostia non consecrata nullo modo debet dari loco consecratae; quia sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios praesentes, sive etiam ipsum sumentem, quia, ut Augustinus[5] dicit: ‚Nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret.'»

Dissimulatio denegati sacramenti ex rationabili causa licita est, nam nihil aliud est nisi permittere, ut alii, qui in casu nullum ius habent obiectivam veritatem cognoscendi, in errorem haud nocivum cadant[6].

[1] S. Alphonsus (Theol. mor. l. 6, n. 59) hunc modum non omnino esse illicitum putat, sed Gury, Bucceroni aliique hunc casum vocant chimaericum.

[2] *Denz.* n. 1179.

[3] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 61. [4] S. theol. 3, q. 80, a. 6 ad 2.

[5] In Ps. 158 circa med. [6] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 59.

Scholion. De probabilismo in sacramentis administrandis. Extra casum necessitatis gravis non licet sequi opinionem probabilem relicta tutiore, quando agitur de valore sacramentorum, ut patet ex propositione (1) ab Innocentio XI damnata: «Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore....»[1] Dico autem 1°: *extra casum gravis necessitatis.* Sacramenta enim sunt propter homines, ac proinde quotiescumque salus spiritualis hominis graviter periclitatur, minister non solum potest, sed debet (saltem condicionate) sacramentum administrare, e. g. absolvere hominem sensibus destitutum, etsi forte iam est mortuus aut aliter indispositus. — Dico 2°: quando agitur *de valore sacramentorum,* nam si Ecclesia recte praesumitur supplere ea, quae ad valorem sacramenti exiguntur, res aliter se habet. Quare e. g. in sacramento poenitentiae licet aliquando absolutionem dare cum iurisdictione probabili, quam, si non sufficeret, Ecclesia suppleret. Pariter si agitur de impedimento dirimente matrimonii ex iure ecclesiastico introducto, quod Ecclesia ex legitima causa valet relaxare, licet aliquando uti opinione solide probabili, quia tunc sacramenta non irreverentiose tractantur nec exponuntur periculo nullitatis. Tota enim ratio, cur non liceat in sacramentis conferendis adhibere opinionem probabilem relicta tutiore, est reverentia sacramentis debita, ne scil. periculo nullitatis exponantur sine gravissima causa[2]. 85

CAPUT VI.

De subiecto sacramentorum.

Notio. Subiectum sacramentorum dicitur ille, qui sacramentum eiusque effectus recipit. 86

Principium generale. *Subiectum sacramentorum est solus homo viator; non tamen omnis homo potest omnia sacramenta recipere.*

Ita ex voluntate Christi. Ratio primae partis est, quia solus homo viator est capax recipiendi gratiam sanctificantem vel eius augmentum. Angeli enim et animae defunctorum iam sunt in termino, et salutem aeternam immutabiliter vel consecuti sunt vel perdiderunt. Quando autem eucharistia vocatur «panis angelorum», minime indicatur, angelos sumere eucharistiam sicuti homines, sed eundem Christum, qui est cibus noster per sacramentum, esse quasi cibum dulcissimum et efficacissimum angelorum per visionem beatificam[3]. — S. Paulus[4] loquitur de iis, qui baptizantur pro mortuis, quae quidem verba sunt subobscura, sed nullus interpres censuit secundum S. Paulum mortuos sine baptismate defunctos posse recipere effectum baptismi, si aliquis in terris vivens loco ipsorum baptizaretur. S. Paulus forsitan loquitur de aliquo superstitioso et falso ritu tunc usitato, aut sensus est: illos fideles baptizari, ut resurrecturi sint cum mortuis ad beatitudinem aeternam.

---

[1] *Denz.* n. 1151.
[2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 1, n. 49 50 et l. 6, n. 57.
[3] Cf. S. theol. 3, q. 80, a. 2 ad 1.
[4] 1 Cor 15, 19.

Ratio alterius partis principii est, quia non quilibet homo habet qualitates requisitas pro omnibus sacramentis. Sic mulier non potest recipere sacramentum ordinis.

Quibus praemissis agimus prius de valida et deinde de licita susceptione sacramentorum.

§ 1.

De valida sacramentorum susceptione.

87 Pro diversis sacramentis diversae condiciones requiruntur ad valorem. Generatim autem pro omnibus sacramentis sequentia notentur:

1. *Fides et probitas* suscipientis non requiruntur ad valorem ullius sacramenti, excepta poenitentia. Unde illi, qui ut haeretici formales baptismum vel ordinem receperunt, non sunt rebaptizandi aut reordinandi. In sacramento autem poenitentiae ad valorem requiritur vera contritio aut saltem attritio, quae profecto haberi nequit sine fide et probitate (saltem incohata).

2. Nulla *attentio* neque interna neque externa requiritur ad valorem sacramentorum, dummodo adfuerit intentio, de qua infra. Unde e. g. si quis voluntarie est distractus vel aliis operibus est intentus, dum recipit absolutionem sacramentalem, peccat quidem, sed valide recipit.

3. Ad valorem omnium aliorum sacramentorum requiritur baptismus validus praevie susceptus. Baptismus enim est ianua omnium sacramentorum.

4. In infantibus et perpetuo amentibus nulla requiritur *intentio* (personalis) ad sacramenta suscipienda, quorum sunt capaces. Ecclesia enim tunc supplet intentionem necessariam [1]. Infantes autem possunt *valide* suscipere baptismum, confirmationem, eucharistiam et ordinem [2]. Iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam infantibus et perpetuo amentibus non solet aliud sacramentum administrari nisi baptismus, et in nonnullis regionibus confirmatio.

5. In *adultis habentibus usum rationis* requiritur ad valorem omnium sacramentorum (excepta eucharistia) aliqua intentio, quae est diversa pro diversis sacramentis. Dicitur: *excepta eucharistia*, quae cum consistat in re permanente, i. e. in speciebus consecratis, a nulla intentione cum ministrantis tum suscipientis quoad validitatem dependet. Unde ille, qui in narcosi aut in animi perfecta defectione eucharistiam reciperet, sumeret quidem verum corpus Christi, sed materialiter tantum et sine fructu, *si omnis intentio defuisset*. — *Necessitas intentionis* ex parte susceptoris inculcatur ab Innocentio III [3] reiciente opinionem eorum, qui docent sacramenta non solum dormientibus et amentibus, sed invitis et contradicentibus saltem valide conferri, dicens: «Verum id est religioni christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis com-

[1] Cf. S. theol. 3, q. 68, a. 9 ad 1. [2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 81.
[3] c. 3, X 3, 42.

pellatur.» S. Thomas[1] vero loquens de baptismo docet: «Si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.» Ratio autem a priori est voluntas Christi sic instituentis sacramenta, quae voluntas colligitur ex doctrina et praxi Ecclesiae, et quae est valde consentanea essentiae ac dignitati sacramentorum. Sacramenta enim sunt dignissima media gratiae conferendae. Porro valde conveniens est, ut homo capax usus rationis illa suscipiat *voluntarie,* non autem mere passive. — Intentio requisita est diversa pro diversis sacramentis, ut infra explicabitur, quando sermo erit de singulis sacramentis. Generatim autem dici potest: *Minor intentio requiritur in subiecto quam in ministro sacramentorum;* unde non requiritur intentio actualis et virtualis, verum etiam sufficit habitualis, i. e. aliquando habita et non retractata[2]. Excipitur matrimonium, in quo requiritur saltem intentio virtualis, cum ipsi contrahentes sint etiam ministri istius sacramenti. Idem valet de sacra ordinatione, cum per eam homo suscipiat novum statum, novaque gravia onera; item de poenitentia, in qua actus poenitentis et notanter contritio virtualiter saltem adesse debent, dum datur absolutio sacramentalis. Quantum ad sacramenta baptismi, confirmationis, eucharistiae et extremae unctionis sufficit ad validitatem intentio habitualis *implicita,* i. e. quae includitur in vita christiana aut in proposito vitae christianae suscipiendae. Unde e. g. missionarius potest baptizare paganum moribundum et sensibus destitutum, dummodo iste antea manifestaverit propositum suscipiendae vitae christianae[3] vel recipiendi baptismi. Sin autem tale propositum numquam adfuit et adest, baptismus nequit administrari.

Quantum ad obiectiones, quae contra necessitatem intentionis deducuntur ex quibusdam factis historicis, videsis Billuart[4]. — Concilia autem ideo non enumerant nisi materiam, formam et intentionem ministri tamquam essentialiter requisita ad omnia sacramenta, quia personalis intentio subiecti revera non requiritur in omnibus sacramentis, e. g. in baptismo parvulorum.

§ 2.

De licita sacramentorum susceptione.

Ad *licite* suscipienda diversa sacramenta diversae requiruntur con- 88
diciones, ut infra latius explicabitur. Generatim autem notari potest:

1. Adultus usu rationis pollens ad licite suscipiendum aliquod sacramentum *mortuorum* debet praeter intentionem requisitam saltem habere *attritionem supernaturalem* de peccatis commissis. Nulla enim a Deo conceditur remissio culpae sine dolore de offensa patrata. In vera attritione supernaturali includuntur fides, spes et amor initialis.

2. Adultus suscipiens sacramentum *vivorum* debet esse *in statu gratiae sanctificantis,* qui quidem status habetur aut ex gratia baptismi numquam amissa aut ex contritione perfecta aut ex absolutione sacra-

[1] S. theol. l. c. a. 7 ad 2. [2] Cf. *S. Alph.* l c.
[3] Cf. S. Offic. d. 30 Martii 1898 (Collectan. de Prop. Fide n. 1993).
[4] De sacr. diss. 6, a. 1.

mentali rite percepta. Recipere autem scienter sacramentum vivorum in statu peccati mortalis est grave sacrilegium, cum sit gravis abusus rei sanctissimae.

S. Alphonsus[1] enumerat duos casus rarissimos, in quibus ad evitandum maius malum licet suscipere sacramentum vivorum non obstante statu peccati mortalis. «Si hostia consecrata esset profananda ab haereticis, et aliquis pro illa subita irruptione non posset tam cito conteri: tum videtur posse eam sine peccato sumere, licet sine fructu. Tunc enim non sumeret ut sacramentum, sed tantum absconderet in corpore suo sicut in pariete ad eam liberandam ab iniuria. . . . Idem probabiliter dicunt de laico accumbente in scamno communicantium, qui recordaretur peccati mortalis et non posset elicere contritionem ob angustiam temporis.»

3. Per se non licet petere sacramenta a ministro, qui est certe *indignus*. Ille vero vocatur minister indignus, qui non potest administrare sacramentum sine peccato mortali, quia aut est aliqua censura innodatus, aut quia ipse est in statu peccati mortalis. Ratio autem, cur non liceat in casibus ordinariis petere sacramenta ab huiusmodi ministris, est multiplex, scil. a) excitatio aut cooperatio ad peccatum, quod minister perpetrat sacramenta administrando; b) scandalum, quod haud raro inde oritur; c) periculum propriae perversionis.

4. Ex iusta autem et proportionata causa licet petere sacramentum a ministro indigno, dummodo possit valide illud administrare. Ratio est, quia talis petitio non est nisi *cooperatio materialis* ad peccatum alterius, quae quidem cooperatio ex iusta et proportionata causa licita est. A S. Alphonso[2] complures causae iustae enumerantur, e. g. si urgeat praeceptum confessionis aut communionis, praesertim si ex dilata susceptione immineat periculum spirituale; si quis diutius deberet remanere in statu peccati mortalis; si secus non posset lucrari indulgentiam iubilaei. Immo generatim S. Thomas[3] dicit: «Quamdiu [minister] ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius.» Sin autem minister est excommunicatus *vitandus* aut publicus haereticus aut schismaticus, non licet sacramentum aliquod petere ab illo, nisi in articulo vel periculo mortis. Ratio est, quia tali ministro gravissime prohibitum est sacramenta administrare, immo ablata est extra articulum mortis omnis iurisdictio, ita ut nec valide absolvere possit; et demum quia ex tali petitione cum gravissimum scandalum tum periculum perversionis oriretur. S. Alphonsus[4] docet, in periculo mortis licite peti ab excommunicato vitando non solum baptismum, verum etiam (si ille sit sacerdos) absolutionem, viaticum et extremam unctionem, cui doctrinae non adversatur S. Thomas, quamvis ab aliquibus auctoribus id asseratur[5].

[1] Theol. mor. l. 6, n. 86. [2] Ib. n. 89. [3] S. theol 3, q 64, a. 6 ad 2. [4] L. c. n. 88.

[5] Cf. ib. n. 560 et elench. 2 Quaest. reform. q. 17. Cod. iur. can. c. 2261 § 3 statuit: «Ab excommunicatis vitandis, necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia.»

Appendix de sacramentalibus.

1. **Definitio.** Sacramentalia sumuntur vel in latiore sensu, et tunc 89
includunt pia quaedam exercitia, ut orationem dominicam, eleemosynam ab Ecclesia praescriptam et etiam caeremonias sacras, quae in administratione sacramentorum adhibentur; vel in sensu strictiore, et tunc sunt «*res aut actiones, quibus Ecclesia in aliquam sacramentorum imitationem uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales*» [1]. In hoc ultimo sensu hic tantum loquimur de sacramentalibus, quae a veteribus theologis vocabantur *sacramenta minora* [2].

Dicuntur 1°: *res aut actiones* ad significandas duas classes sacramentalium, de quibus infra sermo erit.

Dicuntur 2°: *quibus Ecclesia in aliquam sacramentorum imitationem uti solet,* quia omnia sacramentalia directe instituta sunt ab Ecclesia, et non a Christo ipso. Possunt tamen vocari instituta a Christo, in quantum ille dedit Ecclesiae potestatem instituendi; immo aliquando in quantum Christus suo proprio exemplo illa indicavit, e. g. exorcismum. Nova sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex iisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica [3]. Sacramentalia habent aliquam similitudinem cum sacramentis, in quantum sunt media obtinendi gratiam, sed etiam multipliciter differunt a sacramentis, scil. 1. ratione *originis:* sacramenta sunt a Christo, sacramentalia vero ab Ecclesia immediate instituta; 2. ratione *effectus:* sacramenta causant directe gratiam sanctificantem eiusve augmentum; sacramentalia autem obtinent directe tantum gratias actuales aliaque auxilia; 3. ratione *modi operandi:* sacramenta causant gratiam ex opere operato, sacramentalia vero ex opere operantis Ecclesiae et hominis; 4. ratione *numeri:* sacramenta sunt septem, neque iste numerus mutari potest; sacramentalium numerus est indefinitus et variabilis.

Dicuntur 3°: *ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales.* Sacramentalia enim ex impetratione Ecclesiae producunt quosdam effectus supernaturales, cum corporales ut sanitatem, tum spirituales ut cohibitionem daemonis. Sed omnia ista auxilia ordinantur ad gratiam sanctificantem. Unde S. Thomas [4] docet: «In his, quae Ecclesia visibiliter operatur, quaedam sunt sacramenta, ut baptismus; quaedam sacramentalia, ut exorcismus; quorum est haec differentia, quod sacramentum dicitur illa actio Ecclesiae, quae attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio, quae, quamvis non pertingat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem.» Hinc sacramentalia imprimis applicat Ecclesia catholicis, sed iuxta modernam disciplinam permittit, ut ea (et praesertim benedictiones) dari possint catechumenis et

[1] Cod. iur. can. c. 1144.

[2] Hugo de S. Victore agens de istis minoribus sacramentis dicit: «Sunt quaedam sacramenta in Ecclesia, in quibus etsi principaliter salus non constet, tamen salus ex eis augetur, in quantum devotio exercetur. . . . Ex his igitur sacramentis alia constant in rebus, qualia sunt aqua aspersionis, susceptio cineris, benedictio ramorum et cereorum et cetera talia. Alia autem constant in factis, qualia sunt signaculum crucis, exsufflatio exorcisationis, expansio manuum, incurvatio genuum et alia huiusmodi. Alia in dictis constant, sicut Trinitatis invocatio et quaecumque in hunc modum» (De sacr. II, P. 9 [*Migne,* Patr. lat. 176, 471]).

[3] Cod. iur. can. c. 1145. [4] Suppl. q. 29, a. 1.

acatholicis ad obtinendum fidei lumen et simul corporis sanitatem[1]. Ex iure canonico excluduntur a sacramentalibus suscipiendis:

1. excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, c. 2260, § 1;

2. personaliter interdicti, c. 2275, n. 2;

3. catholici, qui matrimonium mixtum sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, c. 2375. — Casus primus et secundus hodie est rarissimus; tertius vero satis frequens.

90 2. **Divisiones.** Permulta sunt sacramentalia, nec semper eadem in Ecclesia vigent. Possunt tamen ad duas magnas categorias reduci, scil. ad sacramentalia permanentia seu res et ad transeuntia seu actiones. Sacramentalia *permanentia seu res* sunt quaedam res benedictae seu consecratae, quarum usu fideles obtinent auxilia supernaturalia, e. g. aqua benedicta, scapularia etc. Non tamen omnis res benedicta est sacramentale, secus enim etiam homo benedictus, domus benedicta etc. essent sacramentalia; sed tantum illae res, quae ex benedictione (sic dicta constitutiva[2]) unice ad cultum divinum adhibentur. Sacramentalia *transeuntia seu actiones* sunt quaedam actiones, quibus ex ordinatione Ecclesiae speciales gratiae adnectuntur, e. g. benedictiones, exorcismus etc.

Hodiernis temporibus magna pars sacramentalium consistit in *benedictionibus,* quarum quaedam sunt reservatae Summo Pontifici, e. g. benedictio «Agnus Dei», pallii etc.; quaedam pertinent ad episcopos, e. g. benedictio campanarum, chrismatis etc.; quaedam pertinent ad ordines religiosos, e. g. benedictio rosariorum, scapularium etc.; quaedam reservantur parocho, e. g. benedictio domorum Sabbato Sancto (non autem aliis diebus), benedictio nuptialis etc.; demum dantur quam plurimae benedictiones, quae a quolibet sacerdote fieri possunt, e. g. benedictio aquae lustralis, mulieris post partum etc. Ex *delegatione* omnes fere benedictiones dari possunt a simplici sacerdote. Immo etiam benedictiones reservatae, quae sine delegatione dantur a simplici sacerdote, sunt *validae,* si a) S. Sedes non expresse statuit contrarium; b) si adhibentur formulae ab Ecclesia praescriptae (Cod. iur. can. c. 1147, § 3; 1148, § 2). Per se patet tales benedictiones sic scienter usurpatas esse illicitas. Ex licentia episcopi potest diaconus viaticum administrans aliquando benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes; pariter potest benedicere sepulcrum[3]. Laici nullam benedictionem liturgicam nullumque sacramentale perficere possunt.

91 3. **Efficacia sacramentalium** non consistit solum in bonis operibus aut precibus aut salubribus excitationibus, quae solent coniungi cum illis, sed *in speciali virtute impretatoria illis ab Ecclesia concessa.* Sane sacramentalia non habent efficaciam sicut sacramenta, nempe ex virtute illis concessa directe a Christo, sed quia habent adnexas preces ab *ipsa Ecclesia supplicante* pro gratiis obtinendis, ut infra latius dicetur. Supplicat autem Ecclesia mediantibus sacramentalibus praesertim pro quattuor generibus gratiarum:

[1] Cod. iur. can. c. 1149.

[2] Praeter benedictionem constitutivam datur benedictio invocativa, e. g. benedictio, quam dat sacerdos in Missa post Ite, missa est.

[3] S. R. C. d. 14 Aug. 1858 (Decr. auth. n. 3074).

a) pro *gratiis actualibus* ad rite obeunda munera cum vitae christianae tum status electi. In hoc sensu efficacia sunt sacramentalia complura, e. g. benedictio nuptialis, unctio regis, prima tonsura clericalis etc.

b) pro *remissione peccatorum venialium.* Sic e. g. aqua lustralis, cineres in initio Quadragesimae benedicti, «Confiteor» recitatum in Missa aut in Officio divino. Attamen iste effectus non producitur ex opere operato sicut in poenitentia aliisque sacramentis, sed ex opere operantis, in quantum obtinetur gratia actualis ad detestanda omnia peccata.

c) pro *maleficio daemonis avertendo.* Daemon potest homini multipliciter nocere (si Deus permittit), scil. 1. mala physica inferendo, e. g. morbos excitando, ruinam fortunae causando; 2. ad peccata instigando vehementibus tentationibus; 3. obsidendo corpus hominis. Obsessio daemoniaca non potest negari, cum manifesta eius exempla habeantur in Evangelio; attamen nostris temporibus rarissime est supponenda. Quando liceat in hoc casu exorcismum adhibere, vide supra II, n. 463 in tractatu de adiuratione.

d) pro *bonis temporalibus obtinendis.* Ad illum finem tendunt complures benedictiones, e. g. agrorum, panis etc.

4. **Modus operandi.** *Sacramentalia operantur principaliter ex* 92
vi impetratoria Ecclesiae, secundario autem ex qualitate ministri et suscipientis. Licet bonitas ministri et suscipientis efficaciam sacramentalium multum augeat — benedictio enim data a sacerdote sanctissimo et recepta ab homine devotissimo habet maiores effectus, quam si adsunt minores qualitates cum ministri tum suscipientis — tamen principalis efficacia provenit ex virtute impetratoria *Ecclesiae,* quae a Christo recepit potestatem benedicendi diversas res et cohibendi maleficia diaboli. Sicut enim princeps saepe concedit precibus totius communitatis, quod denegat homini singulari petenti, ita Deus concedit gratias propter Ecclesiam flagitantem ope sacramentalium. In hoc sensu potest dici sacramentalia operari ex opere operato ab Ecclesia, sed melius, ad evitandas ambiguitates, dicendum est, *sacramentalia operari ex opere operantis cum Ecclesiae tum suscipientis hominis.* Effectus sacramentalium, cum principalius producatur ex Ecclesiae orationibus, quae semper exaudiuntur, *infallibilis* est, nisi ex parte hominis sit obex seu impedimentum. Cum enim omnia sacramentalia ultimo tendere debeant ad gratiam sanctificantem procurandam aut augendam, si huic fini obsit vel dispositio hominis vel bonum temporale (e. g. sanitas) petitum per sacramentalia, tunc non producitur effectus.

Nota. 1. *Sacramentalia differunt ab indulgentiis.* Indulgentiae enim ex 93
meritorum Christi thesauro, de quo haurit Ecclesia, remittunt *poenas* temporales peccati; sacramentalia vero ex precibus Ecclesiae obtinent diversa auxilia praesertim supernaturalia, non autem remissionem poenarum temporalium, *saltem directe.* Nam si sacramentale coniunctum est cum opere satisfactorio (e. g. humiliatio in susceptione cinerum), tunc *indirecte* etiam remittit poenas temporales, scil. propter istud opus satisfactorium.

2. Sacramentalia, quibus non assistit impetratio Ecclesiae, non multum valent. Ecclesia autem non censetur assistere illis rebus et actionibus, quae non fiunt iuxta eius leges et praescripta. Ergo sacramentalia, in quorum confectione vel usu non observantur Ecclesiae praescripta, sunt invalida. Ex quibus sequitur, ut fideliter observanda sint ea, quae Ecclesia praecipit de sacramentalibus. Quod quidem specialiter valet de benedictionibus et consecrationibus ecclesiasticis, quae, si notabiliter mutantur, invalidae sunt [1].

TRACTATUS II.

De baptismo.

Dividimus istum tractatum in septem capita: 1. de notione, institutione et divisione baptismi; 2. de eius essentia; 3. de eius effectibus; 4. de eius necessitate; 5. de eius ministro; 6. de eius subiecto; 7. de eius caeremoniis.

Consuli possunt iidem auctores, qui supra n. 2 citati sunt de sacramentis in genere. Pourrat tamen non tractat de sacramentis in specie.

CAPUT I.

De notione, institutione, divisione baptismi.

94 1. **Diversa nomina.** Nomen baptismi desumptum est a verbo graeco *βαπτισμός* vel *βάπτισμα*, quod significat idem quod immersio seu ablutio [2]. In S. Scriptura verbum baptismi non raro sumitur in diversis sensibus, e. g. pro «balneum sumere» [3], pro purgationibus legalibus [4], quo sensu «baptismata calicum et urceorum» a Pharisaeis facta fuisse narrantur [5]. A Graecis baptismus saepe vocatur *φωτισμός*, e. g. *illuminatio*. Saepe etiam baptismus vocatur sacramentum regenerationis. Sunt adhuc complures aliae denominationes baptismi, quas non vacat hic enumerare [6].

95 2. **Definitio.** Inter diversas definitiones, quae de sacramento baptismi dantur, adducimus tantum definitiones allatas a S. Thoma et a Catechismo Romano. S. Thomas affert definitionem a Petro Lombardo datam dicens: «Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum.» [7] Hugo de S. Victore putavit essentiam baptismi consistere in ipsa aqua sanctificata; quam sententiam Angelicus Doctor non approbat, quia non ipsa aqua est principalis causa in baptismo, sed actio ablutionis coniuncta cum verbis formae sacramentalis; quod quidem optime exprimitur definitione, quae tribui solet S. Augustino: «Baptismus est tinctio in aqua verbo vitae sanctificata.» [8] —

---

[1] Cod. iur. can. c. 1148, § 2.

[2] Etiam verbum germanicum *taufen* significat *untertauchen* vel immersionem; cf. *Grimm*, Deutsches Wörterbuch.

[3] Iudith 12, 7. [4] Hebr 9, 10. [5] Mc 7, 3 sq.

[6] Videsis *Gihr*, Die hl. Sakr. I, § 28, et Cat. Rom. P. 2, c. 2, q. 3.

[7] S. theol. 3, q. 66, a. 1. [8] Cf. 4, dist. 3, q. 1, a. 1, sol. 1.

Catechismus autem Romanus definit baptismum: «**sacramentum regenerationis per aquam in verbo**»[1]. — Natura enim ex Adam filii irae nascimur, baptismo vero in Christo filii misericordiae renascimur.

Baptismus est verum sacramentum Novae Legis. Ita docent omnes SS. Patres, et Concilium Florentinum definit: «Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire.»[2]

3. **Institutio baptismi** certo facta est a Christo. Pauci acatholici 96
contrarium docent, inter quos est Harnack[3].

Si Christus omnia sacramenta instituit, ut supra probatum est, a fortiori hoc valet de baptismo, qui est ianua omnium sacramentorum. — Valde autem disputant theologi, *quando* Christus instituerit hoc sacramentum. Sunt quattuor sententiae: 1ª S. Thomas, Thomistae fere omnes, complures alii, et Catechismus Romanus docent sacramentum baptismi institutum esse, quando Christus baptizatus est in Iordane: «Tunc a Domino hoc sacramentum [baptismi] institutum esse perspicitur, cum ipse a Ioanne baptizatus sanctificandi virtutem aquae tribuit.»[4] 2ª Alii, inter quos Estius, putant baptismum esse institutum, quando Christus dixit Nicodemo: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.»[5] Haec sententia parum probabilis est, cum non ita conveniens videatur, Christum in aliquo privato colloquio nocte habito instituisse sacramentum ita necessarium. 3ª Sententia docet, Christum instituisse baptismum ante passionem, sc. antequam primo misit discipulos ad baptizandum. Ita Scotus, Suarez, Christ. Pesch[6] aliique. 4ª Sententia asserit, baptismum esse institutum post resurrectionem, quando Christus dixit discipulis: «Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes.»[7] Ita Alexander Halensis[8], Melchior Canus[9], et ita sentire videntur etiam Schanz[10], Gihr[11]. Haec quoque sententia parum probabilis est; nam tunc Christus in ultima coena apostolis nondum baptizatis dedisset eucharistiam et contulisset sacramentum ordinis, quod videtur valde inconveniens. Praeterea legitur in Evangelio[12], Christum eiusque discipulos baptizasse. Porro non est verisimile talia baptismata fuisse meras caeremonias aut non fuisse multo excellentiora quam baptismum Ioannis. Unde satis constat sacramentum baptismi institutum esse ante passionem Christi, non autem ita constat quo tempore. Prima sententia videtur melior cum propter magnam auctoritatem S. Thomae et Catechismi Romani, tum quia valde conveniens est Christum

---

[1] Pars 2, c. 2, q. 4. [2] *Denz.* n. 696.

[3] Dogmengesch. I, 68, not. 3: «Daß Jesus die Taufe eingesetzt hat, läßt sich nicht nachweisen.»

[4] Cat. Rom. P. 2, c. 2, 16; cf. S. theol. 3, q. 66, a. 2. [5] Io 3, 5.

[6] Prael. dogm. VI, n. 354. [7] Mt 28, 19.

[8] In 4 Sent. q. 12, membr. 3, a. 1.

[9] De loc. theol. l. 8, c. 5.

[10] Die Lehre v. d. hl. Sakr. I, § 15.

[11] Die hl. Sakr. I, § 29. Auctor non clare exprimit suam sententiam.

[12] Io 3, 22. Cf. tamen c. 4, v. 2, ubi Christus dicitur non ipse baptizasse, sed per discipulos suos.

tunc temporis instituisse baptismum, quando in Iordane exemplo suo approbavit exteriorem ritum huius sacramenti et quando apparitione totius Trinitatis («Hic est Filius meus» . . . «columba») haud obscure forma baptismi insinuata est.

Adhuc vivente Christo apostoli iam baptizabant[1]; tamen baptismus ante passionem et resurrectionem Salvatoris non fuit in *stricto praecepto*. Nova enim Lex coepit obligare tunc tantum, quando Christus in passione dixit: «Consummatum est», et quando in signum abolitae Legis Veteris velum templi scissum est. Verba autem Christi ad Nicodemum: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei», eodem modo intelligenda sunt ac verba eiusdem Salvatoris: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis»; scil. obligatio tam baptismi quam eucharistiae *erit* strictissima post redemptionem finitam. Nemo enim docet eucharistiam esse institutam aut praeceptam iam inde ab istis verbis prolatis. Coepit igitur obligatio baptismi suscipiendi, quando Christus dixit apostolis post resurrectionem: «Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.»[2]

97 4. **Divisiones.** a) Baptismus *sollemnis* et *non-sollemnis* seu privatus, prout ministratur omnibus ritibus et caeremoniis, quae in rituali libris praecipiuntur, vel non[3].

b) Ex diverso modo producendi gratiam distingui solet: Baptismus *fluminis, flaminis, sanguinis.*

Baptismus *fluminis* seu aquae est ipsum sacramentum a Christo institutum.

Baptismus *flaminis* est perfectus actus caritatis includens saltem virtualiter et implicite votum baptismi aquae. Vocatur autem flaminis, quia Spiritus Sanctus movet cor hominis ad diligendum Deum super omnia et ad dolendum de peccatis.

c) Baptismus *sanguinis* est martyrium quocumque modo pro Christo toleratum ante baptismum aquae. Talem baptismum sanguinis innocentes infantes ab Herode trucidati receperunt.

Haec triplex distinctio iam cognita erat SS. Patribus[4]. Quodsi iidem Patres in aliis locis non ita clare loquuntur, vel videntur contrarium docere, recta interpretatio adhibenda est[5]. — Exemplum baptismi flaminis habetur in centurione Cornelio aliisque, qui iam receperunt Spiritum Sanctum ante baptismum aquae[6].

---

[1] Cf. Io 3, 22 sqq.

[2] Mt 28, 19. Cf. *S. Thom.*, S. theol. 3, q. 66, a. 2, et *Billuart*, De bapt. diss. I, a 2, § 2.

[3] Cod. iur. can. c. 737, § 2.

[4] *S. Ambr.*, In Ps. 118, sermo 3 (*Migne*, Patr. lat. 15, 1292); *S. Aug.*, De bapt. l. 4, c. 21 (*Migne* ib. 43, 172); *S. Hier.*, Super Eph. 4 (*Migne* ib. 26, 528); *S. Greg. Naz.*, Orat. 39 in sancta lumina (*Migne*, Patr. graec. 36, 355).

[5] Cf. *Drouven*, De re sacr. l. 2, q 6, c 4, app. 1.

[6] Cf. Act 10, 44. — De efficacia trium istorum baptismatum infra n. 106 sqq. sermo erit.

CAPUT II.

De essentia baptismi.

Cum quodlibet sacramentum constituatur essentialiter ex materia et forma, agendum est 1. de materia et 2. de forma baptismi.

ARTICULUS I.

De materia baptismi.

1. **Materia remota valida** baptismi est omnis et sola aqua 98 naturalis. Ita docet dogma catholicum [1]. Concilium Tridentinum [2] definit: «S. q. d. aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D. N. I. Ch.: ‚Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto', ad metaphoram aliquam detorserit, A. S.»

S. Thomas [3] pluribus rationibus ostendit, quam convenienter Christus voluerit aquam adhiberi in baptismo:

a) Aqua lavat et refrigescit; ita baptismus lavat a sordibus peccati, et concupiscentiae ardorem mitigat.

b) Baptismus est sacramentum, quo non datur aliud magis necessarium. Ergo materia eius debet ubique terrarum facile inveniri. Porro nulla materia tam frequens est quam aqua [4].

Pauci haeretici, ut quidam Gnostici, Manichaei, Albigenses, Cathari negaverunt aquam esse materiam baptismi. Luther autem et Beza docuerunt in casu necessitatis baptismum conferri posse in alia quoque materia fluida.

Nota. In praxi quaenam sit materia valida baptismi, non tam ex chimica analysi quam ex *communi aestimatione hominum* desumendum est. Hinc:

α) Materia *certe valida* sunt aqua fontis, putei, fluvii, maris, pluvia, aqua resoluta ex glacie, nive, grandine, aqua distillata, aqua sulphurea aliaque aqua mineralis, aqua cui parva quantitas alterius materiae est admixta, licet inde color, odor, sapor alterati sint, dummodo tamen aqua semper maneat materia praedominans. Sic S. Officium d. 21 Aug. 1901 declaravit posse aquae admisceri millesimam partem hydrargyri bichlorati sublimati ad praecavendum periculum inficiendi matrem, si infans in utero materno baptizandus est.

β) Materia *dubia* sunt iusculum, caffe, the, cerevisia, liquores e plantis expressi [5] etc. Ratio est, quia in omnibus istis et similibus liquoribus aqua quidem multum praevalet, nec est chimice transmutata, sed iuxta communem aestimationem hominum iam non vocatur aqua. Quare non licet extra casum extremae necessitatis uti huiusmodi materia dubia.

---

[1] Conc. Lat. IV, c. 1 (*Denz.* n. 430); Eugen. IV, Decr. «Pro Armenis» (*Denz.* n. 696).

[2] Sess. 7, can. 2 de bapt. (*Denz.* n. 858).

[3] S. theol. 3, q. 66, a. 4. [4] Cf. Cat. Rom. P. 2, c. 2, q. 8.

[5] Ita iuxta *S. Alphonsum* (Theol. mor. l. 6, n. 103); *S. Thomas* videtur liquores e plantis habere materiam invalidam. S. theol. 3, q. 66, a. 4 ad 5.

γ) Materia certo *invalida* sunt lac, sanguis, sputum, vinum, oleum, humores humani corporis, ut sudor, urina etc.[1] Ratio est, quia quamvis in istis materiis contineatur magna pars aquae, tamen aqua ista est mutata aut chimice aut saltem iuxta communem aestimationem hominum.

99 2. **Materia remota licita** in baptismo *sollemni* est aqua baptismalis consecrata et decenter munda. Ita ex Rituali Romano[2]. Censetur autem baptismus sollemnis ille, qui cum omnibus caeremoniis peragitur sive in ecclesia sive in alio loco, ut iam dictum est. In baptismo *necessitatis*, i. e. imminente morte, «si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendeat, sacerdos utatur aqua simplici.» Ita Rituale Romanum[3]. Nihilominus aquae simplici praeferenda esse videtur aqua lustralis seu benedicta. In baptismo *privato*, i. e. in illo, qui extra articulum mortis administratur sine caeremoniis, item adhibenda est aqua baptismalis, si facile haberi potest, secus adhibeatur aqua benedicta seu lustralis. Talis baptismus privatus aliquando usuvenit in receptione haeretici redeuntis in gremium Ecclesiae, si baptismus sub condicione reiteratur[4].

In extrema necessitate licet, deficiente aqua pura, baptizare cum quacumque materia etiam dubia, non autem cum materia certo invalida.

Graviter peccat, qui extra casum necessitatis sollemniter baptizat cum aqua non consecrata; pariter, qui baptizat cum aqua lutulenta aut foetida aut mixta cum aliis materiis, quia id est gravis irreverentia contra sacramentum. Si aqua baptismalis consecrata effecta est foetida aut impura, neque haberi potest alia pura, tunc in baptismo potius adhibenda est aqua simplex pura quam ista aqua baptismalis foetida. Si tamen non est periculum in mora, nova aqua baptismalis consecranda est iuxta specialem formulam in Rituali Romano[5] praescriptam[6]. In Instructione S. Congr. de Prop. Fide d. 8 Sept. 1869 (n. 42)[7] praecipitur missionariis, ut aquam baptismalem consecratam conservent in aliquo decenti loco et vase atque secum deferant, quando debent iter facere ad administrandum baptismum, si tamen hoc facile fieri possit; secus — si scil. aqua baptismalis sine notabili incommodo haberi nequit — licet in baptismo sollemni «uti aqua communi, praesertim si benedicta fuerit»[8]. Quando aqua baptismalis defectura videtur, licet

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. 6. n. 103. [2] Tit. 2, c. 1, n. 3 et 4; cf. Cod. iur. can. c. 757, § 1.

[3] Tit. 2, c. 2, n. 29.

[4] Sic e. g. habetur in actis Concilii Westmonast. I, c. 16, n. 8. Huiusmodi baptismus non fiat publice, sed omnino privatim cum aqua lustrali et absque caeremoniis.

[5] Tit. 2, c. 7; Cod. iur. can. c. 757, § 3.

[6] Cf. S. Offic. d. 17 Apr. 1839. [7] Collect. de Prop. Fide n. 1346.

[8] S. Officium d. 6 Apr. 1741 (Collect. de Prop. Fide n 325) statuit, ut deficiente aqua baptismali potius adhibeatur aqua naturalis quam aqua benedicta; die autem 20 Iunii 1883 (ib. n. 1598) generaliter decrevit: «Quando non habetur aqua baptismalis, adhibenda est (quoad fieri potest) aqua benedicta iuxta formulam in novis editionibus et in appendice Ritualis Romani; secus adhibenda est aqua naturalis.» Sensus huius responsi

admiscere aquam naturalem, idque etiam saepius, dummodo tamen qualibet vice quantitas aquae naturalis infundendae minor sit quam aqua baptismalis exsistens [1]. Etiam in baptismis, qui in nonnullis regionibus (cum permissione episcopi) extra ecclesiam in domibus privatis peraguntur, adhibenda est aqua baptismalis consecrata. Est enim baptismus sollemnis.

Si aqua baptismalis nimis frigida est, potest calefieri admovendo illam ad ignem, vel etiam — quod tamen minus est consulendum — infundendo parum aquae naturalis valde calidae. Pariter nihil obstat, quominus admisceatur baptismali aquae modica quantitas *aquae Iordanis* [2], si id petunt et procurant parentes.

Scholion. De consecratione aquae baptismalis. Benedictio fontis 100
baptismalis bis in anno, i. e. in vigiliis Paschatis et Pentecostes fieri debet, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminanda est [3]. Vetus aqua baptismalis istis diebus exsistens in sacrarium effundenda est [4]. Iam supra dictum est in casu necessitatis aquam baptismalem benedici posse etiam aliis diebus. Consecratio fontis baptismalis facienda est cum oleis *recenter*, i. e. fer. V. in Coena Domini eiusdem anni consecratis. Sin autem Sabbato sancto olea recentia nondum haberi potuerint, tunc duplex agendi modus licitus est: 1. benedicere fontem sine infusione sacrorum oleorum, quae postea opportuno tempore privatim infundat sacerdos recitans preces omissas; 2. benedicere fontem baptismalem cum veteribus oleis, si scil. baptismus est administrandus ante adventum novorum oleorum [5].

3. **Materia proxima** baptismi est applicatio aquae ita a ministro 101
facta, ut iuxta commune iudicium *vera ablutio* adsit. Quae quidem ablutio tribus modis fieri potest: immersione, aspersione, infusione. Iuxta vigentem disciplinam Ecclesiae romanae baptismus sollemnis debet administrari non una sed *trina* infusione aut immersione.

Primis duodecim saeculis baptismus fuit communius administratus per immersionem, et quidem cum in Ecclesia latina tum in Ecclesia graeca. Adhuc S. Thomas [6] vocat immersionem usum communiorem et laudabiliorem. Tamen semper viguit quoque baptismus per infusionem aut aspersionem. Nam non est verisimile apostolos, qui uno die Pentecostes 3000 hominum baptizaverunt, immersionem adhibuisse. Pariter sic dicti clinici seu aegroti decumbentes saepe in lecto baptizabantur; pro quibus tamen baptismus per immersionem vix fuit possibilis. Insuper narratur S. Paulum baptizasse in carcere custodem cum domo sua [7], quod per immersionem factum fuisse non videtur. Ceterum iam ab antiquissimis temporibus baptismum per infusionem adhibitum esse testantur Doctrina duodecim Apostolorum c. 7, S. Cyprianus [8],

videtur esse: Quando non habetur aqua baptismalis benedicta Sabbato Sancto aut Sabbato ante Pentecosten, adhibenda est aqua baptismalis benedicta iuxta formulas breves, quae habentur in Rituali Romano.

[1] Rit. Rom. tit. 2, c. 1, n. 5 et Cod. iur. can. c. 757, § 2.

[2] Cf. *Noldin*, De sacr. n. 58.

[3] S. C. R. d. 13 Apr. 1874 (Decr. auth. n. 3331).

[4] Rit. Rom tit. 2, c. 1, n. 4. In Ecclesia orientali sacerdos consecrat aquam baptismalem, quoties baptismum administrat.

[5] Ita S. C. R. d. 31 Ian. 1896 (Decr. auth. n. 3879).

[6] S. theol. 3, q. 66, a 7. [7] Act 16, 33. [8] Ep. 69, n. 12.

Eusebius[1] aliique. Quapropter errant Graeci aliique docentes solum baptismum per immersionem esse validum. Ratio autem est, quia essentia baptismi consistit in ablutione. Iamvero etiam per infusionem vera ablutio haberi potest. Inde a saeculo XIII baptismus per infusionem factus est communior in Ecclesia latina, quia baptismus per immersionem solet inducere graves incommoditates.

Attamen etiam hodiernis temporibus baptismus fieri posset immersione; dicit enim Rituale Romanum[2]: «Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae aut per immersionem aut per aspersionem; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur, ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur»; et idem Rituale describit, quomodo immersio sit facienda in baptismo adultorum. In praxi non licet recedere a *consuetudine,* quae in unaquaque Ecclesia viget.

102 **Modus baptizandi.** Infusio aquae debet esse a) trina; b) super caput baptizandi; c) aqua debet fluere et non solum tangere; d) aqua debet fluere immediate super cutem baptizandi; e) idem minister debet pronuntiare formam et facere ablutionem. Ita ex Ritualis praecepto, quod videtur graviter obligare, nisi propter necessitatem alius modus baptizandi est abhibendus.

a) Infusio debet esse *trina,* quae hoc modo facienda est: Sacerdos dicens verba: «Ego te baptizo in nomine Patris», fundit aquam prima vice; dicens: «et Filii», secunda vice; dicens: «et Spiritus Sancti», tertia vice.

b) Debet esse super *caput* baptizandi.

Cum enim non requiratur ablutio totius corporis, sufficit et praecipitur, ut caput tamquam principalior pars corporis, in qua omnes sensus humani conveniunt, abluatur. In casu necessitatis (qui praecipue accidere potest in baptismo infantis in utero materno) licet ablutionem etiam in aliis corporis partibus facere, e. g. in pede, in brachio, in pectore. Ad maiorem tamen securitatem postea sub condicione baptismus est iterandus, si hoc est possibile.

c) Oportet ut aqua *fluat.*

Materia enim proxima baptismi est ablutio. Porro non potest recte vocari ablutio, nisi aqua ab una ad aliam partem cutis feratur. Hinc si una alterave gutta tantum cutem tangat atque illi immobiliter inhaereat, non est ablutio, ac proinde invalidus est baptismus. Ex hac ratione non pauci baptismi collati a ministris Protestantibus sunt invalidi, quia facti sunt cum aspersorio vel cum tam parva quantitate aquae, ut illa fluere non possit. Si quis cum sudario vel spongia aqua madefacta caput baptizandi abluit, baptismus censetur validus, quia vera habetur ablutio[3]. Sin autem tantum cum pollice madefacto frontem baptizandi tangat et quasi ungat, baptismus est invalidus vel certe dubius[4].

---

[1] Hist. eccl. 6, 43 (*Migne,* Patr. lat. 20, 623).

[2] Tit. 2, c. 1, de form. bapt. n. 10; cf. Cod. iur. can. c. 758.

[3] Cfr. *Noldin,* De sacr. n. 60.

[4] Notanda videtur responsio S. Officii d. 14 Dec. 1898: «Post mortem recentem parochi loci N. certis testimoniis detectum fuit illum a pluribus annis baptismum pueris contulisse non per ablutionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto. Impossibile dictu, quot pueri et a quonam tempore sic fuerint

d) Oportet ut aqua immediate fluat *super cutem* baptizandi.

Hinc baptismus est certe invalidus, si aqua non tangat nisi vestes; dubie autem validus est, si aqua non tangat nisi crines hominis baptizandi. Proinde in praxi curare debet sacerdos baptizans, ut crines aliqualiter dividat manu sinistra, ita ut cutis appareat, quando fundit manu dextera aquam. Pariter bonum est, si aqua baptismalis etiam fluat super partem frontis, ita ut omne dubium de validitate expellatur. Quando infans baptizatur in utero materno adhuc sic dictis «secundinis» involutus, baptismus est invalidus, quia istae pelles secundinae sunt quasi involucrum extraneum infantis, ac proinde in hoc casu aqua non tangit ipsum infantem. Sicut autem baptismus collatus super vestes est invalidus, ita etiam idem dicendum est de baptismo collato super quocumque alio velamento. A fortiori invalidus est baptismus, si aqua non funditur super infantem, sed super cutem matris. — Num autem baptismus collatus infanti adhuc in utero materno exsistenti sit validus, si moraliter constat aquam tetigisse cutem infantis, vix in dubium vocari potest. Nam potius speciosa quam solida est ratio contra validitatem talis baptismi allata, nempe quia iste infans nondum est natus naturaliter, nequit renasci spiritualiter. Respondetur namque: Infans in utero materno vivens est verus homo viator habens animam immortalem. Atqui nulla est ratio, quare verus homo non possit baptizari. Ceterum falsum est talem infantem nullo modo esse natum. Nam est verus homo, ut omnes nunc concedere debent, et nihil illi deest, quam separatio a matre sua, quod videtur esse aliquid mere accidentale. Nihilominus in praxi, cum propter ministrum, qui ordinarie est laicus et non ita peritus in baptizando, tum propter difficultatem vere abluendi infantem in utero materno, Ecclesia iubet, sub condicione iterari baptismum collatum infanti in utero materno [1]. Ceterum infra n. 129 sermo redibit, quomodo infantes in utero materno sint baptizandi.

e) *Idem minister debet applicare formam et facere ablutionem.*

Hinc invalidus esset baptismus, si quis videns infantem cadentem in aquam vellet baptizare illum dicens: «Ego te baptizo etc.», vel si unus pronuntiat formam et alius facit infusionem vel immersionem [2]. Validus autem est baptismus, si quis sumens infantem supponit pluviae cadenti aut aquae ex canali fluenti simul pronuntians formam [3], aut etiam si proiceret infantem in aquam. Ratio est, quia videtur indifferens, num aqua admoveatur ad infantem vel infans ad aquam. Tamen si in ultimo casu infans certe moriturus est, talis agendi modus illicitus videtur, cum sit directa occisio [4]. Licitum esse istum modum agendi docent Noldin [5], Lehmkuhl [6], Ballerini-Palmieri [7]. Ceterum cum S. Alphonso dico: «Quia talis quaestio vix ad praxim reducitur, superfluum censeo in ea immorari.» [8]

---

baptizati: multi iam adulti, ad alias regiones profecti, multi iam mortui. Quid putandum de validitate huius baptismatis, et quid agendum in praxi cum sic baptizatis? Resp. Curandum, ut iterum baptizentur privatim sub condicione, adhibita sola materia cum forma absque caeremoniis et ad mentem. Mens est, quod episcopus speciali modo investiget, num ex istis sic baptizatis quidam fuerint promoti ad ss. ordines.»

[1] Cf. S. C. C. d. 16 Martii 1897.
[2] Cf. S. C. de Sacr. d. 17 Nov. 1916 (Act. Ap. Sed. VIII, 480).
[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, c. n. 106.
[4] Cf. *Billuart*, De bapt. diss. 1, a. 3, § 3.
[5] Princ. Theol. mor. III, n. 60. [6] Theol. mor. II, n. 86.
[7] Opus theol. IV, n. 729. [8] L. c.

ARTICULUS II.

De forma baptismi.

103 In Ecclesia latina forma baptismi est: «N., ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.» In Ecclesia vero orientali: «Baptizetur servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.» Quaedam Ritualia ritus orientalis habent non «Baptizetur», sed «Baptizatur». Uter modus sit melior, non ita constat[1]. Tota haec doctrina habetur in Decreto pro Armenis in Bulla Eugenii IV «Exsultate Deo»: «Forma [baptismi] est: ‚Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.' Non tamen negamus, quin et per illa verba: ‚Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti', vel: «Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti' verum perficiatur baptisma; quoniam, cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum.»[2] — Ex quibus verbis sequitur, ut in forma baptismali necessario saltem duo exprimi debeant, scil. a) actus baptizandi factus a ministro; b) auctoritas trium personarum SS. Trinitatis, qua baptismus confertur.

a) Expressio *actus baptizandi* includit tria, scil. ministrum, subiectum et actionem ipsam.

Proinde requiritur, *α*) ut ipse *minister* aliquo modo in formula significetur.

«Oportet, quod in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est SS. Trinitas; alia autem instrumentalis, scil. minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem.» Ita S. Thomas[3], cui contradicit Suarez[4]: «Non est de essentia huius formae, ut in ea exprimatur persona ministri. Est certa conclusio.» Tantum abest, ut conclusio Suarezii sit certa, ut econtra non liceat eam sequi in praxi. Requiritur enim, ut persona ministri saltem indirecto modo exprimatur. Unde certe dubia, ne dicam invalida esset forma e. g. in lingua gallica: «te baptise au nom du Père etc.», omisso verbo «Je». In lingua latina, graeca et quibusdam aliis linguis persona ministri satis significatur ipso verbo «baptizo» etc., unde certe valida (etsi illicita) esset forma: «te baptizo» etc. omittendo verbum «Ego». In linguis autem plurimis, e. g. gallica, germanica, anglica, hollandica etc., necessario requiritur, ut verbum «ego» exprimatur. Etiam in forma adhibita a Graecis exprimitur persona ministri, licet non ita clare et perfecte sicut apud Latinos. Etenim in verbo «baptizatur» vel «baptizetur»

---

[1] Cf. *Billuart* l. c. a. 4, § 1. — Secundum *Εὐχολόγιον τὸ μέγα*, Romae 1873, p. 156, textus graecus ita legitur: *Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ (ὁ δεῖνα) εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ἀμήν· νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.*

[2] *Denz.* n. 696. [3] S. theol. 3, q. 66, a. 5.

[4] De sacr. disp. 21, sect. 4, n. 4.

subintelligitur: *per me,* sicuti expresse notant Arcudius et Goar in suis Euchologiis graecis [1].

Praeterea necessarium est, β) ut *subiectum* in forma baptismi significetur.

Si quis igitur omitteret verbum «te» nec aliquid aequivalens substitueret, e. g. «dominationem vestram», invalide baptizaret. Iuxta Rituale Romanum non tantum verbum «te», sed etiam nomen baptizandi exprimendum est, e. g. «Petre, ego te baptizo in nomine» etc.

Demum requiritur, γ) ut *actio baptizandi* exprimatur sive verbo «baptizare» sive alio verbo synonymo, e. g. «abluo, tingo» [2].

Quare si actio baptizandi nullo modo verbis expressa sit, baptismus est nullus, ut patet ex Decretali Alexandri III [3] et ex propositione damnata ab Alexandro VII: «Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: ‚In nomine Patris' . . . praetermissis illis: ‚Ego te baptizo'.» [4] Rationem vero reddit S. Thomas [5]: «Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc, quod dicitur: ‚In nomine Patris' . . ., quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Col c. 3. Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum vel per modum Graecorum, non perficitur sacramentum.»

b) Expressio explicita *trium personarum Trinitatis* est prorsus necessaria.

Disputant quidem theologi, num apostoli baptizaverint *in nomine Iesu,* cum in compluribus locis Novi Testamenti narretur apostolos hoc modo baptizavisse [6], et cum S. Ambrosius [7] et Nicolaus I [8] ita videantur docere. Merito dicit Billuart [9] utramque sententiam (tam negantem quam affirmantem) esse probabilem et pro utraque sententia stare auctores magni nominis. Pro affirmativa sententia citantur Magister Sententiarum, Albertus Magnus, S. Thomas, Scotus, Durandus, Valentia, Toletus aliique; pro negativa autem afferuntur Suarez, Estius, Sylvius, Natalis Alexander, Christ. Pesch, Schanz, Gihr aliique. Si quis spectat textus S. Scripturae, sententia affirmativa videtur quidem probabilior; sin autem consideratur, quam incongruum fuisset, a) quod ipsi apostoli egissent contra praeceptum Christi dicentis: «Euntes . . . baptizantes eos in nomine Patris etc.»; b) quod forma baptismi, qui est maxime necessarium sacramentum, alia fuisset tempore apostolorum ac sequentibus temporibus, tunc sententia negativa videtur probabilior. Quidquid id est, omnes theologi moderni docent, *hodie* non posse baptismum valide conferri in nomine Iesu, sed requiri expressam mentionem trium personarum SS. Trinitatis.

---

[1] Cf. *Billuart,* De bapt. diss. 1, a. 1.

[2] In lingua anglica adhibetur quandoque formula: «I christen thee»; apud gentes slavicas, e. g. Poloniae, Bohemiae, Moraviae etc. et etiam in Dalmatia (cf. de hac re *Lugo,* Respons. Mor. l. 1, dub. 3) habetur verbum «krstim te». Baptismus sub his et similibus formulis collatus videtur esse validus.

[3] c. 1, X 3, 42. [4] *Denz.* n. 1317. [5] L. c. ad 2.

[6] E. g Act 2, 38: «Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu»; Act 8, 12 et 16; 10, 48; Rom 6, 3.

[7] De Spir. S. l. 1, c. 3, n. 42 (*Migne,* Patr. lat. 16, 714).

[8] Responsa ad Bulgar. c. 104 (*Denz.* n. 335). [9] L. c. § 3.

104 **Resolutiones** sequentes ex dictis deduci possunt:

Invalidae sunt hae formulae: «Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis», quia non exprimuntur singulae personae Trinitatis; «Ego te baptizo in nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti», quia videtur multiplicari essentia divina[1]; «Ego te baptizo in Patre et Filio et Spiritu Sancto», omisso: «in nomine», quia haec forma non satis clare enuntiat unitatem essentiae divinae; «Ego volo tibi ministrare sacramentum baptismi peccatorum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen», quia non sufficit exprimere voluntatem baptizandi, sed debet dici: «Ego te baptizo». Baptismata sub istis quattuor formis collata declaravit S. Officium nulla d. 23 Iunii 1840[2]. Similiter invalida est formula: «Ego baptizo in nomine Patris etc.» omisso verbo «te», quia tunc non significatur subiectum baptismi.

Dubiae sunt formae sequentes: «Ego te baptizo nomine Patris etc.», omisso verbo «in». Affert autem Lehmkuhl[3] ex thesauro Resolut. S. Congr. Concilii (83, 136) complures decisiones S. Officii et S. Congr. Concilii, in quibus valida declarata fuit forma: «Ego te baptizo cum nomine etc.» (si sit sine mala intentione dicta). Videtur etiam valida forma: «Ego te baptizo in nomen», quia in textu graeco Evangelii habetur: εἰς τὸ ὄνομα. — «Ego te baptizo in virtute, in maiestate Patris», vel: «Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti», omisso verbo «et». De hac re scribit Lehmkuhl[4]: «Omissa vocula «et», si *bis* omittitur, aliqui putant dubium reddi baptismum; at si secundo loco ponitur, ante Spiritum Sanctum, non videtur dubitandum esse de valore baptismi, cum non semel tum a S. Congr. Concilii tum a S. Officio in tali casu decisum sit, «pueros de quibus agitur fuisse valide baptizatos, ideoque non esse baptizandos neque sub condicione'[5].» S. Alphonsus[6] putat formam non esse tutam, si dicatur: «Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filii etc.»; sed S. Officium die 11 Ian. 1882 declaravit: «Baptismum exposita forma collatum esse validum.» Idem iam declaratum est die 8 Sept. 1633 a S. Officio, quod validam agnovit formam: «Baptizet nunc manus mea in nomine Patris, baptizet nunc manus mea in nomine Filii, baptizet nunc manus mea in nomine Spiritus Sancti.»[7] — Sunt adhuc multae formae dubiae, quae videri possunt apud S. Alphonsum[8] vel Billuart[9]. Tamquam regula generalis haberi potest: Cum sacramentum baptismi sit tam necessarium et sine illo valide suscepto non possit ullum aliud sacramentum valide suscipi, quaelibet fere mutatio formae efficit, ut baptismus sub condicione iterari liceat, immo et saepe debeat. Cum igitur quodlibet fere verbum in forma baptismi sit essentiale, laici et praesertim obstetrices sedulo instruendae sunt a parochis in debita forma adhibenda, ne vel minima mutatio accidat.

In fine formae baptismalis non est addendum verbum «Amen», sicuti declaravit die 9 Iunii 1853 S. Rituum Congregatio dicens: «Strictim servetur Rituale Romanum.» In isto autem Rituali non habetur verbum «Amen». Unde corrigenda est sententia quorundam auctorum veterum, qui omissionem verbi «Amen» esse leve peccatum putabant[10]. —

---

[1] Cf. S. theol. 3, q. 66, a. 5 ad 6. [2] Collect. de Prop. Fide n. 901.
[3] Theol. mor. II, n. 89. [4] Ib.
[5] Cf. Resolut. S. C. C. 83, 136.
[6] Theol. mor. l. 6, n. 111. [7] Collect. de Prop. Fide n 74 et n. 1561.
[8] L. c. [9] De bapt. diss. 1, a. 1.
[10] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 11 et notam a Gaudé adiectam.

Si baptismus sub condicione iteratur, baptizans dicat: «Si non es baptizatus (a), ego baptizo te etc.[1].

Scholion. De haereticorum erroribus circa formam baptismi. 105 Circa formam baptismi complures haeretici erraverunt, ut Gnostici, Manichaei, Paulianistae, Ariani saltem posteriores, Eunomiani aliique. Etiam Pseudo-Reformatores saeculi XVI erraverunt. Sic e. g. Luther[2] scribit: «Quomodocumque tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit; immo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini.» Ex quibus videtur sequi, ut ministri Protestantes non tantam curam adhibere teneantur in recta forma pronuntianda, ac proinde facile irrita evadant baptismata ab illis collata. Unde recte agunt illi sacerdotes, qui sub condicione iterum baptizant redeuntes ex haeresi, si vel parvum dubium de priore baptismo exsistat.

CAPUT III.

De effectibus baptismi.

Praenotamen. Hic tractatur de effectibus baptismi fluminis seu de 106 sacramento baptismi. Circa effectus *baptismi flaminis et sanguinis* in cap. seq. sermo redibit. Interim haec notanda sunt: 1. neuter imprimit characterem, cum non sit sacramentum; 2. uterque producit gratiam sanctificantem, cum sit actus perfectae caritatis vel formalis vel obiectivus; 3. baptismus sanguinis remittere solet culpam quoque venialem et poenam temporalem; baptismus vero flaminis non semper omnem culpam venialem et poenam temporalem remittit, quando scil. actus caritatis elicitus non est sufficienter intensus. Sicut enim habitus caritatis coexsistere potest culpae veniali et poenae temporali, ita etiam actus caritatis.

Ex iure divino sex effectus et **ex iure ecclesiastico** unum 107 effectum producit *baptismus fluminis*. Effectus iuris divini sunt: 1. character indelebilis; 2. remissio omnis peccati; 3. remissio omnis poenae; 4. infusio gratiae sanctificantis, virtutum et donorum; 5. gratia sacramentalis; 6. incorporatio in Ecclesiam. — Effectus vero iuris ecclesiastici est cognatio spiritualis oriens inter baptizatum ex una parte et baptizantem et patrinum ex altera parte. De hoc effectu cognationis spiritualis hic nihil amplius dicimus, remittentes hanc materiam ad tractatum de matrimonio n. 836 sqq. — Omnes effectus iuris divini super uno principali fundantur, scil. super *regeneratione spirituali* facta per baptismum. «Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, prout scil. aliquis moritur veteri vitae et incipit novam vitam agere.»[3] Qua quidem nova vita importatur:

1. **character baptismalis,** i. e. signum indelebile dans potentiam 108 recipiendi cetera sacramenta, vivendi christiano modo et notanter credendi mysterium SS. Trinitatis, in cuius nomine explicito baptismus

---

[1] Rit. Rom. tit. II, c. 4, n. 40. [2] De captiv. Babyl.
[3] S. theol. 3, q. 66, a. 9.

collatus est. Iste character in quolibet baptismo fluminis valido imprimitur, etsi propter obicem exsistentem non datur gratia.

109 2. **remissio omnis peccati** tam originalis quam actualis. Unde S. Augustinus[1] docet: «Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, et originalia et propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur», et pulchre aeque ac enucleate S. Basilius[2] dicit: «Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum quod conatu nullo frangi potest, vehiculum ad coelum, regni conciliator, adoptionis donum.» — Concilium autem Tridentinum definit contra Protestantes: «Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S. In renatis enim nihil odit Deus.»[3] Similia habentur in Conciliis Lugdunensi II, Viennensi et Florentino[4]. *Infans* igitur baptizatus moriens ante adeptum rationis usum immediate in coelum transvolat, cum peccatum originale sit perfecte sublatum per baptismum neque peccata actualia adsint. Quando autem *adultus* recipit baptismum, neque peccatum originale neque peccata eius personalia tolluntur, nisi eliciat saltem actum attritionis de mortalibus peccatis personalibus. Peccatum enim personale, quod est voluntaria et inordinata aversio a Deo, non potest remitti, nisi homo illam aversionem destruat; quod quidem fit per contritionem aut saltem per attritionem. Deficiente ergo tali attritione baptismus non poterit auferre peccatum ullum (neque originale neque personale), sed remanebit sacramentum informe, usquedum attritio vel contritio supervenerit.

110 3. **remissio omnis poenae** sive aeternae sive temporalis. Poena aeterna in omni iustificatione remittitur simul cum culpa mortali. Per baptismum autem digne susceptum remittitur etiam poena temporalis. Etenim optime dicit S. Thomas[5]: «Passio Christi operatur in baptismo per modum cuiusdam *generationis*, quae requirit, ut homo totaliter priori vitae moriatur, ad hoc ut novam vitam accipiat. Et ideo tollitur in baptismo *totus reatus poenae*, qui pertinet ad vetustatem prioris vitae. Sed in aliis sacramentis operatur virtus passionis Christi per modum *sanationis*, ut in poenitentia. Sanatio autem non requirit, ut statim omnes infirmitatis reliquiae auferantur. Et eadem ratio est in aliis sacramentis.» Haec totalis remissio omnis culpae et poenae per baptismum cum a veteribus theologis vocabatur «*apertio ianuae regni coelestis*»[6], tum in disciplina Ecclesiae significatur per hoc, quod in baptismo adultorum non imponitur poenitentia salutaris implenda, sicuti e. g. fit post confessionem sacramentalem peractam. Per se autem

---

[1] De symb. ad catech c. 10 (*Migne*, Patr. lat. 40, 659).
[2] Hom. in s. Bapt. n. 5 (*Migne*, Patr. graec. 31, 433).
[3] Sess. 5, can. 5 (*Denz.* n. 792).
[4] *Denz.* n. 424 464 482 696.
[5] In ep. ad Rom. c. 11, lect. 4.
[6] Cf. S. theol. 3, q. 69, a. 7.

patet poenam peccati non remitti per baptismum, si propter obicem nec culpa ipsa sit remissa[1].

4. **infusio gratiae sanctificantis, virtutum et donorum.** 111 De fide est, gratiam santificantem infundi per baptismum, ut patet ex canone Concilii Tridentini modo citato. Certum est, praeter gratiam sanctificantem infundi omnes virtutes ac dona Spiritus Sancti.

Concilium quidem Viennense declaravit: «Quia quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis econtra asserentibus, quod et culpa iisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam»[2]. Concilium vero Tridentinum hanc doctrinam iam non ut opinionem mere probabiliorem, sed ut tenendam declaravit: «In ipsa iustificatione [quae fit quoque per baptismum] cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, caritatem.»[3] Licet autem virtutes infusae et dona ab infante nondum abhiberi possint actuali usu, sunt tamen illi in ornamentum animae et in dispositionem ad actus futuros[4].

5. **gratia sacramentalis,** quae nihil aliud esse videtur nisi 112 ipsa gratia habitualis cum iure specialis auxilii ad exercendam fidem, ad ducendam vitam vere christianam et ad alia sacramenta rite suscipienda.

6. **incorporatio in Ecclesiam.** Unde S. Bonaventura vocat 113 baptismum «signaculum Christianitatis»[5], et S. Thomas dicit: «Communis effectus baptismi est constructio ecclesiasticae unitatis.»[6] Quotiescumque igitur valide quis baptizatur, fit membrum verae Ecclesiae Christi, i. e. Ecclesiae catholicae. Ergo illi etiam, qui ab haereticis valide baptizantur, sunt et remanent membra Ecclesiae catholicae, usquedum post adeptum usum rationis libere consenserint haeresi. Quare recte dicuntur *redire* in gremium Ecclesiae illi, qui haeresim abiurant; redeunt enim, unde peccaminose exierunt. Omnis homo baptizatus, cum sit subditus Ecclesiae, etiam tenetur illi oboedire. Ergo haeretici quoque et schismatici subditi sunt legibus ecclesiasticis. Ita saltem per se; nam haud raro per accidens liberi sunt a poena et culpa (quae ferit catholicos transgressores legis) cum propter ipsorum ignorantiam invincibilem, tum propter benignam Ecclesiae dispensationem. Sic e. g. Pro-

---

[1] Cf. Cat. Rom. P. 2, c. 2, q. 33. [2] *Denz.* n. 483.
[3] Sess. 6, c. 7 (*Denz.* 800); cf. supra I, 472.
[4] Cf. Cat. Rom. P. 2, c. 2, q. 39 et S. theol. 3, q. 69, a. 6.
[5] 4, dist. 8, P. 1, a. 1, q. 1.
[6] S. theol. 3, q. 39, a. 6 ad 4.

testantes in bona fide licet erronea exsistentes non solent peccare, quando feria VI carnes manducant, ut dictum est supra I, 185 sqq.

Scholion. De reliquiis peccati originalis. Miseriae huius vitae (ut dolores, morbi, mors etc.) non tolluntur per baptismum, quia homo christianus debet conformari Christo, cui si compatimur, et simul conglorificabimur [1]. Post baptismum concupiscentia quoque seu *fomes peccati* remanet, qui ad agonem relictus est, sed non consentientibus nedum nocere non valet, immo etiam viriliter pugnantibus ad speciosam obtinendam coronam inservit [2].

CAPUT IV.

De necessitate baptismi.

114 **Principium.** *Baptismus est necessarius necessitate medii ad salutem aeternam; baptismus tamen fluminis quoad principalem effectum, scil. quoad gratiam sanctificantem, suppleri potest in adultis et in infantibus per baptismum sanguinis; in adultis vero insuper per baptismum flaminis.*

Principium enuntiatum habet tres partes: 1. baptismus est necessarius necessitate medii; 2. principalis effectus baptismi fluminis, scil. gratia sanctificans, obtineri potest ab *adultis* cum baptismo flaminis tum baptismo sanguinis. 3. Ab *infantibus* (aut perpetuo amentibus) idem effectus non potest obtineri nisi per baptismum sanguinis.

De prima et altera parte nulla controversia exsistit inter theologos catholicos. De tertia autem parte complures theologi, e. g. Durandus, Biel, Gerson, Toletus, Caietanus, Klee, Laurent, Schell etc. aliter sentiunt, putantes etiam sine baptismo fluminis aut sanguinis infantes posse salvari. Caietanus [3] haesitanter et «sub correctione» opinatur tales infantes posse salvari per baptismum non in re sed in voto parentum susceptum. Alii putant iuxta illud S. Ioannis: «Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum» [4], istos infantes ante mortem miraculose a Deo illuminari et salvari, si tali illuminationi consentiant, secus autem damnari. Ratio autem, quare isti theologi pro infantibus excogitaverint supplementum baptismi fluminis, est difficultas maxima, quomodo secus parvulis sufficientem praebeat Deus gratiam ad salutem aeternam, et quomodo secus vere dici possit: «Deus vult omnes salvos fieri.»

Nihilominus cum S. Scriptura tum SS. Patres tum definitiones Ecclesiae constanter docent omnimodam necessitatem baptismi. Sic dicit Christus Nicodemo: «Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei» [5], ad quem textum S. Ambrosius notat: «Utique nullum excipit; non infantem, non aliqua necessitate praeventum; . . . nemo ascendit in regnum coelorum nisi per sacramentum baptismatis.» [6] S. Augustinus dicit: «Noli credere nec dicere nec docere,

[1] Cf. Rom 8, 17 et S. theol. 3, q. 69, a. 3.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 5, can. 5 (*Denz.* n. 792).

[3] Comm. in 3, q. 68, a. 1 et 2. [4] Io 1, 9. [5] Io 3, 5.

[6] De Abrah. l 2, c. 11 (*Migne*, Patr. lat. 14, 521). Verba, quae immediate sequuntur in nonnullis editionibus operum S. Ambrosii, videntur esse interpolata. En ista verba: «Habeant tamen illam opertam poenarum immunitatem; nescio an habeant regni honorem.»

infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus[1].» S. Thomas docet: «Non potest iis [pueris] alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi.»[2] Concilium autem Tridentinum definit: «S. q. d. baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, A. S.»[3]

Quoad principalem effectum, i. e. gratiam sanctificantem, in casu 115
necessitatis baptismus fluminis suppleri potest, et quidem:

1. *per baptismum flaminis*, qui est actus perfectae caritatis cum voto baptismi, ut supra n. 97 dictum est. Per se patet infantes ante usum rationis non valere (sine miraculo) hunc flaminis baptismum suscipere, quia nequeunt elicere ullum actum perfectae caritatis. Baptismus flaminis causat gratiam sanctificantem, quatenus coniungitur cum voto quantocius suscipiendi baptismum aquae.

Baptismum *flaminis* revera causare gratiam sanctificantem est de fide. Definit enim Concilium Tridentinum[4]: Iustificatio impii est «translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum salvatorem nostrum, quae quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis *aut eius voto* fieri non potest.» Sub isto voto baptismi intelligitur baptismus flaminis. S. Pius V damnavit sequentem propositionem Baii (31): «Caritas perfecta et sincera, quae est de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.»[5] Idem constat ex Innocentio III[6] et ex pluribus SS. Patribus iam supra n. 97 citatis. Accedit auctoritas S. Thomae docentis: «Sine baptismo actuali [aliquis] salutem consequi potest propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur.»[7] — Desiderium baptismi non necessario debet esse explicitum, sed videtur sufficere *implicitum*, quod cum actu perfectae caritatis habetur. Quando ergo catechumenus cum auxilio Dei moventis elicit actum perfectae caritatis, semper gratiam sanctificantem recipit; quodsi autem postea baptismum suscipit, gratia augetur et sacramentum (per accidens) non dat, sed auget gratiam; sin vero culpabiliter negligit suscipere baptismum, transgreditur grave praeceptum Christi, ac proinde mortaliter peccando amittit gratiam prius habitam.

2. *per baptismum sanguinis* seu martyrium toleratum propter fidem 116
aliasque virtutes religiosas tuendas baptismus fluminis suppletur tam in adultis quam in infantibus. Supra II, n. 622 quando sermo fuit de virtute fortitudinis, iam satis dictum est de essentia et effectibus martyrii.

Baptismus sanguinis seu martyrium dat gratiam sanctificantem non tantum adultis usum rationis habentibus, sed etiam infantibus. Ita constans doctrina Ecclesiae celebrantis festum «Innocentium» pro Christo occisorum. Rationem autem affert S. Thomas: Baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi, cui configuratur. Porro per martyrium omnis homo etiam infans valde per-

---

[1] De anima l. 3, c. 9 (*Migne*, Patr. lat. 44, 516).
[2] S. theol. 3, q. 68, a. 3.
[3] Sess. 7, can. 5 de bapt. (*Denz.* n. 861).
[4] Sess. 6, c. 4 (*Denz.* n. 796).
[5] *Denz.* n. 1031.
[6] c. 4, X 3, 42 et c. 2, X 3, 43.
[7] S. theol. 3, q. 68, a. 2.

fecto modo configuratur Christo crucifixo. Ergo convenit, ut martyrium habeat principalem effectum baptismi, scil. gratiam sanctificantem. Praeterea in adultis martyrium semper coniunctum est cum perfecto actu caritatis secundum illud: «Maiorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.»[1] — Martyrium operatur remissionem culpae et poenae quasi ex opere operato, non vero praehabito formali actu contritionis aut caritatis; quod quidem per se patet in infantibus, quippe qui non sint capaces ad eliciendum istos actus. In adultis autem martyrium non est minoris efficaciae quam in infantibus; ac proinde nec in ipsis requiritur formalis actus perfectae caritatis aut contritionis, requiritur vero fides et spes, cum secus non sint veri martyres; insuper requiritur aversio a peccatis personalibus commissis, per attritionem, quia nullum peccatum remittitur sine detestatione eius, ut iam supra n. 109 dictum est. S. Thomas[2] simpliciter dicit: «Martyrium purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem invenerit peccato inhaerentem.»

117 **Scholion. De sorte infantium sine baptismo mortuorum.** Theologi agentes de necessitate baptismi solent tractare de sorte infantium sine baptismo morientium. Cum autem haec quaestio potius ad Dogmaticam quam ad Moralem pertineat, cum praeterea nihil certi de illa dici possit, non tangimus illam nisi per transennam. Concilium Florentinum definivit: «Illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.»[3] Ex quibus verbis videtur sequi, 1° ut nonnulli homines decedant cum solo peccato originali; 2° ut iidem poenas patiantur. Exinde exclusae sunt sententiae illorum theologorum, qui in infantibus morientibus admittunt aliquam miraculosam illuminationem in articulo mortis, qua admissa salvantur, qua autem reiecta damnantur. Tunc enim haberetur aut salus aeterna ex gratia admissa aut infernus ex gratia reiecta et peccato actuali. Pariter exclusae sunt illae sententiae, quae admittunt beatitudinem naturalem saltem *perfectam*. Nam quomodo beatitudo perfecta exsistere possit cum poenis, quibus afficiuntur isti infantes? Infantes enim in resurrectione ante ultimum iudicium certo cognoscent exsistentiam coeli et praeterea unusquisque homo habet *naturale* desiderium videndi Deum per essentiam[4]. Attamen isti infantes non habent poenam *sensus*, ut S. Thomas[5] docet cum sententia communissima contra Gregorium de Arimini; quia poena sensus non debetur nisi propter inordinatam conversionem ad bona terrestria, quae quidem inordinata conversio non potest esse in infantibus. Quae cum ita sint, vel aliqua poena levissima in limbo puerorum cum S. Augustino[7] admittenda est, vel cum S. Thoma[6] concedi potest, istos infantes multum gaudere de naturali cognitione et dilectione Dei. — Praeterea rectam voluntatem habentes et bene cognoscentes se non mereri beatitudinem supernaturalem, non ita dolent de carentia visionis beatificae[8].

---

[1] Io 15, 13. [2] S. theol. 3, q. 87, a. 1 ad 2.

[3] *Denz.* n. 693. Cf. etiam verba satis dura Concilii Milevitani II. *Denz.* n. 102, nota 3.

[4] Cf. S. theol. 1, q. 12, a. 1.

[5] De malo q. 5, a. 2.

[6] Contra Iulian. l. 5, c. 11, n. 44 (*Migne*, Patr. lat. 44, 809).

[7] 2, dist. 33, q. 2, a. 2 ad 5 et De malo q. 5, a. 3.

[8] Cf. Syn. Pistor. prop. 26 (*Denz.* n. 1526) et *Schanz*, Die Lehre v. d. Sakr. I, § 20.

CAPUT V.

De ministro baptismi.

Doctrina et praesens praxis de ministro baptismi ita enuntiatur a 118
Rituali Romano[1]: «Legitimus quidem baptismi minister est parochus vel alius sacerdos a parocho vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine sollemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico sive laico, etiam excommunicato, sive fideli sive infideli, sive catholico sive haeretico, sive viro sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiae.... Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat.» — Duplex distinguitur minister baptismi: alter baptismi *sollemnis*, qui cum omnibus caeremoniis praescriptis administratur; alter non sollemnis, qui his caeremoniis omissis datur praesertim in periculo mortis. Periculum mortis (cum non sit idem quod articulus mortis) censetur adesse, quando timetur, ne baptizandus moriatur, antequam recipiat baptismum sollemnem. Hinc absente sacerdote in locis missionum catechetae aliive laici solent baptizare infantes recenter natos, qui, quamvis nunc bene valeant, tamen facile mori possunt ante adventum sacerdotis. Minister baptismi sollemnis iterum duplex est: alter ordinarius et ex officio; alter delegatus. — Quibus praemissis ponuntur sequentes tres propositiones:

1. **Minister baptismi non sollemnis** *est quilibet homo usum* 119
rationis habens ac volens et potens rite applicare formam ad materiam. Ergo e. g. homo perfecte mutus numquam, nec etiam in extrema necessitate, valide baptizare potest. — Haec doctrina de ministro baptismi non sollemnis est nunc de fide definita in pluribus Conciliis, e. g. a Concilio Lateranensi IV: «Sacramentum baptismi ... a quocumque rite collatum proficit ad salutem.»[2] Concilium vero Florentinum definit: «In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia.»[3] — Rationem *congruentiae* assignat S. Thomas[4]: «Ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est, ut et materia baptismi sit communis, scil. aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur.»

Inter antiquos Patres S. Cyprianus non agnovit validum esse baptismum collatum a laico[5]. S. Augustinus autem certe admisit validitatem baptismi

---

[1] Tit. 2, c. 1 de sacr. bapt. n. 12—14.
[2] Apud *Denz.* n. 430. [3] *Denz.* n. 696. [4] S. theol. 3, q. 67, a. 3.
[5] Ep. 73, 7, 8 (*Migne*, Patr. lat. 3, 1159).

a laico collati dicens: «Etsi nulla necessitate usurpetur [baptismus] et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum»[1]; sed tamen videtur aliquantisper dubitare, num non tantum laicus, sed etiam paganus possit baptizare[2]. Tertullianus more suo invehit acerrime contra mulieres baptismum conferentes, sed non ita apparet, num tales baptismos putet prorsus invalidos[3]. De validitate baptismi collati sive a laico sive a muliere sive a pagano tractat Angelicus Doctor[4] et principaliores difficultates ex historia ortas solvit.

120 2. **Minister ordinarius baptismi sollemnis** *est solus parochus (vel Ordinarius)* seu aliis verbis: ius sollemniter baptizandi est *ius privative paroeciale*. Quicumque igitur sollemniter baptizat sine parochi aut Ordinarii licentia (expressa vel saltem rite praesumpta), laedit graviter ius alterius et committit peccatum grave[5]. Quod quidem ius paroeciale est *territoriale* et non personale[6], cum iuxta ius commune baptismus sollemnis administrari nequeat nisi in ecclesia paroeciali. Unde parochus non potest ex propria auctoritate baptizare suos subditos fortasse extra territorium paroeciae degentes; potest autem baptizare vagos et peregrinos in suo territorio versantes, saltem si isti non facile et sine mora ad proprium parochum portari possint[7]. Iuxta praesentem disciplinam, quotiescumque mulier peperit extra locum sui domicilii aut quasi-domicilii, melius est (propter libros baptismales bene gerendos), ut infans baptizetur in propria paroecia (si hoc commode et sine mora fieri possit); potest tamen etiam licite baptizari in paroecia nativitatis peractae, ut dictum est. Cum iste casus nostris diebus frequenter accidat in hospitalibus destinatis pro puerperis, observanda sunt statuta particularia vel legitimae consuetudines. — Quae de iure conferendi baptismi dicta sunt, valent etiam de caeremoniis supplendis, quando in casu necessitatis baptismus iam ab alio collatus fuit.

Si agitur de baptismo *condicionato*, qualis adhiberi solet in conversione haereticorum, servanda sunt statuta particularia. Cum baptismus condicionatus hodie in nonnullis regionibus soleat fieri sine caeremoniis non constat de iure paroeciali; ac proinde in qualibet ecclesia vel sacristia fieri potest, nisi episcopus aliud statuerit. In archivo tamen istius ecclesiae documentum baptismi collati conservetur. Melius adhuc est, si in registro ecclesiae quoque *paroecialis* idem baptismus notetur, cum in libro baptismorum paroeciae adnotari debeat unusquisque, qui postea matrimonium iniit. Quod quidem fieri nequit, si in registro ecclesiae paroecialis non habentur omnia nomina baptizatorum. — Etiam baptismus condicionatus iuxta modernam disciplinam a sacerdote et in loco sacro, saltem in sacristia aut in aliquo sacello, fieri debet, unde extra casum necessitatis non decet aliter agere.

---

[1] Contra ep. Parm. l. 2, c. 13, n. 29 (*Migne* l. c. 43, 71).

[2] De bapt. l. 7, c. 53, n. 102 (*Migne* l. c. 43, 234).

[3] De bapt. c. 17 (*Migne* l. c. 1, 1219). [4] L. c. a. 3—5.

[5] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 115, notandum 2°.

[6] Cod. iur. can. c. 739. Utrum et quomodo parochi personales (e. g. parochi castrenses) possint baptizare suos subditos, inspiciendum est ex statutis particularibus aut ex legitima consuetudine.

[7] Cod. iur. can. c. 738, § 2.

Adultorum baptismus sollemnis, ubi commode fieri potest, ad episcopum vel vicarium generalem deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel eius delegato sollemnius conferatur [1].

3. **Minister delegatus baptismi sollemnis** *est quilibet sacerdos aut diaconus (nulla censura ligatus).* Parochus aut loci Ordinarius potest etiam sine ratione delegare quemcumque *sacerdotem dignum,* cum sacerdos sit minister ordinarius baptismi. Diaconus autem, licet in ordinatione sua recipiat facultatem sollemniter baptizandi, tamen iuxta praesentem disciplinam Ecclesiae non est nisi minister *extraordinarius,* ac proinde non potest licite baptizare, nisi haec duo adsint: 1. commissio parochi (vel Ordinarii) loci et 2. iusta causa [2]. Commissio (expressa vel saltem tacita) parochi videtur esse necessaria, immo iuxta sententiam, quam S. Alphonsus [3] probabiliorem et communissimam vocat, diaconus sine tali commissione sollemniter baptizans incurreret irregularitatem. Sententia tamen negans irregularitatem est tuta; textus enim, qui citatur pro opposita sententia, potius contrarium probat. En verba: «Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit *non ordinatus,* propter temeritatem abiciatur de Ecclesia et numquam ordinetur.» [4] Porro diaconus in sua ordinatione expresse recipit facultatem baptizandi [5]. Ergo non potest vocari «non ordinatus». — Sin autem subdiaconus vel alius clericus aut laicus temere confert baptismum sollemnem, est irregularis. In casu necessitatis diaconus potest etiam ex praesumpta licentia parochi sollemniter baptizare [6]. Ratio autem, quare diaconus ordinarie nequeat sollemniter baptizare sine commissione parochi, est, quia diaconi (ut iam eorum nomen indicat) sunt tantum ministri coadiutores, et non pertinet ad illos aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere. Ita Angelicus Doctor [7] tradens hanc regulam generalem: «Qui non potest consecrare eucharistiam, non potest sollemniter aditum ad hoc sacramentum aperire. Baptismus autem est aditus ad eucharistiam et ad omnia alia sacramenta. Ergo diaconus non valens consecrare eucharistiam nequit sollemniter baptizare ex propria auctoritate.» 121

Nota. Diaconus sollemniter baptizans non potest salem aut aquam benedicere, sed debet uti istis rebus a sacerdote benedictis [8].

4. **Ordo servandus inter ministros necessitatis** hoc modo a Rituali Romano statuitur: «Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino 122

---

[1] Cod. iur. can. c. 744.

[2] Ib. c. 741. Ordinarius loci vel parochus potest delegare diaconum ad sollemniter baptizandum *ex iusta causa,* e. g. quia ipse aegrotat vel absens est vel occupatus est confessionibus audiendis etc.

[3] Theol. mor. l. 6, n. 116. [4] c. 1, X 5, 28.

[5] Ita etiam *Noldin,* De sacr. n. 63, et *Gasparri,* De s. ordinat. n. 339.

[6] Cod. iur. can. c. 741. [7] S. theol. 3, q. 67, a. 1.

[8] S. C. R. d. 10 Febr. 1888 (Decr. auth. n. 3684).

editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi.» Unde mortale est peccatum: 1. si non-sacerdos praefertur sacerdoti *digno;* 2. si infidelis, haereticus, schismaticus vel excommunicatus vitandus praefertur sine necessitate homini catholico; 3. si quis non-parochus praefertur proprio parocho praesenti et volenti baptizare. Recte autem notat Lehmkuhl[1]: «Grave peccatum est illa ordinis inversio cum ex parte ministri tum ex parte eius, qui ita fieri petit aut approbando permittit.» In aliis casibus inversio ordinis stabiliti non videtur esse peccatum mortale. Unde e. g. laicus coram diacono vel clerico baptizans non peccat mortaliter[2]. Pater autem et mater non possunt licite baptizare propriam prolem etiam in periculo mortis, quando alius capax et volens adest. Ita ex praecepto Ritualis, quod tamen non videtur obligare, exsistente serio dubio, num alius praesens revera habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Tale dubium haud est temerarium, si e. g. medicus praesens est homo nullius religionis. Tunc melius et securius est, si parens propriam prolem in periculo mortis baptizat.

123 **Scholion. De baptismo necessitatis collato a laicis.** De baptismo infantium, qui in periculo mortis baptizati fuerunt ab obstetricibus aliisque laicis, sequentia sunt observanda: Parochus tenetur sedulo instruere laicos, imprimis autem obstetrices et medicos in recto modo baptizandi[3]. Insuper praestat aliquoties examinare obstetrices, num revera recte calleant modum baptizandi. Quotiescumque autem obstetrix vel alius laicus in casu necessitatis baptizaverit, parochus debet investigare, num omnia essentialia ad validitatem adfuerint. Bonus modus faciendi istam investigationem est, si parochus non ponit quaestiones determinatas, sed si dicit obstetrici: narra mihi, quomodo egeris. Tunc facile percipiet, num quid essentiale omissum sit. Si parochus haeret anceps, an baptismus collatus fuerit validus, debet sub condicione rebaptizare; secus solas caeremonias baptismales supplere.

CAPUT VI.

De subiecto baptismi.

124 **Principium.** *Subiectum baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus.* Dicitur 1°: *omnis* homo viator. Ergo nulla datur exceptio, ac proinde si quis miraculose nasceretur sine peccato originali, adhuc indigeret baptismo, ut reciperet characterem baptismalem et incorporaretur Ecclesiae[4]. Unde theologi communiter docent, etiam B. Virginem Mariam esse baptizatam[5]. Parvulos esse capaces baptismi etiam ante usum rationis est de fide pluries definitum, e. g. in Concilio Tridentino[6]: «S. q. d. parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos;

[1] Theol. mor. II, n. 93. [2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 117.
[3] Cod. iur. can. c. 743. [4] Cf. *S. Thomas,* S. theol. 3, q. 68, a. 1 ad 3.
[5] *Bened. XIV,* De canoniz. sanct. l. 4, P. 2, c. 21, n. 14.
[6] Sess. 7, can. 13 de bapt. (*Denz.* n. 869).

aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, A. S.» Ratio autem est, quia sicut in Vetere Lege infantes circumcidebantur ad delendum peccatum originale, ita a fortiori in Nova Lege infantes baptizandi sunt ad eundem effectum obtinendum. Insuper sine baptismo non datur morienti salus aeterna, ut supra dictum est. Porro magnum periculum mortis praesertim parvulis imminet. Ergo quantocius sunt baptizandi. Quando homo iam non est viator, sed mortuus, non potest baptizari, quia omnia sacramenta instituta sunt pro solis vivis. — Dicitur 2°: nondum baptizatus, quia baptismus nequit iterari.

Dispositiones subiecti. *In infantibus* nulla requiritur dispositio, 125
ut valide et licite possint baptizari. Idem valet de adultis *perpetuo amentibus;* qui autem, si usu rationis fruebantur, antequam in amentiam inciderunt, non possunt valide baptizari, nisi ante amentiam contractam aliquo modo manifestaverint voluntatem suscipiendi baptismum. Quodsi exsistit dubium de tali manifestatione, possunt sub condicione baptizari, praesertim si in periculo mortis versantur, aut iam nulla spes adest recuperandae sanae mentis. Quando post baptismum sic condicionate collatum amens inopinate usum rationis recuperaverit, investigatio de eius intentione facienda est, qua investigatione facta si dubium aliquod remanet, baptismus condicionate iterandus est.

In adultis requiritur ad valorem baptismi suscipiendi intentio saltem habitualis, ut ex supra n. 87 dictis de sacramentis in genere patet.

Postquam haec dicta sunt de subiecto, quod valide baptizari potest, afferenda sunt quaedam specialia praecepta ab Ecclesia lata: 1. de baptizandis infantibus tam catholicorum quam acatholicorum; 2. de baptizandis foetibus nondum natis vel abortivis; 3. de baptizandis adultis.

ARTICULUS I.

De baptizandis infantibus catholicorum et acatholicorum.

1. **Infantes parentum catholicorum** quam primum baptizandi 126
sunt. Hinc iubet Codex iur. can. c. 70: «Infantes quamprimum baptizentur et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant.» Ratio est, quia vita infantium tam tenera est, ut facillime et citissime mors accidere possit, et tunc ianua coeli illis pro tota aeternitate remaneret clausa. Quapropter Leo XIII vehementissime reprobat consuetudinem differendi baptismum infantium: «Nil sane hac mala consuetudine iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium: utpote quae non solum tot animarum aeternam salutem inexcusabili temeritate in manifestum periculum infert, sed eas insuper intra id temporis certo fraudat ineffabilibus gratiae sanctificantis charismatibus, quae per regenerationis lavacrum infunduntur.... Non possumus, quin tam detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, *ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et*

exsecremur.» [1] Ex iure communi nullum tempus determinatum est, intra quod infantes baptizandi sunt; ex iure autem particulari non raro praescriptum est, ne infantium baptismus ultra unam alteramve hebdomadam differatur.

Disputant theologi, *quaenam dilatio baptismi infantium sit grave peccatum.* Si alicubi exsistit lex particularis de hac re, observanda est eiusque transgressiones diiudicandae sunt iuxta mentem legislatoris; sin autem deest lex particularis, (excluso gravi scandalo pro populo et periculo mortis pro infante) prorsus impossibile est assignare, quaenam accurata dilatio sit peccatum mortale. De hac re scribit S. Alphonsus [2]: «Palaus ex Suarez putat dilationem ultra mensem esse gravem, si non adsit causa; si vero adsit, esse gravem, duos menses. Fere idem sentit Laymann. . . . Salmanticenses autem censent non esse mortale minus differre quam ultra quindecim vel viginti dies etiam sine urgenti ratione. Juénin contra, iuxta morem suum arctandi conscientias usque ad extremum, dicit ultra unum vel alterum diem baptisma differri non debere. Tournely autem putat dilationem non esse extendendam ultra quinque vel sex dies . . ., sed communius et probabilius Sotus, Leander et Ledesma apud Concina ac Roncaglia dicunt non esse gravem dilationem, nisi *decem vel undecim dies* excedantur.» — In tanta sententiarum multitudine, quae clare demonstrat nihil certi ad hanc quaestionem responderi posse, parochi et confessarii adhortentur instantissime parentes, ne differant sine urgentissima causa baptismum prolis [3].

127 2. **Infantes parentum haereticorum et schismaticorum** ex stricto iure (quia scil. sunt subditi legibus ecclesiasticis) baptizari possent ab Ecclesia catholica; sed nihilominus Ecclesia non utitur isto iure, immo et prohibuit parochis, ne baptizent tales infantes, nisi adsit spes illos educandi in religione catholica [4].

Notanda est hac in re responsio S. Officii die 26 Aug. 1885: «Si propter defectum ministri protestantici infans baptizandus offertur parocho vel alii sacerdoti catholico a parentibus protestanticis, qui tamen nolunt promittere educationem catholicam istius infantis, num possit in isto casu parochus baptismum conferre ad salvandam animam infantis abstrahendo quid eventurum sit, si infans ad annos discretionis pervenerit? R. Negative, praeterquam in articulo mortis.» Ista responsio videtur esse praesertim data pro casu, quo parentes adeunt parochum catholicum unice propter defectum ministri protestantici. Si enim parochus tunc *sollemniter* baptismum conferret, magnum scandalum oriretur. Sin autem in isto casu parochus baptismum solum *privatim* et sine omnibus caeremoniis confert, quia alius non adest, qui certo valide baptizaret, et si saltem aliqua spes probabilis ex-

[1] Ep. ad episc. Anglonens. d. 22 Iulii 1899 (Collect. de Prop. Fide n. 2060).

[2] Theol. mor. l. 6, n. 118.

[3] *Noldin* (De sacr. n. 66) putat post *Ballerini-Palmieri* (Opus theol. IV, n. 745) et *Génicot* (Theol. mor. II 146), dilationem etsi notabilem non esse arguendam gravis peccati, modo adsit seria voluntas non negligendi baptismi nec mortis periculum vere timendum sit. Quae quidem sententia videtur esse satis laxa et opposita verbis Leonis XIII supra citatis. In aliquibus tamen regionibus parentes excusantur a peccato mortali propter conscientiam erroneam. — De dilatione baptismi adultorum infra n. 134 sermo erit.

[4] S. Offic. d. 17 Maii 1916.

sistit fore ut proles in vera fide educetur, putamus illum licite agere, cum sic consulat saluti aeternae infantis, nec serium scandalum inde oriri videatur.

Baptizari possunt infantes illorum parentum catholicorum, qui propter indifferentismum aut etiam odium in Ecclesiam detrectant baptismum. Etenim cum isti parentes nondum publice apostataverint a vera religione, adhuc aliqua spes adest fore, ut infantes post adeptum usum rationis instruantur in religione catholica. — Si in articulo mortis versatur infans nondum baptizatus, caritas graviter exigit, ut unusquisque baptismum ipsi conferat etiam contra voluntatem parentum[1].

Parochus potest licite baptizare infantem *alterutro parente* consentiente et promittente educationem catholicam, licet certo praevideat alterum parentem esse contradicturum et educatum iri prolem in haeresi[2].

Postquam infans pervenit ad annos discretionis, potest baptizari ipso petente et volente, quamvis contradicant parentes haeretici. Attamen propter iniquas leges civiles in multis regionibus vigentes saepe praestat ad maiora mala vitanda differre baptismum (saltem sollemnem) usque ad aetatem illam, quae concedit filiis ius vivendi in vera religione, contra voluntatem parentum. Interim autem talis filius bene instruatur in religione catholica et saepe eliciat actum perfectae caritatis, ut ita recipiat baptismum flaminis atque in statu gratiae sanctificantis versetur. Insuper debet pro viribus cavere omne periculum proximum perversionis. In positivis legibus ecclesiasticis posset obtinere dispensationem, e. g. in legibus Missae audiendae, abstinentiae etc., sed non posset ficte recipere Coenam in ecclesia Protestantica.

3. **Infantes parentum infidelium** non possunt (extra articulum 128
mortis) baptizari insciis vel invitis parentibus. De qua re scribit S. Thomas[3]: «Infidelium filii aut habent usum rationis aut non habent. Si autem habent, iam ad ea, quae sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum.... Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur.... Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur.» Immo *positive prohibuit* Ecclesia, ne tales filii extra articulum mortis baptizentur[4].

In triplici casu isti infantes baptizari possunt, scil. 1. quando versantur in eo periculo mortis, ut prudenter praevideantur morituri, antequam usum rationis attingant; 2. quando extra potestatem parentum

---

[1] Cod. iur. can. c. 751. [2] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II 114.

[3] S. theol. 3, q. 68, a. 10.

[4] Cf. *Bened. XIV*, Const. «Postremo mense» d. 28 Febr. 1747, qui nixus praesertim super doctrinam S. Thomae tractat in longum et latum quaestionem de baptizandis hebrais et infidelibus tam infantibus quam rationis compotibus (*Denz.* 1480 sqq.).

et tutorum positi possunt in catholica religione educari. Hic ultimus casus frequenter accidit in regionibus missionum, ubi infantes a parentibus exponuntur aut venduntur; 3. si parentes infideles ambo, aut saltem alteruter, aut ille, qui loco parentum utitur paterna auctoritate, consentit in baptismum infantis, et aliqua saltem spes adest fore, ut educatio christiana habeatur vel periculum perversionis futurae non sit ita proximum et certum. Tertia exceptio per se patet atque confirmata est a Curia Romana [1]. — Ratio primae exceptionis est, quia in articulo mortis salus aeterna infantis procuranda omnino exigit, ut baptismus illi conferatur. Attamen si in tali casu ex baptismo collato oriretur magnum damnum pro bono communi, e. g. persecutio religionis, tunc supersedere oportet a baptismo; quia bonum privatum infantis debet cedere bono communi societatis. S. Officium die 18. Iulii 1894 statuit, ut infantes possint baptizari non solum in articulo, verum etiam in periculo mortis, immo etiam quando praevidetur illos non esse perventuros ad annos discretionis [2]. — Ratio autem secundae exceptionis est, quia unicum obstaculum baptismi conferendi est educatio gentilis et periculum perversionis. Porro istud obstaculum aufertur in casu [3].

Scholion. De baptizandis infantibus expositis. Infantes expositi [4] ordinarie sub condicione baptizandi sunt, nisi tamen constet illos validum baptismum iam suscepisse [5]. Sin autem ex schedula infanti apposita habeatur *moralis certitudo* baptismi suscepti, non licet rebaptizare.

ARTICULUS II.

De infantibus nondum natis et de foetibus abortivis baptizandis.

Notiones. Sub nomine *infantis* hic intelligitur homo «viabilis», i. e. infans, qui extra uterum maternum vivere valet; quod quidem solet accidere post *septimum mensem* gestationis. *Foetus* autem est homo conceptus, sed non viabilis.

129 1. **Infans in utero materno exsistens,** qui iam est perfecte formatus et partui proximus, baptizari potest et debet, si versatur in periculo vitae. *Potest* quidem tunc baptizari, quia hodie medici habent instrumenta tam perfecta, ut cum morali certitudine caput infantis vel

---

[1] Cf. S. Offic. d. 13 Febr. 1867 (Collect. de Prop. Fide n. 1302); Cod. iur. can. c. 750.

[2] Cf. Collect. de Prop. Fide n. 1877.

[3] Quando, non obstante prohibitione Ecclesiae, infans parentibus infidelibus aut iudaeis invitis baptizatus est, debet etiam per vim educari in fide catholica. Ita factum est in celebri casu Edgari Mortara, qui baptizatus ab ancilla postea invitis parentibus iudaeis educatus est in religione catholica iussu Pii IX. Quando iste puer ad annos discretionis pervenit, libere elegit remanere in religione catholica, et postea factus est canonicus regularis Lateranensis.

[4] Vulgo: Findelkinder, foundling.

[5] *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 7, c. 6, n. 5; Acta Conc. Plen. Americae latinae (1899) n. 502; Cod. iur. can. c. 749.

saltem alia principalis pars corporis eius ablui possit aqua. *Debet* autem baptizari, quia secus salus eius aeterna periclitatur aut etiam destruitur.

Baptismus collatus infanti adhuc *totaliter clauso* in utero matris debet post felicem partum sub condicione iterari, tametsi medicus testatur aquam attigisse caput infantis in utero [1]. Sin autem «infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub condicione baptizandus» [2].

De sectione caesarea [3]. Oportet distinguere, utrum sectio cae- 130
sarea fiat vivente aut mortua matre.

a) *Num sectio caesarea debeat fieri vivente matre?*

Quia baptismus valide conferri potest cum morali certitudine infanti in utero materno, mater iam numquam videtur habere *strictam obligationem* patiendi sectionem caesaream propter baptismum infanti conferendum. Sectio enim caesarea semper causat matri grave periculum mortis, quod illa non tenetur subire, cum salus spiritualis infantis alio modo haberi possit. Propter salutem autem *corporalem* prolis mater non tenetur exponere propriam vitam maximo periculo. Nihilominus mater potest aliquando licite permittere sectionem caesaream ad salvandum infantem et eius baptismum *securius* reddendum, nisi tamen ex morte forte secutura matris gravissima incommoda orirentur marito vel alii proli iam natae.

b) *Num sectio caesarea fieri debeat mortua matre α) ad baptizandum foetum, β) ad salvandam vitam corporalem infantis?*

Respondetur ad *α*): Si medicus adest, qui potest et vult facere istam operationem, illa debet utique fieri ad salvandam animam infantis. Secus autem tot tantaque incommoda ex legibus civilibus aliisque circumstantiis solent oriri, ut sacerdos non teneatur eam urgere. S. Officium die 13 Dec. 1899 interrogatum de hac obligatione iussit dare Responsum iam emissum d. 15 Febr. 1780 [4], in quo habetur: «Haec foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda sit, expresse tamen cavet prohibetque Sanctitas sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda.» *Ceterum si infans est partui proximus, potest baptizari ope alicuius instrumenti sine sectione caesarea*, ut supra dictum est. In primis autem quattuor mensibus neque conceptio ipsa est certa neque a fortiori est certum exsistere foetum adhuc viventem, cum sit certum moraliter foetum tam tenerem non supervivere matri mortuae. Ergo tunc non est

---

[1] Ita S. C. C. d. 12 Iulii 1794 et 16 Martii 1897; Cod. iur. can. c. 746, § 5.

[2] Ita Rit. Rom. tit. 2, c. 1, n. 16; Cod. iur. can. ib. § 2 et 3.

[3] Quid sit sectio caesarea, iam supra II, n. 133 dictum est.

[4] Collectan. de Prop. Fid. n. 541 et 2073.

obligatio gravis cum magno incommodo perficiendi sectionem caesaream. —

Respondetur ad β): Si adest revera fundata spes servandi vitam prolis, sane ista operatio chirurgica est facienda, cum hoc exigat ordo caritatis. Talis autem spes adest, si proles iam a septimo mense concepta est, si mater non per longum diuturnumque morbum consumpta est, et si sectio fit statim post secutam mortem matris. Etenim a septimo mense proles est viabilis, uti dicunt; longus autem matris morbus solet etiam proli nocere eiusque mortem causare in utero materno [1].

131 2. **Foetus abortivus** omnis etiam minimus saltem sub condicione baptizandus est; nisi ex eius putredine constet illum esse exanimem. Ratio est, quia a compluribus auctoribus probabiliter docetur statim post conceptionem animam coniungi foetui. Ergo quilibet foetus vivens censetur homo, cui proinde baptismus est omnino necessarius. In praxi difficile est aliquando iudicare, utrum foetus emissus sit vivus an mortuus. Si est certo vivus, baptizetur absolute, sin autem dubie vel si minima probabilitas vitae exsistat, foetus baptizandus est sub condicione: si vivis. De modo autem baptizandi haec notentur iuxta Capellmann [2]: Foetus eiectus caute sumatur, et ponendo illum in aquam tepidam (non frigidam) eius velamenta disrumpantur, ita ut liquor amnii effluat et aqua tangere possit ipsum foetum. Tunc statim pronuntietur forma: «Si es vivus, ego te baptizo ...», et deinde ex aqua retrahatur. Ratio huius modi agendi est, quia invalidus est baptismus collatus super sic dictas «secundinas». Quando autem secundinae extra aquam disrumperentur, periculum esset, ne foetus ex contactu aeris subito moreretur. Sin vero sub aqua secundinae disrumpuntur, istud periculum non est ita imminens, et praeterea maior est probabilitas, ut aqua revera tangat foetum. — Matres, obstetrices et medici diligenter ac prudenter monendi sunt, ne omittant baptizare foetus abortivos. Saepissime enim tales abortus (sive culpabiliter sive inculpabiliter) accidunt, et nisi tunc baptismus confertur, innumeri infantes a regno coelorum excluduntur.

132 **De monstris** [3] **baptizandis.** Rituale Romanum et Codex iur. can. loquuntur quoque *de monstris baptizandis*. Aliquando enim accidit, ut mulier edat massam, quae speciem valde difformem habet. Secundum scientiam modernam physiologicam ista massa aut est 1. sic dicta «mola», i. e. aliqua vegetatio in utero producta ex liquoribus et fibris, quae certo non est homo [4]; huiusmodi massis non licet baptismum conferre, nec etiam sub condicione, ut per se patet; aut est 2. verus foetus humanus, licet deformatus. Hodie enim ab omnibus reicitur mulierem posse (absque miraculo) parere bestiam aliudve ens vivum, quod non sit homo. Si igitur talis foetus deformatus dat signa vitae, est baptizandus. Sin autem dubitatur de eius vita, est baptizandus sub condicione: si vivis. Sin vero dubitatur, utrum talis foetus deformatus sit unus homo an duo, e. g. quia habet duo capita aut duo pectora, securius

---

[1] Cf. supra II, n 135. [2] Pastoralmedizin [18] 259.
[3] Mißgeburt, deformity. [4] Vulgo *Gewächs*.

est, singula capita vel pectora seorsim baptizare dicendo: «Ego te baptizo etc.» Primum caput vel pectus baptizandum est absolute, cetera autem condicionate. «Si vero periculum mortis immineat tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: ‚Ego vos baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.' Quam tamen formam in iis solum et in aliis similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separati baptizentur, alias numquam, licet adhibere.»[1]

ARTICULUS III.

De baptizandis adultis.

Quis censeatur adultus. Adulti relate ad baptismum sus- 133
cipiendum censentur illi, qui post septennium aetatis usu rationis fruuntur; parvulorum autem seu infantium nomine veniunt nondum septem annos nati, iisdemque accensentur amentes ab infantia in quavis aetate constituti[2].

Loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere, ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum[3].

Baptismus adultorum solet in duplici casu accidere: 1. quando quis infidelis religionem catholicam amplectitur; 2. quando quis haereticus, de cuius baptismo suscepto dubium exsistit, redit in gremium Ecclesiae.

1. **Infidelis adultus** credens veritatem religionis catholicae debet 134
quam primum baptizari. Ratio patet. Unusquisque enim tenetur ex iure divino veram religionem et Ecclesiam amplecti, in qua baptismus obtinet valde excellentem locum. Quaenam autem dilatio baptismi facta sine rationabili causa sit peccatum mortale, non constat. De hac re scribit S. Thomas[4]: «Ad baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur, nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod, si baptismum differat, peccatum mortale incurrat; sed potest contingere, quod in dilatione baptismi mortale erit peccatum, vel non erit, et hoc pensandum est *ex causa dilationis*.» — Ex quibus verbis sequitur, ut ex rationabili causa liceat differre baptismum hominis adulti etiam per longum tempus. Tales rationabiles causae sunt e. g. instructio in religione catholica danda atque perficienda, gravissimae persecutiones hic et nunc timendae. Posset igitur e. g. licite differri baptismus pueri iudaei 12 annorum usque ad maturiorem aetatem, si parentes eius illum secus e domo eicerent atque in miseriam detruderent. Quando autem baptismus aquae est differendus, baptismus flaminis est *statim* suscipiendus et omnia pericula proxima perversionis sunt pro viribus eliminanda, ut iam supra n. 127 dictum est. Baptismum infantium omnino non esse differendum, iam supra n. 126 dictum est.

---

[1] Ita Rit. Rom. tit. 2, c. 1, n. 20; cf. Cod. iur. can. c. 748.
[2] Cod. iur. can. c. 745, § 2. [3] Ib. c. 755, § 2.
[4] Suppl. q. 6, a. 5.

135 **Tres condiciones** requiruntur in adulto infideli recipiente baptismum, nempe intentio, fides, poenitentia. Prima condicio requiritur ad *validam,* duae autem sequentes condiciones exiguntur ad *licitam* susceptionem baptismi. Ad *validam* igitur susceptionem baptismi requiritur in adulto *intentio*, quae ordinarie debet esse *explicita;* sufficit autem intentio *implicita*[1], si infidelis baptizandus est moribundus et sensibus destitutus. De exsistentia verae intentionis in suscipiente minister baptismi debet inquirere atque sibi procurare moralem certitudinem. Ita saltem, si agitur de baptismo adulti versantis extra periculum mortis. Sin autem infidelis adultus est moribundus, potest sub condicione baptizari, dummodo habeatur aliqua probabilitas de eius vera intentione[2]. Sacramenta enim sunt propter homines, et ad salvandum hominem moribundum licet sub condicione baptizare eum, quamvis sit dubie dispositus. — Nihilominus non licet *praesumere* debitam intentionem suscipiendi baptismi in pagano sensibus destituto. Quare S. Officium d. 30 Martii 1898 statuit, ut moribundis Muhametanis destitutis sensibus tunc solummodo baptismus administretur, «si antea dederint signa *velle baptizari*». Ergo non sufficit, ut antea bonam vitam duxerint, quin tamen aliquam saltem *propensionem* ad christianam religionem ostenderint.

136 Ad *licitam* susceptionem baptismi insuper requiruntur, ut dictum est:

a) *fides,* i. e. cognitio saltem quattuor veritatum fidei, scil. Deum esse, Deum remunerari, Deum esse incarnatum et Deum esse trinum in personis. Quare S. Officium d. 25 Ian. 1703 decrevit, ne missionarius baptizet moribundum infidelem (qui incapax omnino non sit), nisi prius explicaverit ei mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis[3]. Ratio autem est, quia Salvator dixit: «Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.» [4]

b) *Poenitentia*, i. e. saltem attritio iuxta monitum apostolorum: «Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum.» [5] Ratio autem est, quia nullum peccatum personale remittitur, nisi homo prius illud detestatus sit. Adultus autem paganus semper habet peccata personalia, nisi Deus miraculose eum praeservavit. Non tamen opus est confessione, quia omnia peccata anteacta per ipsum baptismum remittuntur. «Si qui tamen baptizandi *ex devotione sua* peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc, ut iis satisfactio imponeretur, sed ad hoc, quod contra peccata consueta iis spiritualis informatio vitae traderetur.» [6] Infidelis, qui recusat relinquere aliquam consuetudinem pravam, a baptismo arcendus est. Quapropter iam Alexander VII[7] statuit, ne in posterum ullus ad baptismum admittatur,

---

[1] Cf. supra n. 87. [2] Cf. Cod. iur. can. c. 752.
[3] Collect. de Prop. Fide n. 254; cf. etiam S. Offic. d. 30 Martii 1898.
[4] Mc 16, 16. [5] Act 2, 38. [6] S. theol. 3, q. 68, a. 6.
[7] Die 18 Ian. 1658 (Collect. de Prop. Fide n. 129).

qui veterem hominem ac gentilicios mores prorsus non exuisset. S. Officium prohibet, ne paganus baptizetur, qui non eiecerit e domo concubinas suas [1], neve ille, qui habet consuetudinem prorsus nudato corpore incedere [2]. Econtra idem S. Officium permittit, ut baptizari possint puellae gentilibus et polygamis vendendae et desponsandae, dummodo firmiter proponant non peccare et potius mori quam foedari [3].

2. **Haeretici adulti** redeuntes in gremium Ecclesiae debent sub 137
condicione baptizari, si est dubium de eorum baptismo suscepto. Sane agnoscit Ecclesia validitatem baptismi ab haereticis collati, dummodo condiciones essentiales materiae, formae et intentionis observatae fuerint. Proinde semper reprobavit consuetudinem rebaptizandi indiscriminatim omnes, qui ex haeresi redeunt, «sed in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur *in singulis casibus* examine, si compertum fuerit [baptismum] aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub condicione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem et professionem fidei.» [4] — Cum baptismus sit sacramentum tam necessarium, cumque defectus fidei tam late grassetur inter ministros haereticos, qui proinde non multum curant de recte applicanda forma ad materiam et de formanda intentione faciendi quod facit Ecclesia, saepe erit melius et securius, condicionate baptizare illos, qui ex haeresi redeunt [5]. Priusquam autem tales haeretici sub condicione baptizantur, non tantum tenentur cognoscere sufficienter veritates fidei atque attritionem contritionemve elicere de peccatis commissis, verum etiam debent confiteri omnia peccata vitae anteactae.

«Tam sacerdotem qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos. Nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat.» [6]

Scholion. De confessione neo-conversi, qui sub condicione bapti- 138
zatur. Sunt pauci theologi, inter quos Bucceroni [7], putantes haereticum, qui propter baptismum dubie susceptum sub condicione rebaptizatur, non obligari ad confessionem peccatorum. Etenim si primus baptismus fuerit reapse invalidus, tunc confessio et absolutio item sunt prorsus invalidae, cum non possint se extendere ad peccata ante baptismum validum commissa. Ergo sacerdos sub condicione talem haereticum baptizans et etiam absolvens quasi

---

[1] Die 10 Maii 1703 (ib. n. 256). [2] Die 4 Iunii 1851 (ib. n. 1061).
[3] Die 14 Sept. 1892 (ib. n. 1813).
[4] S. Offic. d. 20 Nov. 1878 (ib. n. 1504).
[5] Instr. S. C. de Prop. Fide d. 26 Iulii 1845. Cf. etiam supra n. 105.
[6] Cod. iur. can. c. 753.
[7] Anal. eccl. V 230; Instit. Theol. mor.[6] de poen. n. 672.

illogice agit; nam supponit baptismum primum invalidum, ac propterea iterum baptizat; simul autem eundem baptismum supponit validum, ac proinde absolvit a peccatis commissis post baptismum istum. Quapropter in omni eventu alterutrum sacramentum invalide administrat. Etenim si primus baptismus fuit validus, secundus est invalidus; sin autem primus baptismus fuit invalidus absolutio sacramentalis est invalida. — Nihilominus contraria praxis est prorsus observanda. Nam S. Officium tum anno 1715 tum anno 1868 die 17 Dec. decrevit, confessionem esse a neo-conversis exigendam [1]. S. Congregatio de Prop. Fide idem statuit d. 12 Iulii 1869, simul dicens, Decretum S. Officii constituere legem universalem, *ac non esse licitum docere contrariam sententiam* [2]. Ratio autem, quare S. Officium post condicionatum baptismum neo-conversi praescribit confessionem et absolutionem condicionatam, est maior securitas. Sane aut baptismus aut absolutio in isto casu frustratur, sed remissio peccatorum securius habetur neque sacramentis irrogatur irreverentia, quia ex optima intentione sub condicione administrantur in aliquo casu, ubi certitudo haberi nequit.

Uniformitatis causa a S. Officio assignatus est pro America Septentrionali d. 20 Iul. 1859 [3] sequens modus et ordo procedendi in receptione neo-conversorum: 1. abiuratio haeresis fideique professio, 2. condicionatus baptismus; 3. confessio cum absolutione condicionata. Idem ordo praescribitur in Rituali Coloniensi [4] et videtur valde simplex ac commendabilis ubique terrarum. Alius ordo paulo complicatior admittitur a S. Officio (a. 1875), scil.: 1. confessio; 2. baptismus condicionatus; 3. reassumptio confessionis per summa capita et absolutio condicionata.

CAPUT VII.

De caeremoniis baptismi.

139 **Notio.** Cum baptismus sit ita necessarium et excellens sacramentum, Ecclesia inde a primis temporibus cum magna sollemnitate eum administrare consuevit. Sub nomine caeremoniarum hic intellegimus

[1] Collect. de Prop. Fide n. 286 et n. 1338.

[2] Collect. de Prop. Fide n. 1338 nota. Non obstantibus istis decisionibus, quidam auctores (e. g. Bucceroni, Génicot, Cornelisse) opinantur, contrariam sententiam esse probabilem. Sic enim habetur apud *Génicot,* Theol. mor. instit. II, n. 259: «Nihilominus cum Ballerini-Palmieri (Opus theol. I, n. 28), D'Annibale (Summula Theol. mor. III, n. 301, nota 3) et Bucceroni (De poenit. n. 12) censemus sententiam plurimorum veterum (e. g. *Lacroix,* De consc. l. 6, P. 1, n. 223) hanc obligationem [confessionis] negantium manere probabilem, quotiescumque probabile dubium de collatione vel valore baptismatis manet. Fulcitur enim ratione valida: in hac hypothesi incertam esse obligationem confitendi peccata probabiliter remissa per baptismum condicionatum modo susceptum.» Fatendum est, hanc opinionem esse logicam applicationem probabilismi; sed illam non posse in praxim deduci, sequitur ex responsione S. C. de Prop. Fide d. 12 Iulii 1869 edita et postea (a. 1899) publicata. En verba: «In Litteris S. C. de Prop. Fide 12 Iulii 1869 ad archiepiscopum Quebecensem haec in rem habentur: Quoad dubium ab A. T. propositum sacramentalem confessionem attingens a neo-conversis exigendam, observandum occurrit responsum elapsi anni, licet episcopis Angliae tantummodo rogantibus datum, *universalem legem continere,* proindeque non solum in Anglia, sed in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet, quod nullatenus permitti potest, ut praedictae decisioni contraria sententia doceatur.» Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 424 sqq.

[3] Collect. de Prop. Fide n. 1178. [4] 1900, tit. 2, c. 2, n. 5.

non tantum actiones ministri praestandas, verum etiam alia omnia, quae Ecclesia praescribit ad dignam administrationem baptismi. Ergo includimus etiam patrinos. «Patrinorum siquidem praesentia in baptismate ex vetustissima traditione semper tamquam praecipua caeremonia in Ecclesia Christi habita est.» [1]

Obligatio. Extra casum necessitatis baptismus conferendus est 140
cum omnibus caeremoniis in Rituali praescriptis. Hinc graviter peccat sacerdos, non solum si sine causa omittit omnes caeremonias praescriptas, verum etiam si aliquam notabilem earum partem scienter negligit, e. g. unctionem chrismatis [2], insufflationem, salivae et salis impositionem [3]. Iam supra n. 100 dictum est, graviter prohibitum esse, ne sacerdos utatur veteribus oleis anni elapsi, nisi tamen necessitas cogat. Si enim recentia olea haberi nequeunt, baptismus ideo non est differendus, sed administrandus cum oleis anni praecedentis. Totus ritus baptismalis in latina lingua peragendus est [4]. In aliquibus tamen dioecesibus exsistit legitima consuetudo a Summo Pontifice approbata interrogationes faciendi in sola lingua vernacula [5].

Caeremoniae licite omittuntur: a) in casu necessitatis, i. e. periculo mortis imminente. Quomodo tunc agendum sit, describit Rituale Romanum [6]. b) si haereticus certe valide baptizatus redit in gremium Ecclesiae. In isto casu neo-conversus neque rebaptizatur, neque caeremoniae baptismi repetuntur. c) si haereticus dubie baptizatus sub condicione rebaptizatur. Ita saltem ex iure particulari quarundam regionum, e. g. Angliae, Provinciae ecclesiasticae Philadelphiensis [7]. Episcopus potest permittere, ut baptismus privatus conferatur ac proinde caeremoniae omittantur, si haeretici in adulta aetate sub condicione baptizantur [8]. Quando in periculo mortis baptismus collatus est sine caeremoniis, tunc istae postea supplendae sunt. Sin autem durantibus caeremoniis baptismi sollemnis periculum mortis immineat baptizando homini, statim ipse baptismus fieri debet; deinde, vivente adhuc homine baptizato, caeremoniae *post* baptismum, et ultimo caeremoniae *ante* baptismum notatae supplendae sunt. Ita Rituale Romanum [9].

Quando parentes infantis ad diversos ritus, e. g. ad ritum latinum et graecum, pertinent, infans ordinarie est baptizandus iuxta ritum patris [10].

Locus et tempus. Baptismus sollemnis conferendus est in ec- 141
clesia vel in oratorio publico, nam «proprius baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe baptisterium

---

[1] S. Offic. d. 15 Sept. 1869. [2] *S. Alph.*, Theol mor. l. 6, n. 141.
[3] Cf. *Benedicti XIV* Constitutiones «Inter omnigenas» d. 2 Febr. 1744 et «Omnium sollicitudinum» d. 13 Sept. 1744.
[4] S. Offic. d. 25 Aug. 1880. [5] Cf. *Schüch*, Handb. der Pastoral § 273.
[6] Tit. 2, c. 2, n. 28 sqq.
[7] S. C. d. Sacr. d. 4 Ian. 1914, in The eccl. Review (1914) 723.*
[8] Cod. iur. can. c. 759, § 2. [9] Cf. *Göpfert*, Moraltheol. III, 38.
[10] S. C. de Prop. Fide d. 11 Apr. 1894; Cod. iur. can. c. 756, § 2.

prope ecclesiam». Ita Rituale Romanum[1]. Ratio autem convenientiae est, quia baptismus est ianua, per quam fit introitus in Ecclesiam catholicam. Ergo conveniens est, ut homo baptizetur in aliquo loco, qui publico cultui Ecclesiae catholicae est deputatus. Talis autem locus est ecclesia vel oratorium publicum. Sunt autem casus, in quibus licet extra ecclesiam baptizare:

a) Filii aut nepotes eorum, qui supremum actu tenent principatum, possunt baptizari in sacello domus aut in alio loco decenti[2].

b) In sacristia licet baptizare ob rationabilem causam ab episcopo approbandam, e. g. ob magnum frigus infanti nocivum[3].

c) In locis missionum vel alibi, ubi catholici procul ab ecclesia habitant, ita ut infantes mox nati non possint sine magno incommodo in ecclesiam portari, licet baptizare in domibus privatis[4]. Consuetudo autem domi baptizandi infantes divitum aliorumve est illegitima, nisi tamen alicubi episcopus ex iusta et rationabili causa id in casu aliquo extraordinario permiserit[5]. Quando sacerdos in imminenti periculo mortis baptismum in domo privata administrat, non necessario debet adhibere caeremonias alias in Rituali praescriptas. Sin autem *extra imminens mortis periculum* baptizat in domo privata, e. g. quia infans recenter natus non potest sine gravi periculo sanitatis portari in ecclesiam longe distantem, tunc debet adhibere omnes caeremonias Ritualis Romani[6].

Tempus baptismi observatum antiquis temporibus fuerunt vigiliae Paschatis et Pentecostes. Hodie iam nullum tempus statutum est, nisi quod Ecclesia praecipit, ut baptismus quam citius recipiatur[7].

142 **Nomen** debet baptizando imponi, et quidem nomen alicuius sancti, licet id potius consilium quam praeceptum esse videatur[8]. Curet autem parochus «ne obscena, fabulosa aut ridicula vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur»[9]. Sin tamen parentes omnino exigunt, ut tale nomen imponatur, e. g. Venus, Epicurus etc., tunc baptismus non quidem est differendus, sed infans baptizandus est, addito submissa voce nomine alicuius sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribatur[10].

143 **Patrinus.** Iam ab antiquis temporibus[11] in collatione baptismi adhibebantur patrini, qui vocabantur susceptores, sponsores, fideiussores etc. Officium eorum fuit et est, baptizatos instruere in fide et moribus, si

---

[1] Tit 2, c. 1, n. 28. [2] Cod. iur. can. c. 776, § 1.
[3] S. C. R. d. 14 Martii 1861 (Decr. auth. n. 3104 dub. 9).
[4] S. C. R. d. 4 Febr. 1871 (ib. n. 3234 dub. 3).
[5] S. C. de Sacr. d. 23 Dec. 1912 (Act. Ap. Sedis IV, 725); Cod. iur. can. c. 776.
[6] Ita S. C. R. d. 17 Ian. 1914 (Act. Ap. Sedis VI, 32).
[7] Cf. supra n. 126. [8] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 145.
[9] Rit. Rom. tit. 2, c. 1, n. 54.
[10] S. Offic. d. 13 Ian. 1883; Cod. iur. can. 761.
[11] Cf. *Tertull*, De bapt. c. 18 (*Migne*, Patr. lat. 1, 1330).

id a parentibus negligi vident. Quae quidem obligatio, cum sit de re maxime necessaria, est gravis. Attamen aliquando impossibile est eam exsequi propter negligentiam parentum, nequitiam baptizati et leges civiles non agnoscentes ius patrinorum. Leges de patrinis nunc in Ecclesia vigentes latae sunt a Codice iuris canonici [1], qui statuit, «ut unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur.» Quod quidem statutum obligat sub gravi; unde parochus graviter peccaret, si e. g. tres patrinos admitteret. S. Alphonsus [2] putat esse grave quoque peccatum, si assumerentur duae matrinae pro puero, aut duo patrini pro puella; esse autem leve peccatum, si pro puero duo patrini et pro puella duae matrinae admitterentur. Ratio est, quia in primo quidem casu inutiliter multiplicarentur cognationes spirituales cum baptizato, non autem ita in secundo casu.

Breviter lex patrinorum hoc modo explicari potest: In quolibet baptismo sollemni *sufficit* unus patrinus, sive vir sit sive femina; *permittuntur* duo patrini, dummodo sint diversi sexus; *prohibentur* tres vel plures patrini.

Hodie in multis regionibus, praesertim ubi numerosi Protestantes habitant, consuetudo exsistit praesentandi plures patrinos. Quae quidem consuetudo nequit tolerari, sed parochus tenetur oboedire legi catholicae. Nihil autem obstat, quominus admittantur plures quam duo tamquam testes baptismi, vel sic dicti «patrini honorarii».

Necessitas patrinorum. a) In baptismo sollemni sub gravi re- 144
quiritur, quatenus fieri possit, saltem unus patrinus (sive vir sive mulier). b) In baptismo *necessitatis* aut in baptismo *privato* obligatio gravis advocandi patrinum non adest. c) In baptismo *condicionate iterato* idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit et qui tunc cognationem spiritualem contrahit. Extra hunc casum in baptismo condicionato non est necessarius patrinus; qui, si nihilominus adhibetur, non contrahit cognationem spiritualem [3]. Omnes quidem concedunt, non stricte requiri patrinum, a) si *laicus* baptizat in necessitate; b) quando haereticus sub condicione rebaptizatur. Num autem *sacerdos* administrans baptismum privatum stricte teneatur adhibere patrinum, non constat. Negativa sententia videtur verior, quia privatus baptismus administratur sine caeremoniis. Porro inter caeremonias baptismi primum locum obtinet designatio patrini [4]. Ergo si baptismus privatus administratur, stricte non requiritur patrinus, sed adhibeatur, si facile haberi queat [5], cum id vergat in utilitatem baptizandi. Quando vero caeremoniae baptismales post baptismum necessitatis supplentur, etiam patrinus adhibendus est, qui tamen in hoc casu nullam contrahit spiritualem cognationem [6].

---

[1] c. 764. [2] L. c. n. 156. [3] Cod. iur. can. 763.
[4] S. Offic. d. 15 Sept. 1869.
[5] Cod. iur. can. c. 762, § 2.
[6] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 147; Cod. iur. can. c. 762, § 2.

Qualitates patrinorum[1] alterae sunt de validitate, alterae de liceitate.

145 **De validitate requiritur:**

1. *Ut habeant perfectum usum rationis et intentionem suscipiendi hoc munus.* Unde non sufficit ratihabitio postea data[2].

2. *Ut sint catholici,* et a) *non haeretici aut infideles aut schismatici: nec* b) *per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam sint excommunicati aut infames infamia iuris aut exclusi ab actibus legitimis; nec* c) *sint clerici depositi vel degradati*[3].

Iam Benedictus XIV iussit per Instructionem S. Officii d. 9 Dec. 1745, «non posse infideles, haereticos aut schismaticos esse patrinos in baptismate, quod confertur filiis catholicorum: quod ipsum statutum legimus in Rituali Romano ad titulum de patrinis, ubi haec habentur: «sciant praeterea parochi ad hoc munus non esse admittendos infideles aut haereticos». — Ratio autem huius prohibitionis patet; nam munus patrinorum est, deficientibus parentibus, instruere baptizatum in veritatibus fidei et morum. Quis autem persuadere sibi potest, haereticum velle baptizatum instruere in fide catholica, cui ipse adversatur? Quae quidem prohibitio ita stricta est, ut baptismus administrandus sit potius sine patrinis quam cum patrino acatholico. Ita Benedictus XIV (l. c.) et pluries S. Officium[4]. Quodsi haereticus a parentibus iam designatus est patrinus et absque magno incommodo removeri nequit, tunc potest admitti ut *testis;* in libro autem baptismorum non est inscribendus ut patrinus. Iuxta consuetudinem complurium dioecesium in hoc casu parochus designat obstetricem portantem infantem (si est catholica) aut sacristanum assistentem pro patrino.

Sicuti autem haereticus non potest admitti ut patrinus in baptismo catholico, ita etiam catholicus non potest esse patrinus in baptismo a ministro haeretico administrato. Benedictus XIV in citata Instructione dixit *tutius esse,* ut catholicus abstineat, sed S. Officium d. 30 Iunii et 7 Iulii 1864 decrevit: «Catholicis *absolute non licere* vel per se vel per alios fungi officio patrini in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.»[5] Sunt quidem auctores, qui hoc permittunt ex rationabili causa[6], sed in praxi non est recedendum a Decretis S. Officii, quia secus catholicus committeret vetitam communicationem in sacris cum haereticis.

3. *Ne sint pater vel mater vel coniux baptizandi.*

Ratio est duplex: a) ad evitandam cognationem spiritualem inter tales personas, b) quia parentes iam ex iure naturali obligantur ad educationem filiorum; patrini vero ex iure ecclesiastico eorum locum aliquando supplere debent. Nemo autem se ipsum supplere potest. Sunt tamen auctores[7] permittentes, ut pater filii sui illegitimi possit esse patrinus aut etiam filii legitimi *post mortem matris,* quia tunc cognatio spiritualis iam nocere nequit; sed ista sententia non est sequenda, cum maneat altera ratio prohibitionis.

---

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 765 et 766. [2] Cf. S. Offic. d. 15 Sept 1869.
[3] Cod. iur. can. c. 765, n. 2. [4] E. g. d. 3 Maii 1893; 27 Iunii 1900.
[5] Collect. de Prop. Fide n. 1257.
[6] E. g. Azor, Diana, Laymann, et etiam S. Alphonsus (Theol. mor. l. 6, n. 156) videtur huic sententiae favere.
[7] E. g. *Lugo,* Resp. mor. l. 1, dub. 5.

4. *Ut sint designati ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus a ministro baptismi*[1].

5. *Ut baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneant aut tangant vel statim levent seu suscipiant de sacro fonte aut de manibus baptizantis*[2].

Quantum ad hunc tactum sufficit, «si patrinus physico contactu infantis iungat se cum eo, cuius manibus ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit, ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens sacerdoti baptizandum exhibeat»[3]. In plerisque regionibus nunc moris est, ut obstetrix aliave mulier portet infantem, patrinus autem et matrina comitentur, respondeant ad quaestiones, et, dum sacerdos infundit aquam, ponant manum super infantem tangentes illum. In baptismo autem adultorum patrini ponunt manum super humerum baptizandi. Quando patrinus fungitur suo officio per procuratorem, tunc iste quidem debet tangere infantem, non autem contrahit cognationem spiritualem aliasque obligationes, sed patrinus designatus.

De liceitate requiritur[4]: 146

1. *Ut decimum quartum annum aetatis attigerint, nisi aliud iusta de causa ministro videatur.*

2. *Ut non sint propter notorium delictum excommunicati vel exclusi ab actibus legitimis*[5] *vel infames (infamia iuris vel facti), nec interdicti nec publice criminosi.*

Qui his poenis plectuntur per sententiam iudicis, non solum illicite sed etiam invalide exercent munus patrini, ut supra n. 2 dictum est.

Illiciti patrini sunt e. g. concubinarii in matrimonio civili invalido viventes, notorii Franco-muratores, de quibus S. Officium scripsit ad Ordinarios Brasiliae d. 5 Iulii 1878: «Omnino prohibendum est, ne massones notorii officium patrini in sacramento baptismi vel confirmationis suscipiant. Illi enim, quatenus adhaereant sectae ab Ecclesia damnatae, minime idonei sunt procurandae, si opus fuerit, educationi christianae spiritualium filiorum.» Non potest autem parochus ab officio patrini excludere illum, qui annuam confessionem et communionem negligit, aut nimio potui inebrianti indulget, nisi tamen ex admissione publicum scandalum oriatur. Ratio est, quia hodiernis temporibus raro verum influxum patrini exercent in educatione spiritualium filiorum.

3. *Ut fidei rudimenta noverint.*

Maxime convenit quoque, ut patrini sint consignati sacramento confirmationis. Ita Rit. Rom. tit. 2. c. 1, n. 24.

---

[1] Sess 24, c. 2 de reform. matr. Cf. Cod. iur. can. c. 765, n. 4.

[2] Cod. iur. can. c. 765, n. 5. [3] Rit. Rom. tit. 2, c. 1, n. 25.

[4] Cod. iur. can. c. 766.

[5] Nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere (Cod. iur. can. c. 2256, § 2).

4. *Ut non sint religiosi utriusque sexus et novitii,* nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis:

Talis necessitas facile accidere potest in missionibus exteris.

5. *Ut non sint in sacris ordinibus constituti,* nisi accedat expressa licentia proprii Ordinarii.

Ergo sacerdos saecularis nequit munus patrini suscipere sine expressa licentia episcopi vel vicarii generalis, sacerdos autem religiosus sine expressa licentia sui superioris maioris.

147 **Scholion 1. De pastorali prudentia adhibenda in reiectione patrini indigni.** In dubio, utrum quis valide vel licite admitti possit necne ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium[1]. In reiciendis indignis a munere patrini parochus utatur omni prudentia et benignitate, ne alios offendat neve noceat bono religionis. Hinc numquam utatur verbis duris et iniuriosis, sed suavi modo dicat, se unice ex praescriptis Ecclesiae agere atque non posse admittere talem personam ut patrinum. Quando infans annuntiatur baptizandus, sacerdos iam statim inquirat de qualitate patrinorum, et non exspectet, donec omnes parati sunt in Ecclesia. Statim tunc moneat, ut alius patrinus designetur. Si ex recusatione patrini indigni orirentur *valde magna incommoda,* curet, ne patrinus tangat baptizandum in actu baptismi; et si ne hoc quidem possibile est, potest tolerare patrinum indignum (dummodo inde ne oriatur grave scandalum). Lex enim de patrinis indignis reiciendis est lex positiva ecclesiastica. Nulla autem lex positiva obligat cum magno incommodo, neque censetur pia mater Ecclesia istam legem ita urgere in tantis angustiis, praesertim cum nostris temporibus munus praecipuum patrini, scil. spiritualis educatio infantis baptizati, vix umquam in usum perduci queat.

Quamvis graviter prohibita sit admissio patrini haeretici, tamen complures auctores, e. g. Lehmkuhl[2], Noldin[3], putant, talem admissionem non esse intrinsecus malam, ita ut ne in gravi quidem necessitate licita sit. Munus enim patrinorum hodie est potius honorificum quam practicum. Quare etiam S. Poenitentiaria d. 10 Dec. 1860 permisit, ut episcopus possit ad munus patrini admittere notorie censuris ecclesiasticis obstrictum, si secus graviora mala acciderent.

148 **Scholion 2. De libro baptizatorum.** Parochus eiusve vices gerens tenetur in libro baptizatorum diligenter describere baptizatos iuxta praescripta Ritualis Romani tit. 2, c. 2, n. 34, tit. 10, c. 3, et codicis iur. can. c. 777. In isto libro baptizatorum adnotetur quoque, si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit (nisi agatur de matrimonio conscientiae), aut s. subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem sollemnem emiserit, eaeque adnotationes in documento accepti baptismatis semper referantur[4].

149 **Scholion 3. De benedictione mulieris post partum.** Pia ac laudabilis consuetudo (non autem praeceptum) est, ut mulier post partum ad ecclesiam veniat Deo gratias actura pro incolumitate sua atque specialem benedictionem accipiat, quae invenitur in Rituali Rom. tit. 7, c. 3. Haec benedictio non est de iuribus stricte paroecialibus, sed dari potest a quolibet

---

[1] Cod. iur. can. c. 767. [2] Cas. consc. II, n. 86.
[3] De sacr. n. 79. [4] Cod. iur. can. c. 470, § 2.

sacerdote in quacumque ecclesia vel oratorio publico[1]. Episcopus et a fortiori parochus nequit ex propria auctoritate derogare huic statuto iuris communis. Parochus, si expetitus ipse fuerit, nequit recusare hanc benedictionem. Mulieri catholicae haec benedictio non est neganda, quamvis eius proles nata mortua fuerit sine baptismo[2]. Econtra haec benedictio neganda est: a) matri *acatholicae,* quamvis eius proles sit baptizata in Ecclesia catholica; b) omnibus matribus, qui pepererunt prolem ex concubitu *manifeste* illegitimo, e. g. ex fornicatione, adulterio, matrimonio mere civili etc. c) matri, cuius proles baptizatur et educatur in haeresi aut schismate.

TRACTATUS III.
De confirmatione.

Consuli possunt praeter auctores supra de baptismo citatos: Heimbucher, Die heilige Firmung (Augsburg 1889); Dölger, Das Sakrament der Firmung (Wien 1906); Laur. Janssen O. S. B., La confirmation. Exposé dogmatique, historique et liturgique (Lille 1888).

Dividimus istum tractatum in 5 capita: 1. de notione, exsistentia et effectibus confirmationis: 2. de eius materia et forma; 3. de eius ministro; 4. de eius subiecto; 5. de eius caeremoniis.

CAPUT I.
De notione, exsistentia, effectibus confirmationis.

Nomen «confirmare», quod significat «dare Spiritum Sanctum», videtur S. Ambrosius primus adhibuisse (saec. IV) dicens: «Accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiae. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.»[3] Aliis nominibus vocatum est quandoque confirmationis sacramentum: manus impositio, unguenti mysterium, sacramentum chrismatis, signaculum, perfectio, sacramentum plenitudinis etc.; graece autem: σφραγίς, χρῖσμα, μύρον, quod ultimum nomen nunc á Graecis solet adhiberi.

Definitio. Apud SS. Patres et veteres Scholasticos non habetur 150
definitio proprie dicta, sed tantum descriptio confirmationis. Definiri potest: **Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatis per manus impositionem et chrismatis unctionem sub certis verbis sacris datur Spiritus Sanctus ad fidem verbis operibusque fortiter et publice confitendam.** Haec definitio magis clarescet ex infra dicendis de effectibus huius sacramenti deque eius materia et forma.

Exsistentia. Confirmationem exsistere tamquam verum sacramentum 151
Novae Legis, est de fide, definitum a compluribus Conciliis, praesertim autem a Concilio Florentino docente: «Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo . . . et balsamo . . . per episcopum benedicto»[4], et a Concilio Tridentino dicente: «S. q. d. confirmationem bapti-

[1] S. R. C. d. 12 Ian. 1704, d. 21 Nov. 1893 (Decr. auth. n. 2123 ad 6; n. 3813).
[2] S. R. C. d. 19 Maii 1896 (Decr. auth. n. 3904).
[3] De myst. c. 7, n. 42 (*Migne,* Patr. lat. 16, 403). [4] *Denz.* n. 697.

zatorum otiosam caeremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesin quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, A. S.»[1]

Non ita constat, utrum veteres haeretici, scil. Novatiani et deinde Albigenses, Waldenses, Wicleffitae, Hussitae, revera negaverint, an potius neglexerint confirmationem[2]. Primus, qui expresse negavit confirmationem esse sacramentum, fuit Luther, quamvis antea contrarium docuerit. Luther voluit confirmationem esse merum ritum ecclesiasticum; Melanchthon, Calvin, Chemnitz voluerunt illam esse catechesin seu publicam fidei professionem; contra illos probatur exsistentia sacramenti confirmationis:

a) *ex S. Scriptura.* Samaritani, «cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres». Ergo iam valide baptizati erant, nondum autem receperant speciali modo Spiritum Sanctum; propterea «cum audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.»[3] Ex hoc textu sequuntur tria: 1. baptismum esse distinctum ab impositione manuum atque habere alium effectum; 2. Philippum, utpote diaconum, non potuisse imponere manus, sed hoc esse officium proprium apostolorum illorumque successorum; 3. confirmationem esse verum sacramentum, sicuti semper docuit Ecclesia catholica. Etenim in illa habentur a) signum sensibile, scil. manuum impositio; b) collatio gratiae, i. e. specialis receptio Spiritus Sancti; c) institutio a Christo, qui saepe promisit se missurum Spiritum Sanctum[4] et qui solus potest adnectere signo sensibili gratiam sanctificantem.

b) *ex traditione.* Tertullianus haud obscure loquitur de baptismo et de confirmatione atque addit haec fieri «*de pristina disciplina*»[5]. S. Cyprianus loquens de baptismo Philippi et de impositione manuum a Petro et Ioanne in Actis Apostolorum narrata dicit: «quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae afferantur et per nostram orationem et manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur»[6]. Testimonia aliorum Patrum, e. g. S. Augustini, S. Basilii, S. Ioannis Chrysostomi et praesertim S. Cyrilli Hieros., qui integram catechesin (3) de hoc sacramento habet[7], videsis apud dogmaticos, e. g. Billuart[8], vel apud Catechismum Romanum[9]. — Argumentum valde efficax pro exsistentia sacramenti confirmationis desumi potest ex consensu quoque ecclesiarum orientalium, quae omnes (exceptis Nestorianis) hoc sacramentum agnoscunt[10]. Quando autem Patriarcha Constantinopolitanus Cyrillus Lucaris saeculo XVII inter alia sacramenta etiam confirmationem negavit, ex omnibus partibus Orientis statim vehementer est oppugnatus[11].

152 **Institutio.** Christus instituit confirmationem, sicut et omnia alia sacramenta. Quandonam hoc fecerit, ignoratur. Alii putant in Coena

[1] Sess. 7, can. 1 de confirm. (*Denz.* n. 871). [2] Cf. *Drouven,* De confirm. q. 1.
[3] Act 8, 12 sqq. [4] Io 7, 38 sq.; 14, 15.
[5] De bapt. c. 7 sq. (*Migne,* Patr. lat. 1, 1206 sqq.).
[6] Ep. 73 ad Iubaianum n. 9 (*Migne* l. c. 3, 1160).
[7] *Migne,* Patr. graec. 33, 1090. [8] De confirm. a. 1. [9] P. 2, c. 3, q. 3.
[10] Cf. *Drouven* l. c. c. 1. [11] Cf. ib.

Domini post eucharistiae institutionem, quapropter ex antiquissima consuetudine introducta a S. Fabiano (saec. III.) etiam in feria V in Coena Domini chrisma ab episcopis consecratur. Huic sententiae favet S. Alphonsus[1]. Fabianus Papa in sua epistula 2 scribit: «In illa enim die [ultimae coenae) Dominus Iesus postquam coenavit cum discipulis suis et lavit eorum pedes, sicut a sanctis apostolis praedecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit.»[2] — Alii opinantur confirmationem esse institutam quidem post resurrectionem, ast obligationem illius post Pentecosten coepisse. De hac re scribit S. Thomas[3]: «Circa institutionem huius sacramenti est duplex opinio: quidam enim dixerunt, quod hoc sacramentum non fuit institutum nec a Christo nec ab apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio[4]; alii vero dixerunt, quod fuit institutum ab apostolis. Sed hoc non potest esse, quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo. Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo.» Ex quibus verbis minime licet concludere Christum non instituisse, sed promisisse ipsum sacramentum confirmationis. Secus Angelicus debuisset concedere institutionem per apostolos, quod tamen conceptis verbis negat. Sensus igitur est: Christus vere instituit sacramentum confirmationis, sed hoc sacramentum non fuit reapse administratum nisi post descensum promissum Spiritus Sancti in Pentecoste. «Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud[5]: ‚Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.'»[6]

Effectus confirmationis sunt tres *ex iure divino:* a) character, 153
b) augmentum gratiae sanctificantis, c) gratia sacramentalis; *ex iure ecclesiastico* accedit d) cognatio spiritualis.

a) *Characterem* imprimi in confirmatione, est de fide definitum a Concilio Tridentino[7]. Characterem confirmationis *differre* numero et essentia a charactere baptismi, docet longe probabilior et communior sententia. SS. Patres saepe loquuntur de isto charactere sicuti de signaculo[8], quo homo signatur et disponitur tamquam bonus miles ad fortiter pugnandum in fidei periculis. Propter characterem impressum confirmationis sacramentum repeti nequit.

De charactere confirmationis scribit S. Thomas[9]: «Per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quae ad propriam pertinent salutem,

[1] Theol. mor. l. 6, n. 161. [2] Apud *Mansi,* Collect. Conc. I, col 775.
[3] S. theol. 3, q. 72, a. 1 ad 1.
[4] Meldensi a. 845; est sententia Alexandri Halensis; cf. supra n. 49.
[5] Io 7, 39. [6] *S. Thom.* l. c; cf. Syll. Pii X thes. 44 proscripta.
[7] Sess. 7, can. 9 de sacr. in gen. (*Denz.* n. 852).
[8] Cf. supra citatum textum S. Cypriani. [9] S. theol. 3, q. 72, a. 5 corp. et ad 1.

prout scil. secundum se ipsum vivit; sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agenda ea, quae pertinent *ad pugnam spiritualem* contra hostes fidei, sicut patet exemplo apostolorum, qui, antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianae. . . . Character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed *spiritualiter provectorum* ab his, quibus dicitur: ‚Sicut modo geniti infantes'[1] etc.»

b) *Augmentum gratiae sanctificantis* datur in confirmatione, et notanter augentur septem dona, quibus homo fit bene mobilis a Spiritu Sancto. Confirmatio enim est sacramentum vivorum, quod proinde supponit statum gratiae illumque auget. Sane in omni gratiae sanctificantis collatione datur Spiritus Sanctus, cum tota Trinitas habitet in anima iusti, sed speciali modo advenit Spiritus Sanctus per confirmationem atque auget gratiam, septem dona et omnes virtutes.

c) *Gratiae sacramentales* confirmationi adnexae praesertim reducuntur ad *specialem fortitudinem exercendam,* et haud incongrue significantur diversis caeremoniis confirmationis. Etenim in confirmatione adhibetur *unctio* cum oleo mixto balsamo. Sicut unctio solebat praeparare ad pugnam, sicut oleum significat nitorem conscientiae, balsamum vero fragrantiam virtutum, ita in confirmatione homo recipit gratias sacramentales ad fortiter pugnandum, ad conscientiae munditiem servandam et ad virtuosum exemplum praebendum. Unctio fit in fronte et cum impositione manus, ad expellendam omnem indebitam erubescentiam et ad significandam quandam deputationem seu consecrationem ad munus militis Christi. — Alapa datur sub verbis «Pax tecum», ut pulcherrime significetur, hominem christianum debere ac posse pati omnigenas iniurias, quin tamen inde interior pax animae perturbetur.

Catechismus Romanus verbis Papae Miltiadis (Melchiadis) utens valde concinne ac concise explicat differentiam inter baptismi et confirmationis gratias: «In baptismate homo ad militiam *recipitur,* et in confirmatione *coarmatur* ad pugnam. In fonte baptismatis Spiritus Sanctus plenitudinem tribuit ad *innocentiam;* confirmatione autem *perfectionem ad gratiam* ministrat. In baptismo *regeneramur ad vitam,* post baptismum *ad pugnam confirmamur;* in baptismo *abluimur,* post baptismum *roboramur;* regeneratio per se *salvat in pace* baptismum recipientes, confirmatio *armat atque instruit ad agones.*»[2] Qui quidem textus etiam evidenter demonstrat, quam clare iam temporibus antiquissimis nedum exsistentia, verum etiam efficacia confirmationis agnita fuerit. Licet enim opera Miltiadis hodie habeantur suppositicia, tamen sunt antiquissima[3].

d) *Cognatio spiritualis* oritur ex valida confirmatione inter confirmatum et patrinum; ex qua cognatione patrinus debet confirmatum perpetuo sibi commendatum habere eiusque christianam educationem curare[4]. Attamen ex tali cognatione iam non amplius oritur impedimentum matrimonii.

[1] 1 Petr 2, 2. [2] P. 2, c. 3, q. 4.
[3] Cf. *Jaffé,* Reg. Rom. Pont.[2] p. 28, n. 171—173. [4] Cod. iur. can. c. 797.

CAPUT II.

De materia et forma confirmationis.

a) **Materia remota** confirmationis est sacrum chrisma, i. e. unguentum compositum ex oleo olivarum et balsamo, atque speciali consecratione benedictum ab episcopo. 154

Ita eruitur ex decretis Clementis VI, Eugenii IV, Clementis VIII [1]. Ergo quinque requiruntur ad materiam remotam confirmationis: 1. oleum olivarum, 2. admixtio balsami, 3. benedictio, 4. ab episcopo facta, 5. idque speciali modo facta.

1. *Oleum olivarum* non tantum ex praecepto ecclesiastico, verum etiam ad valorem sacramenti requiritur. Ita docent nunc omnes. Unde invalide conficeretur confirmatio e. g. ex petroleo, ex oleo nucum etc., vel si omissa unctione adhiberetur sola manus impositio.

2. *Admixtio balsami* non solum ex gravi praecepto, sed probabilius etiam requiritur ad *valorem* sacramenti, cum Eugenius IV in Decreto pro Armenis simpliciter doceat: «Confirmationis materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae» [2]. — Deinde certum est, iam ab antiquissimis temporibus semper oleo admixtum fuisse balsamum [3]. Sufficit autem balsamum cuiusque regionis, dummodo sit in ea quantitate, ut det sui odorem.

3. *Oleum et balsamum debent benedici,* et quidem de valore sacramenti, ut docet communissima sententia. Drouven [4] contrariam docet sententiam, pro qua aliquando (sed immerito) citatur quoque Caietanus [5].

4. *Benedictio debet fieri ab episcopo.* S. Thomas videtur docere id esse necessarium de valore sacramenti [6]. Complures tamen hoc negant, e. g. Tournely, Valentia, Suarez, S. Alphonsus, qui habet sententiam negantem speculative probabilem [7]. Sed in praxi prima sententia sequenda est. — Num autem Summus Pontifex possit simplicem sacerdotem ad consecrandum chrisma delegare, similiter non constat. Talis delegatio hodie numquam conceditur; utrum autem aliquando concessa fuerit, non potest certo probari. Rituale Romanum (in appendice) agens de sacerdote, qui ex delegatione sacramentum confirmationis administrat, dicit: «Curet apud se habere chrisma per catholicum antistitem . . . confectum, ac sciat sibi numquam licere sine eo confirmationem administrare.» Cum similis quaestio ageretur de oleo non benedicto ab episcopo tamquam materia valida extremae unctionis, Summi Pontifices Paulus V et Gregorius XVI [8] affirmativam sententiam declaraverunt temerariam et errori proximam.

5. *Benedictio debet esse speciali modo facta.* Ergo non sufficit, ut adhibeatur oleum infirmorum aut catechumenorum, licet sit benedictum ab episcopo. Si enim admixtio balsami requiritur ad valorem confirmationis, ut supra dictum

---

[1] *Denz.* n. 571 697 1086.

[2] *Denz.* n. 697. Admixtionem balsami non esse de essentia huius sacramenti docent *Noldin,* De sacram. n. 86, *Dölger,* Das Sakr. der Firm. 192 f.

[3] Cf. Cat. Rom. P. 2, c. 3, q. 6 et litteram, quam Pseudo-Isidorus tribuit Papae Fabiano.

[4] De confirm. q. 3, c. 3, § 2, q. 8.

[5] Cf. Comm. in S. theol. 3, q. 72, a. 3.

[6] S. theol. 3, q. 72, a. 3.

[7] Theol. mor. l. 6, n. 163.

[8] Die 13 Ian. 1611 et 14 Sept. 1842 (*Denz.* n. 1628 sq.).

est, per se patet nullum aliud oleum nisi chrisma esse validam materiam confirmationis. Nihilominus putat S. Alphonsus [1], in articulo mortis confirmationem posse sub condicione conferri ex solo oleo, si nequeat haberi chrisma; magna enim utilitas huius sacramenti iusta esset causa illud sub condicione ministrandi.

Ex gravi praecepto ecclesiastico requiritur, ut *chrisma recens* (i. e. in Coena Domini proxime elapsa consecratum) adhibeatur in confirmationis administratione. In casu tamen necessitatis, deficiente chrismate recenti, licet administrare confirmationem cum chrismate vetere.

155 b) **Materia proxima** confirmationis est sic dicta «*chrismatio*», i. e. unctio cum chrismate in fronte confirmandi in modum crucis immediate facta per manus impositionem.

Ut ex supra n. 8 dictis de sacramentis in genere patet, materia proxima alicuius sacramenti est applicatio materiae remotae. Iuxta ritum autem latinum in confirmatione materiae remotae applicatio fit sequenti modo: Pontifex extensis versus confirmandos manibus dicit: «Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus etc.» Post haec pontifex vel sedens vel stans «summitate pollicis dexterae manus chrismate intincta dicit: ‚N. signo te signo crucis' — quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius, deinde prosequitur: ‚et confirmo te chrismate salutis, in nomine Pa†tris, et Fi†lii et Spiritus† Sancti.' ℟. Amen.» — In graeco autem ritu sacerdos unguento sacro facit signum crucis in fronte, oculis, naribus et in utraque aure et in pedibus dicens: «Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου.» Quaedam ecclesiae orientales (e. g. Iacobitae, Armeni) solam unctionem adhibent, quaedam vero aliae praeter unctionem habent etiam manus impositionem. Cum autem haud parva differentia exsistat inter utrumque ritum, cumque ex alia parte constet Christum saltem in specie determinasse materiam et formam omnium sacramentorum [2], quaeritur quidnam sit *essentiale* in materia proxima confirmationis. Sententia communissima et certa docet proximam materiam essentialem et adaequatam confirmationis esse *unctionem chrismatis coniunctam cum manus impositione* [3]. Ratio est, quia, si chrisma benedictum est materia remota, ut supra probatum est, tunc materia proxima est applicatio chrismatis, i. e. unctio, quacum coniuncta est manus impositio. Ex traditione etiam constat confirmationem ita semper fuisse administratam [4].

156 Circa hanc materiam proximam oportet notare sequentia:

1. In administratione confirmationis habetur duplex manuum impositio, scil. prima in principio, quando episcopus extendit manus super omnes confirmandos et orationem «Omnipotens» recitat; secunda, quae ab unctione non est distincta. Prima manus impositio non est de essentia confirmationis; etenim non habetur in ritu graeco, et S. Of-

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 162. [2] Cf. supra n. 50.

[3] Alias opiniones parum probabiles de materia proxima confirmationis videsis apud *Heimbucher*, Die hl. Firmung 61 ff. Duae principaliores sunt: 1. Materia proxima est sola manus impositio. Ita Aureolus, Sirmondus. Est certe falsa et contradicit Concilio Florentino. 2. Ambae impositiones manus et unctio sunt materia proxima. Ita Tournely, Gotti, Concina aliique. Contradicit decisioni S. Officii d. 17 Apr. 1872 et ritibus orientalibus, in quibus non habetur prima manus impositio.

[4] Cf. complura testimonia veterum l'atrum apud *Drouven* l. c. c. 1 vel apud *S. Alph.* l. c. n. 164.

ficium d. 17 Apr. 1872 validam declaravit confirmationem collatam pueris, qui praesentes non fuerunt in prima extensione manuum episcopi[1]. A fortiori non est de essentia confirmationis *benedictio* episcopi in fine caeremoniae data. Quare prohibitio Ritualis, ne quis discedat ante benedictionem, est tantum rubrica quaedam. Quia autem unctio debet esse coniuncta cum manus impositione, hinc omnino non licet ungere ope alicuius *instrumenti*[2].

2. Unctio debet fieri *in fronte* et *per signum crucis*. Utrumque censetur esse essentiale et semper in usu fuit; quapropter iam Tertullianus vocavit confirmationem «signaculum frontium»[3]. Rationem autem huius rei reddit S. Thomas[4]: «In hoc sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo: primo quidem, quia insignitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi numquam obtegitur; et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in coenaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scil. propter timorem et verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte, . . . unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. . . . Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat.» Eandem rationem Concilium Florentinum[5] affert.

Optime quaestionem de materia proxima confirmationis tractat et solvit in sensu supra exposito S. Alphonsus[6], qui dicit: «Fateor, quod, cum per quindecim fere dies desudassem perlegendo canones et scriptores, nequibam iudicium ferre, quid pro certo tenendum. Denique vis rationum . . . omnem a mente mea dubitationem sustulit; atque de mea sententia certum iudicium efformavi.»

3. Unctio debet fieri cum *pollice* manus dexterae, non autem cum penicillo aut alio instrumento, ut iam dictum est. Si tamen episcopus pollicem habet infirmum, licite potest ungere pollice manus sinistrae vel alio digito[7].

Forma confirmationis consistit in verbis: «N. Signo te signo crucis 157
et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen.»

Ita ex Concilio Florentino et ex Rituali Romano. Probabilius omnia ista verba (si forte excipias particulas «et», «in») sunt de essentia, ita ut nihil

---

[1] Collect. de Prop. Fide n. 1383.
[2] Cf. S. Offic. de 14 Ian. 1885; Cod. iur. can. c. 781, § 2.
[3] Contra Marc. l. 3, c. 22 (*Migne*, Patr. lat. 2, 353).
[4] S. theol. 3, q. 72, a. 9.
[5] *Denz.* n. 697.
[6] Theol. mor. l. 6, n. 164.
[7] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 165.

omitti possit. Convenientiam istius formae bene ostendit S. Thomas [1]. Forma debet significare essentiam sacramenti. Porro in confirmatione tria sunt necessaria, quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas et quae exprimitur per verba: «In nomine Patris etc.» Secundum est robur spirituale, et hoc significatur per verba: «Confirmo te chrismate salutis.» Tertium est signum, quod pugnatori datur, et quantum ad hoc dicitur: «Consigno te signo crucis.»

Forma in Ecclesia graeca est: «Signaculum doni Spiritus Sancti.» Quae quidem forma certe valida est, cum Summi Pontifices illam Graecis unitis permittant, sed multo imperfectior est quam forma latina. «Signaculum» idem est ac «signo te». Verba «doni Spiritus Sancti» significant gratiam roborantem ad fidem.

Fatendum est, usque ad saeculum XII. vel XIII. permultas formas fuisse in usu, quas collegit Martène [2], e. g.: «Accipe signum sanctae crucis chrismate salutis in Christo Iesu in vitam aeternam. Amen.» «Signum Christi in vitam aeternam.» «Confirmo te et consigno te in nomine etc.» Utrum omnes istae formae fuerint validae, non ita constat. Possibile enim est, in aliquibus dioecesibus errores irrepsisse. Insuper non constat istas formas immutatas ad nos pervenisse. SS. Patres non loquuntur de determinata forma confirmationis. A temporibus autem S. Thomae forma nunc usitata in Ecclesia latina viguit [3].

CAPUT III.

De ministro confirmationis.

Principium. *Minister ordinarius confirmationis est episcopus; minister vero extraordinarius est sacerdos rite delegatus.*

158 1. Episcopum esse *ministrum ordinarium* confirmationis, est de fide definitum in Concilio Tridentino: «S. q. d. sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S.» [4] Haec doctrina clare quoque eruitur ex Act. c. 8, ubi Petrus et Ioannes mittebantur in Samariam ad confirmationis sacramentum administrandum iis, qui a Philippo diacono baptizati erant. — S. Thomas hanc dat rationem *convenientiae:* Episcopus est in Ecclesia velut dux in exercitu, ad quem spectat milites recipere et signare. Porro per confirmationem homo fit miles Christi.

In aliena dioecesi nequit licite confirmationem administrare episcopus sine licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis, quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra. Econtra episcopus potest in propria dioecesi omnibus (etiam peregrinis, non subditis) hoc sacramentum administrare, dummodo tamen proprius eorum episcopus ne contradixerit [5].

Obligatio confirmationis administrandae. Cum episcopus sit minister ordinarius confirmationis in sua dioecesi cumque tantum

---

[1] S. theol. 3, q. 72, a. 4. [2] De antiq. Eccl. rit. l. 1, c. 2, a. 4.

[3] Cf. *Schanz,* Die Lehre v. d. Sakr. I, § 24.

[4] Sess. 7, can. 3 de confirm. (*Denz.* n. 873). Cf. etiam sess. 23, can. 7 de ord. (*Denz.* n. 967). [5] Cod. iur. can. c. 783, § 1.

bonum proveniat fidelibus ex confirmatione digne suscepta, hinc tenetur providere, ut saltem intra quodlibet quinquennium hoc sacramentum administretur suis subditis. Neque potest aliquid praemii temporalis pro hac sacramenti administratione exigere, nisi contraria eaque rationabilis consuetudo iam a longo tempore exsistat [1]. Quodsi episcopus *per octo aut decem annos* differat saltem principaliora loca suae dioecesis circumire pro hoc fine, peccat mortaliter, nisi adsit moralis impossibilitas [2]. Communiter autem docent theologi, episcopum non teneri ad conferendam confirmationem cuilibet moribundo petenti [3]. Nam sacramentum confirmationis non est tantae necessitatis, et esset nimium onus, immo aliquando moraliter impossibile episcopo confirmare omnes moribundos petentes. Haec quidem de stricta obligatione. Ast episcopus laudabiliter agit, si saepius confirmationem in diversis paroeciis suae dioecesis administret vel etiam aliquando adeat moribundum ad eum confirmandum, sicut fecit S. Carolus Borromaeus.

2. *Minister extraordinarius confirmationis est sacerdos, cui vel* 159 *iure communi vel peculiari S. Sedis indulto ea facultas concessa est.* Ita docet sententia certa, quae confirmatur tam ex Concilio Florentino [4] quam ex constanti praxi Ecclesiae. Durandus aliique pauci contradixerunt. Delegatio ista conceditur *a solo Summo Pontifice*, qui tamen aliquando committit episcopo, ut designet unum alterumve sacerdotem ad confirmationis sacramentum administrandum [5]. Ipso iure delegati sunt praeter Cardinales abbas vel praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen hoc sacramentum *valide* administrare nequeunt (nisi sint episcopi) extra fines sui territorii vel munere suo exspirato [6]. Sacerdos delegatus debet observare ea, quae illi in delegationis instrumento praescripta sunt quoad *loca, tempora, personas* etc. Praesertim autem non potest confirmare nisi cum chrismate benedicto per catholicum episcopum (non autem per episcopum schismaticum). Praeterea debet semper in lingua vernacula expresse monere ante sollemnem administrationem huius sacramenti se non esse ministrum confirmationis nisi ex speciali delegatione. Quae quidem monitio non pertinet ad validitatem administrationis, sed omnino facienda est [7].

In Ecclesia graeca omnes sacerdotes (etiam schismatici) valide confirmant, nisi haec potestas illis est expresse adempta, ut e. g. in Bulgaria, in Cypro etc. S. Officium pluries (e. g. d. 5 Iul. 1853, d. 2 Apr. 1879, d. 14 Ian. 1885) respondit non expedire, ut illi, qui fuerunt confirmati a sacerdotibus schismaticis, iterum inungantur ab episcopo, nisi adsit inter eos, qui ad Tonsuram et Ordines promovendus est, aut ipsi vel eorum parentes id petant, quo in casu confirmationis sa-

---

[1] Cf. S. C. de Prop. Fide d. 28 Martii 1778.
[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 175. [3] Cf. ib.
[4] *Denz.* n. 697. [5] Cf. S. Offic. d. 4 Maii 1903.
[6] Cod. iur. can. c. 782, § 3.
[7] S. C. de Prop. Fide d. 11 Sept. 1841 (Collectan. de Prop. Fide n. 940 et 1539).

cramentum secreto et (ordinarie) sub condicione est conferendum. — Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus[1]. Generatim statuitur: Presbyter, qui facultatis sibi factae administrandi confirmationem praesumpserit praetergredi limites, eadem facultate eo ipso privatus exsistat[2].

CAPUT IV.

De subiecto confirmationis.

160 1. Ad **valide** suscipiendam confirmationem requiritur baptismus et in homine rationis capaci intentio saltem habitualis.

Subiectum igitur confirmationis capax est quilibet homo baptizatus et nondum confirmatus. Confirmatio est complementum baptismi; quapropter primis duodecim saeculis in universa Ecclesia exstitit (et adhuc in Ecclesia graeca exsistit) usus conferendi confirmationem statim post baptismum. Praxis autem Ecclesiae latinae ubique fere nunc habet, ut fideles non confirmentur nisi post adeptum usum rationis, i. e. circa *septimum* aetatis annum[3]. Ita saltem extra mortis periculum.

In Hispania tamen, in America Latina aliisque regionibus infantes (saltem infirmi) confirmantur[4]. Servanda est igitur consuetudo legitima quantum ad aetatem confirmandorum. De hac re docet Benedictus XIV[5]: «Consultissimis Summorum Pontificum decretis provide cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur sacramentum confirmationis in ea solum aetate, in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligerent . . . se per baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per confirmationem vero ad pugnam roboratos et ad perferendos agones per gratiam instructos.» Nihil obstat, quominus confirmatio conferatur amenti aut infanti moribundo. Antequam homo rationis capax confirmatur, debet prius instrui de natura confirmationis, ut elicere possit debitam intentionem suscipiendi hoc sacramentum.

2. Ad **licite** suscipiendam confirmationem insuper requiritur status gratiae, quia confirmatio est sacramentum vivorum. Quamvis autem peccator statum gratiae acquirere possit contritione perfecta cum voto confessionis, tamen in praxi vehementer insistendum est, ut quilibet in statu gravis peccati exsistens ante confirmationem instituat sacramentalem confessionem. Praeter statum gratiae et debitam devotionem nihil praecipitur in confirmatione recipienda; laudabiliter tamen *ieiunus* et sacra communione refectus accedat ad hoc sacramentum.

161 3. **Obligatio confirmationis suscipiendae** non est de necessitate medii. Ita omnes. Num autem sit de necessitate *gravis praecepti*, controvertitur. Negant plurimi. Iam S. Alphonsus[6] viginti

---

[1] Cod. iur. can. c. 782, § 5. [2] Ib. c. 2365. [3] Ib. c. 788.

[4] «Quoad aetatem confirmandorum servari potest consuetudo vigens in regionibus nostris, confirmandi scil. quotquot sese praesentant episcopo, *in quacumque aetate constituti*» (Acta et Decr. Conc. plen. Amer. Lat. [1899] n. 520).

[5] Const. «Eo quamvis tempore» d. 5 Maii 1745. [6] Theol. mor. l. 6, n. 181.

tres auctores pro hac negativa sententia citavit, inter quos S. Thomam. Nostris diebus negativam sententiam tenent Lehmkuhl [1], Noldin [2], Gihr [3], Göpfert [4], Larraga-Sanchez [5], multi alii. — Affirmant etiam plurimi, inter quos sunt S. Bonaventura (non tamen ita certo), S. Antoninus, S. Alphonsus, Benedictus XIV [6]. Ex modernis hanc sententiam affirmativam tenent Marc [7], Aertnys [8], Müller [9], Dölger [10], aliique. Omnes concedunt omissionem confirmationis esse grave peccatum, si adsit contemptus, aut scandalum, aut speciale periculum salutis. Exceptis autem istis tribus casibus non potest certo probari gravis obligatio suscipiendi confirmationem. Etenim supra n. 158 cum communi sententia dictum est episcopum non teneri moribundo petenti administrare sacramentum confirmationis; pariter episcopum non obligari praebere singulis fidelibus suae dioecesis occasionem hoc sacramentum suscipiendi, nisi infra spatium quinque annorum. Quae quidem difficulter conciliari possunt cum gravi obligatione fidelium suscipiendi confirmationem. Si revera talis obligatio gravis exsisteret, tunc episcopi multo strictius tenerentur ad sacramentum istud administrandum. Praeterea gratiae in confirmatione collatae licet sint sane pretiosissimae, tamen possunt etiam aliis modis obtineri, e. g. repetita sumptione eucharistiae. Demum si adesset ista gravis obligatio, exsisteret pro omnibus hominibus capacibus. Porro nemo dicet infantem moribundum debere sub gravi recipere confirmationem. — Quae cum ita sint, fideles instanter quidem monendi sunt, ut confirmationem digne suscipere satagant; sed non dicendum est, secus illos esse peccati mortalis reos. Etiam S. Alphonsus primo favit sententiae neganti, cum nullum praeceptum neque naturale neque positivum adduci posset, quod talem obligationem gravem afferret, sed postea, putans Benedictum XIV [11] contrarium statuisse, reliquit hanc sententiam, quam propter auctoritatem Benedicti XIV non satis probabilem habet [12]. Verumtamen verba Benedicti XIV aliter explicari possunt.

En ista verba: «Monendi sunt [Graeco-Itali] ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.» Similia habet Instructio S. Congr. de Prop. Fide d. 4 Maii 1774 approbata a Clemente XIV. — Pro Graeco-Italis praecepit Pontifex confirmationem suscipiendam, quia ibi secus grave scandalum ortum esset. Etenim isti Graeco-Itali contra omne ius fecerunt infantes suos confirmari a simplicibus sacerdotibus; postea autem recusabant validam susceptionem confirmationis ab episcopis. Fuit ergo obstinata inoboedientia ex parte illorum. Proinde merito Pontifex illos peccati mortalis arguit, nisi velint confirmationem recipere. Insuper sufficienter apparet Benedictum XIV noluisse controversiam de obligatione confirmationis dirimere, quia in suo libro de

[1] Theol. mor. II, n. 140. [2] De sacr. n. 92. [3] Die hl. Sakr. I, § 48.
[4] Moraltheol. III 45. [5] Prontuario n. 1225. [6] Instit. 6, n. 10.
[7] Instit. mor. II, n. 1501. [8] Theol. mor. l. 6, n. 60.
[9] Theol. mor. III, § 83. [10] Das Sakr. d. Firm. Abschn. 2, Kap. 1, § 3.
[11] Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742.
[12] Theol. mor. l. 6, n. 182 in fine.

Synodo dioecesana [1], *quem post citatam Constitutionem edidit,* favere videtur oppositae sententiae. Ad Instructionem S. Congr. de Prop. Fide quod attinet, respondit Lehmkuhl [2]: «Haec sententia *opinio* est, quae contra se communiorem opinionem habet neque lex evadere ullatenus potest.» Missa ista responsione, quae videtur non sat reverentiosa, dico S. Congregationem voluisse tantum condemnare gravem *contemptum* confirmationis; asserit enim: «Hoc sacramentum sine gravis peccati reatu *respui* non potest, ac *negligi.*» Hoc autem omnes admittunt, et iam S. Thomas conceptis verbis docuit [3].

Ex omnibus dictis sequitur, ut non sit arguendus peccati mortalis ille, qui propter notabile incommodum confirmationem differt aut etiam non recipit [4]. E. g. non tenetur quis sub gravi confirmationem suscipere, si hoc illi magnum ruborem causaret ob valde provectam aetatem; non tenetur quis sub gravi confirmationem petere, si est dubium de priore confirmatione (nisi tamen velit ad Tonsuram et Ordines promoveri [5]).

CAPUT V.

De caeremoniis confirmationis.

162 1. *Caeremoniae* in Pontificali praescriptae observandae sunt, eaeque, quae certo aut etiam probabiliter ad valorem sacramenti pertinent, sub gravi obligant, e. g. unctio in fronte et per modum crucis.

Confirmatio administranda est ordinarie in ecclesia vel in sacello publico cum sollemnitate, i. e. cum mitra et baculo. Sed exsistente rationabili causa, episcopus sola stola pastorali indutus potest illam conferre in quocumque loco decenti quacumque die et hora [6].

Caeremonia *alapae* non obligat sub gravi; pariter *cereus* [7].

In confirmatione homo potest, sed non tenetur sibi aliud nomen praeter illud in baptismo acceptum imponere [8].

Quando sacerdos rite delegatus administrat sacramentum confirmationis, non potest adhibere Pontificalia, nisi iam aliunde habet hoc privilegium [9]. Caeremoniae autem ab ipso observandae indicantur in Instructione «pro simplici sacerdote sacramentum confirmationis ex Sedis Apost. delegatione administrante» edita a S. Congregatione de Prop. Fide die 4 Mai 1774 [10] et extensa a S. Officio mense Iulii 1888 (iis omissis, quae missionarios proprie respiciunt) ad omnes sacerdotes ex delegatione sacramentum confirmationis administrantes.

163 2. *Patrinus* sub gravi culpa requiritur in confirmatione aeque ac in baptismo. Ita sententia communis [11]. Excipitur casus gravis necessitatis, ubi nempe patrinus legitimus haberi non potest [12].

---

[1] Lib. 7, c. 10, n. 9. [2] Theol. mor. II, n. 142 [3] S. thecl. 3, q. 72, a. 1 ad 3.
[4] Cf. *Billuart,* De confirm. a. 8, § 2. [5] Cf. S. Offic. d. 14 Ian. 1885.
[6] Cf. S. C. de Prop. Fide d. 7 Dec. 1626 et S. Offic. d. 12 Febr. 1851.
[7] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 184. [8] Cf. S. C. R. d. 20 Sept. 1749.
[9] S. C. de Prop. Fide d. 23 Apr. 1774. [10] Collect. de Prop. Fide n. 503.
[11] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 185 et S. Offic. d. 5 Sept. 1877 (Collect. de Prop. Fide n. 1480). Propter auctoritatem S. Officii sententia opposita non est probabilis.
[12] Cf. Acta et Decr. Conc. plen. Amer. Lat. (1899) n. 517.

Condiciones ad validitatem requisitae ex parte patrini sunt:

a) Ut habeat intentionem gerendi munus patrini ac proinde ut sit assecutus usum rationis. Patet.

b) Ut sit designatus vel ab ipso confirmando vel ab eius parentibus tutoribusve vel (istis deficientibus) a ministro vel parocho.

c) Ut sit ipse confirmatus. Ita ex codice iur. can. c. 795 et ex Pontificali Romano statuente: «Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus.» Unde esset peccatum grave, si quis non confirmatus vellet in confirmatione patrinum gerere [1].

d) Ut confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat. Antiquitus confirmandus posuit pedem dexterum super pedem dexterum patrini; nunc autem consuetudo obtinuit, ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi.

e) Ut sit catholicus neque sectae haereticae aut schismaticae adscriptus nec ulla ex poenis notatus, de quibus supra n. 145, 2 dictum est.

f) Ut non sit pater, mater, coniux confirmandi.

Condiciones ad liceitatem requisitae ex parte patrini sunt [2]*:*

a) Ut sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime conferatur confirmatio.

b) Ut sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur.

c) Ut eadem observentur, quae praescripta sunt pro patrino baptismi, supra n. 147; e. g. ut patrinus attigerit decimum quartum annum aetatis, ut non sit religiosus aut in sacris ordinibus constitutus.

Scholion. De collatae confirmationis adnotatione. Nomina ministri, 164
confirmatorum, parentum et patrinorum, diem et locum confirmationis parochus inscribat in peculiari libro, et insuper in libro baptizatorum adnotet confirmationem factam [3]. Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione certior quam primum fiat per ministrum confirmationis eiusve delegatum [4].

TRACTATUS IV.
De eucharistia.

Praenotamen. Inter omnia sacramenta eucharistia est dignissima. Et revera Ecclesia Dei nil sanctius, nil dignius, nil salubrius habet quam istud sacramentum corporis et sanguinis Domini. Cum enim alia sacramenta dent vel augeant gratiam, eucharistia nobis praebet ipsum gratiae *auctorem,* qui voluit esse nostrum spirituale nutrimentum ac perenne sacrificium. Praeterea alia sacramenta sunt actiones transeuntes; eucharistia vero non in solo usu consistit, sed est quid permanens; quare distingui solet sacramentum in *fieri,* i. e. consecratio, et *in facto esse,* i. e. praesentia realis Christi sub speciebus. — Eucharistia sub duplici respectu considerari potest, scil. ut *sacramentum* in quantum *sumitur,* et ut *sacrificium* in quantum *offertur* [5]. Proinde omnes fere theologi

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 186. [2] Cod. iur. can. 796.

[3] Cf. forma describendi confirmatos in Rit. Rom. tit. 10, c. 4 et Cod. iur. can. c. 798.

[4] Ib. c. 799. [5] *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 79, a. 5.

dividunt tractatum de eucharistia in duas sectiones, scil. de eucharistia ut est sacramentum, et de eucharistia ut est sacrificium. Dogmatici solent praemittere probationem et explicationem realis exsistentiae Christi sub speciebus eucharisticis. Nos supponimus hanc realem exsistentiam atque transsubstantiationem, ac proinde statim exordimur ab eucharistia ut est sacramentum, et postea tractabimus de eucharistia ut est sacrificium.

Innumeri theologi scripserunt de augustissimo sacramento eucharistiae. Praeter S. Thomam, qui haud immerito doctor eucharistiae vocatur, et qui non solum profundissime hoc mysterium explicavit, verum etiam pulcherrimo Officio liturgico festi Corporis Christi celebravit, consuli possunt S. Bonaventura, S. Alphonsus, Drouven, Billuart, Chr. Pesch, Gihr, Schanz, et pro parte canonistica praecipue Gasparri, De eucharistia, 2 vol., Parisiis 1897; Many, Praelect. de Missa, Parisiis 1903. — Catechismus Romanus praesertim in hac materia est magnae auctoritatis et utilitatis.

SECTIO I.

De eucharistia, prout est sacramentum.

Dividimus istam sectionem in quinque capita: 1. de notione et institutione eucharistiae; 2. de eius materia et forma; 3. de eius effectibus; 4. de eius subiecto; 5. de eius ministro.

CAPUT I.

De notione et institutione eucharistiae.

165 **Diversa nomina.**

a) Eucharistiae nomen desumptum est a verbo graeco εὐχαριστεῖν, gratias agere, quia S. Paulus narrans institutionem huius sacramenti dicit: «Et gratias agens fregit et dixit: Accipite etc.»[1], unde eucharistia est idem ac gratiarum actio. Catechismus Romanus[2] adhuc alias explicationes huius nominis dat. b) *Synaxis* seu collectio, congregatio, communio, coadunatio vocatum est hoc sacramentum, cum quia fideles coadunantur in aliquo loco ad istud mysterium celebrandum[3], tum quia fideles manducantes hunc panem unum corpus mysticum efformare debent[4]. c) *Coena Domini*[5] vocatur, quia Christus hoc sacramentum instituit in ultima Coena. Haec denominatio multum arridet Protestantibus, qui illa abutuntur ad docendum eucharistiam non esse sacramentum permanens, sed in solo usu transeunte constitutum. d) *Viaticum*[6], quia hoc sacramentum reficit, sustentat, roborat in via et praesertim in ultima via, quando anima transire debet in aeternitatem. Sunt adhuc complures aliae denominationes, e. g. fractio panis, panis supersubstantialis, sacramentum altaris, sanctissimum sacramentum, Corpus Christi etc. Angelicus Doctor[7] explicat, quare istud sacramentum tot diversis nominibus convenienter sit denominatum.

166 **Definitio.** Eucharistiae sacramentum potest tripliciter considerari: *in fieri, in facto esse, in usu.*

---

[1] 1 Cor 11, 24. [2] P. 2, c. 4, q. 3. [3] Cf. 1 Cor 11, 20.
[4] Cf. 1 Cor 10, 17. [5] *Abendmahl.* [6] *Wegzehrung.*
[7] In S. theol. 3, q. 73, a. 4.

Si consideratur primo modo:

Eucharistiae est conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, remanentibus speciebus, ad animae nutrimentum; vel brevius, est ipse actus transsubstantiationis, i. e. ipsa verba consecrationis, prout attingunt materiam consecrandam.

Si consideratur secundo modo:

Eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Domini Nostri Iesu Christi sub speciebus panis et vini ad animae nutrimentum, a Christo institutum.

Demum, si spectatur tertio modo:

Eucharistia est sumptio corporis et sanguinis Christi sub speciebus eucharisticis.

Secundus modus accipiendi est magis proprius modus. Licet enim sumptio sit condicio, sine qua eucharistia suum effectum sacramentalem producere non possit, ac proinde etiam in sacrificio Missae prorsus necessaria sit, tamen sacramentum iam perfectum est ante usum, et hoc est omnino quid peculiare sacramento eucharistiae.

Disputant Scholastici, in quo praecise sit sita essentia huius sacramenti qua talis. Ex supra dictis de essentia sacramentorum elucet omne sacramentum esse signum practicum gratiae. Porro in eucharistia istud signum gratiae videntur esse species consecratae, *ut continentes corpus et sanguinem Christi.* Ergo illae sunt etiam essentia sacramenti eucharistiae. Ita docet quoque Catechismus Romanus dicens: «Verum haec omnia [quae antea enarrata fuere] minus proprie sacramenta dici perspicuum est. Ipsae autem panis et vini species veram et absolutam huius nominis rationem habent.»[1] Qui plura de hac controversia potius theoretica quam practica quaerit, adeat Billuart[2].

Significatio. Cum proprium sit uniuscuiusque sacramenti aliquid 167
significare, eucharistia significat tria: 1. *passionem Christi;* unde S. Paulus dicit: «Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat»[3]; 2. *gratiam ad animam alendam et sustentandam;* 3. *futurae gloriae pignus.* — Licet autem in eucharistiae sacramento multa contineantur eaque ad essentiam pertinentia, scil. duplex materia, duplex forma, sumptio; tamen non est sacramentum multiplex, sed est *unum ens morale,* quia quaelibet eius pars eandem triplicem significationem habet[4]. Ex quibus sequitur, ut ille, qui eucharistiam recipit sub utraque specie, non maiorem gratiam accipiat quam ille, qui communionem sumpsit sub sola specie panis. Ita sententia verior. Eucharistia sanctificantem gratiam animae confert in ipsa sumptione seu manducatione, i. e. quando species ex ore in stomachum traducuntur. Christus enim dixit: «Qui manducat me, et ipse vivet propter me.»[5] Unde si quis species tam diu in ore retinet, donec dissolutae fuerint, vel si moribundus non potest deglutire

---

[1] P. 2, c. 4, q. 8. [2] De euchar. diss. 2, a. 1, § 2. [3] 1 Cor 11, 26.
[4] Cf. S. theol. 3, q. 73, a. 2, et Cat. Rom. l. c. q. 10. [5] Io 6, 58.

species, non recipit gratiam sacramenti. Qui autem species quidem in stomachum recepit, sed postea evomuit, revera manducavit, ac proinde gratiam recepit.

168 **Institutio.** Eucharistiam esse verum sacramentum a Christo institutum, est de fide, et ita certum, ut nullus fere haereticus ausus sit hoc negare. Erraverunt quidem complures circa realem praesentiam Christi in hoc sacramento, sed eius exsistentiam nemo fere negavit. Nostris tamen temporibus quidem Protestantes, ut Jülicher, Spitta etc., institutionem eucharistiae a Christo factam esse, ausi sunt negare [1]. Doctrina catholica definita est in Conciliis Lateranensi IV [2], Florentino [3], et Tridentino [4]. Christus autem instituit hoc sacramentum pridie quam paterétur, in ultima Coena, quando sumptis pane et vino in manus suas dixit: «Accipite et comedite: hoc est corpus meum.... Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.» [5] «Hoc facite in meam commemorationem.» [6]

In eucharistia inveniuntur clarissime tria elementa constitutiva cuiusque sacramenti: institutio a Christo; signum sensibile, scil. panis et vinum; gratia invisibilis propter promissionem Christi: «Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.» [7]

CAPUT II.

De materia et forma eucharistiae.

Cum materia huius capitis sit nimis ampla, dividimus illam in tres articulos: 1. de materia remota; 2. de materia proxima; 3. de forma eucharistiae.

ARTICULUS I.

De materia remota eucharistiae.

169 Materia remota eucharistiae est solus panis triticeus et vinum de vite. Ita Concilium Florentinum [8]. Ratio autem est, quia constat Christum adhibuisse panem et vinum in institutione huius sacramenti. Porro solus panis triticeus vocatur simpliciter panis, et solum vinum naturale de vite vocatur simpliciter vinum. Claritatis causa separatim tractandum est de materia valida et licita cum panis tum vini.

§ 1.

De valida et licita materia panis.

170 1. **Materia valida panis.** Ad *valide* conficiendum sacramentum requiritur, ut panis sit a) ex farina triticea et b) aqua naturali confectus atque c) igne coctus.

---

[1] Cf. *G. Rauschen,* Eucharistie und Bußsakr. § 3.
[2] *Denz.* n. 430. [3] *Denz.* n. 698.
[4] Sess. 7, can. 1 de sacr. in gen. et sess. 13 per totum (*Denz.* n. 844 et 874 sqq.).
[5] Mt 26, 26 sqq. [6] Lc 22, 19. [7] Io 6, 52. [8] *Denz.* n. 698.

Requiritur itaque: a) Ut farina sit *triticea;* quare invalida est materia alterius speciei, e. g. quae est confecta ex hordeo [1], secali [2], zea [3], avena [4], oryza [5], milio [6], pisis [7], fabis [8], pomis terrestribus etc. Valida autem materia est farina desumpta ex diversis varietatibus *accidentalibus* tritici, e. g. tritici vulgaris, tritici duri, tritici turgidi, tritici speltae etc. Quare sufficit triticum verum cuiusque regionis et cuiusque varietatis.

b) Farina triticea sit mixta cum *aqua naturali* necesse est. Itaque si alius liquor, e. g. lac, vinum, oleum in notabili quantitate sit commixtus, materia est invalida; sin autem talis commixtio fit in modica quantitate, materia est quidem illicita, sed non invalida. Item non est adiungendum farinae coquendae sal, saccharum aliudve condimentum, cum prorsus omnis commixtio sit illicita. Ex altera autem parte non videtur esse licitum ad obtinendas hostias valde albas et pulchras extrahere ex farina *totum gluten*, ita ut obtineatur quasi amidum. Gluten enim videtur pertinere ad panem, sicut alcohol ad vinum. Licet autem solam partem glutinis extrahere (cf. S. Offic. d. 25 Iun. 1852. Collectan. de Prop. Fide n. 1076).

c) Massa subacta ex farina triticea et aqua naturali ita coquenda est, ut evadat *verus panis*. Unde si massa est cruda vel tantum cocta per modum pultis, placentae, libi, non est verus panis neque materia valida consecrabilis.

2. **Materia licita panis.** Ad *licite* conficiendam eucharistiam 171
requiritur:

a) Ut adhibeatur panis *azymus* in ritu latino; panis vero *fermentatus* in ritu orientali [9].

Ecclesia latina utitur pane azymo, quia ipse Christus instituens eucharistiam diebus azymorum videtur adhibuisse panem azymum. — Obligatio panis azymi consecrandi est pro *sacerdotibus latinis* tam gravis, ut solum in uno casu illis liceat consecratio panis fermentati, nempe: ad perficiendum Missae inceptae sacrificium, si prorsus desit panis azymus [10]. Iuxta sententiam, quam S. Alphonsus [11] vocat communem et probabiliorem, ne ad praebendum viaticum quidem infirmo posset in casu necessitatis sacerdos latinus consecrare panem fermentatum, sed opposita sententia videtur esse probabilis et tuta, cum praeceptum viatici sumendi derivetur ex iure divino, ut infra dicetur. Iamvero praeceptum iuris divini praevalet praecepto iuris ecclesiastici prohibentis consecrationem in pane fermentato.

Nota. Quamvis sacerdotes sive latini sive orientales sub gravi teneantur *consecrare* panem azymum vel fermentatum iuxta proprium cuiusque ritum, tamen «ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, *ministrare* eucharistiam consecratam in azymo, vicissim latino (aut orientali, qui utitur azymo) ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servabit.» Ita Pius X [12]. Immo omnibus

[1] *Gerste,* orge. [2] *Roggen,* seigle. [3] *Mais.* [4] *Hafer,* avoine.
[5] *Reis.* [6] *Hirse,* millet. [7] *Erbsen,* pois. [8] *Bohnen,* fèves.

[9] Sunt tamen quidam Orientales, ut Armeni et Maronitae, qui utuntur pane azymo. Cf. S. C. de Prop. Fide d. 20 Maii 1838.

[10] *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 203) putat sacerdotem latinum per Graeciam transeuntem posse celebrare sive in fermentato sive in azymo; quae quidem sententia vix teneri potest nunc cum statuat Codex iur. can. c. 816: «In Missae celebratione sacerdos secundum proprium ritum debet panem azymum vel fermentatum adhibere, *ubicumque Sacrum litet.*»

[11] L. c. [12] L. c.; cf. Cod. iur. can. c. 851.

fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut *pietatis causa* sacramentum eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant. Ita iterum Pius X [1], qui proinde adhuc auxit libertatem hac in re iam concessam a Leone XIII in Constitutione «Orientalium dignitas» d. 30 Nov. 1894. Communionem autem paschalem et viaticum unusquisque recipere debet in proprio ritu et a proprio parocho eiusve delegato, *in quantum hoc moraliter possibile est* [2].

b) Hostia consecranda debet esse *recens, munda, integra, formae orbicularis.*

Hostia debet esse *recens,* ideoque hostias iam ante mensem confectas non licet consecrare. S. Congr. Rituum d. 16 Dec. 1826 [3] dicit consuetudinem consecrandi hieme species a tribus mensibus, et aestate a sex mensibus confectas esse eliminandam. Eadem S. Congr. Rituum d. 12 Sept. 1884 [4] dub. 2 proposito dubio: «Servarine potest consuetudo renovandi ss. eucharistiam semel vel bis in mense, licet qualibet hebdomada iuxta Caeremoniale episcoporum eadem ss. eucharistia foret renovanda?» respondet: «Servetur dispositio Caeremonialis episcoporum l. 1, c. 6, § 2. Porro Caeremoniale episcoporum l. c. statuit, ut sacrosancta eucharistia «saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur». — Nihilominus hoc statutum non videtur *sub gravi* obligare, ac proinde, iusta exsistente causa et absente periculo corruptionis, sufficit renovare species eucharisticas *de quindena in quindenam* [5]. Si tamen temperies est valde humida vel calida, mutandae sunt frequentius species eucharistiae, ne evadant mucidae.

Non solum recentes, sed etiam *mundae et integrae* debent esse hostiae consecrandae. Hinc esset irreverentia gravis, si sacerdos sine urgente necessitate consecraret hostiam notabiliter fractam vel maculatam. Quodsi macula vel fractura non est ita notabilis neque scandalum oritur, non peccat graviter sacerdos talem hostiam consecrans. Notat autem S. Alphonsus [6]: «Si tamen fractura [vel macula] deprehendatur *post oblationem,* licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur.»

Figura hostiae consecrandae in Ecclesia latina debet esse *orbicularis,* in Ecclesia autem graeca *quadrata.* Hostia adhibenda in Missa aut in Ostensorio debet esse maior. Diametrum eius sit 6—9 centimetrorum. S. Alphonsus docet, deficiente hostia maiore, sacerdotem posse etiam *ob solam devotionem* celebrare Missam cum hostia minore, dummodo tamen scandalum populi praecaveat [7]. Hostiae parvae pro communione laicorum destinatae ne sint nimis parvae ac tenues; diametrum illarum sit circiter 3 centimetrorum. Si enim istae hostiae sunt nimis parvae ac tenues, distributio communionis evadit valde difficilis et vix fieri potest sine incommodis. — Qualitates hostiae consecrandae solent rubricistae exprimere his versiculis:

Candida, triticea ac tenuis, non magna, rotunda,
Expers fermenti, non fracta sit hostia Christi.

Nota. Sacerdos invigilet, ut illi, qui coquunt hostias, sint homines diligentia, pietate, fidelitate praestantes, atque ut adhibeant purum triticum puramque aquam.

---

[1] L. c.

[2] Cf. S. C. de Prop. Fide d. 27 Mart. 1916, n. 11 et 12 (Acta Ap. Sed. VIII 106). Cod. iur. can. c. 866.

[3] Decr. auth. n. 2650. [4] Ib. n. 3621.

[5] Cf. *Benedict. XIV,* Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742, § 6, n. 4.

[6] Theol. mor. l. 6, n. 204. [7] Ib. n. 205.

§ 2.

De valida et licita materia vini.

1. **Materia valida vini.** Ad *valide* consecrandum vinum re- 172
quiritur omnino, ut sit vinum de vite (sive album, sive rubrum, sive ex utroque mixtum), seu liquor ex uvis maturis vitis expressus.

Itaque invalida materia est omnis alius liquor, e. g. cerevisia, vinum adustum, ut est Cognac, vinum artificiosum, vinum factum ex pomis aliisque fructibus etc. Invalida quoque materia sunt a) uvae, quia non sunt potus; b) vinum factum acetum vel alio modo corruptum, e. g. per infusionem magnae quantitatis aquae; c) vinum, cui artis ope subtractum est omne alcohol [1], quia alcohol videtur pertinere ad essentiam vini naturalis. S. Officium d. 7 Maii 1879 ad quaesitum: «Utrum liceat celebrare cum vino facto ex uvis passis seu siccatis?» [2] respondit: «Licere, dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum.» Missionarii igitur viventes in regionibus, ubi uvae recentes haberi non possunt, neque facile vinum ex longinquis regionibus afferri valet, facile sibi procurare possunt vinum ex istis uvis siccatis, dummodo tamen musti effervescentia exspectetur.

2. **Materia licita vini.** Ad *licite* consecrandum vinum requiritur, 173
ut vinum sit:

a) *Fermentatum.*

Itaque mustum seu sucus ex uvis maturis recenter expressus est quidem materia valida, sed illicita, quia non videtur esse vinum perfectum et admixtas habet varias materias non consecrabiles. Liquor ex uvis immaturis expressus (agresta) non est materia valida, quia nondum est vinum [3].

b) *Purum.*

Quare illicitum est adhibere vinum, quod est turbidum, aut cui admixta sunt aromata vel colores. S. Officium permisit (d. 30 Iulii 1890), ut vino debili admisceatur spiritus vini [4], dummodo tamen 1. iste spiritus sit extractus ex germine vitis (non ex pomis, vel saccharo); 2. tota quantitas spiritus in vino sic mixto nunc contenta non excedat 12%; 3. admixtio fiat, quando vinum est adhuc valde recens, ita ut ex vino et spiritu una substantia evadere possit per fermentationem. Immo idem S. Officium d. 5 Aug. 1896 permisit, ut spiritus alcohol possit augeri usque ad 17—18%, si hoc est necessarium ad conservanda vina valde generosa et extraordinarie dulcia [5].

c) *Nondum acescens neque congelatum.*

Nam vinum acescens non quidem est totaliter corruptum, sed iam incipit corrumpi. Vinum congelatum est materia dubia consecrationis; prius igitur debet liquefieri, antequam licite consecretur aut, post consecrationem, antequam licite sumatur [6].

d) Vino consecrando est *admiscenda modica aqua naturalis.*

Ita ex Ecclesiae gravi praecepto [7]. Rationes, ob quas Ecclesia praecepit admixtionem aquae, sunt: 1. exemplum Christi, qui creditur consecrasse in

[1] *Alkoholfreier Wein.*

[2] *Rosinen,* raisins secs, zibibbo (Collectan. de Prop. Fide n. 1518).

[3] Cf. Missale Rom., de defect. Miss. tit. 4, n. 2; *S. Thom.*, S. theol. 3, q. 74, a. 5 ad 3.

[4] *Weingeist.* [5] Cf. *Denz.* n. 1937 sq.

[6] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l 6, n. 207, q. 2; *Billuart,* De euch. diss. 3, a. 1.

[7] Cf. Trid. sess. 22, c. 7 et can. 9 de sacrif. Missae (*Denz.* n 945 et 956).

vino aqua mixto; 2. significatio cum sanguinis et aquae fluentis ex latere Christi mortui, tum unionis inter Christum et fideles. Christus Deus enim significatur per vinum; fideles autem creaturae per aquam. Omnes theologi docent hoc praeceptum esse tam grave, ut in nullo casu sacerdos possit consecrare vinum sine admixtione aquae; et si sacerdos oblitus sit infundere vino aquam, debeat istum defectum supplere ante consecrationem, *non autem post.* Aqua admiscenda necesse est ut sit naturalis et potabilis, etsi est acidula, alcalina vel vaporosa [1].

Quantitas aquae immiscendae debet esse *modicissima,* quia iuxta probabiliorem sententiam ista aqua converti debet in vinum et sic consecrari in sanguinem Christi [2]. Quod quidem esset impossibile, si notabilis quantitas aquae vino misceretur. Ideo sacerdos caveat, ne plus quam paucas (3—10) guttulas vino immisceat. In aliquibus regionibus aqua infunditur ope parvi *cochlearis,* ne quantitas aquae sit nimia. Talis usus tolerari potest [3]. Sin autem quantitas aquae admixtae aequaret tertiam partem vini consecrandi, materia esset valde dubia neque liceret illam consecrare. Unde tunc aliqua pars vini addenda esset.

Iuxta ritum latinum aqua est vino miscenda, quando sacerdos iam est ad altare; ideoque non liceret aquam infundere vino in sacristia et adhuc minus in cellario. Iuxta ritum vero orientalem in initio liturgiae aqua infunditur vino et deinde immediate ante communionem iterum aqua eaque fervida. Quae quidam caeremonia approbata a Benedicto XIV [4] significat divinitatem non abscessisse a Christi corpore mortuo, dum ex latere eius fluxerunt sanguis et aqua.

ARTICULUS II.

De materia proxima eucharistiae.

174 Materia proxima cuiusque sacramenti est applicatio materiae remotae. Ergo materia proxima eucharistiae est applicatio panis et vini, quae fit in consecratione. A quibusdam auctoribus materia proxima eucharistiae vocantur species eucharistiae, prout continent corpus et sanguinem Christi. Hic sumitur materia proxima in primo sensu.

175 1. **Ad valide consecrandum** requiritur: a) ut materia consecranda sit physice praesens; b) ut sit determinata.

a) *Physica praesentia* materiae habetur, quotiescunque iuxta communem aestimationem hominum verba «hic» et «hoc» recte adhiberi possunt. Hinc valide consecrantur omnes hostiae in pyxide contentae, licet non omnes videri possint; item valida est consecratio hostiarum in pyxide cooperta ante sacerdotem posita; valide consecrant cum episcopo omnes neopresbyteri, etsi longius ab altari sistunt neque panem aut calicem vident. Num valida sit consecratio hostiae, quae lateat sub corporali aut in angulo altaris, vel pyxidis positae in scamno candelabrorum, non ex eius sola praesentia physica sed ex praevia intentione sacerdotis celebrantis determinari oportet. Etenim tales hostiae

[1] *Natürliches Mineralwasser.* S. Offic. d. 11 Aug. 1904 (Analect. eccl. XII [1904] 370).
[2] Cf. S. theol. 3, q. 74, a. 8, et Cat. Rom. P. 2, c. 4, q. 16.
[3] S. R. C. d. 6 Febr. 1858 (Decr. auth. n. 3064 ad 4).
[4] Const. «Etsi pastoralis» § 6, n. 2.

sunt magis praesentes sacerdoti celebranti, quam hostia consecranda est praesens neopresbyteris in prima ipsorum Missa. Cum isti casus haud raro eveniant, praestat, ut quilibet sacerdos faciat semel pro semper claram intentionem consecrandi iuxta modum infra n. 177 explicandum.

b) *Determinatio materiae consecrandae* per intentionem actualem vel virtualem sacerdotis consecrantis requiritur ad validitatem sacramenti. Ratio est, quia quaelibet actio determinatum terminum habere debet, ac praeterea particulae «hic», «hoc» requirunt specialem determinationem. In praxi consulendum est, ne illa determinatio nimis exaggeretur *quoad numerum;* e. g. sacerdos ne determinet numerum hostiarum dicens aut cogitans: volo consecrare viginti hostias, aut unam hostiam. Nam si tunc revera non essent viginti, sed viginti duae hostiae, aut si non esset una, sed duae, dubium est, num et quae sint consecratae. Ergo sacerdos simpliciter sibi proponat consecrare materiam consecrabilem ante se positam.

Disputant theologi, num guttulae vini intus vel extra haerentes ad latera calicis sint consecratae. Guttulae *exterius* calici adhaerentes non censentur consecratae, quia nullus sacerdos supponitur habere talem intentionem et tam irreverentiose agere contra ss. sacramentum. Non est autem sufficiens ratio dubitandi de consecratione guttularum *intus* haerentium. Etenim illae certo praesentes sunt, ac possunt licite consecrari. Melius esse videtur, si sacerdos facit intentionem consecrandi quidquid consecrabile est in calice, nec est cur restringat intentionem suam ad quantitatem *continuam* vini. Nam facile accidit, ut propter motum calicis guttulae adhaereant interiori lateri calicis. Sin autem istas guttulas nollet consecrare, deberet ante consecrationem caute eas abstergere; quod esset satis onerosum.

Cur parvae micae, quae ab hostiis divulsae tempore consecrationis in pyxide inveniuntur, non sint consecratae, item non apparet; nisi sacerdos specialem intentionem circa eas formaverit. Alii theologi suadent excludere tales micas a consecratione propter irreverentiam vitandam; alii auctores potius consulunt consecrare quidquid consecrabile invenitur in pyxide, quia secus micae non consecratae miscentur cum micis consecratis, nempe cum illis, quae ex frictione postea ab hostiis consecratis cadent. Secunda sententia nobis magis placet, quia iuxta primum agendi modum semper adest illa irreverentiosa mixtio micarum non-consecratarum et consecratarum; in secundo autem modo nulla irreverentia accidit, si sacerdos sedulo omnes micas colligit et consumit in purificatione pyxidis.

2. **Ad licite consecrandum** requiritur, ut materia consecrabilis 176
sit: a) super altari sive consecrato sive portatili; b) super corporali[1]; c) teneatur in manibus sacerdotis vel contineatur in vase aperto; d) ut consecratio fiat in Missa et res consecranda saltem ante offertorium sit in altari[2].

a) Si altare est *consecratum,* sacerdos curet, ut tota materia consecrabilis sit super corporali; sin autem est altare *portatile,* non sufficit,

[1] Cf. Missale Rom., de defect. Miss. tit. 10.

[2] Cf. Missale, Ritus celebrandi Missam tit. 7, n. 3.

ut materia consecranda inveniatur super corporali, sed etiam requiritur, ut sit super *lapide sacrato;* nihilominus si propter angustiam istius lapidis calix et ciborium simul in eo consistere nequeunt, videtur sufficere, ut saltem aliqua *pars pedis* durante consecratione sit super lapide. Ceterum lapides ita angusti reiciendi sunt, in quantum est possibile.

b) Celebrare Missam sine corporali (aut super corporali non benedicto) nequit excusari a peccato gravi, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi [1].

c) Cum in offertorio tum in consecratione operculum pyxidis est auferendum. Ita sub levi. Hostiam autem, quae ad essentiam Missae pertinet, sicuti pariter calicem, in quo continetur vinum consecrandum, debet sacerdos in manibus tenere tempore consecrationis.

d) Consecratio numquam licite fieri potest extra Missam. Item prorsus numquam licet unam solam speciem consecrare. Ita omnes et expresse Codex. iur. can. c. 817. Immo probabiliter est *invalida* consecratio facta extra Missam. Etenim «sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum» [2]. Iamvero sacerdos neque in persona Christi neque iuxta intentionem Ecclesiae agit, quando vult consecrare extra Missam. Nam potestas consecrandi non est alia ac potestas Missam celebrandi. Quare in ordinatione presbyteri dicitur: «Accipe potestatem offerre sacrificium.» Quae cum ita sint, probabiliter invalida est consecratio, si e. g. malus sacerdos pronuntiaret verba consecrationis super panes in emporio pistrino conservatos [3].

Hostiae (in pyxide) consecrandae sunt ponendae super corporali in initio Missae vel saltem *ante offertorium.* Ex rationabili causa licite consecrari possunt hostiae in pyxide allatae post offertorium, dummodo earum oblatio tunc mentaliter suppleatur. Maior causa requiritur, ut hostiae post praefationem, sed ante canonem portatae possint consecrari. Gravis autem causa requiritur (e. g. si alias magna multitudo fidelium deberet recedere sine communione petita aut nimis diu exspectare deberet), ut liceat consecrare hostias allatas *coepto iam canone.* Ratio huius praecepti deducitur ex ordine Missae, in qua distinguitur actus liturgicus oblationis, qui incipit in offertorio et terminatur orationibus secretis, et actus consecrationis, qui incipit cum praefatione. Hinc ordo iste pervertitur, si particulae consecrandae afferuntur offertorio iam facto; maior autem adest perversio, si iam incepit actus liturgicus consecrationis in praefatione [4]. Ceterum si unus tantum est communicandus, illi porrigi potest particula ex hostia sacerdotis. *Numquam autem licet consecrare particulas consecratione Missae iam peracta;* hoc enim esset partem essentialem Missae sacrilege iterare.

---

[1] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 386.

[2] Eugenii IV Decr. pro Armenis (*Denz.* n. 698).

[3] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 196, dub. 3. S. Thomas nequit allegari tamquam certo contrarius huic opinioni, quia non loquitur de valida consecratione unius speciei; nisi *in Missa.*

[4] Cf. *S. Alph.* ib. n. 2175; *Noldin,* De sacr. n. 115.

Hostiae consecratae debent in altari remanere usque post communionem sacerdotis celebrantis [1].

Scholion. *An valida sit consecratio, si ex oblivione aut inadvertentia consecrans sacerdos non observaverit aliquod grave praeceptum liturgicum?* Iste casus satis frequenter occurrit; e. g. materia consecrabilis non est super corporali, calix non est rite consecratus, aqua non fuit vino commixta etc. Nonnulli auctores putant talem consecrationem esse invalidam, quia sacerdos non censetur habere intentionem consecrandi, si consecratio *obiective considerata* esset peccatum grave. Sic e. g. S. Alphonsus [2] vocat communem et probabiliorem eam sententiam, quae tenet ciborium ex oblivione extra corporale relictum non esse consecratum. — Solutio huius controversiae pendet *ex intentione sacerdotis.* Nam materiam valide consecrabilem esse in istis casibus sufficienter physice praesentem ac determinatam, videtur esse extra solidum dubium. Omnis quidem difficultas evanescit, si sacerdos facit semel pro semper determinatam intentionem, e. g. nihil consecrandi nisi materiam consecrabilem, quae invenitur super corporali aut in calice, vel consecrandi omnem materiam consecrabilem, quae invenitur super altari et quam in initio Missae voluit consecrare. In praxi consulendum est, ut quilibet sacerdos faciat unam alteramve intentionem. Quodsi talis intentio facta non fuerit, tunc distinguendum est: Vel consecratio pertinet *ad perficiendum ipsum sacrificium,* et tunc valida est, non obstante quocumque defectu ex iure ecclesiastico introducto. Intentio enim non relinquendi sacrificium mutilum debet praevalere. Quare e. g. est valida consecratio facta in calice non consecrato, super corporali non benedicto, in pane fermentato etc. Vel consecratio talis materiae non pertinet ad perficiendum sacrificium, cum sit *materia accidentalis,* e. g. ciborium ex oblivione relictum extra corporale, et tunc videtur nihilominus utpote materia consecrabilis et physice praesens esse vere consecrata, dummodo sacerdos initio Missae vel saltem immediate ante Missam habuerit intentionem consecrandi hanc materiam determinatam. Ratio est, quia omnia ad validam consecrationem requisita videntur adesse, nempe materia consecrabilis, physice praesens, determinata, atque ministri intentio, quae minime censetur revocata ex eo, quod aliqua rubrica (licet in se graviter obligans) sit ex inculpabili inadverentia non observata [3]. 177

Hostiae dubie consecratae sumendae sunt ante ablutionem, vel in *alia* (non in eadem) Missa sub condicione consecrandae.

ARTICULUS III.

De forma eucharistiae.

Forma consecrationis sunt verba, quae sacerdos nomine Christi profert; dicit enim Eugenius IV [4]: «Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.» 178

---

[1] Cf. infra n. 230. [2] L. c. n. 217.

[3] Ita quoque *Göpfert,* Moraltheol.[7] III 54; Ballerini in notis ad *Gury,* Comp. Theol. mor. II, n 283, et «American Ecclesiastical Review» (1912) 660—674, ubi tota haec quaestio vivido calamo tractatur.

[4] Decr. pro Armenis (*Denz.* n. 698).

Forma *in consecratione panis* est: «Hoc est enim corpus meum.» Omnia ista verba sunt essentialia, excepto verbo «enim», cuius omissio constitueret peccatum veniale. Haec forma desumpta est ex evangelio S. Matthaei[1].

Forma *in consecratione vini* est: «Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.»[2] Quae quidem verba ex diversis locis S. Scripturae desumpta sunt praeter verba «aeterni» et «mysterium fidei», quae a Christo ad Ecclesiam pervenisse dicenda sunt. In ista forma essentialia sunt: «Hic est calix sanguinis mei», vel: «Hic est sanguis meus». De verbo «enim» valet idem, quod dictum est supra de consecratione panis. Cetera autem verba sub gravi quidem addenda sunt, sed non pertinent ad essentiam. Ita sententia communis, cui non obstat praeceptum Ecclesiae, ut deficiente sacerdote post pronuntiata verba: «Hic est enim calix sanguinis mei», alius sacerdos debeat repetere totam formam. Etenim si sacerdos celebrans subito defecit, moraliter impossibile est scire, quaenam verba formae rite pronuntiaverit. Proinde Ecclesia, ne sacrificium Missae mancum maneat, eligit partem securiorem. Neque etiam S. Thomas reapse contradicit huic sententiae, quia eius verba[3] in recto sensu intelligi possunt et debent[4].

Si quis ex negligentia aut pravo usu pronuntiaret «oc, ic, es, copus, calis, meus, sanguis», peccaret quidem, sed valide consecraret, quia tales mutationes sunt accidentales, saltem si recta fuit intentio sacerdotis. In praxi summa cum diligentia (humano tamen modo) verba consecrationis pronuntianda sunt sine minima mutatione. Tanti enim sacramenti dignitas id exigit.

179 **Scholion. De erroribus circa formam eucharistiae.** Circa formam eucharistiae falsa docuerunt Protestantes dicentes verba non esse ita necessaria, vel tantum ad fidem excitandam debere verba proferri. Graeci *schismatici* dicunt eucharistiam confici per sic dictam «epiclesim» seu in precibus, quas post prolata verba: «Hoc est corpus meum etc.», fundunt secundum suas liturgias hoc modo: «Rogamus, Pater, ut mittas Spiritum tuum super nos et super haec apposita munera, et fac panem istum pretiosum corpus Filii tui, et, quod est in calice, pretiosum sanguinem Filii tui.» Graeci autem *uniti* habent formam non essentialiter diversam a forma ritus latini. Innocentius III[5] (ut auctor privatus) censuit Christum sine verbis et sola benedictione consecrasse[6]. Eandem opinionem propugnaverunt Ambrosius Catharinus et pauci alii. Scotus[7] putavit de necessitate sacramenti formam debere incipere a verbis: Qui pridie etc. ita ut consecratio sit dubia, istis verbis

---

[1] Cap. 26, v. 26.

[2] Forma iuxta ritum graecum est: «Accipite et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum», et: «Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum.» Ita habetur in Conc. Prov. primo Alba Iul. et Fogarasiens. p. 78.

[3] 4, dist. 8, q. 2, a. 2. [4] Cf. *Billuart*, De euchar. diss. 5, a. 3, § 2.

[5] De myst. Missae l. 4, c. 6. [6] Cf. S. theol. 3, q. 78, a. 1 ad 1.

[7] In IV, D 8, q. 2.

omissis. Quae quidem opinio sicuti etiam praxis Graecorum schismaticorum proscripta est a Pio VIII d. 8 Maii 1822, qui in litteris ad Patriarcham antiochenum Melchitarum Graecorum prohibet omnibus, quominus sustineant ac tueantur illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, consecrationem non consistere unice in verbis Christi, quibus utraque Ecclesia occidentalis et orientalis utitur, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere precandi formulam, quae in liturgia occidentali antecedit, in orientali subsequitur.» Unde falsum est, ut quidam docuerunt, e. g. Schell [1], formam eucharistiae validam esse in Ecclesia graeca *epiclesim*. Rauschen quoque in hac re erravit dicens: «Momentum consecrationis dependet ab intentione sacerdotis, . . . consecratio perficitur in epiclesi.» [2] Nam quomodo aliquid ad essentiam sacramenti pertinet, quod potest adesse et abesse? Iamvero ipse Rauschen docet epiclesim posse in consecratione adesse vel abesse [3]. — Demum haeretici primorum saeculorum (Ebionitae, Marcionitae, Apostolici etc.), qui docuerunt, loco vini puram aquam esse consecrandam, ac propterea «Aquarii» vocati sunt, necessario erraverunt circa formam eucharistiae [4].

CAPUT III.

De effectibus eucharistiae.

Almum eucharistiae sacramentum sicut dignissimum, ita est etiam 180
efficacissimum. Efficacia eius ex triplici potissimum fonte provenit: 1. *ex unione cum Christo;* 2. *ex eius nutritione spirituali*; 3. *ex eius speciali significatione passionis Christi.*

1. In eucharistiae sumptione habetur perfecta unio cum Christo Deo et homine.

Dicit enim Dominus: «Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.» [5] Ex ista unione sponte producitur magnum augmentum gratiae sanctificantis. Sicut enim Christus visibiliter veniens in hunc mundum contulit illi gratiam secundum illud: «Gratia et veritas per Iesum Christum facta est» [6], ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur [7]. Cum eucharistia sit sacramentum vivorum, iam supponit in anima gratiam sanctificantem eamque auget; per accidens autem, quando scil. quis conscientiam et affectum peccati mortalis commissi non habet, eucharistia causat primam gratiam [8].

2. Eucharistia est perfectissimus animae cibus, immo est sacrum 181
convivium, in quo omnes christiani accumbere invitantur.

Ergo producit omnes effectus boni cibi et iucundissimi convivii, sicut Concilium Florentinum docet: «Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem.» [9] Hinc Eucharistia:

a) *Sustentat* vitam spiritualem, in quantum praecavet peccata. Sicut enim bonus cibus corporalis praecavet morbum, ita cibus eucharisticus roborat

[1] Dogmatik III (1893) 539. [2] Euchar. und Bußsakram. § 6, p. 100.
[3] Cf. *J. Höller*, Die Epiklese der griech.-orient. Liturgien, Wien 1912, 74—134.
[4] Cf. *S. Cypr.*, Ep. 63 ad Caecil. (*Migne*, Patr. lat. 4, 384 sqq.).
[5] Io 6, 57. [6] Io 1, 17. [7] Cf. S. theol. 3, q. 79, a. 1.
[8] Ib. a. 3. [9] Decr. pro Armenis (*Denz.* n. 698).

animam contra omnes tentationes peccati, et praecipue contra pericula castitatis; est enim illud vinum, quod «germinat virgines»[1]. Fomes peccati non quidem directe minuitur, sed indirecte per caritatem multo auctam ex eucharistia[2]. Experientia omnium confessariorum constat non dari efficacius remedium contra tentationes, quam saepius repetita et devota susceptio eucharistiae.

b) *Auget* simul cum gratia fervorem omnium virtutum. Per hoc sacramentum, quantum est ex sua virtute, non solum habitus gratiae et virtutis augetur, sed etiam excitatur in actum secundum illud: «Caritas Christi urget nos.»[3] Non raro ex devote suscepta eucharistia virtutes exercentur in gradu vere heroico.

182 c) *Remittit* culpas veniales et poenas temporales. Quare docet Concilium Tridentinum[4] eucharistiam esse «antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur». Ratio, cur eucharistia deleat peccata venialia, est *fervor caritatis auctus*. Peccatum enim veniale et fervor caritatis se invicem destruunt. Quo plura peccata venialia committuntur, eo magis minuitur fervor caritatis. Quo autem magis augetur fervor caritatis, eo magis tolluntur peccata venialia. De remissione *poenae temporalis* docet Angelicus Doctor[5]: Eucharistia «habet effectum dupliciter: uno modo directe ex vi sacramenti; alio modo quasi ex quadam concomitantia. . . . Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et ad membra eius, sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis cōnsequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae, inde est, quod ex consequenti per *quandam concomitantiam* ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris.» Ex quibus intelligitur, quare s. communio sit optima dispositio ad indulgentiam plenariam lucrandam, et quare Ecclesia soleat praescribere s. communionem ut condicionem requisitam lucrandae indulgentiae.

d) *Delectat,* quia auget caritatem, unit cum Christo et reparat cum culpam tum poenas, ut explicatum est. Unde merito dicitur in Officio Corporis Christi: «Panem de coelo praestitisti eis *omne delectamentum in se habentem*», et complures sancti post communionem in exstasim rapiebantur.

183 3. Eucharistia specialiter significat passionem Christi.

Sacrificium enim Missae, in qua consecratur sacramentum, est renovatio incruenta sacrificii crucis. Propter istam arctam coniunctionem cum passione Christi eucharistia est pretiosum *pignus futurae gloriae* et *scutum validum contra diabolicas tentationes*. Prior effectus producitur, quia Christus per suam passionem aperuit nobis aditum vitae aeternae. Eucharistia praefiguratur per illum cibum miraculosum, quem Elias «comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb»[6]. Cum autem diaboli potestas fracta sit per passionem Christi, eucharistia fortes nos reddit etiam in agone cum daemone. Hinc S. Ioannes Chrysostomus dicit: «Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.»[7]

---

[1] Cf. Zach 9, 17. [2] Cf. S. theol. l. c. a. 6 ad 3. [3] 2 Cor 5, 14.
[4] Sess. 13, c. 2 (*Denz.* n. 875). [5] L. c. a. 5.
[6] 3 Reg 19, 8. [7] Hom. 46 (45), n. 3. Cf. S. theol. l. c. a. 6.

Scholion. De humana cooperatione necessaria ad effectus eucharisticos obtinendos. Admirabiles effectus eucharistiae secundum magnam partem pendent a cooperatione suscipientis. Sicut enim cibus non producit omnes effectus, nisi bene digeratur a vi nutritiva, ita etiam cibus eucharisticus non exserit totam efficaciam, si hominis tepor, negligentia atque distractiones obstant. Hinc accidit, ut homines etiam post innumeras s. communiones receptas adhuc valde imperfecti remaneant. 184

Notat autem S. Thomas[1] peccata venialia praeterita, *quorum affectus non amplius ab homine sustinetur*, nullo modo impedire effectum eucharistiae, quippe quae illa tollat, ut dictum est. Sola igitur peccata venialia *actu placentia* impediunt fervorem caritatis et refectionem dulcedinis spiritualis ex s. communione orientis.

Quaeres. 1. *Quandonam eucharistiae sacramentum ex opere operato effectum producat?* Responsio, quae nobis videtur unice vera, dicit: In illo momento, quo habetur vera manducatio seu sumptio. Hoc enim sacramentum institutum est per modum cibi et potus. Habetur autem manducatio seu sumptio non in illo momento, quo species eucharistiae in os ponuntur, sed quo transmittuntur in stomachum. Ergo si species in ore dissolvuntur aut ex ore auferuntur, non producitur effectus eucharistiae. Pariter species eucharisticae non tamdiu operantur ex opere operato, quamdiu remanent indissolutae, ut voluit Caietanus cum quibusdam aliis, sed eo momento, quo in stomachum advenium. Secus enim ille, qui propter debiliorem vim digestivam longius servat species indissolutas in stomacho, vel qui magnam quantitatem hostiarum aut vini consecrati sumeret, esset melioris condicionis, quam qui parvas species cito digerit. Quae quidem videntur absona. — Quamdiu species eucharisticae non sunt dissolutae, Christi corpus praesens est, ac proinde valde expedit, ut homo post sumptam eucharistiam ferventes caritatis actus eliciat. 185

2. *Num eucharistia effectus suos producat, si hostia modo artificioso per fistulam in stomachum transfertur casu, quo homo non potest modo naturali illud sumere?* Affirmativa sententia videtur valde probabilis, quia etiam tunc eucharistia sumitur per modum cibi, licet non per modum manducationis. S. Officium autem d. 27 Ian. 1886 fertur prohibuisse talem modum administrandi, quamvis agatur de viatico, quia tunc sacramentum aliqualiter irreverentiae exponi potest[2].

De effectibus eucharistiae late, profunde et clare agit Angelicus Doctor S. theol. 3 in tota quaestione 79, ex qua supra dicta breviter deprompsimus.

CAPUT IV.

De subiecto eucharistiae.

Cum istud caput tam amplam materiam contineat, dividimus illud in quattuor articulos: 1. de persona subiecti; 2. de dispositionibus requisitis; 3. de obligatione suscipiendi eucharistiam; 4. de communione frequenti.

---

[1] L. c. a. 8.

[2] Cf. *Noldin*, De sacr. n. 100, et Linzer Quartalschr. (1915) 128 sqq.

ARTICULUS I.

De ipsa persona subiecti.

186 **Principium.** *Subiectum capax suscipiendi cum fructu eucharistiam est omnis homo vivens baptizatus, dummodo per peccatum mortale gratiae obicem voluntarie ne opponat.*

Dicitur 1°: omnis homo *vivens* baptizatus, nam homo mortuus nullum sacramentum suscipere potest. Quare complura Concilia [1] prohibuerunt, ne mortui eucharistiam in ore reciperent et sic sepelirentur. Sine autem praevio baptismo valido nullum sacramentum suscipi potest, ut patet ex supra dictis.

Dicitur 2°: dummodo per peccatum mortale homo gratiae obicem voluntarie ne opponat. Eucharistia est enim sacramentum vivorum et iuxta supra n. 42 dicta numquam potest reviviscere, si cum conscientia peccati mortalis suscepta fuit.

187 Ex dictis sequitur, ut capaces sint eucharistiae:

1. Infantes.

Propter verba Christi generaliter et sine limitatione expressa: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis» [2], in Ecclesia latina usque ad saeculum XII et in Ecclesia orientali usque in hodiernum diem communio traditur infantibus, qui ideo tria sacramenta successive recipiunt, scil. baptismum, confirmationem et eucharistiam. Saeculo XIII S. Thomas [3] simpliciter docet, pueris non esse dandam eucharistiam, antequam incipiunt aliqualem usum rationis habere, ita ut possint devotionem huius sacramenti concipere. Idem statutum est a Concilio Lateranensi IV [4], Concilio Tridentino [5] et a Pio X [6]. De aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam infra n. 211 sermo redibit. Verba autem Christi supra citata solent explicari vel de *voto* communionis sacramentalis vel de communione spirituali cum corpore mystico Christi [7].

188 ### 2. Amentes.

Attamen iuxta vigentem disciplinam non datur communio illis, qui fuerunt *perpetuo* amentes; quia secus sacramentum exponitur periculo irreverentiae et sufficienter illorum saluti consulitur per baptismum et absolutionem condicionatam. Illis autem, qui non fuerunt *perpetuo* amentes, potest in articulo mortis eucharistia dari, dummodo intentio interpretativa ex eorum vita anteacta supponi liceat, et sacramentum non exponatur irreverentiae. Ad experiendum vero, num talis amens sine irreverentia communicare possit, prius illi praebeatur hostia non consecrata, quam si recte deglutiat, potest illi hostia quoque consecrata porrigi. Circa hanc rem S. Thomas [8] docet: «Si prius, quando [amentes] erant compotes suae mentis, apparuit in iis devotio huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel exspuitionis.» Ceterum haud raro accidit, ut illi, qui durante vita fuerunt amentes, appropinquante morte habeant

---

[1] Carthag. a. 397, can. 6 (*Mansi* 3, 881); Hippon. a. 393, can. 4; Trullanum a. 692, can. 83.

[2] Io 6, 54. [3] S. theol. 3, q. 80, a. 9 ad 3.

[4] Can. 21 (*Denz.* n. 437). [5] Sess. 13, c. 9 de euchar. (*Denz.* n. 891).

[6] Decr. «Quam singulari» d. 8 Aug. 1910 (*Denz.* n. 2137).

[7] Cf. S. theol. l. c. et q. 73, a. 3. [8] Ib. q. 80, a. 9.

lucida intervalla, et sic valeant recipere viaticum. In praxi aliquando est satis difficile dignoscere, utrum aliquis homo sit perfecte amens an potius semifatuus. Tunc talis homo valet viaticum recipere, si hoc sine gravi periculo irreverentiae fieri potest. Extra autem articulum mortis melius est, illi communionem denegare. Amentibus fere aequiperantur *moribundi sensibus destituti* vel delirantes, qui possunt et debent viaticum recipere, si hoc sine irreverentia est possibile. Ad hanc possibilitatem experiendam iuvat illis prius parvam particulam non consecratam porrigere, sicuti modo dictum est de amentibus.

3. **Semifatui**[1], senes repuerascentes, surdo-muti etc. possunt et 189
debent eucharistiam recipere in articulo mortis, dummodo desit periculum irreverentiae. Immo praestat, ut aliquando per annum communicent, dummodo aliqualiter discernere possint panem eucharisticum a pane ordinario.

Quidam auctores antiqui et moderni durius loquuntur de *surdo-mutis*. Sane si isti prorsus nullum usum rationis habent, tractandi sunt sicut perpetuo amentes; sed solent nunc in scholis specialibus instrui et ad sufficientem instructionem pervenire, ac proinde eucharistiam recipere possunt sicut ceteri homines.

Scholion. De iis, qui iugi tussi vel vomitu laborant. Tales infirmi tunc solummodo a communione arcentur, si periculum grave adest evomendi communionem receptam. Num revera tale periculum adsit, diiudicari potest, si vomitus iam cessavit ab una hora vel si particula non consecrata antea porrecta non fuit evomita. Remanente serio dubio, hostia consecrata non est danda tali infirmo.

ARTICULUS II.

De dispositionibus requisitis ad sumendam eucharistiam.

Nota. Solet distingui duplex sumptio eucharistiae: altera sacra- 190
mentalis, altera spiritualis. Sumptio *sacramentalis* est manducatio vel potio specierum eucharisticarum. Sumptio *spiritualis* est desiderium sumptionis sacramentalis, quando haec reapse impossibilis est propter rationes obstantes. Omnes auctores ascetici instanter commendant exercitium communionis spiritualis utpote valde fructiferum ex opere operantis caritatis. Convenienter autem hoc exercitium peragitur sequentibus actibus elicitis: 1. actu vividae fidei in realem Christi praesentiam in eucharistia; 2. gratiarum actione ferventi pro institutione huius sacramenti; 3. contritione de omnibus peccatis commissis; 4. desiderio ardenti unionis cum Christo eucharistico. — In sequentibus iam non loquemur de communione spirituali, sed de communione sacramentali, in cuius sumptione requiruntur dispositiones cum animae tum corporis, de quibus separatim agendum est.

§ 1.

De dispositione animae.

Requisita. *Ad recipiendam cum fructu eucharistiam requiruntur:* 191
1. libertas a censuris; 2. libertas a peccatis et 3. actualis devotio.

[1] *Geistesschwache.*

1. **Libertas a censuris,** scil. ab excommunicatione et interdicto personali, requiritur ante communionem, ut latius explicabitur in tractatu de censuris.

2. **Libertas a peccato mortali** omnino necessaria est, quoniam eucharistia est sacramentum vivorum, et cibus spiritualis, qualis est communio, non datur cadaveri, i. e. peccatori spiritualiter mortuo. Libertas autem a peccato veniali vel potius ab affectu ad peccatum veniale non quidem omnino requiritur ad efficaciam huius sacramenti, sed valde utilis est ad uberiores fructus percipiendos.

Concilium Tridentinum[1] dicit: «Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: ‚Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.' Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum; ‚Probet se ipsum homo.' Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, *absque praemissa sacramentali confessione* ad sacram eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis *copia confessoris:* quodsi, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, *quam primum* confiteatur.» Ex hac lege duo sequentia principia deducuntur:

192 **Principium 1.** *Ad s. communionem digne suscipiendam non sufficit contritio, sed requiritur confessio, si quis est conscius peccati mortalis commissi et nondum remissi per absolutionem, nisi tamen a) desit confessarius, et b) simul urgeat necessitas communicandi.*

Disputant theologi, utrum istud praeceptum praemittendae confessionis sit iuris divini an iuris ecclesiastici. S. Alphonsus[2] dicit: «Communis et vera sententia . . . docet praeceptum hoc esse *divinum*», quia ex praecepto Christi communioni praemittenda est probatio, quae quidem probatio, ut declarat Concilium Tridentinum, est confessio sacramentalis. Insuper iam antiquissimis temporibus (e. g. S. Cypriani) confessio s. communioni praemittenda praescribebatur[3]. Alii auctores, ut Ioannes Medina et ex modernis Noldin[4], Génicot[5] etc., putant hoc praeceptum esse quidem grave sed ab Ecclesia introductum ad praecavendas multas communiones sacrilegas. Talem fuisse mentem Concilii Tridentini demonstrare conatur Génicot ex historia Concilii a Card. Pallavicini exarata et ex actis a Theiner[6] editis. Pro praxi haec controversia est parvi momenti, cum contra Caietanum[7] et quosdam alios nunc omnes theologi doceant exsistere strictum et grave praeceptum confitendi peccata mortalia ante communionis susceptionem. «Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, vel etiam publice

[1] Sess. 13, c. 7 de euchar. (*Denz.* n. 880); cf. Cod. iur. can. c. 807 et 856.
[2] Theol. mor. l. 6, n. 256. [3] Cf. *Schanz,* Die Lehre v. d. Sakr. I, § 33.
[4] De sacr. n. 140. [5] Theol. mor. II, n. 192.
[6] Acta gen. I 489. [7] Comm. in 3, q. 80, a. 4.

disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat»[1]. Quae quidem excommunicatio nostris diebus iam non viget. Praeceptum hoc esse *iuris divini*, indirecte probari potest dupliciter. Si namque esset iuris ecclesiastici, a) Papa posset in eo dispensare; b) consuetudo contraria posset illud tollere. Atqui utrumque communissime negatur. Ergo illud praeceptum ad ius divinum pertinet.

Non adest gravis obligatio confessionis praemittendae, nisi peccatum est certo commissum et certo mortale[2]. Ratio est, quia secus homo non est in stricto sensu *conscius* sibi peccati mortalis, quoniam conscientia est certa notitia. Nihilominus, nisi agatur de homine valde scrupuloso, etiam in casu peccati dubie mortalis et dubie commissi confessio valde suadenda est, ne eucharistia suo effectu privetur. Si quis autem post confessionem rite peractam recordatur peccati mortalis obliti, non tenetur ante communionem iterum confiteri, debet tamen illud accusare in confessione sequenti. Ratio est, quia huiusmodi peccatum non est quidem remissum ob *solam contritionem* — quod Concilium Tridentinum insufficiens esse declaravit — sed per absolutionem sacramentalem, quae indirecte etiam hoc peccatum remisit. Nihilominus si istud peccatum omissum facile accusari potest *ante communionem*, melius est hoc facere.

Confessionis praemittendae praeceptum non obligat, dummodo hae 193
duae condiciones *cumulative*, i. e. simul adsint: defectus confessarii et necessitas communionis.

a) *Defectus confessarii* significat absentiam cuiuslibet confessarii idonei. Ergo copia confessarii non censetur deficere, si solus desit confessarius consuetus aliusve, cui facilius fieri possit confessio. Confessio igitur communioni praemitti necesse est, quoties quis confiteri potest absque *gravi incommodo, quod est ipsi confessioni extraneum*[3]. Tale incommodum adesset e. g., si quis deberet facere iter duarum horarum ad confessionem instituendam; si ex confessione oriretur scandalum pro populo, ut si parochus iam paratus ad Missam deberet coram aliis confiteri, qui inde sinistras suspiciones caperent; si confessarius ex confessione cognosceret nomen complicis; si parochus deberet confiteri peccatum valde probrosum iuveni suo vicario et exinde merito timeret, ne vicarius acciperet graves tentationes aut laederet sigillum[4] etc. Nullum autem incommodum confessioni *intrinsecum*, ut e. g. magna erubescentia, excusat a confessione.

Disputabant theologi, num ille, qui habet peccatum *reservatum*, teneatur deficiente confessario facultate donato, confiteri ante communionem simplici confessario, sed hodie haec controversia finita est. In casibus enim urgentioribus quilibet confessarius potest directe absolvere ab omnibus peccatis reservatis, ut infra n. 425 sqq. latius dicetur.

b) *Necessitas communionis* adest e. g. si, moribundo viaticum administrandum est a sacerdote peccatis obnoxio, qui ad habendas species eucharisticas prius celebrare debet; si sacerdos non potest sine gravi

---

[1] Conc. Trid. sess. 13, can. 11 de euchar. (*Denz.* n. 893).
[2] Cf. infra de peccatis dubiis confitendis, n. 375. [3] Cf. infra n. 380.
[4] Ita quoque *Génicot*, Cas. consc. de subi. euch. cas. 2.

infamia aut scandalo populi Missam omittere; si quis in scamno communionis iam sistens recordatur peccati mortalis, neque recedere potest sine infamia etc. Non autem adest necessitas sufficiens communicandi (cum sola contritione elicita) ad satisfaciendum praecepto paschali. Potest enim tunc communio paschalis differri. Sunt tamen complures auctores, qui etiam talem necessitatem putant sufficientem[1]. Pariter non est necessitas sufficiens celebrandi Missam sine confessione peccati mortalis praemissa, etsi ipse aut etiam complures alii tunc Missa carere debent die dominico aut festivo. Si tamen in isto casu infamia oriatur pro sacerdote — quod facile quidem accidit — aut si sacerdos ex officio teneatur celebrare Missam, adest necessitas sufficiens.

194 **Principium 2.** *Sacerdos, qui sic deficiente confessario et necessitate cogente celebravit Missam cum sola contritione, debet quam primum confiteri, i. e. intra triduum.*

Praeceptum confitendi quam primum non obligat laicos, sed sacerdotes. Etenim Concilium Tridentinum et Codex iur. can. c. 807 solos sacerdotes nominant, et lex non est extendenda extra proprios terminos. Ratio huius legis est, quia in sacerdotibus frequentius quam in laicis potest occurrere necessitas communicandi sine confessione. Vult autem Ecclesia praecavere, ne sacerdotes sub praetextu necessitatis sine confessione pluries celebrent. — «Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non praeceptum.»[2] Haec propositio (38) ab Alexandro VII damnata est, ac proinde confessio quam primum instituenda revera praecipitur sub gravi iis sacerdotibus, qui in necessitate et deficiente confessario celebraverunt. — Obligatio confitendi quam primum ita intelligenda est, ut saltem *intra triduum* confessio fiat, siquidem terminus «quam primum» in legibus solet moraliter sumi pro spatio trium dierum. Ab eodem Alexandro VII damnata est propositio (39): «Illa particula ‚quam primum' intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur»[3]. — Urget autem haec obligatio confitendi, etiamsi sacerdos infra hoc triduum vel longius tempus non est celebraturus. Per accidens sacerdos obligatur eodem vel altero die ad confessionem, si praevidet sequentibus diebus non adfuturam esse occasionem confitendi, et si celebraturus est Missam altero die. Sin autem confessio est impossibilis intra triduum, e. g. in locis missionum, sacerdos potest iterato celebrare, usque dum confiteri possit.

Communiter theologi docent, hoc Tridentinum praeceptum quam primum confitendi non exsistere pro sacerdotibus *sacrilege celebrantibus* in statu peccati mortalis, etsi desit necessitas celebrandi vel adsit copia confessarii, quia Concilium voluit praecavere, ne sacerdotes praetextu necessitatis celebrandi confessionem differrent. Illi autem sacerdotes, qui scienter sacrilege celebrant, non multum curant de confessione quam primum facienda, cum etiam extra necessitatem illam negligant; nec tamen propterea isti sacerdotes sacrilege celebrantes sunt melioris condicionis, quia multiplicant sacrilegia.

195 3. **Devotio actualis** exigitur propter reverentiam tanti sacramenti. Quapropter praeparatio sedula et gratiarum actio fervens faciendae sunt.

---

[1] Cf. *Marc*, Instit. mor. II, n. 1550. [2] *Denz.* n. 1138. [3] *Denz.* n. 1139.

Per quantum tempus et praeparatio et gratiarum actio durare debeat, nihil certi determinatum est. S. Alphonsus[1] dicit: «Gratiarum actio fiat saltem per dimidiam horam», immo admonet eos, qui perfectionem christianam anhelant, neque aliis negotiis occupantur, ut ordinarie per integram horam huic exercitio incumbant. Verumtamen hodiernis temporibus confessarius (ordinarie) ne exigat nisi ut fideles et sacerdotes per horae quadrantem vere *ferventer* gratias reddant post communionem receptam. Excepto autem casu necessitatis non brevius tempus est impendendum. Idem valet de praeparatione ad s. communionem. Eheu! Illud «Quotidiana vilescunt» etiam in susceptione sanctissimae eucharistiae manifestatur. Proinde omni diligentia ac fortitudine contra tepiditatem negligentiamque pugnandum est in praeparatione atque gratiarum actione communionis. Scriptores ascetici indicant singulos pietatis actus, qui in susceptione istius sacramenti eliciendi sunt.

Notandum superest, ut homo caveat post susceptam communionem statim aut sub brevi exspuere vel nares emungere, ne forte minimae particulae sacrarum specierum nondum in stomachum transmissae exspuantur aut per nares emungantur.

§ 2.

De dispositione corporis.

Requisita. *Triplex dispositio corporalis requiritur: 1. decentia habitus, 2. munditia corporis, et 3. ieiunium naturale.*

1. **Decentia habitus** propter reverentiam tanti sacramenti re- 196
quiritur; laeditur autem cum ex defectu tum ex inordinato luxu. Dummodo vero habitus sit mundus et non laceratus, vilitas eius non est obstaculum.

Hinc pauperes possunt in vili, sed mundo et integro habitu ad sacram mensam accedere. — Haud parvam irreverentiam committit in eucharistiam ille, in cuius habitu apparet inordinatus ac prorsus mundanus *luxus*. Non enim eodem habitu eundum est ad saltationem et ad s. communionem. Ideo praesertim peccant mulieres, quae immodesto habitu scandalum praebent fidelibus cordatis. Sin vero immodestia habitus est nimia et praesertim si est scandalosa, tales mulieres arcendae sunt a s. communione. — Decet, ut milites accedentes ad sacram mensam prius deponant arma. Sacerdotes communicantes more laicorum debent ex praescripto Ritualis[2] stolam induere. Quae quidem Rubrica videtur etiam obligare, si sacerdos est communicaturus in aegritudine[3]. Diaconi accedentes privatim ad s. communionem debent deferre super cottam (superpellicium) stolam transversam. Ita S. R. Congregatio de 4 Iul. 1879[4].

2. **Munditia corporis** item requiritur a suscipiente hoc almum 197
sacramentum. Porro corpus censetur immundum a) propter sordes adhaerentes, b) propter aegritudines exterius deturpantes, c) propter fluxum seminis aut menstrui sanguinis.

a) Sordes adhaerentes et apparentes sunt ante susceptionem communionis abluendae. Unde peccat, qui manibus, facie et capite valde sordidis ad

[1] Praxis confess. n. 155. [2] Tit. 4, c. 2, n. 4.
[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 276.
[4] Decr. auth. n. 3499.

sacram mensam accedit, sed sacerdos exinde aliquem a communione rarissime potest aut debet repellere [1].

b) Aegritudines exterius deturpantes, ut e. g. gravis inflammatio oculi, eczema, psoriasis etc., per se non impediunt susceptionem eucharistiae, cum sint involuntariae neque ad nutum auferri possint neque puritatem ipsius animae afficiant. Per accidens tamen, nempe si tales maculae videntibus horrorem iniciunt, et sub brevi cessabunt, melius est aut ad breve tempus abstinere a communione aut illam recipere privato modo, quin assistant extranei.

c) Fluxus seminis, qui *cum peccato mortali coniunctus* fuit, impedit communionem eodem die suscipiendam, etsi peccatum per bonam confessionem est deletum. Ita Rubrica Missalis [2]. Iusta tamen causa exsistente licet communionem recipere in isto casu, postquam peccatum deletum est. — Fluxus autem seminis, qui *sine ullo peccato* accidit, scil. in pollutione involuntaria (aut in actu coniugali), per se non impedit susceptionem communionis aut etiam celebrationem Missae [3]. Ratio est, quia secus magnum incommodum oriretur. Etenim iuxta Physiologos pollutiones involuntariae aliquando sunt quid prorsus naturale in iis, qui non exercent copulam carnalem. Similiter actus coniugalis aliquando est necessarius et stricte debitus. Esset autem durum, si propter actum naturalem inevitabilem aut stricte debitum homo excluderetur a mensa Domini. Idem dicendum est de fluxu sanguinis menstrui et de purgatione post partum in mulieribus. Per accidens aliquando suadetur in istis casibus abstinere a communione aut celebratione Missae propter perturbationem mentis inde secutam et motus carnales adhuc exsistentes. — Si fluxus seminis coniunctus fuit *cum veniali peccato,* e. g. si copula maritalis habita fuit ex voluptate et sine necessitate; si pollutio accidit ex causa venialiter mala, tunc est veniale peccatum accedere ad s. communionem *sine necessitate,* nisi tamen istud peccatum veniale sit antea deletum per confessionem aut alio modo. Ratio est, quia tunc habetur et immunditia corporalis et macula animae, quae quidem duo contra reverentiam tanti sacramenti sunt [4]. Confessarii est iudicare in singulis casibus, quid sit magis expediens visis omnibus circumstantiis. — Antiqui auctores saepe nimis severi fuerunt in hac materia.

198 3. **Ieiunium naturale** (i. e. abstinentia ab omni cibo et potu a media nocte praecedenti) requiritur ex gravi praecepto Ecclesiae ad licite communionem suscipiendam. Ita ex universali consuetudine antiquissima, quae in compluribus Conciliis [5] et in codice iur. can. c. 858 confirmata est.

Sic dicit Concilium Constantiense: «Licet Christus post Coenam instituerit et suis discipulis administraverit . . . hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel ad-

[1] Cf. *Gasparri,* De s. euchar. n. 1132.

[2] De defect. Missae tit 9, n. 5; cf. S. theol. 3, q. 80, a. 7 ad 4.

[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 272. [4] S. theol. l. c. a. 7.

[5] E. g. Conc. Hippon. a. 393, can. 28; Conc. Trullan. can. 29; Conc. Constantiensi a. 1415, sess. 13.

misso.»[1] Quae quidem a Martino V per Bullam «In eminentis» 1418 approbata sunt.

Christus quidem volens se conformare legi mosaicae administravit eucharistiam post celebrationem Paschatis; temporibus quoque apostolorum non raro agape praemittebatur s. communioni, sed iam S. Augustinus[2] dixit, hoc naturale ieiunium «per universum orbem servari». Excipiebatur tamen dies Coenae Domini, qua communio sumebatur vespere post coenam. Ratio autem, quare Ecclesia introduxerit ieiunium naturale ante communionem, est reverentia debita tanto sacramento. Non enim decet, ut cibus eucharisticus sumatur, postquam paulo ante alius cibus stomachum implevit. Quapropter etiam, quando quis communicat paulo post mediam noctem (ut solet fieri in Natali Domini), conveniens est, ut ille a quibusdam horis nihil cibi sumpserit. Nihil quidem lege generali hac in re statutum est, sed aliquando lege particulari sancita est abstinentia per aliquas horas. Sic e. g. Leo XIII[3] concessit privilegium celebrandi Missam in ecclesia Lapurdensi statim post mediam noctem sub hac restrictione, ut sacerdotes tunc celebrantes quattuor horis ante a cibo et potu abstinuerint.

Haec lex ecclesiastica ieiunii naturalis omnino *non admittit parvitatem materiae*, neque ex parte temporis neque ex parte rei sumptae; quapropter etiam minimum, quod sumitur per modum cibi et potus, laedit eam et constituit grave peccatum, nisi adsit excusatio, de qua infra. Ratio est, quia non tam est praeceptum accedendi ad eucharistiam ieiunum, quam potius *non accedendi* post cibum aut potum sumptum. Qui autem communicat post quamcumque minimam partem sumptam, iam communicat post cibum aut potum[4]. Valde decens est, ut etiam *post communionem* (saltem per horae quadrantem) nullus cibus aut potus sumatur, attamen facile adesse potest causa excusans ab hac prohibitione; e. g. si sacerdos statim post Missam debet viaticum portare in locum valde distantem, potest licite sumere prius aliquid cibi aut potus. Vetus disciplina hac in re fuit multo severior[5].

Maioris claritatis causa explicanda est prius huius legis extensio et deinde exemptio ab ea.

Extensio legis ieiunii versatur circa obiectum et circa tempus. 199

Obiectum huius legis est abstinentia totalis ab omni cibo et potu ante communionem, ut dictum est. Dico: *ante* communionem, nam non videtur ieiunium laedi, si *simul cum specie consecrata vel immediate post* aqua aut vinum porrigitur, quod forsitan ante ipsam speciem consecratam in stomachum transmittitur. Etenim est una sumptio. Itaque iuxta praescriptum liturgicum datur aqua bibenda aegroto post communionem sumptam, vinum datur clericis communicantibus in Coena Domini, in Parasceve autem hostia consecrata mittitur in vinum non consecratum et simul cum eo sumitur.

---

[1] *Denz.* n. 626.
[2] Ep. 54 (al. 118), n. 8 (*Migne*, Patr. lat. 33, 203).
[3] Die 26 Febr. 1885. [4] *S. Alph.* l. c. n. 278.
[5] Cf. S. theol. 3, q. 80, a. 8 ad 6.

Ad rationem cibi et potus tria requiruntur:

a) Ut res sumpta sit *digestibilis.* Hinc si quis deglutiret metallum, filum sericum aut laneum, ossicula, ungues etc., non laederet ieiunium naturale; secus dicendum est de palea, herba etc.

b) Ut res proveniat ab *extrinseco,* quia id, quod venit ab intrinseco, non proprie comeditur aut bibitur. Quare qui deglutit salivam vel sanguinem fluentem ex dentibus aut etiam naribus, non laedit ieiunium. Idem dicendum videtur de reliquiis ciborum, quae haerent inter dentes [1]. Sunt quidem nonnulli auctores, qui hoc negant aut distinguunt dicentes: Si deglutiuntur tales reliquiae fortuito, non frangitur ieiunium; secus autem, si ex plena voluntate deglutiuntur. Quae quidem distinctio parum solida videtur, cum laesio ieiunii sit *res physica* prorsus independens a voluntate. Si enim alicui aqua infunditur cum violentia, iam non est ieiunus neque communicare valet. Ergo nemo inquietandus est, si ante communionem reliquias cibi inter dentes haerentes deglutiverit [2]. Aliter res se habet, si quis vespere posuit in ore saccharum aliasve pillulas, quas post mediam noctem adhuc in ore exsistentes deglutiat. Tunc enim habetur verus cibus aut potus, et ieiunium est laesum.

c) Ut sumatur per modum *comestionis* aut *potionis.* Quapropter ieiunium non solvitur per illas res, quae in stomachum transiciuntur: α) Per modum *salivae,* ut guttulae aquae qua dentes lavantur, guttulae sanguinis quae haerent in digito leviter laeso; vel tabacum, quod masticatur, modo sucus exspuatur. Licet autem huiusmodi tabaci masticatio ieiunium naturale non frangat, valde tamen indecens est ante communionem et a peccato veniali non excusatur [3]. β) Per modum *aspirationis,* ut si quis tabacum fumat vel in naribus positum deglutit, aut si quis deglutit muscam aut pulverem fortuito in os volantem. Si quis tamen ex proposito manducaret muscas similesve res, ieiunium laederet. — Qui ad eluendum stomachum [4] ope alicuius instrumenti aquam absorbet et iterum reicit, ut nunc saepe fit, praecipiente medico, probabiliter ieiunium non laedit, etsi forsan modica pars aquae in stomacho remaneat, quia nihil per modum potus sumitur [5].

200 *Tempus mediae noctis* computandum est a *primo ictu* horologii recte horam duodecimam signantis. Communiter theologi docent illum, qui audit primum ictum horologii recte enuntiantis mediam noctem, debere *statim* finem facere manducandi et bibendi, sed non debere exspuere cibum potumve iam in ore exsistentem at nondum deglutitum. Veteres auctores quidam autumabant comestionem aut potionem posse perduci usque ad ultimum horologii ictum, sed in praxi melius sequenda est prima opinio [6]. Oportet sequi horologium recte indicans tempus; unde si adsint plura horologia diverso modo indicantia, sequendum est horologium, quod videtur esse rectius. Attamen in istis casibus

---

[1] Cf. Missale, de defect. Missae tit. 9, n. 3, et S. theol. 3, q. 80, a. 8 ad 4.

[2] Ita etiam docet rubrica De defect. Missae l. c.

[3] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 280. [4] *Den Magen auspumpen, laver l'estomac.*

[5] Cf. Monitore eccl. IX 184. Hodie saepe adhibetur a medicis sic dicta «nutritio artificialis», nempe ope alicuius fistulae nutrimentum in stomachum transicientis vel ope iniectionis in intestinum rectum. Hic ultimus modus non videtur laedere ieiunium naturale, cum ibi non habeatur digestio stomachalis.

[6] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 282.

nimii scrupuli vitandi sunt, cum agatur de sola lege positiva ecclesiastica, ideoque in casu dubii licet sequi quodcumque horologium probabiliter rectum.

Distinguitur nunc fere in omnibus locis tempus *verum seu solare* et tempus *medium seu legale*. Tempus solare diversum est in diversis locis iuxta apparentem solis motum. Tempus medium seu legale est idem in omnibus locis eiusdem regni. Porro fideles *possunt* (sed *non tenentur*) in ieiunio naturali servando et in Officio divino recitando sequi tempus medium seu legale [1]. Difficultas oriri potest, si quis nocte transit ab uno loco, in quo viget tempus legale, in alium locum, in quo viget tempus legale multum differens. E. g. Bruxellis hora $11^3/_4$ serotina quis coenam sumit et deinde proficiscitur Aquisgranum, ubi crastina die s. communionem suscipit. Cum autem hora $11^3/_4$ Bruxellis sit hora $12^3/_4$ Aquisgrani, dubitari potest, num talis homo adhuc sit ieiunus. Salva meliore sententia videtur esse menti legis conformius, si media nox computatur semper iuxta horologia illius loci, *in quo communio sumitur*. Ieiunium est enim propter communionem. Ergo illud mensurandum est iuxta istam. Nihilominus non est inquietandus ille, qui Bruxellis hora $11^3/_4$ serotina coenavit et crastina die Aquisgrani communicavit, quia prohibitio non est certa, neque quidquam Ecclesia determinavit de hac re.

Exemptio a ieiunio naturali seu eucharistico conceditur in sex casibus: 201

1. *Ad sacrificium Missae complendum.*

Maior est enim obligatio divina non relinquendi sacrificium incompletum quam obligatio ecclesiastica ieiunii sacramentalis. Iste casus diverso modo accidere potest:

a) Si sacerdos pro speciebus vini sumpsit aquam, quam si advertat dum habet in ore, non est exspuenda ob periculum eiciendi particulam hostiae antea sumptae, sed est deglutienda. Tunc praescribit rubrica Missalis, ut denuo oblatio et consecratio fiat, assumpta nova hostia et infuso vino in calicem; si tamen «Missa celebratur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione consecrare ac statim sumere et prosequi cetera» [2].

b) Si sacerdos post consecrationem unius vel utriusque speciei repentino morbo correptus non potest sacrificium perficere. Tunc enim, deficiente ieiuno sacerdote, ab alio non-ieiuno sacrificium perfici debet. Sacerdos autem ita perficiens sacrificium nequit eodem die aliam Missam celebrare [3], nisi tamen habeat facultatem binandi.

c) Si sacerdos post consecrationem unius vel utriusque speciei recordatur se non esse ieiunum, nihilominus sacrificium perficere debet. Sin autem idem *ante consecrationem* advertit, tunc «tutius reputarem, . . . quod Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur». Ita S. Thomas [4]. Tale grave scandalum semper fere adest, si sacerdos celebrat in publico sacello.

d) Si sacerdos sumpta iam ablutione invenit in corporali hostiam vel particulam hostiae, quam non potest neque reponere in tabernaculo, neque alio modo decenter servare, tunc tales reliquias consecratas sumat, «sive parvae sint sive magnae, quia ad *idem sacrificium* spectant». Ita Missale [5].

[1] S. Poenit. d. 29 Nov. 1882. [2] De defect. Missae tit. 4, n. 5.
[3] Ita Leo XII per S. R. C. d. 16 Dec. 1823 (Decr. auth. n. 2630).
[4] S. theol. 3, q. 83, a. 6 ad 2. [5] De defect. Missae tit. 7, n. 2.

2. *Ad profanationem eucharistiae vitandam* [1].

Quod quidem diversis modis accidere potest, e. g. imminente incendio vel irruentibus haereticis et minantibus sacrilegam violationem sacerdos etiam non-ieiunus posset sibi aliisque non-ieiunis distribuere hostias consecratas, ne violarentur. Immo tunc laicus posset, deficiente sacerdote aut diacono, hostias salvare propriis manibus. Ratio patet. Adhibetur enim medium intrinsecus licitum ad magnum malum vitandum.

3. *Ad vitandum scandalum publicum.*

Lex enim naturalis vitandi scandali praevalet legi ecclesiasticae observandi ieiunii sacramentalis. Veteres theologi severius in hac re loquuntur. Sic e. g. Busenbaum [2] dicit: «Quod tamen quidam putant vix fieri posse; eo quod occurri possit scandalo, dicendo sacerdotem casu aliquid sumpsisse ideoque impediri.» Sane *sola* causa, ne populus die festo de praecepto carere debeat Missa, non excusat a ieiunii lege, quae videtur gravius obligare quam praeceptum audiendi Missam, sed semper fere scandalum aut sinistrae oblocutiones populi merito timentur, si sacerdos debet populo parato ad Missam audiendam diebus festivis declarare, se non posse celebrare ob ieiunium laesum. Praeterea saepe timendum est, ne plures ex propria culpa tunc negligant alibi Missam audire, etsi hoc iis possibile sit. Quae cum ita sint, lex ecclesiastica ieiunii non est exaggeranda, ac proinde, si aliqualiter sed vere timetur scandalum, sacerdos non-ieiunus potest Missam dicere. Si sacerdos habens facultatem binandi (i. e. dicendi duas Missas diebus dominicis et festivis) ex oblivione in prima Missa ablutionem sumpserit aut aliter post Missam ieiunium fregerit, iam non potest secundam Missam dicere, etsi inde admiratio aut scandalum populi oriatur. Ita S. Officium d. 2 Dec. 1874. In isto enim casu scandalum est pharisaicum et spernendum, cum omnes facile cognoscant sacerdotem non ob aliam causam Missam omittere nisi ob fractum ieiunium. Nihilominus, si etiam in isto casu *grave* scandalum oriretur, sacerdos posset secundam Missam dicere, quia hodie disciplina eucharistici ieiunii mitior effecta est, quam fuit anno 1874. Quodsi absque scandalo sacerdos potest declarare se non posse celebrare propter laesum ieiunium, neque populus alibi Missam audire commode valet, praestat, ut tunc loco Missae alia functio sacra in ecclesia instituatur.

202 4. *Ad sumendum viaticum.*

Viaticum est communio sumpta in gravi periculo mortis. In mortis periculo, quod provenit quacumque ex causa (ex vulnere, veneno, infirmitate, sententia iudicis), eucharistia licite sumi potest a non-ieiuno. Ita ex consuetudine universali, ex Concilio Constantiensi supra citato, ex Codice iur. can. c. 858, § 1. Hoc indultum tamen non ita intelligendum est, ac si quis in periculo mortis *ex mero libitu* possit non-ieiunus communicare. Quod quidem videtur certum, si quis non graviter infirmus sumit viaticum, e. g. milites ante pugnam, homo ante operationem chirurgicam valde periculosam, condemnatus ad mortem ante supplicium. Sed ne infirmi quidem possunt viaticum sumere non-ieiuni prorsus *pro libitu*, sine ulla ratione excusante. Etenim Concilium Constantiense aliquam necessitatem requirit; debet igitur adesse aliqua rationabilis etsi non ita gravis causa. Quodlibet autem rationabile incommodum ex parte sive aegroti sive ei inservientium sive ipsius sacerdotis

[1] Cod. iur. can. c. 858, § 1. [2] Apud *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 287.

sufficit, ut viaticum detur non-ieiuno. Quare in hoc non esse scrupulose procedendum merito animadvertit post Salmanticenses S. Alphonsus [1]. — Durante periculo mortis viaticum saepius dari potest et debet. Monet enim Rituale Romanum [2]: «Quodsi aeger sumpto viatico dies aliquot vixerit . . . et communicare voluerit, eius pio desiderio parochus non deerit.» Ratio autem est, quia hoc sacramentum aegrotis non datur unice ad satisfaciendum praecepto, sed etiam in solatium et praesidium contra tentationes. Sententia, quae iam a S. Alphonso probabilis habita fuit [3] et quae hodie certa est, docet aegrotum in periculo mortis versantem posse etiam *quolibet die* viaticum suscipere. — Quaerunt hic insuper theologi, praesertim veteres, num sacerdos non-ieiunus possit et debeat celebrare Missam ad conficiendam eucharistiam, quam post Missam daturus est homini in periculo mortis versanti? Casus iste est certo rarissimus, sed si revera occurreret, tunc neque Missa prohibenda neque lex ecclesiastica ieiunii esset urgenda cum dispendio legis divinae suscipiendi viaticum et cum detrimento spirituali hominis moribundi [4].

5. **Infirmi**, qui iam a mense *decumbunt* sine certa spe ut cito 203
convalescant, de prudenti confessarii consilio ss. eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid *per modum potus* antea sumpserint. Ita Codex iur. can. c. 858, § 2. Per modum *potus* sumuntur omnia ea, quae bibuntur aut bibi possunt, etsi nutriunt, e. g. caffé, thé, chocolatum, lac etiam cum ovo liquato commixtum, vinum etc. [5] Nihil obstat, ne medicina etiam solida sumatur, e. g. pillulae. Requiritur autem, ut talis infirmus *decumbat,* quamvis non per totam diem et noctem. Ergo infirmi, qui possunt e domo egredi, non videntur posse uti hoc Indulto [6].

Nota. Quamvis hoc indulto uti valeant etiam illi aegroti, qui aliquibus horis e lecto surgere queant, tamen sacerdotes hoc modo aegroti non possunt dicere *Missam,* si nequeunt servare ieiunium naturale. Indultum enim non videtur valere nisi pro communione laicali, non autem pro Missa dicenda [7].

6. «Sale a catechumenis in collatione baptismi praegustato, etsi ieiunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est, quin ad s. communionem, suscepto baptismate, admitti possint, immo vero debeant.» Ita S. Congr. de Prop. Fide d. 16 Febr. 1806.

Scholion. De dispensatione in ieiunio eucharistico. In lege ieiunii 204
sacramentalis nemo auctoritate propria dispensare potest nisi Summus Pontifex. Haud desunt exempla huiusmodi dispensationum. Sic fertur Iulius III dispensasse cum Carolo V imperatore, Pius IV cum missionariis in Indiis pro rerum circumstantiis [8]. Nostris diebus ista dispensatio non ita difficulter obtineri potest a S. Congr. de Sacramentis pro fidelibus et a S. Officio pro sacerdotibus, si adsunt causae rationabiles.

---

[1] L. c. n. 285. [2] Tit. 4, c. 4, n. 3.
[3] L. c. Ita etiam Cod. iur. can. c. 864, § 3.
[4] *S. Alph.* l. c. n. 286. [5] Cf. S. Offic. d. 7 Sept. 1897.
[6] Ita docet sententia communis.
[7] Ita etiam *Göpfert,* Moraltheol.[7] III 67; cf. Cod. iur. can. c. 808.
[8] Videsis *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 6, c. 8, n. 19.

Num autem licet epikeiam adhibere in hac lege, si quis secus recipere non possit communionem paschalem? Complures affirmant, e. g. Toletus [1], Gasparri [2], D'Annibale [3], Génicot [4], Berardi [5], Lehmkuhl [6], Noldin [7]. Ratio est, quia communio paschalis mandatur ex praecepto quasi-divino, quod praevalet legi ecclesiasticae ieiunii. Quae quidem sententia videtur probabilis, sed in praxi scandalum praecavendum est, immo, si est possibile, communio potius paulo post mediam noctem istis infirmis administranda est. Ceterum casus est rarissimus, immo vix possibilis, quod per totum tempus paschale aliquis sit ita infirmus, ut non possit communionem recipere, neque ut viaticum, neque iuxta indultum Pii X supra explicatum, neque ut ieiunus.

Similiter iuxta nonnullos auctores (e. g. Génicot, Cornelisse) ex epikeia adhibita licitum est ad gravissima incommoda vitanda, ut neo-sacerdos involuntarie et clam non-ieiunus celebret primitias sollemnes; item, ut puer non-ieiunus recipiat primam communionem sollemnem.

ARTICULUS III.

De obligatione suscipiendi eucharistiam.

205 **Exsistentia obligationis. Principium 1.** *Necessitate medii nemini necessaria est sumptio eucharistiae in re.*

Haec propositio est de fide definita contra complures Graecos et Calvinistas. Dicit enim Concilium Tridentinum: «S. q. d. parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, A. S.» [8] Quod autem hic definitur pro parvulis, valet etiam pro adultis. Nam necessitate medii nihil aliud necessarium est ad salutem nisi gratia sanctificans atque ea, quae Deus ut absolute necessaria praescripsit. Atqui gratia sanctificans non datur ab eucharistia, sed iam data supponitur, cum sit sacramentum vivorum. Insuper non potest probari Deum absolute praescripsisse realem sumptionem eucharistiae, sicuti e. g. praescripsit fidem actualem pro adultis. Hinc absque omni dubio salvaretur (e. g. adultus paganus), qui rite dispositus reciperet baptismum, quo suscepto subito moreretur, antequam eucharistiam recipere posset.

206 **Principium 2.** *Sumptio eucharistiae* **in voto** *(saltem implicito) est necessaria necessitate medii, ita ut secus salus haberi nequeat.*

Ita videtur S. Thomas [9] docere: «Per baptismum ordinatur homo ad eucharistiam: et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ad eucharistiam ordinantur per Ecclesiam: et sic sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex fide Ecclesiae desiderant eucharistiam.» Quam doctrinam Angelicus Doctor alibi [10] confirmat dicens: «Hoc sacramentum [eucharistiae] ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti nisi *ex aliquo voto ipsius,* vel per se ipsum, sicut adulti; vel voto Ecclesiae, sicut parvuli.» Ratio autem huius doctrinae est, quia eucharistia est

---

[1] Summa casuum conse. l. 2, c. 28.
[2] De euchar. II, n. 1129.
[3] Summula Theol. mor. III, n. 411.
[4] Theol. mor. II, n. 202.
[5] Exam. confess. I, n. 764.
[6] Theol. mor. II, n. 221.
[7] De sacr. n. 157.
[8] Sess. 21, can. 4 (*Denz.* n. 937).
[9] S. theol. 3, q. 73, a. 3. Contrarium docet Caietanus (Com. in 3, q. 80, a. 12). Cf. *S. Alphons.* (Theol. mor. l. 6, n. 192); *Joh. Nicolussi,* «Die Notwendigkeit der Eucharistie», Bozen 1917. Cat. Rom. p. 2, c. 4, q. 41.
[10] Q. 79, a. 1 ad 1; cf. etiam q. 80, a. 11.

finis omnium sacramentorum, quippe quae tendant ad unionem cum Christo; quae quidem unio est maxima in eucharistia. — Votum suscipiendae eucharistiae debet esse *explicitum* in adulto, qui cognoscit eucharistiam et praeceptum Christi: «Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.»[1] In infantibus autem sufficit votum *implicitum*, sicuti etiam in illis sufficit fides implicita.

Principium 3. *Sumptio eucharistiae* **in re** *omnibus usum rationis habentibus necessaria est necessitate praecepti tam divini quam ecclesiastici.* 207

a) **Praeceptum divinum** suscipiendae eucharistiae manifeste eruitur cum ex verbis supra citatis: «Nisi manducaveritis...», tum ex verbis Christi post institutionem eucharistiae prolatis: «Hoc facite in meam commemorationem.»[2] Quae quidem verba S. Paulus non tantum sacerdotibus, sed etiam omnibus fidelibus applicat[3]. Praeceptum istud divinum agnoscit Concilium Tridentinum[4]: «Sumi autem voluit [Salvator] sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dicit: ‚Qui manducat me, et ipse vivet propter me.'» S. Thomas[5] dicit: «Manifestum est, quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non solum ex statuto Ecclesiae, sed *ex mandato Domini.*»

Tempus obligationis. Si nunc quaeritur, quandonam hoc prae- 208
ceptum *divinum* obliget, nihil aliud dici potest nisi: *id obligare aliquoties in vita post adeptum usum rationis et probabilissime etiam in articulo mortis*[6].

Eucharistiam ex iure divino aliquoties in vita suscipiendam esse, est omnino certum.

Viaticum in articulo mortis ex iure divino esse suscipiendum, licet cognosci ex universali praxi Ecclesiae. Accedit ratio. Nam si umquam cibus eucharisticus debet corroborare animam, certo in articulo mortis. Nec obstat, quod antiquitus eucharistia etiam in articulo mortis quibusdam magnis peccatoribus et capite damnatis quandoque denegata est. Nam talis usus numquam exsistebat in universali Ecclesia, sed in quibusdam tantum locis. Quando autem episcopi aut concilia provincialia simile quid statuebant, praesertim per excommunicationem sic dictam «anathema maranatha», nihilominus solebant addere «nisi resipuerit»[7].

Mortis articulus, in quo s. communio ut viaticum sumenda est, intelligi non debet in stricto sensu (quando scil. mors iamiam inevitabiliter imminet), sed latius pro quovis gravi periculo mortis. Itaque viaticum debet dari e. g. ante operationem chirurgicam periculosam; durante lue grassante, si periculum contagionis et mortis est valde imminens; militibus ante proelium; ante puerperium, quod est extraordinarie periculosum; capite damnatis ante supplicium etc. Expedit,

---

[1] Io 6, 54. [2] Lc 22, 19. [3] 1 Cor 11, 26.
[4] Sess. 13, c. 2 de euchar. (*Denz.* n. 875).
[5] S. theol. l. c. [6] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 290 et 295.
[7] Cf. Syn. Remens. a. 900 (apud *Harduin.* VI, 1, 467); *Billuart*, De euchar. diss. 6, a. 3, dico 6°.

ut saltem *una hora* ante mortem istis damnatis viaticum praebeatur, ita ut in supplicio species eucharisticae iam sint dissolutae.

Quando quis viaticum sumpsit *sacrilege,* non satisfecit praecepto divino; quapropter iterum s. eucharistiam suscipere debet, saltem si hoc sine infamia fieri potest. Prudentis confessarii est iudicare, quid sit faciendum in casu sacrilegi viatici. Ante omnia moribundus debet sacramentalem absolutionem digne suscipere; deinde curandum est, ut altero die communionem iterum recipiat. Potest tamen, ne admiratio oriatur, moribundus petere communionem devotionis causa. Quodsi ex causa rationabili ne id quidem fieri queat, videtur adesse ratio sufficiens viaticum occulto deferendi, id quod facere potest etiam confessarius religiosus, ne infirmi sacrilegium prodat. Ita Noldin[1] et Aertnys[2]. Hoc ultimum tamen puto raro expedire, quia facile res detegeretur, sigillum confessionis periclitaretur aliaque incommoda exsurgerent.

209 **Quaeres:** Cum iuxta sententiam multo probabiliorem viaticum sit ex praecepto divino sumendum, num ille, qui paulo ante vel etiam eodem die *ex devotione* communionem sumpsit, *tenetur* subitaneo periculo mortis irruente viaticum sumere? E. g. sacerdos, qui mane Missam dixit, post meridiem apoplexia perculsus in periculo mortis versans teneturne viaticum sumere? Viaticum in tali casu *posse* recipi hodie est indubium[3]; nam ratio, quam opponunt nonnulli auctores, neminem posse bis in die communicare, est futilis. Nonne tot sacerdotes celebrantes duas Missas omnibus diebus dominicis et festivis communicant bis in die? *Debere* autem recipi viaticum in tali casu non potest probari neque ex divino neque ex ecclesiastico iure. Sane unusquisque adultus tenetur sub gravi recipere viaticum in articulo mortis, sed qui paulo ante s. communionem sumpsit, videtur habuisse interpretativam intentionem suscipiendi viaticum, cum unusquisque praesumatur velle implere praeceptum grave, quod potuit per actum suum implere. Idque tutum est in praxi, saltem si homo suscepit s. communionem in aegritudine, quae subito aggravata mortis articulum inducit. Nihilominus valde consulenda est iterata susceptio s. eucharistiae utpote efficacissimae ad superanda pericula ultimi agonis[4]. Ergo in praxi breviter sic dicendum videtur: Qui intra hebdomadam praecedentem recepit digne communionem, *non stricte tenetur,* imminente periculo mortis, s. eucharistiam tamquam viaticum iterum sumere; qui autem eodem die communicavit, ei valde *suadetur* periculo mortis repentino irruente viaticum sumere[5].

210 b) **Praeceptum ecclesiasticum** suscipiendae eucharistiae.

Susceptio eucharistiae est etiam praescripta et determinata a lege ecclesiastica. Concilium Lateranense IV (1215) statuit, ut «omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur . . . suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum»[6]. Idem definivit Concilium Tridentinum: «Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad com-

[1] De sacr. n. 137. [2] Theol. mor. II, n. 91, q. 9.
[3] Cod. iur. can. c. 857 sq.
[4] Ita etiam Cod. iur. can. c. 864, § 2.
[5] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 285 dub. 2 et 3. [6] *Denz.* n. 437.

municandum iuxta praeceptum s. matris Ecclesiae, A. S.»[1] Idem praecipit Cod. iur. can. c. 859.

Prima communio recipienda est, postquam homo ad annos dis- 211
cretionis pervenerit. Quando autem incipiat sufficiens usus rationis ad hoc sacramentum requisitus, nequit mathematice definiri, quippe quod pendeat ex maturitate intellectus et instructione recepta uniuscuiusque hominis. Tamquam regula generalis haberi potest doctrina Angelici Doctoris: «Quando iam pueri incipiunt *aliqualem* usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc *potest* iis hoc sacramentum conferri.»[2] Quae quidem verba citantur et approbantur a. S. Congregatione de Sacramentis d. 8 Aug. 1910[3], insuper declarante aetatem discretionis requisitam pro confessione et communione esse eandem. «*Cognitio* autem *religionis*, quae in puero requiritur, ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipsa fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad ss. eucharistiam accedat.»[4] Episcopi uniuscuiusque regionis *generaliter* solent determinare, qua aetate pueri ad primam communionem admitti possint; attamen iudicare, num aliquis puer *particularis* sit sufficienter dispositus ad s. communionem recipiendam, pertinet *ad parentes* et *confessarium*[5]. In regionibus septentrionalibus aetas conveniens primae communionis sollemnis suscipiendae ab aliquibus episcopis determinatus est annus nonus; in regionibus vero meridionalibus aetas minor sufficere potest.

Notandum est, ius recipiendi pueros ad primam comunionem minime esse *ius paroeciale*[6]. Quilibet igitur confessarius potest *privatim* admittere puerum ad primam communionem. Nihilominus valde consulendum est, ut pueri ordinarie admittantur ad primam communionem vel a parocho vel ab eo, cui demandata est instructio religiosa eorum. Quodsi autem puer ante tempus statutum pro prima communione in mortis periculum cadit, obligatio gravis adest porrigendi illi sufficienter usum rationis habenti communionem per modum viatici *brevi instructione praemissa*[7].

Communio paschalis praescripta est partim a lege divina, partim 212
a lege ecclesiastica; a divina quidem, in quantum includit praeceptum Domini aliquoties suscipiendi eucharistiam; ab ecclesiastica autem, in quantum determinatur tempus huius susceptionis.

Circa praeceptum ecclesiasticum communionis paschalis sequentia breviter notare iuvat:

---

[1] Sess. 13, can. 9 de euchar. (*Denz.* n. 891).

[2] S. theol. 3, q. 80, a. 9 ad 3. Angelicus Doctor dicit: *potest;* non autem dicit: *debet* conferri. Quare non recte dicunt nonnulli: Statim post adeptum usum rationis unusquisque debet ex iure divino suscipere ss. eucharistiam.

[3] Acta Ap. Sedis II 581 (*Denz.* n. 2137—2144).

[4] Ib. n. 3 (*Denz.* n. 2139), et Cod. iur. can. c. 854, § 2.

[5] Cat. Rom. P. 2, c. 4, q. 49 et Cod. iur. can. c. 854, § 4.

[6] Cf. S. C. Ep. et Reg. d. 14 Martii 1908 (Analect. eccl. XVI [1908] 142); Cod. iur. can. c. 854, § 4.

[7] Cf. Decr. S. C. de Sacr. supra citatum (*Denz.* n. 2144); Cod. iur. can. c. 854, § 2.

1. *Tempus paschale* se extendit a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis, potest tamen ab Ordinariis locorum extendi generaliter pro ipsorum territorio a IV dominica quadragesimae usque ad festum SS. Trinitatis[1]. Parochi et confessarii possunt exsistente legitimo impedimento protrahere tempus paschale pro singulari persona[2]. — Cum prorogatio temporis paschalis vigens in plerisque regionibus sit privilegium *locale,* omnes quasi-domicilium habentes vel vagi vel peregrini, qui licite extra propriam paroeciam communicant, hoc privilegium participant, licet illud in loco domicilii ipsorum non vigeat.

Ille, qui sine gravi causa differt communionem etiam per diem extra tempus paschale, graviter peccat. Ita sententia communis, docens hoc praeceptum non admittere parvitatem materiae[3]. Ille, qui communionem non suscepit tempore paschali, tenetur postea *quantocius* accedere ad sacram mensam, neque potest exspectare usque ad sequens tempus paschale. Praeceptum enim paschale non est impositum ad finiendam, sed ad urgendam obligationem suscipiendae communionis. Quare Codex iur. can. c. 859, § 4 statuit: «Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore quavis de causa non impleverit.»

Praecepto paschali non satisfit per communionem sacrilegam. Ita est certum ex propositione 55 damnata ab Innocentio XI[4], et ex Cod. iur. can. c. 861.

2. *Locus* communionis paschalis est propria paroecia.

Ita ex variis Decretis Summorum Pontificum[5]. Finis autem huius legis est duplex, scil. a) ut parochus valeat proprias oves cognoscere, et b) ut fideles suam erga eum subiectionem profiteantur. Quae quidem circumstantia loci sub gravi iam non obligat; *suadendum* est tamen fidelibus, ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere[6]. Communio paschalis licite sumi potest in quolibet oratorio vel ecclesia intra fines paroeciae sita.

Qui a parocho eiusve delegato tempore paschali sumpsit *viaticum,* censetur satisfecisse praecepto annuae communionis.

213 **Exceptiones.** Ab obligatione vel consilio sumendi communionem paschalem *in ecclesia paroeciali* eximuntur:

a) Sacerdos, qui per Missae celebrationem ubique satisfacit[7].

b) Religiosi utriusque sexus eorumque familiares commensales, qui communicare possunt in propriis sacellis. Idem valet de sororibus religiosis approbatis, non autem de earum famulis.

---

[1] Cod. iur. can. c. 859, § 2. [2] Ita ex Conc. Lateran. IV (*Denz.* n. 437).

[3] *Lehmkuhl,* Theol. mor. I, n. 1452; *Noldin,* De praecept. n. 695; *Marc,* Inst. mor. II, n. 1570.

[4] *Denz.* n. 1205.

[5] E. g. *Benedicti XIV* Const. «Magno cum animi» § 21, d. 2 Iunii 1751.

[6] Cod. iur. can. c. 859, § 3. [7] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 300.

c) Milites, incarcerati, studentes in collegiis habitantes aliique, qui ex iure particulari vel ex legitima consuetudine in propriis sacellis satisfacere possunt praecepto.

d) Peregrini absentes a propria paroecia durante tempore paschali, item vagi possunt communionem paschalem recipere in qualibet ecclesia vel oratorio[1].

Scholion. **De communione sub utraque specie.** Communio sub 214
utraque specie non est necessaria nisi pro illo, qui Missam celebrat. Contrarium docent Hussitae (praesertim illi, qui vocabantur Utraquistae vel Calixtini), Luther, Calvin, Orientales schismatici. Nam in vetere Ecclesia communio saepe dabatur sub una tantum specie; praesertim fideles, qui eucharistiam in proprias domos portabant, in specie panis consecrati hoc fecerunt. Infantibus dabatur eucharistia sub sola specie vini[2]. Iam inde ab antiquissimis temporibus feria VI in Parasceve in Missa praesanctificatorum sacerdos communionem sub una specie sumpsit. Quapropter merito definivit Concilium Tridentinum: «S. q. d. ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem ss. eucharistiae sacramenti sumere debere, A. S.»[3] Rationes autem, quare Ecclesia introduxerit disciplinam communionis laicalis sub una specie, sunt e. g. periculum effusionis, si magnae multitudini distribuitur calix; periculum contagionis, si quis bibit ex calice, e quo alius morbo contagioso infectus biberit; naturalis aversio bibendi cum aliis ex eodem calice; difficultas comparandi vinum purum in quibusdam regionibus etc. Quae quidem rationes sufficientissimae sunt, ut laici sumant sub specie panis solius eucharistiam, in qua recipiunt aeque perfecto modo totum Christum, ac si sub utraque specie communicent. Orientalibus vero unitis permittitur communio sub utraque specie. Leo XIII[4] permisit, ut etiam laici latini ritus possent iuxta ritum Orientalium sumere communionem in illis locis, ubi propter longinquitatem distantiae non possunt sine gravi incommodo adire ecclesiam proprii ritus[5]. Quam quidem licentiam adhuc ampliavit Pius X statuens, ut etiam *pietatis causa* omnibus fidelibus cuiusvis ritus liceat sacramentum eucharisticum suscipere *quolibet ritu* confectum[6].

ARTICULUS IV.

De communione frequenti.

Notio. Nomine communionis frequentis proprie intelligitur com- 215
munio saepius in hebdomada suscepta vel etiam communio quotidiana. Ergo communio hebdomadaria et a fortiori communio de quindena in quindenam proprie non est communio frequens[7]. Iuxta praesentem

---

[1] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 300.

[2] Cf. *S. Cypr.*, De lapsis c. 25 (*Migne*, Patr. lat. 4, 500).

[3] Sess. 21, can. 1 de comm. (*Denz.* n. 934).

[4] Const. «Orientalium dignitas» d. 30 Nov. 1894.

[5] Cf. de communione sub utraque specie *Drouven*, De re sacr. I 432 sqq.

[6] Const. «Tradita ab antiquis» d. 14 Sept. 1912 (Acta Ap. Sedis IV 616). Cf. S. C. de Prop. Fide d. 27 Mart. 1916 (Act. Ap. Sedis VIII 106); Cod. iur. can. c. 851, § 2.

[7] Communio saepius et regularibus intervallis, e. g. quolibet mense vel quolibet bimestri, suscepta valde commendanda est piis sodalitatibus in paroecia exsistentibus. Ex-

Ecclesiae disciplinam iam non licet pluries in die communionem recipere. Cf. tamen supra n. 209 dicta de viatico et infra n. 285 dicenda de pluribus Missis eodem die celebratis.

De communione frequenti vel potius de dispositionibus ad eam requisitis abolitae sunt regulae, quae antiquitus tradebantur praesertim a S. Alphonso[1] et S. Francisco Salesio[2] aliisque. Nunc omnino servanda sunt statuta lata a S. Congr. Concilii d. 16 Dec. 1905[3]. Cum tota doctrina et disciplina in his statutis inveniantur, hic subnectimus illa cum brevibus commentariis.

Regulae. 1. «Communio frequens et quotidiana[4] utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima omnibus Christi fidelibus cuiusvis ordinis aut condicionis pateat, ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, impediri ab ea possit.» — In his verbis continetur fere essentia totius decreti. Iam Innocentius XI[5] definivit, ne quis propter solum statum laicalem aut coniugalem aut commercialem arceretur a frequenti communione, atque ut frequentia communionis determinaretur a prudenti confessario. Decretum autem Pii X addit nullam aliam condicionem stricte requiri ad tam frequentem communionem nisi statum gratiae atque rectam piamque mentem.

2. «Recta autem mens in eo est, ut, qui ad s. mensam accedit, non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.» Quod quidem statutum omnino debet attendi praesertim in collegiis puerorum et puellarum, ubi complures aliquando saepius ad s. mensam accedunt, non ex motivo supernaturali, sed vel ad placendum magistris, vel unice quia vident alios sic facientes. Qui quidem fines, si sint *principales*, prorsus arcent a s. communione, quippe quae non debeat inservire commodis terrenis.

3. «Etsi quam maxime expediat, ut frequenti et quotidana communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus, ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito fieri non potest, quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant.» — Quo statuto abolita quidem est maior severitas antiquorum, sed etiam nunc valere videtur, quod dicit S. Alphonsus[6]: «Quodsi postea dignoscatur, non obstante frequentia communionis animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhaeret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo, tunc certe consulto restringendus est

---

perientia teste huiusmodi communiones regularibus intervallis susceptae uberrimos fructus solent producere.

[1] Praxis confess. n. 148 sqq. [2] Philothea l. 2, c. 20.

[3] *Denz.* n. 1985—1990.

[4] Angelicus Doctor, qui haud immerito vocatus est Doctor eucharistiae, dicit de communione quotidiana: «Hoc sacramentum est cibus spiritualis; unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est» (S. theol. 3, q. 80, a. 10 ad 1).

[5] Decr. «Cum ad aures» d. 12 Febr. 1679 (*Denz.* n. 1147 sq.).

[6] Praxis confess. n. 155.

usus communionis; etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione et suae spirituali perfectioni consulere.» Quae quidem disciplina etiam applicanda esset sacerdotibus celebrantibus Missam, sed quia sacrificium Missae ex opere operato tam immensos fructus affert toti mundo, hinc sacerdos a celebranda Missa non est arcendus iuxta praesentem disciplinam, nisi scandalose vivat.

4. «Cum vero sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum, quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est, ut sedula ad s. communionem praeparatio antecedat et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, condicionem ac officia.»

5. «Ut frequens et quotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet, ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii, ne a frequenti seu quotidiana communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.»

6. «Cum autem perspicuum sit, ex frequenti seu quotidiana s. eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti dari, idcirco parochi, confessarii et concionatores, iuxta probatam catechismi Romani doctrinam [1], christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.»

7. «Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis institutis cuiusvis generis promoveatur [2], pro quibus tamen firmum sit Decretum ‚Quemadmodum' diei 17 mensis Dec. 1890 a S. Congr. Ep. et Reg. latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.»

8. «Si quae sint instituta, sive votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam *mere directivae,* non tamquam praeceptivae putandae sunt. Praescriptus vero communionum numerus haberi debet *ut quid minimum* pro religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere iisdem patere semper debebit; iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra octavam festivitatis Corporis Christi.»

9. «Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.» — Hoc ultimo statuto minime prohibitum esse videtur, ne theologi de dispositionibus requisitis disserant; solae contentiones et controversiae, quae hac de re antiquitus exsistebant, interdicuntur.

CAPUT V.

De ministro eucharistiae.

Eucharistiae minister debet illam consecrare, distribuere et asservare. Unde dividimus hoc caput in tres articulos: 1. de consecratione eucharistiae; 2. de eius distributione; 3. de eius asservatione.

[1] P. 2, c. 4, n. 60 vel q. 47. [2] Cf. Cod. iur. can. c. 595, § 2 sqq.

ARTICULUS I.

De consecratione eucharistiae.

216 **Principium.** *Omnis et solus sacerdos potest valide consecrare eucharistiam.*

Contrarium docuerunt Albigenses et Novatores saeculi XVI. Iam Concilium Lateranense IV (1215) definivit: «Hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.»[1] Ratio autem est, quia Christus solis sacerdotibus dixit: «Hoc facite in meam commemorationem.» Potestas consecrandi ita inhaeret characteri sacerdotali, ut numquam illi auferri possit. Quapropter etiam sacerdos haereticus, schismaticus et apostata valide consecrat, dummodo adhibeat rectam materiam, formam, intentionem. Ad *licite* consecrandam eucharistiam quam plurimae condiciones requiruntur, quae infra in tractatu de sacrificio Missae explicabuntur. Si plures sacerdotes simul eandem materiam consecrant (ut accidit in ordinatione neopresbyterorum et in Missis sollemnioribus iuxta ritum graecum), omnes attendere debent, ut formam consecrationis simul proferant; quia, si unus prae aliis formam protulit, tunc ipse solus consecravit et aliorum forma frustratur.

ARTICULUS II.

De distributione eucharistiae.

217 1. **Potestas distribuendi.** Minister distributionis alter est ordinarius, alter extraordinarius.

Minister *ordinarius* eucharistiae distribuendae est solus sacerdos.

Declaravit enim Concilium Tridentinum[2]: «Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent.»

Minister *extraordinarius* eucharistiae distribuendae est diaconus, in casu scil. aliqualis necessitatis et ex delegatione legitima[3].

Iam *in primitiva Ecclesia* diaconi ex commissione sive episcopi sive presbyteri eucharistiam dispensabant. Diacono autem ex ipsa ordinatione sua competit talis potestas, cum debeat adiuvare sacerdotem in omnibus ad s. eucharistiam pertinentibus. Distributio vero eucharistiae est inter principalia sacerdotis munia.

Iuxta *vigentem disciplinam* diaconus non potest licite communionem dispensare *nisi ex legitima delegatione*, quae solet concedi vel ab episcopo vel a parocho vel a superiore regulari vel a rectore uniuscuiusque ecclesiae. Delegatio autem ista requirit gravem causam, qualis e. g. adest, quando sacerdos impeditur, ne communionem distribuat, aliis occupatus necessariis operibus, ut confessionibus audiendis, functionibus ecclesiasticis subeundis, contione habenda etc. In gravi necessitate, e. g. viatici ministrandi moribundo, diaconus potest praesumere hanc delegationem; immo complures auctores recte permittunt, ut, absente sacerdote et diacono, non solum subdiaconus vel clericus, sed etiam laicus possit licite deferre viaticum ad moribundum in extrema necessitate. Etenim ex iure divino viaticum suscipiendum praecipitur atque magnum affert praesidium moribundo, lex autem sola

[1] *Denz.* n. 430. [2] Sess. 13, c. 8 de euchar. (*Denz.* n. 881).
[3] Cod. iur. can. c. 845, § 2.

ecclesiastica (quae primis Ecclesiae saeculis nondum exsistebat) prohibet, ne laicus eucharistiam tangat atque distribuat. Hinc «ubi in communicando infirmo peculiaris dexteritas requiritur, sacerdos mulieri, puta sorori caritatis infirmo ministranti, committere potest, ut cochleari viaticum porrigat.» Ita recte Noldin aliique[1]. Qui quidem casus potest accidere, e. g. si infirmus laborat cancere gutturis, ita ut deglutio sit difficillima. Ratio autem, cur iste modus sit licitus, est eadem, quae modo dicta est. Viaticum obligat ex iure divino. Nemo adest, qui illud administrare potest, nisi laicus. Ergo hoc licitum est.

Diaconus ex legitima delegatione communionem distribuens portat stolam transversam. Quando dicit: «Indulgentiam, absolutionem etc.», se ipsum signat signo crucis, et in fine distributionis debet omittere benedictionem, quam cum manu solet dare sacerdos: in administratione autem viatici, si deest sacerdos, diaconus potest cum manu vel cum pyxide benedicere infirmum et assistentes[2].

Nemo potest sibi ipsi eucharistiam administrare nisi in duobus casi- 218
bus, scil. a) sacerdos in propria Missa; b) in casu necessitatis. Absente alio sacerdote sacerdos et diaconus possunt probabiliter etiam solius devotionis causa sibi ipsis communionem administrare[3]. Laicus autem hoc non potest nisi propter necessitatem viatici sumendi, quando scil. sacerdos aut diaconus deest.

2. **Requisita ad licitam distributionem.** Ad licite eucharistiam dispensandam requiruntur insuper sequentia: a) iurisdictio debita; b) tempus debitum; c) locus debitus; d) ritus debitus.

a) **Iurisdictio debita.** Cum eucharistia sit spirituale alimentum 219
animae, pascere autem gregem Christi sit proprium officium pastorum, hinc illi tantum s. communionem distribuere possunt, quibus cura animarum demandata est. Quapropter dispensare communionem est ius paroeciale. Ita saltem ex vetere iure, quod tamen lapsu temporis aliquanto diminutum est. Iuxta vigentem disciplinam sequentia statuta sunt:

α) Quilibet sacerdos intra Missam et etiam (si privatim celebrat) proxime ante et statim post potest s. communionem administrare; idque etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit[4]. Ergo etiam illi, qui in oratorio privato non satisfaciunt praecepto audiendi Missam dominicalem, possunt ibi s. communionem devotionis causa recipere.

β) Sacram communionem per modum *Viatici* sive publice sive privatim ad infirmos deferre pertinet ad parochum[5] eiusque delegatum. Sunt tamen tres exceptiones: 1. *In casu necessitatis*, deficiente parocho, valent ea, quae supra n. 217 de ministro extraordinario eucharistiae distribuendae dicta sunt. 2. Ius et officium administrandi viaticum episcopo dioecesano pertinet ad dignitates et canonicos capituli[6]. 3. In omni religione *clericali* ius et officium superioribus est per se

[1] De sacr. n. 124.
[2] Cf. S. C. R. d. 14 Aug. 1858 (Decr. auth. n. 3074); Cod. iur. can. c. 1274, § 2.
[3] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 238.
[4] Cod. iur. can. c. 846 et 869. [5] Ib. c. 850. [6] Ib. c. 397, n. 3.

vel per alium non solum aegrotis professis, sed etiam novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis viaticum (et extremam unctionem) administrandi[1]. In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit[2]. — In alia religione laicali hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad capellanum, quem Ordinarius parocho suffecit[3]. — Communionem devotionis causa *privatim* deferre ad infirmos non est ius paroeciale, proindeque quilibet sacerdos id potest[4].

220 *Communio paschalis* ex iure communi suscipi debebat in ecclesia paroeciali, ut iam supra dictum est. In testimonium istius legis regulares prohibebantur administrare laicis non-familiaribus communionem ipsa die Paschatis (Romae etiam feria V in Coena Domini) in suis ecclesiis. Per decretum autem S. Congr. Concilii d. 28 Nov. 1912[5] Pius X hanc legem abrogavit volens faciliorem reddere communionem quotidianam. Possunt igitur religiosi dare communionem in suis ecclesiis etiam die Paschatis, et tamquam regula generalis haberi potest: Excepto casu viatici ministrandi, iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam *sacerdos quilibet, qui alicubi licite Missam dicit, etiam licite potest dispensare communionem cuilibet.*

221 b) **Tempus debitum.** *α*) Quantum *ad dies* iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam communio dispensari potest omnibus diebus, quibus licet celebrare Missam[6]. Hinc non licet communionem distribuere fer. VI in Parasceve. Sabbato Sancto s. communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel statim ab iis expletis[7]. Nihilominus iam invalescit consuetudo dandi communionem etiam feria VI in Parasceve, cum haec dies nunc in aliquibus regionibus sit festum de praecepto[8]. Quando autem talis consuetudo non exsistit vel si non est concessa specialis licentia, omnino non dispensetur communio feria VI in Parasceve, nisi per modum viatici, quod licite dari potest omnibus diebus et horis totius anni. — *β*) Quantum *ad horas.* Iusta exsistente causa communicare possunt fideles ieiuni non tantum horis matutinalibus, sed etiam *postmeridianis*[9], dummodo tamen inde non oriatur scandalum aut admiratio populi. Prohibitio igitur non celebrandi Missam post meridiem non ita stricte se extendit ad dispensationem communionis. — *Nocte* licet viaticum administrare, de-

[1] Cod. iur. can. c. 514, § 1. [2] Ib. § 2.
[3] Ib. § 3. [4] Ib. c. 849, § 1.
[5] Acta Ap. Sedis IV 726. [6] S. R. C. d. 11 Iun. 1904 (Decr. auth. n. 4136).
[7] Cod. iur. can. c. 867, § 2 et 3.

[8] Antiquis temporibus fuit consuetudo sat universalis recipiendi communionem etiam feria VI in Parasceve (cf. *Martène,* De antiq. Eccl. rit. l. 4, c. 23, n. 25). Nostris diebus talis consuetudo approbata a S. Sede exsistit in paroecia Delbrück dioecesis Paderbornensis, ubi isto die particula verae Crucis publicae venerationi exponitur et ex tota regione homines conveniunt ad eucharistiam suscipiendam.

[9] Cod. iur. can. c. 867, § 4 statuit: «S. communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat.»

votionis autem causa communionem distribuere non licet ex lege communi nisi nocte Natalis Domini pro omnibus institutis religiosis, piis locis, clericorum seminariis, ubi ss. sacramentum asservatur, dummodo hoc fiat ianuis clausis. In ecclesiis aut oratoriis publicis, quae publico fidelium usui inserviunt, non licet in nocte Nativitatis communionem distribuere fidelibus, nisi adsit privilegium[1]. Ratio est, quia propter festivitates mundanas, quae solent hac nocte celebrari, secus facile oriri posset irreverentia contra ss. sacramentum. Infirmis degentibus in domibus, ubi asservatur ss. sacramentum, licet etiam paulo post mediam noctem communionem deferre, si non possunt ieiuni remanere. Ante decretum Pii X (d. 7 Dec. 1906) episcopus, immo et parochus potuit licentiam dare, ut communio portaretur nocte illis infirmis, qui non potuerunt diutius ieiunium observare; nunc autem pro illis ieiunium iam non ita obligat, ut supra explicatum est, ac proinde communio non est noctu portanda per plateas (nisi per modum viatici).

Convenit quidem, ut fideles *intra* Missam post communionem sacerdotis communicent, quia sic maior unio est cum sacrificio Missae. Hodie autem fideles possunt communicare cum ante tum post Missam (etiam de Requiem), immo et omnibus horis diurnis, ut supra dictum est. Sacerdos autem *sacris vestibus sacrificii indutus* ne distribuat communionem ante vel post Missam sollemnem aut cantatam aut etiam conventualem[2].

222 c) **Locus conveniens** eucharistiae administrandae est omnis locus, in quo licet Missam celebrare aut ss. sacramentum asservare. Viaticum autem et communio infirmorum decumbentium in quolibet loco dispensari possunt, necessitate exigente.

223 d) **Ritus debitus** in administratione eucharistiae observandus est, prout praescribit Rituale Romanum aut aliud Rituale approbatum[3]. Iuxta praesentem disciplinam in Ecclesia latina vigentem principaliora statuta sunt haec:

1. Grave peccatum irreverentiae est dispensare vel portare eucharistiam in ecclesiis aut oratoriis sine ulla sacra veste, nisi excuset necessitas. Vestes sacrae induendae sunt superpelliceum et stola[4], nisi tamen communio datur in Missa vel immediate ante aut post eam, in quo casu communio administratur in vestibus pro Missa indutis. Accendantur duo cerei, et preces ante

[1] Ita Pius X d. 1 Aug. 1907 et 26 Nov. 1908. 1. «An indultum (1 Aug. 1907 datum) importet facultatem tres Missas vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi etiam apertis oratorii ianuis. Negative. — 2. An indultum oratoriis concessum extendi possit ad ecclesias religiosorum, quae publico fidelis populi usui inserviunt? — Negative, salvo tamen religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi» (Anal. eccl. VI [1908] 487) — Ista responsa videntur adhuc vigere, cum afferantur inter fontes c. 821, § 2; iuxta alios autem sunt abolita per novum Codicem.

[2] S. R C. d. 19 Ian. 1906 (Decr. auth. n. 4177, ad 3.

[3] Pro ritibus in antiqua Ecclesia usitatis videsis *Wetzer et Welte*, Kirchenlex., s. v. «Kommunion».

[4] Color istius stolae semper potest esse albus; potest tamen etiam esse conformis colori Officii illius diei. S. R. C. d. 12 Mart. 1836 (Decr. auth. n. 2740 ad XII). Die Commemorationis Omn. Fid. Defunct. sit color albus vel violaceus. S. R. C. d. 19 Apr. 1912 ad X.

et post distributionem dicendae sunt. S. Alphonsus putat hoc praeceptum non obligare nisi sub veniali[1]. Preces dicendae post distributam communionem (extra Missam) sunt: antiphona «O sacrum convivium» et versiculi «Panem de coelo etc.», Oratio cum longiore conclusione. Tempore Paschali «Alleluia» additur, et specialis oratio dicitur item cum longiore conclusione[2]. Quando in paramentis nigris communio data est, neque additur precibus «Alleluia», neque benedictio datur.

2. Sacerdos debet eucharistiam administrare pollice et indice manus dexterae. Merito autem dicit Lehmkuhl[3]: «Si vero [sacerdos] illos digitos impeditos habet, praestat aliis uti quam populum aut singulos moribundos s. communione privari.» Licet enim soli primi digiti inungantur, tamen tota manus consecrata est. Severiorem sententiam hac in re tuetur S. Alphonsus[4] dicens: «Si quis haberet pollicem ita infirmum, ut non posset cum eo hostiam frangere, non posset quidem celebrare. . . . Regula generalis est: id quod est impedimentum ad suscipiendum ordinem, post susceptionem exercitium ordinis impedire.» Haec regula videtur nimis dura, nam facilius Ecclesia arcet aliquem ab ordine suscipiendo quam ab exercitio ordinis rite suscepti. Quapropter prima sententia videtur tuta in praxi, dummodo decentia externa servetur et scandalum vitetur. Si tamen isti digiti laborant morbo diuturno, tunc a S. Congr. Rituum petenda est licentia celebrandi Missam.

3. In latino ritu non licet eucharistiam dare laico sub specie vini, idque nec etiam in necessitate viatici sumendi. Ita sententia communis[5]. Ceterum talis necessitas numquam fere accidere potest; etenim aegrotus, qui potest vinum deglutire, potest etiam sumere aquam, in qua particula hostiae consecratae immersa est. In necessitate autem licet hoc modo porrigere hostiam[6].

4. Omnes fideles etiam pietatis causa alieno ritu communionem recipere possunt. Deficiente sacerdote proprii ritus in casu necessitatis sacerdos orientalis potest eucharistiam in azymo confectam distribuere fidelibus, et vice versa sacerdoti latino licet dare eucharistiam in fermentato confectam. «At suum quisque ritum ministrandi servabit.»[7]

5. Non licet dare laicis hostiam maiorem, qualem adhibet sacerdos in Missa, aut etiam plures parvas hostias. Ita statuit Innocentius XI[8], qui tamen hoc prohibuit ideo, ne quis falsam devotionem foveat putans se maiores gratias nancisci, si maiorem hostiam vel plures hostias manducet. Quare nihil obstare videtur, ne ex rationabili causa (e. g. si sacerdos celebrans omnes particulas, quae supersunt, consumere non potest) laico communicanti plures hostiae dentur[9]. Ex rationabili causa licet parvas hostias in duas vel tres partes dividere, dummodo tamen partes sic divisae ne sint nimis parvae; pariter sacerdos celebrans potest ex rationabili causa particulam maioris hostiae a se in Missa consecratae dare alicui communicanti.

6. Si in distributione s. communionis aliqua species ceciderit in terram, locus iste tegendus et postea abluendus est. Aqua autem ablutionis in sa-

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 241.

[2] Ita ex Rit. Rom. tit. 4, c. 2 (editio typica). Ergo antiquus mos videtur esse mutatus, et responsio S. C. R. d. 30 Aug. 1892 ad 10 (Decr. auth. n. 3792) est interpretanda iuxta textum novum Ritualis.

[3] Theol. mor. II, n. 187. [4] L. c. n. 244.

[5] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 245. [6] Cf. ib. n. 244.

[7] Cf. supra n. 214. [8] Decr. «Cum ad aures» d. 12 Febr. 1679.

[9] Cf. *Bened. XIV*, De sacrif. Miss. l. 3, c. 20, n. 1; *Noldin*, De sacr. n. 130.

crarium fundatur. Haec tamen lex non obligat sub gravi[1]. Quare e. g. si hostia consecrata cecidit in barbam viri, minime ista barba est abluenda et aqua ablutionis in sacrarium fundenda. Quando vero hostia ceciderit in vestes mulieris, neque facile et absque scandalo a sacerdote inde extrahi potest, mulier est ducenda in sacristiam, ut ipsa sacras species inquirat et sacerdoti porrigat. Debet autem mulier tunc manum, qua tetigerat hostiam, lavare. Si quis evomit hostiam nec ea iterum sumi potest, hostia ponatur in vasculo aquae in tabernaculum. Dissoluta autem hostia aqua effundatur in sacrarium. — Si gutta sanguinis consecrati ceciderit, observanda sunt ea, quae praescribuntur in Missali[2].

7. Eucharistia ad aegrotos deferenda est *manifeste* et honorifice, prout 224
praescribit Rituale Romanum tit. 4, c. 4, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat[3]. Ideo in compluribus locis eucharistia defertur occulto modo, ne exponatur irreverentiis malorum hominum. Attamen etiam tunc sacerdos debet portare sub vestibus superioribus parvam stolam (quae ab aliis non videtur), ne scil. s. eucharistia deferatur sine omni sacra veste. Per se patet, etiam in delatione ista occulta quam maximam reverentiam adhibendam esse. Hinc sacerdos devote portet hostiam super pectus, non in aliquo sacco manuali; evitet omnia colloquia non necessaria; eat recta via ad aegrotum etc. Ceterum observandae sunt hac in re statuta dioecesana. Episcopus ex iusta et rationabili causa permittere potest, ut illis fidelibus aegrotis, qui devotionis causa pluries communicare volunt, s. eucharistia portetur *occulto modo*, scil. iuxta ritum a Benedicto XIV in Decreto «Inter omnigenas» d. 2 Febr. 1744 propositum: «Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.» Ita S. Congr. de Sacramentis d. 23 Dec. 1912[4]. — Quando eucharistia *publice* portatur ad aegroti domum, sacerdos debet esse indutus superpelliceo et stola et *detecto capite* procedere. Ex indulto tamen apostolico haud raro permittitur, ut sacerdos procedat capite cooperto, si ita exigat aeris inclementia. Sic e. g. S. Congr. Rituum d. 13 Nov. 1862 dedit sacerdotibus Coloniensibus licentiam, «incedendi tempestate praesertim hiemali capite laneo pileolo obtecto, qui exigente necessitate esse poterit tantae amplitudinis, ut aures etiam cooperiat»[5]. In casu necessitatis, si scil. valde timetur periculum sanitatis (sive ab aestu solis sive a frigore) neque potest peti licentia ab episcopo, potest sacerdos epikeiam adhibendo cooperto capite deferre eucharistiam ad infirmum, dummodo tamen praecaveatur scandalum. Nihil obstat, quominus sacerdos ferens eucharistiam habeat testudinem artificiosam contra imbrem aut nivem[6]. Esset enim potius irreverentiosum, si vestes sacrae ipsumque vas continens s. eucharistiam imbre aut nive madefierent. Ex rationabili causa, e. g. propter longitudinem itineris, licet publice portare eucharistiam sedendo in aliquo curru vel etiam in equo, si periculum irreverentiae desit. Non autem decet, ut eucharistia portetur sedendo in machina birotali (vulgo Velociped), nisi adsit gravis necessitas.

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 250. [2] De defect. Missae tit. 10, n. 12 sq.

[3] Cod. iur. can. c. 847.

[4] Acta Ap. Sedis IV 725.

[5] Simile privilegium concessum est pro dioecesi Oriolensi (Alicante in Hispania) d. 22 Apr. 1871 (Decr. auth. n. 3246).

[6] Vulgo *Regenschirm, parapluie.*

ARTICULUS III.
De asservatione eucharistiae.

225 **Locus asservationis.** Antiquis temporibus eucharistia asservabatur haud raro apud simplices fideles, et praesertim apud monachos et virgines Deo sacras[1]. Nostris temporibus aliquando conceduntur hac in re indulta specialia, praesertim missionariis[2]. Sed de iure communi nunc vigente eucharistia *debet* asservari: 1. in ecclesia cathedrali et in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae nullius, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae; 2. in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali; 3. in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum. *Potest* autem asservari de licentia Ordinarii loci: 1. in ecclesia collegiata; 2. in oratorio *principali* (sive publico sive semi-publico) tam domus piae aut religiosae quam collegii ecclesiastici, quod a clericis saecularibus vel a religiosis regitur. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis asservari possit, necessarium est Indultum Apostolicum; loci autem Ordinarius hanc licentiam concedere nequit nisi ecclesiis aut oratoriis publicis, idque ex iusta causa et per modum actus, i. e. non permanenter[3]. In loco, ubi s. eucharistia asservatur, regulariter aliquis sacerdos semel saltem in hebdomada Missam celebrare debet[4].

Antiqua praxis sacerdotum itinerantium gestandi e collo eucharistiam, iam pridem prohibita est[5]. Solus Summus Pontifex in itinere secum habet eucharistiam.

226 **Modus asservationis.** De modo asservandi eucharistiam sequentia praesertim notanda sunt:

a) Custodia eucharistiae pertinet ad *parochum aliumve sacerdotem.*

Clavis tabernaculi diligentissime custodienda est a sacerdote, non autem a sacristano laico vel a moniali. Ita pluries S. Congr. Rituum decrevit. At rector ecclesiae clavem tabernaculi retinere potest in sacristia aut in alio loco tuto clauso, cuius clavem committere licet fideli sacristano laico vel feminae religiosae. Quae quidem praxis viget in compluribus regionibus, quia accidere potest, ut ipso rectore ecclesiae absente clavis tabernaculi ab alio sacerdote necessario adhibenda sit.

b) Eucharistia asservanda est in decenti tabernaculo super altari.

Antiquis temporibus eucharistia non asservabatur super altari, sed in aliquo scrinio collaterali[6] vel in aliqua turri[7] vel in aliqua columba aenea suspensa.

---

[1] Cf. *Martène,* De antiq. Eccl. rit. l. 1, c. 5, a. 1.

[2] Cf. S. C. de Prop. Fide d. 23 Aug. 1850.

[3] Cod. iur. can. c. 1265. Si qua religiosa vel pia domus adnexam habet publicam ecclesiam, eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia explenda, eucharistia in ea sola asservari potest; secus in solo oratorio principali eiusdem religiosae vel piae domus. Aliquando tamen accidit, ut in eodem materiali aedificio sint distinctae ac separatae familiae religiosae vel piae, e. g. communitas religiosa et seminarium clericorum; tunc quaeque familia distincta potest in suo oratorio principali eucharistiam asservare (Cf. Act. Ap. Sed. X 347.)

[4] Cod. iur. can. c. 1265, § 1.

[5] *Benedict. XIV* Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742, § 6, n. 7; cf. Cod. iur. can. c. 1265, § 5.

[6] Pastophorium.

[7] *Sakramentshäuschen.*

Nunc autem statuit Codex iur. can. c. 1269, § 1: «Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito.» Tabernaculum confici potest ex ligno, lapide, metallo vel alia materia digna. Hodie ad praecavenda furta sacrilega praestat, ut interius habeatur capsula aenea clavi artificiosa claudenda [1], ne a furibus illa aperiri neve igni destrui possit. Prudenter etiam ob eandem rationem in aliquibus locis ss. eucharistia quolibet sero portatur e tabernaculo ecclesiae in sacristiam vel alium decentem locum, ubi tunc durante nocte asservatur in solidissima custodia, et mane facto iterum portatur in tabernaculum. Iste agendi modus licitus est, dummodo lampas colluceat tota nocte ante hanc custodiam, et dummodo decentia loci sit cognita a superiore ecclesiastico competenti, scil. ab episcopo eiusve delegato [2]. Tabernaculum sit benedictum atque interius vel sit albo serico panno tectum vel auratum [3]; exterius sit deauratum vel artificiose ornatum et conopeo velatum [4]. Color istius conopei sit albus, vel adhuc melius mutetur secundum tempora et festa. Loco nigri coloris violaceus est adhibendus. In tabernaculo nihil servari licet nisi eucharistia [5]. Ergo tollendus est abusus asservandi in eodem tabernaculo etiam sacra olea, sacras reliquias etc.

Ante tabernaculum lampades plures, vel saltem una, die noctuque per- 227
petuo colluceant. Quod quidem praeceptum obligat sub gravi, ita ut iuxta Busenbaum et S. Alphonsum [6] sit peccatum mortale, si ex negligentia lumen lampadis sit exstinctum per integrum diem, i. e. per spatium 24 horarum. Ad nutriendam lampadem generatim utendum est *oleo olivarum;* quod si absque magna difficultate haberi nequeat, Ordinarius loci permittere potest alia olea, sed in quantum fieri potest vegetabilia vel etiam ceram apum puram vel mixtam et ultimo loco etiam lucem electricam [7]. Sola autem ratio minuendi expensas ordinarias non sufficit, ut adhibeatur petroleum, quippe quod propter vilitatem et odorem videatur esse materia parum decens. Quando lampades sunt plures, numero *impares* esse debent cum ad ornatum tum ad mysticum sensum. Ita Caeremoniale episcoporum [8]. Non potest eucharistia asservari continuo in duobus simul altaribus eiusdem ecclesiae [9], neque in altari, quando immediate super illud (quamvis baldachino ornatum) est habitaculum cum lecto [10].

In ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus, in quibus officium chorale persolvitur, melius et decentius est, si eucharistia non asservatur in altari maiore, sed collaterali [11].

---

[1] Vulgo *coffre-fort.* [2] Cod. iur. can c. 1269, § 3.

[3] S. R. C. d. 20 Iunii 1899 (Decr. auth n. 4035 ad 4).

[4] S. R. C. d. 1 Iul. 1904 (Decr. auth. n. 437).

[5] Cod. iur. can. c. 1269, § 2.

[6] Theol. mor. l. 6, n. 248. Lux electrica nequit loco candelarum adhiberi in Missa sed ad illuminandam ecclesiam modo decenti licet ea uti *exclusa omni specie theatrali.* S. C. R. d. 4 Iunii 1895. Ex aliis decisionibus S. C. R., nempe d. 16 Maii 1902, 22 Nov. 1907, 24 Iunii 1914 sequitur, ut lux electrica sit prohibita 1. in mensa et in gradibus altaris; 2. pro lumine ante imagines aut reliquias sanctorum; 3. intra Ostensorium (vel thronum, ubi eucharistia exponitur); 4. quando lampades electricae variorum colorum disponuntur iuxta modum, qui non decet sanctitatem loci (Act. Ap. Sed. VI, 353).

[7] S. R. C. d. 23 Febr. 1916 (Act. Ap. Sed. VIII 72).

[8] Lib. 1, c. 12, n. 17. [9] Cod. iur. can. c. 1268, § 1.

[10] S. R. C. d. 24 Ian. 1908 (Decr. auth. n. 4213).

[11] Cod. iur. can. c. 1268, § 3.

c) Sacrae particulae conservandae sunt «in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta.» Ita Rituale Romanum et Codex iur. can.[1]

Valde quidem decet (iure autem communi praescriptum non est), ut *pyxis* sit argentea atque intus deaurata. Excluditur vero materia aeris, vitri, ligni etc.[2] Quod de pyxide dictum est, valet etiam de *lunula ostensorii*. Cum pyxis tum lunula non sunt consecrandae sed tantum *benedicendae*. Multi auctores, quorum sententiam S. Alphonsus[3] non improbabilem esse putat, censent hanc benedictionem tantum esse de congruo. Verumtamen in praxi pyxis et lunula, immo et ostensorium, benedicenda sunt, quia includunt et immediate tangunt ss. eucharistiam[4]. Pyxis debet operculo claudi, quare super ipsam non sufficit ponere pallam aliudve simile. Si hostia relinquitur in lunula ostensorii, valde decet, ut reponatur in aliquo vasculo speciali, quod vocatur «custodia». Pyxis continens eucharistiam velo albo serico circumdanda est atque ipsi substernendum est corporale.

228 **Scholion. De expositione eucharistiae.** Per modum coronidis subnectuntur pauca de expositione eucharistiae. Distinguitur expositio publica et privata. Expositio *publica* habetur, si eucharistia extrahitur e tabernaculo et in ostensorio super thronum elevatur. Die festo Corporis Christi et infra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum sollemnia et ad Vesperas; aliis vero temporibus nonnisi de licentia Ordinarii loci, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat. Expositio *privata* seu cum pyxide fieri potest ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia[5]. Post expositionem privatam regulares possunt benedictionem dare cum pyxide velata[6].

SECTIO II.

De eucharistia, prout est sacrificium.

Dividimus istam sectionem in tria capita: 1. de natura et effectibus sacrificii Missae; 2. de obligatione celebrandi Missam; 3. de requisitis ad Missam celebrandam.

CAPUT I.

De natura et effectibus sacrificii Missae.

Dividimus caput istud in tres articulos: 1. de natura sacrificii Missae; 2. de valore, effectibus et fructibus eius; 3. de applicatione Missae.

---

[1] Tit. 4, c. 1, n. 5; cf. Cod. iur. can. c. 1270.

[2] S. C. R. d. 30 Ian. 1880 (Decr. auth. n. 3511).

[3] Theol. mor. l. 6, n. 385.

[4] Adhibenda esse videtur benedictio vasculi pro s. eucharistia conservanda (Rit. Rom. tit. VIII, c. 23). Pro benedictione ostensorii habetur specialis benedictio in priore Appendice novae editionis Ritualis Romani.

[5] Cod. iur. can. c. 1274, § 1.

[6] S. C. R. d. 30 Nov. 1895 (Decr. auth. n. 3875 ad 3).

ARTICULUS I.

De natura sacrificii Missae.

Praenotamen. De natura sacrificii Missae ea sola doctrinae capita attingimus, quae ad solvendas quaestiones morales sunt necessaria; cetera relinquimus tractanda in Theologia dogmatica.

Notio sacrificii in genere. Sacrificium est actus externus 229
virtutis religionis; inservit enim ad Deo debitum cultum exhibendum. Sacrificium sumitur aut in lato aut in stricto sensu. In lato sensu sacrificium est quilibet bonus actus, qui ad cultum Dei quocumque modo pertinet. Hinc illud: «Sacrificium Deo spiritus contribulatus.» [1] In stricto autem sensu acceptum sacrificium distinguitur a ceteris religionis actibus. *Est enim legitime instituta oblatio rei sensibilis, qua per quandam eiusdem rei destructionem (sive physicam sive moralem) homines profitentur summam Dei excellentiam eiusque supremum dominium in vitam et mortem omnis creaturae.* Nulli alii actui religionis sive interno sive externo haec definitio competit, quia in nullo alio actu necessario requiritur destructio rei oblatae.

Quidam moderni auctores [2] genuinam notionem sacrificii ponunt aut in epulis, quibus homo quasi cum Deo coniungitur (theoria epularis, *the banquet theory*), aut in repraesentatione unius veri sacrificii cruenti a Christo peracti, aut in laudibus et gratiarum actionibus Deo exhibitis. Verum hae novae theoriae, ut merito dicit Lehmkuhl [3], paucissimis primorum Patrum dictis iisque obscuris speciem quandam veri sibi conciliant, copiosissimis autem aliorum Patrum dictis iisque clarissimis atque ipsa *authentica Ecclesiae doctrina refelluntur.* Retinenda est igitur notio sacrificii communissime ab omnibus auctoribus supra tradita [4].

Condiciones requisitae ad verum sacrificium sunt quattuor: 230

1. Ex parte *materiae* sacrificium debet esse *substantia sensibilis,* cuius dominium homo habet.

2. Ex parte *formae* requiritur, ut res oblata *destruatur* vel saltem immutetur. Per sacrificium enim agnoscitur supremum Dei dominium in omnes res creatas, quae quidem agnitio et significatio convenientissime manifestatur destructione rei, cum sic profiteamur Deum posse ad nutum omnia in nihilum redigere. Destructio vel immutatio rei potest esse *physica* ut e. g., occisio animalis; vel *moralis,* i. e. auferendo illi usum suum nativum, ut e. g. effusio vini vel olei. Quidam auctores [5] docent, ad essentiam sacrificii non requiri destructionem materiae, sed sufficere consecrationem. Quae quidem sententia parum probabilis est, cum in sola consecratione non sufficienter significetur perfecta subiectio erga divinam maiestatem [6].

---

[1] Ps 50, 19.

[2] *G. Renz,* Gesch. des Meßopferbegriffes, Freising 1901; *Wieland,* Mensa und Confessio, München 1906; *Götzmann,* Das euchar. Opfer, Freiburg 1901; *Jac. Bellord,* The eccl. Review, Philadelphia 1903.

[3] Theol. mor. II, n. 236 nota.

[4] Cf. *Rauschen,* Eucharistie u. Bußsakr. § 5.

[5] *Suarez,* De relig. disp. 73, sect. 5. n. 5; *Viva,* Curs. theol. disp. 5, q. 1, a. 2.

[6] *Billuart,* De relig. diss. 3, a. 2.

3. Ex parte *ministri* requiritur, ut sit homo legitime deputatus, scil. *sacerdos*. In lege naturae, i. e. ab Adamo usque ad Moysen, tales personae deputabantur ex speciali instinctu divino, vel traditione, ut patresfamilias, Melchisedech; in lege mosaica Aaron et filii eius ad sacrificandum deputabantur, ideoque Oseas rex, cum non esset sacerdos, sacrificare volens reprehensus et punitus est infectione leprae[1]. In Nova Lege soli sacerdotes sacrificare possunt. Quare monet Apostolus: «Nec quisquam sumit sibi honorem [sacerdotii], sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.»[2]

4. Ex parte *finis* requiritur, ut offeratur *soli Deo* in testimonium eius supremi dominii in vitam et mortem nostram. Sacrificium igitur est *in genere signi*, significat enim supremum dominium Dei[3]; dum sacramenta significant praecipue gratiam. Sacrificium est propriissimus actus latriae seu adorationis.

231 **Thesis. Missa est a) verum sacrificium atque b) cruenti crucis sacrificii realis exhibitio incruenta.**

a) Est contra Reformatores saeculi XVI definitum a Concilio Tridentino[4] et constat ex vaticiniis Veteris Testamenti[5] atque ex verbis institutionis eucharistiae in Novo Testamento[6]. Ratio autem est, quia in Missa habentur omnes condiciones requisitae ad verum sacrificium. Etenim: 1. ex parte *materiae* adest oblatio rei rensibilis, scil. corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. 2. Ex parte *formae* exsistit destructio eaque tum mystica tum realis. Sub speciebus enim panis ponitur vi verborum solum corpus Christi et sub speciebus vini solus sanguis Christi, sicque fit quaedam mystica separatio sanguinis a corpore seu destructio. Insuper consecratione in Missa Christus accipit novum esse, scil. sacramentale, quod in communione dissolutis speciebus iterum amittit. 3. Ex parte *ministri* solus sacerdos rite ordinatus sacrificium Missae offerre potest. 4. Ex parte *finis* Missa testificat supremum Dei dominium illique soli offertur. Unde dicit Concilium Tridentinum[7]: «Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.»

b) Missa ex institutione Christi est essentialiter sacrificium *repraesentativum sacrificii crucis*. Quapropter Christus instituens Missae sacrificium dicit: «Hoc facite in meam commemorationem»[8] et S. Paulus dicit: «Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.»[9] Haec repraesentatio ad essentiam Missae pertinet, ideoque

---

[1] 2 Par 26, 18. — De immolatione agni paschalis auctores diverso modo sentiunt; cf. *Billuart* l. c. [2] Hebr 5, 4.

[3] *S. Thomas*, S. theol. 2, 2, q. 85, a. 2 ad 2.

[4] Sess. 22, can. 1 et 2 de sacr. Miss. (*Denz.* n. 948 sq.): «S. q. d. in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium . . . A. S.»

[5] Gn 14, 18; Ps 109, 1.

[6] Mt 26, 26; Mc 14, 22; Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24 sq.

[7] Sess. 22, c. 3 de sacr. Miss. (*Denz.* n. 941). [8] Lc 22, 19.

[9] 1 Cor 11, 26.

merito dici potest et debet, sacrificium crucis et sacrificium Missae essentialiter non differre. Etenim «una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa»[1].

Accidentaliter autem differt Missa a sacrificio crucis: 1. quia in cruce oblatus est Christus mortalis et passibilis, in Missa vero immortalis et impassibilis; 2. in cruce sacrificium fuit cruentum, in Missa vero incruentum; 3. in cruce Christus se ipsum obtulit, in Missa autem ministerio sacerdotum; 4. in cruce solutum est pretium redemptionis nostrae, in Missa autem applicatur et nobis communicatur istud pretium.

Essentia Missae. Theologi non concordant, in qua praecise actione sita sit essentia sacrificii Missae. Essentia sacrificii Missae non consistit in oblatione sive praecedente sive subsequente consecrationem, neque in elevatione hostiae, neque in fractione et mixtione specierum, neque in distributione, neque in alterutra consecratione, sed in consecratione *utriusque speciei,* cum ordine tamen ad sumptionem sicut ad partem integrantem. Ita sententia communior et verior[2]. Ratio est, quia in sola consecratione utriusque speciei verificantur quattuor conditiones ad essentiam sacrificii requisitae. Ex hac doctrina de essentia Missae sequuntur quaedam conclusiones practicae. 232

Resolves. 1. Non licet facere aut mutare applicationem Missae post utramque consecrationem peractam. Essentia enim sacrificii tunc iam finita est. 233

2. Particulae in pyxide consecratae debent in altari remanere usque *post communionem sacerdotis celebrantis.* Ratio est, quia communio sacerdotis non quidem est de essentia Missae, sed est eius pars integrans. Ergo sacerdos non debet reponere particulas consecratas in tabernaculo, neque etiam illas tradere alteri distribuenti eucharistiam, nisi post propriam communionem[3]. Censent tamen merito complures auctores hoc licere, si adsit aliqua *necessitas,* e. g. viaticum administrandi.

3. Qui percipit in communione aquam esse in calice, neque valet vinum denuo consecrare, non potest stipendium recipere pro huiusmodi Missa celebrata. Pariter qui bona fide Missas celebravit cum vino falsificato et inepto ad consecrationem, non videtur satisfecisse stipendiis pro his Missis acceptis. Unde illas iterum dicere debet aut condonationem a S. Sede obtinere. Sunt tamen auctores, e. g. Gury[4], Berardi[5], Génicot[6], putantes, in hoc casu sacerdotem satisfecisse obligationi. Etenim adhuc aliqualiter probabilis est sententia ponens Missae essentiam in una consecratione. Ergo probabiliter sacerdos satisfecit. Ergo ad nihil tenetur iuxta principia puri probabilismi. Addunt aliam rationem: Cum stipendium detur ad sustentationem sacerdotis, praesumi potest eum, qui illud dedit, nihil amplius exigere, nisi ut sacerdos certum numerum Missarum celebret, adhibita diligentia ordinaria, ut omnia valide peragantur. Verumtamen haec sententia non videtur esse practice tuta, quia argumenta allata sunt valde debilia et quia praxis contraria exsistit. Unde

---

[1] Conc. Trid. sess. 22, c. 2 de sacr. Miss. (*Denz.* n. 940).
[2] Cf. *Billuart,* De euchar. diss. 8, a. 2.
[3] Cf. S. R. C. d. 11 Maii 1878 (Decr. auth. n. 3448 ad VII).
[4] Cas. consc. II, n. 236. [5] Praxis confess. n. 3529.
[6] Theol. mor. II, n. 234.

vel ipse Génicot[1] dicit: «Suadendum tamen, ut, si paucae Missae sic dictae sint, repetantur, si multae, petatur compensatio a S. Sede.»

4. Quia in Missa praesanctificatorum non habetur consecratio, hinc sacerdos nequit accipere stipendium pro hac Missa.

234 **Scholion. De vocabulo Missae.** Vocabulum Missae non est derivatum neque a verbo hebraico «Missah», quod significat oblationem, neque a verbo graeco μύησις (benedictio), sed a verbo latino «mittere». Vocatur autem Missa ob triplicem rationem, quia a) per Missam oblationes precesque nostrae mittuntur ad Deum; b) Christus mittitur ad nos; c) in fine populus dimittitur verbis: Ite missa est. Ad rem scribit S. Thomas[2]: «Propter hoc Missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo; unde et in fine Missae diaconus in festivis diebus populum licentiat dicens: Ite missa est, scil. hostia ad Deum per angelum, scil. ut sit Deo accepta.» Missa a Graecis vocatur diversis nominibus, e. g. μυσταγωγία, initiatio, peractio mysterii; σύναξις, conventus; λατρεία, cultus; εὐλογία, benedictio; ἱερουργία, sacrificium; θυσία, victima; λειτουργία, cultus publici officii. Nomen Missae adhibitum est iam ab antiquissimis temporibus[3], sed non semper in eodem sensu; sic e. g. aliquando sumptum est quoque pro Horis canonicis[4].

ARTICULUS II.

De valore, effectibus, fructibus Missae.

Cum materia huius articuli sit satis ampla, distribuimus illam in duas paragraphos, scil. 1. de valore et effectibus Missae in generali; 2. de fructibus Missae in speciali, in quantum participantur.

§ 1.

De valore et effectibus Missae in generali.

Notiones. Claritatis causa prius explicandum est, quid sibi velint isti termini: valor, effectus, fructus Missae, ne confusio oriatur, praesertim cum isti termini a diversis auctoribus non uno modo intelligantur. Deinde breviter dicendum est, quinam sint diversi offerentes in sacrificio Missae.

235 **Valor Missae** includit duo: dignitatem et efficaciam (potestatem), vel ut dicit S. Alphonsus[5]: «Valor est efficacia illa, quam habet Missa ex dignitate offerentis et rei oblatae ad conferenda bona offerenti et iis, pro quibus offertur.»

236 **Effectus Missae** sunt omnia ea, quae reapse ab ea producuntur respectu tum Dei tum mundi.

Effectus Missae sunt quinque scil. 1. effectus *latreuticus:* Missa enim producit adorationem et excellentissimum cultum Dei; 2. effectus *eucharisticus,* in quantum Missa gratias Deo reddit pro beneficiis receptis; 3. effectus *impetratorius,* quia Missa efficacissime impetrat bona cum temporalia tum

[1] Theol. mor. II, n. 234. [2] S. theol. 3, q. 83, c. 4 ad 9.
[3] Cf. *S. Ambr.,* Ep. 20 et Sermo 25. [4] Cf. supra II, n. 360.
[5] Theol. mor. l. 6, n. 312.

spiritualia; 4. effectus *propitiatorius,* quia Missa reddit Deum nobis propitium, ita ut peccata remittat; 5. effectus *satisfactorius,* quia Missa causat remissionem poenarum pro peccatis debitarum. — Notandum est Missae, ut est sacrificium in persona Christi aut nomine Ecclesiae peractum, non competere *meritorium* effectum. Christus enim nihil amplius meretur per sacrificium eucharisticum, cum ipse sit extra statum merendi et redemptio sit completa in cruce; neque etiam Ecclesia meretur aliquid per sacrificium Missae, cum omne meritum supponat actum *personalem.* Sin vero Missa consideratur ut *actus personalis* bonus sacerdotis, tunc profecto meretur ex opere operantis augmentum gratiae et gloriae. Cum autem non solum sacerdos celebrans, verum etiam fideles assistentes vel stipendium Missae dantes offerant Missam, ii omnes merentur augmentum gratiae et gloriae, dummodo tamen obicem ne ponant. Omnes enim, qui sunt in statu peccati mortalis, nihil boni possunt proprie mereri, ut supra I, n. 139 dictum est. Ideoque sacerdos in statu peccati mortalis offerens Missam nihil meretur, nullumque bonum effectum obtinet sed econtra committit grave sacrilegium. Fideles autem in statu peccati mortalis cum sacerdote Missam offerentes nihil quidem merentur, sed possunt obtinere alios bonos fructus, e. g. impetratorios, propitiatorios.

Fructus Missae a nonnullis theologis promiscue sumuntur pro 237
effectibus Missae, sed melius accipiuntur pro illis solis effectibus, quos Missa producit pro *hominibus* (et non pro Deo). Fructus enim alicuius rei vocamus illos effectus, quibus fruimur. Quare fructus Missae sunt solummodo determinata pars effectuum Missae, scil. *effectus propitiatorius, satisfactorius et impetratorius.*

Offerentes complures sunt in Missa, qui tamen non omnes proprie 238
sacrificant, cum ad sacrificandum requiratur ordo sacerdotalis, ad offerendum vero sufficiat moralis coniunctio cum sacerdote sacrificante. Offerunt autem:

1. *Christus,* qui est principalis offerens, non solum quia ipse instituit sacrificium Missae, sed etiam quia per sacerdotes tamquam per suos vicarios offert, qui proinde in persona Christi pronunciant verba consecrationis: «Hoc est enim corpus meum etc.»

2. *Ecclesia,* quae sacerdotem instituit ad Missam Deo offerendam.

3. *Sacerdos* ipse, qui quidem nomine Christi et Ecclesiae sacrificat, sed etiam tamquam persona privata Missam offert.

4 *Omnes fideles,* praesertim autem illi, qui Missae inserviunt aut assistunt. Quare etiam in Canone recitantur verba: «Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae», et: «Memento Domine famulorum ... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.»

Principium 1. *Dignitas sacrificii Missae est infinita.* 239

Ratio est, quia in sacrificio Missae tum offerens principalis tum ipsa victima (nempe Christus Deus) est infinitae dignitatis. Insuper Missae sacrificium est idem ac crucis sacrificium, quod profecto est dignitatis infinitae.

Principium 2. *Valor Missae (i. e. eius efficacia seu potestas) est infinitus a) quantum ad sufficientiam; b) quantum ad effectus la-*

treuticos, eucharisticos et propitiatorios; c) quantum ad sic dictos fructus speciales.

Prima pars huius principii elucet ex eo, quod sacrificium Missae est idem ac sacrificium crucis, quod profecto sufficiens est ad infinitas gratias conferendas propter infinitam dignitatem offerentis et victimae.

Secunda pars patet ex eo, quod principalis offerens in Missa est Christus, qui sacrificando causat infinitum actum adorationis, gratiarum actionis et propitiationis. Tantus enim cultus Deo exhibetur per Missam, ut maior absolute exhiberi nequeat.

Tertia pars facile intelligitur ex notione fructuum specialium, qui — ut infra latius explicabitur — sunt illi, quos percipiunt omnes Missae sacrificio assistentes. Iamvero iste fructus percipitur ab omnibus, quotquot assistunt, neque imminuitur, etiamsi innumeri homines eidem Missae intersunt atque de eius fructu participant.

240 **Principium 3.** *Fructus Missae reapse producti sunt limitati; quae quidem limitatio videtur provenire tum ex dispositione hominis suscipientis tum ex voluntate Christi instituentis.*

Omnes quidem theologi docent fructus Missae (acceptos in sensu stricto supra explicato) esse reapse finitos, quia alioquin sequeretur, ut una Missa sufficeret pro salute totius mundi atque evacuaret totum purgatorium, neque liceret dicere plures Missas pro uno eodemque defuncto. Sed difficilis oritur quaestio, undenam proveniat ista limitatio fructuum Missae, quae secundum se est valoris infiniti. Sunt duae sententiae, quarum prima asserit hanc limitationem provenire ex *sola voluntate Christi* sic statuentis. Ratio autem huius voluntatis est, quia Christus iussit, ut hoc sacrificium non semel sed saepius celebretur. Ergo noluit effectum infinitum. Etiam praxis Ecclesiae habet, ut pro uno defuncto plures Missae celebrentur. Non autem apparet, cur Ecclesia permittat, stipendia pro Missarum oblatione accipere, et quidem singula pro singulis Missis, si illi, qui stipendia non dant, aeque magnam partem fructus habeant. Haec sententia, quam Noldin [1] vocat omnino tenendam, communiter tenetur a modernis auctoribus Societatis Iesu, e. g. Chr. Pesch [2], Lehmkuhl [3], Génicot [4], et etiam a compluribus aliis [5]. Ex antiquis citantur pro hac sententia S. Bonaventura [6], Suarez [7], Lugo [8].

Altera sententia docet limitationem fructuum Missae provenire principalius *ex condicione hominis offerentis vel recipientis,* per se autem valorem Missae esse extensive et intensive infinitum. Unde iuxta hanc sententiam una Missa prodest pluribus applicata aeque ac si uni applicetur. Si enim valor est infinitus et fructus mensuratur iuxta capacitatem hominis, nihil detrahitur uni, si etiam aliis tribuitur; infinitus namque thesaurus non potest exhauriri. Huic sententiae videtur S. Thomas favere dicens: «Quamvis . . . haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus *secundum quantitatem suae devotionis* et non pro tota poena.» [9] Iuxta hunc textum explicanda

[1] De sacr. n. 173. [2] Prael. dogm. VI, n. 934.
[3] Theol. mor. II, n. 251. [4] Theol. mor. II, n. 218.
[5] Cf. *Gihr,* Das hl. Meßopfer § 17, p. 118 sqq.
[6] In 4, dist. 45, a. 2, q. 3 ad 4. Mens S. Doctoris videtur esse dubia.
[7] De relig. disp. 79, sect. 12, n. 7. [8] De sacr. euchar. disp. 19, n. 246.
[9] S. theol. 3, q. 79, a. 5.

sunt verba, quae scripsit S. Thomas iunior: «Quamvis virtus Christi, quae continetur sub sacramento eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum ordinatur»[1], et: «Si ergo suffragium pro multis factum tantum valeret singulis, ac si pro uno tantum fieret, videtur, quod Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singulariter Missa vel oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis; quod patet esse falsum.»[2] Angelicus enim Doctor in tota illa quaestione non agit specialiter de Missa, sed de suffragiis Ecclesiae in genere. Porro facile conceditur etiam Missam ut *suffragium* institutum ab Ecclesia habere effectum finitum, et ideo, quo pluribus illud applicatur, eo minus singulos iuvare. Damnata est enim propositio (19) Wicleffiana: «Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.»[3] — Fundamentum huius sententiae est infinita efficacia non solum rei oblatae, sed maxime principalis offerentis Christi, quae limitari non decet ex oblatione finita sacerdotis. Hanc sententiam S. Alphonsus[4] vocat speculative loquendo probabiliorem[5] et citat pro illa Gonet, Caietanum, Salmanticenses, Canum, Concina, Wigandt, Holzmann etc. Ex modernis illam tenent discipuli S. Alphonsi, ut Marc, Aertnys etc. De hac controversia sic scribit Billuart[6]: «Utraque [sententia] est probabilis, et quamvis in secundam propendere videar, agnosco tamen neutram esse certam, sed quamlibet pati suas difficultates. *Unde pro praxi consultum est, ut celebrans offerat specialiter, in quantum potest et debet, pro his, pro quibus tenetur offerre ex iustitia; pro his autem, pro quibus simul offert ex caritate, pietate, amicitia aut alio titulo gratuito, offerat quantum potest.*»

Ex omnibus dictis videtur sequi, ut fructus Missae quidem de facto limitetur, sed causa principalis proxima huius limitationis ignoretur. Ceterum non incongrue dicitur fructum Missae limitari ideo, quia Christus cognoscens insufficientem dispositionem suscipientis ita statuit.

Modus producendi effectus. 1. Effectus *latreuticus* et *eucharisticus* producuntur *ex opere operato*. Christus enim ipse adorat Deum Patrem illique gratias agit in sacrificio Missae. 241

2. Effectus seu fructus *impetratorius* Missae provenit a) *ex opere operato*, in quantum Christus ipse pro nobis impetrat Patri offerendo merita sua, b) ex actione Ecclesiae, quae sacrificat et supplicat, c) *ex opere operantis* sacerdotum aut fidelium. — Quodcumque bonum, sive temporale sive spirituale, per Missae sacrificium obtineri potest. Missa enim est efficacissima oratio; attamen neque statim neque semper bonum petitum obtinetur, quoniam potest adesse obstaculum ex parte recipientis, sicuti etiam nec aliae orationes semper exaudiuntur.

3. Effectus seu fructus *propitiatorius* reddit nobis propitium Deum irascentem propter nostra peccata. Et quidem duplici modo: a) Cum in sacrificio Missae nobis applicentur merita sacrificii crucis, Deus

---

[1] 4, dist. 45, q. 2, a. 4, sol. 3 ad 2.

[2] L. c. quaestiunc. 2, arg. «Sed contra».

[3] *Denz.* n. 599.

[4] Theol. mor. l. 6, n. 312.

[5] *Gaudé* (in ed. nov. S. Alph., not. ad l. c.) dicit: «Postea tamen, anno scil. 1769, tum in opusc. de caerem. Missae p. 3 de abus. in accipiendis Missis n. 26—28, tum in Trid. sess. 22, n. 22, S. Doctor communiorem vocavit et propugnavit priorem opinionem.»

[6] De euchar. diss. 8, a. 5.

placatur largiens ampliores gratias ad hoc, ut homo possit elicere actus caritatis et contritionis ad remissionem peccatorum obtinendam necessarios. Qui quidem fructus propitiatorius *ex opere operato* producitur, non tamen infallibiliter, quia Deus numquam remittit peccata actualia sine hominis conversione, quae aliquando deest. b) Propter preces Ecclesiae et sacerdotis sacrificantis. Nihil tam saepe occurrit de precibus Missae quam: Propitiare Domine, Placare Domine etc. Hic secundus modus fere refertur ad fructum impetratorium. Nam precum Deo porrigendarum primum obiectum debet esse remissio omnis culpae. Quid enim prosunt alia bona, si Deus nobis est offensus propter peccata nostra? Proinde effectus propitiatorius videtur praecedere effectum impetratorium. Quamdiu enim Deus nobis est infensus et nondum propitius vel placatus, nullas vel parvas gratias (ordinarie saltem) obtinemus. — Per se patet sacrificium Missae non directe et immediate delere peccata mortalia, cum haec remissio sit reservata sacramentis. Sacrificium enim directe institutum est ad cultum Dei et non ad remissionem peccatorum. Sed nec etiam peccata venialia directe remittuntur per Missam, ut est sacrificium. Ratio est eadem. Superest igitur, ut peccata mortalia et venialia dicantur per sacrificium Missae remitti, in quantum conceduntur ampliores gratiae actuales ad eliciendam contritionem aut ad digne suscipienda sacramenta.

242 4. Effectus seu fructus *satisfactorius* Missae est remissio poenae temporalis pro commissis peccatis debitae et nondum solutae. Quare Concilium Tridentinum[1] docet animas in purgatorio detentas potissimum altaris sacrificio iuvari. Ratio autem huius fructus est ipsum sacrificium crucis, quod in Missa renovatur atque applicatur, quodque non tantum peccata, sed etiam poenam peccati abluit. Fructus satisfactorius producitur *ex opere operato*, ut patet, idque infallibiliter et statim; non autem delet semper totam poenam, sed tantum eius partem, prout fideles sunt digni. Ergo si Missa offertur pro aliquo defuncto, certum est illum exinde *aliquod* sublevamen haurire. Nihilominus inde non sequitur, ut defuncti ditiores, pro quibus plurimae Missae offeruntur, sint melioris condicionis quam pauperes, pro quibus nulla Missa specialiter applicatur; etenim pauperes, Deo sic disponente, participant fortasse plus ex omnibus aliis Missis, cum in qualibet earum oretur pro omnibus defunctis; divites vero propter eorum incapacitatem et indignitatem forsan valde limitantur in percipiendis fructibus.

§ 2.

De fructibus Missae in speciali, in quantum participantur.

243 Omnes fructus hucusque enumerati solent secundum *personas*, quibus obveniunt, distingui quadrupliciter: 1. fructus generalis; 2. fructus specialis; 3. fructus specialissimus; 4. fructus ministerialis. Nonnulli autem auctores tantum tres fructus distinguunt: generalem, specialem

[1] Sess. 25 de purgat. (*Denz.* n. 983).

seu ministerialem, personalem. Est lis de verbis, cum in re omnes theologi conveniant.

1. Fructus *generalis* Missae obvenit *toti Ecclesiae,* i. e. omnibus fidelibus vivis et defunctis, modo obicem non ponant. Sacerdos enim nomine Christi et Ecclesiae offert sacrificium Missae, et sicut Christus et Ecclesia pro omnibus orant, ita et sacerdos hunc fructum generalem omnibus applicare debet, quin ullam aliam dispositionem de eo facere possit. Omnes theologi concedunt hunc fructum generalem esse propitiatorium et impetratorium; dubitant autem aliqui, num etiam sit satisfactorius, cum videatur incredibile unumquemque iustum ex tot millenis sacrificiis quotidie oblatis semper remissionem poenae temporalis recipere[1]. Ceterum res prorsus nos latet. Sane non omnes recipiunt semper fructum satisfactorium, cum quidam sanctissimi homines illo non indigeant, quippe qui iam alio modo pro poenis debitis satisfecerint.

2. Fructus *specialis* vocatur ille, qui percipitur *a fidelibus Missae assistentibus,* qui quidem quasi consacrificant cum sacerdote celebrante. Quare de illis dicitur in Canone: «qui tibi offerunt pro se suisque omnibus.» Iste fructus oritur et ex opere operato et ex opere operantis, atque nihil obstat, quominus fideles hunc fructum aliis deputent. In hoc sensu potest quis dicere alii: Ego pro te audiam Missam. Talem applicationem producere optimos fructus per se patet. Si quis exsistit in aliqua ecclesia, in qua plures Missae insimul dicuntur, et si tunc se coniungit spiritualiter cum singulis sacerdotibus celebrantibus, videtur percipere fructus speciales omnium istarum Missarum.

3. Fructus *specialissimus* (qui etiam aliquando *personalis* vocatur) ille est, quem *ipse sacerdos* celebrans percipit. Aequum enim videtur sacerdotem, qui personam Christi gerit atque sacrificium peragit, sibi acquirere specialem fructum. Num sacerdos possit hunc fructum personalem *alii applicare,* non est certum, neque theologi consentiunt[2]. Sed tamen nulla solida ratio affertur, quare hoc sit impossibile aut non liceat. Insuper nihil habetur hac de re in S. Scriptura aut in traditione aut in definitionibus Ecclesiae. Alexander VII d. 24 Sept. 1665 damnavit propositionem: «Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem idque post decretum Urbani VIII.»[3] Ex hac quidem propositione evidenter sequitur, ut sacerdos non possit stipendium accipere pro applicatione fructus personalis sed minime sequitur, ut sacerdos non valeat hunc fructum alii applicare. Stipendium enim non est merces cuiuscumque fructus Missae, cum hoc esset putida simonia, sed est tributum pro sustentatione sacerdotis, ut infra dicetur.

4. Fructus *ministerialis* (qui ab aliis vocatur specialis vel medius) est intermedius inter fructum generalem et personalem atque obvenit

---

[1] Cf. *Noldin,* De sacr. n. 171.
[2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 318.
[3] *Denz.* n. 1108.

iis, pro quibus Missa applicatur. Sicut enim licet pro homine determinato vel speciali intentione orare, sic etiam nihil obstat, ne pro speciali intentione Missa efficaciter offeratur. Iste fructus ministerialis videtur habere triplicem effectum, nempe propitiatorium, satisfactorium et impetratorium.

244 **Scholion. De valore Missae a malo sacerdote celebratae.** Quaerunt theologi, num minores effectus producat Missa mali sacerdotis quam boni? Respondetur: Si Missa consideratur, in quantum celebrata est nomine Christi aut Ecclesiae, producit fructus ex opere operato, ac proinde independens est a bonitate sacerdotis. Sin autem Missa attenditur ut opus personale sacerdotis, tunc bonus sacerdos ampliores fructus communicare potest quam malus [1]. Cum autem fructus Missae proveniens ex opere operato sit principalis, dicendum est, parum referre, a quonam sacerdote Missa pro fidelibus dicatur.

ARTICULUS III.

De applicatione Missae.

Claritatis causa dividitur iste articulus in duas paragraphos: 1. de applicationis modo, 2. de eis, pro quibus Missa applicari potest.

§ 1.

De applicationis modo.

245 **Notio.** Applicatio Missae est intentio seu voluntas sacerdotis determinandi fructum *ministerialem* pro speciali fine, e. g. pro certis defunctis. Applicatio igitur, prout nunc de illa loquimur, non tangit tres alios fructus, neque etiam Missam ut est actus bonus personalis. Haec quidem prae oculis habenda sunt ad evitandas confusiones. Praesertim notandum est non esse idem quaerere, pro quibus Missa applicari, ac, pro quibus illa utilis esse possit. Fructus Missae aliqualiter toti mundo utiles sunt, sicuti etiam sacrificium crucis; at minime potest Missa applicari pro quolibet in toto mundo.

246 **Potestas applicandi.** Missam posse revera specialiter applicari est certum, et contraria sententia synodi Pistoriensis est damnata a Pio VII [2]. Applicatio Missae (i. e. fructus ministerialis eiusdem) pertinet ad *solum sacerdotem celebrantem,* qui est constitutus dispensator mysteriorum Dei et in sua ordinatione accepit potestatem offerendi sacrificium Missae, i. e. applicandi fructum ministerialem tam pro vivis quam pro defunctis. *Debet* autem facere sacerdos hanc applicationem, quia secus iste fructus remanet in thesauro Ecclesiae, ut dicunt theologi. Ceterum omnis sacerdos censetur habere intentionem habitualem applicandi Missam aut sibi, aut illis, quibus obligatur ex iustitia aut ex alio titulo. Quando vero sacerdos oblitus est facere applicationem alicuius Missae, tunc fructus ministerialis probabiliter redit *ad ipsum celebrantem.* Quando autem sacerdos stipendio accepto applicavit Missam pro aliquo defuncto, *qui iam est in coelo aut qui est in inferno,*

[1] Cf. *S. Thom.* in 4, dist. 13, q. 1, a. 1, solut. 5. [2] Prop. 30 (*Denz.* n. 1530).

tunc probabiliter fructus Missae provenit illi, *qui stipendium dedit,* cum iste censeatur habere intentionem, ut Missa oblata prosit vel defuncto vel sibi ipsi. In praxi consulitur, ut sacerdos faciat expressam intentionem semel pro semper: sibi ipsi applicandi fructum ministerialem, si forte oblitus est facere applicationem, vel si *titulo gratuito* applicavit Missam alicui incapaci; applicandi autem fructum ministerialem dantibus stipendium, si *titulo oneroso* debuit facere applicationem, quae fuit inefficax propter incapacitatem personae recipientis.

Modus applicandi. 1. Applicatio debet fieri *ad certum finem.* 247 Sacerdos enim debet aliquo saltem modo determinare, cui fructus ministerialis obvenire oporteat, secus iam destruitur applicatio. Attamen non requiritur, ut haec determinatio sit *prorsus singularis* et sacerdos perfecte cognoscat finem intentum. Hinc sufficit applicare Missam: ad intentionem dantis stipendium, vel superioris; ad intentionem notatam in libello; secundum ordinem, quo stipendia data sunt; ad satisfaciendum fundatis Missis; pro maximo peccatore; pro anima maxime derelicta etc.

Quando sacerdos ex errore celebravit Missam pro defuncto, stipendium autem datum fuit pro defuncta, nihilominus obligationi satisfecit. Error est enim *accidentalis,* cum intentio praevalens fuerit celebrandi iuxta intentionem dantis stipendium. Ad vitandas difficultates, quae facile accidere possunt, melius est, ut sacerdos pro stipendio celebrans Missam nullam aliam principalem intentionem eliciat nisi applicandi Missam iuxta intentionem dantis stipendium. Sin autem plures obtulerunt stipendia, tunc Missae celebrari possunt vel secundum ordinem, quo stipendia oblata sunt, vel quaelibet Missa celebrari potest ad intentionem *omnium,* qui stipendia obtulerunt; tunc enim ex qualibet Missa unusquisque offerens partem fructuum accipit. Persolutis autem omnibus Missis cunctos fructus unusquisque accepit, ad quos ius habuit. Qui quidem secundus modus praeferri debet ab illis, qui tenent, limitationem fructuum Missae provenire non ex voluntate Christi, sed ex incapacitate recipientis. Tunc enim unusquisque ex omnibus, qui stipendia obtulerunt, recipit qualibet vice, qua Missa sic applicatur, totum fructum, cuius est capax[1].

Ponunt hic auctores quaestionem curiosam, num liceat applicare Missam ad intentionem B. M. V.? Si Beata Virgo revera intendat, ut Missa celebretur pro determinato fine, haec applicatio valet; secus non. In praxi est multo melius, ut sacerdos praeter hanc intentionem aliam magis determinatam adiciat.

2. Applicatio facienda est saltem *ante secundam consecrationem.* Ratio est, quia essentia Missae consistit in utraque consecratione, ut supra n. 229 dictum est. Ergo quamdiu utraque consecratio non est peracta, tamdiu potest fructus Missae applicari. Peracta vero secunda consecratione, etiam peracta est applicatio ac proinde iam amplius mutari nequit. Applicatio inter utramque consecrationem facta pro-

[1] Ita quoque Ballerini in not. ad Gury II 356.

babilius valida est, quia essentia sacrificii nondum est completa. In praxi autem consulitur, ut applicatio fiat *ante Missam.* Non tamen requiritur, ut fiat *immediate* ante Missam, sed potest etiam fieri aliquo tempore ante. Sic e. g. potest sacerdos ordinare Missas applicandas iam pro toto mense futuro.

248 **Scholion. De conflictu duarum intentionum in applicatione Missae.** Quid faciendum sit, si sacerdos immemor prioris intentionis secundam applicationem Missae intenderit, iam supra n. 66 dictum est in tractatu de intentione ministri sacramentorum. Regula generalis est: *Praevalet intentio fortior.* Sed quaenam intentio sit fortior, utrum prima an secunda, saepe est impossibile dignoscere. In praxi est melius et securius, ut sacerdos sibi semel pro semper statuat regulam, iuxta quam in similibus casibus intentio praevalens dignoscenda sit. Quodsi in casu particulari revera non constat, utra applicatio facta sit, nihil restat nisi ut alio die celebretur Missa iuxta illam intentionem, cui Deus scit nondum esse satisfactum.

§ 2.

De iis, pro quibus Missa applicari potest.

249 **Praenotamen.** Quidam theologi distinguunt triplicem Missae applicationem: *publicam,* si publice denuntiatur, pro quibus Missa applicetur; *semipublicam,* si sacerdos et offerens stipendia cognoscunt applicationem; *occultam,* si solus sacerdos cognoscit applicationem Missae.

Principium. a) *Ex iure divino Missa (seu potius fructus ministerialis) applicari potest illis omnibus, quibus prodesse valet;* b) *ex iure autem ecclesiastico applicatio Missae nonnullis limitationibus est affecta.*

Prima pars istius principii patet. Etenim Missa nihil aliud est nisi applicatio fructuum sacrificii crucis. Atqui Christus mortuus est pro omnibus et fructus sacrificii crucis obvenire possunt omnibus, qui sunt capaces gratiae. Ergo idem dicendum est de applicatione Missae. Hinc Missa nequit applicari damnatis in gehenna neque infantibus cum solo peccato originali mortuis. Ratio est, quia hi omnes sunt incapaces gratiae et gloriae. Ergo non licet stipendium accipere ad celebrandam Missam pro infante sine baptismate mortuo. — Quidam auctores[1] docent, Missam posse offerri non solum in honorem sanctorum, verum etiam *pro illis,* ut scil. cultus eorum in terris augeatur, et sic indirecte utilitas proveniat fidelibus in terris. Melius tamen et verius dicitur Missam non posse offerri pro sanctis, quia etiam eorum beatitudo accidentalis non videtur propter preces humanas mutabilis. Nihil autem obstat, quominus aliquis Missam offerat pro canonizatione obtinenda alicuius, qui iam sollemniter beatificatus est ab Ecclesia. Tali enim canonizatione non solum augetur gloria accidentalis ipsius beati, sed etiam devotio populi christiani fovetur. — Omnibus aliis hominibus sive vivis sive defunctis fructus Missae prodesse potest, ac proinde illis applicari valet, nisi Ecclesia id prohibuerit.

250 **Ius ecclesiasticum** iuxta vigentem disciplinam permittit, ut Missa applicetur pro *quibusvis* tum vivis tum etiam defunctis in purgatorio; pro ex-

[1] E. g. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 245.

communicatis autem non *nisi privatim ac remoto scandalo*. Pro excommunicato vitando non licet Missam applicare, nisi ad eius conversionem obtinendam [1]. Anteriora igitur statuta, si qua exsistebant, nunc revocata sunt.

CAPUT II.

De obligatione celebrandi Missam.

Obligatio Missae celebrandae oriri potest ex sextuplici titulo, scil. 1. ex ordine sacerdotali suscepto; 2. ex officio; 3. ex beneficio; 4. ex stipendio; 5. ex promissione; 6. ex oboedientia.

ARTICULUS I.

De obligatione ratione sacerdotii suscepti.

Principium. *Omnis sacerdos tenetur pluries per annum celebrare Missam, nisi legitime impeditur.* 251

Ita sententia hodie communis et certa [2]; discordant autem theologi, utrum haec obligatio sit pro quolibet sacerdote *gravis* et utrum oriatur ex iure divino an ex iure ecclesiastico.

a) De *exsistentia* huius obligationis hoc modo disserit S. Thomas [3]: «Quidam dixerunt, quod sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare et populo sacramenta praebere [4]. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum secundum illud: ‚Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.' [5] Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habet curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur, quod *celebrare teneatur in praecipuis festis.*»

b) De *gravitate* huius obligationis fere omnes, saltem moderni auctores, consentiunt, docentes quemlibet sacerdotem non legitime excusatum teneri *sub gravi* aliquoties ad celebrandam Missam. Agitur enim de re gravi. Quidam autem antiquiores theologi contrarium tenuerunt, praesertim Caietanus [6] et Lugo [7]. S. Alphonsus [8] docet sacerdotem quemlibet teneri sub gravi saltem *ter vel quater* in anno in festis sollemnioribus celebrare Missam, nisi sit legitime impeditus. Isti igitur sacerdotes, qui feruntur in eremo per longum tempus degisse, aut qui ex alia ratione per integrum annum, ut S. Ignatius Loyola, a sacro abstinuerunt, dicendi sunt hoc fecisse cum debita licentia ecclesiastica. — 252

---

[1] Cod. iur. can. c. 809 et 2262, § 2, n. 2.

[2] Cod. iur. can. c. 805 statuit: «Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum; curet autem episcopus vel superior religiosus, ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur.»

[3] S. theol. 3, q. 82, a. 10.

[4] Videtur esse sententia *S. Bonaventurae* in 4, dist. 12, P. 2, a. 2, q. 1, sed Seraphicus Doctor non ita clare loquitur in hoc loco, et alibi videtur prorsus contrarium innuere (De praep. ad Miss. c. 5).

[5] 2 Cor 6, 1. [6] Com. in S. theol. 3. q. 82, a. 10.

[7] De euch. disp. 20, n. 2. [8] Theol. mor. l. 6, n. 313.

Per accidens, e. g. propter scandalum inde oriens, vel per parvipensionem sacrificii, peccat absque omni dubio graviter sacerdos, qui per longum tempus non celebrat Missam.

253 c) De *fonte* huius gravis obligationis, utrum scil. illa oriatur ex iure divino an ex iure ecclesiastico, non constat. Salva fide catholica negari non potest Christum *universo sacerdotali ordini* praeceptum iniunxisse Missam celebrandi [1]. Quod quidem manifeste sequitur ex verbis Salvatoris: «Hoc facite in meam commemorationem»; sed est incertum, num hoc praeceptum divinum sub gravi obliget *singulos* sacerdotes. Negativa sententia, quam tenent Lugo [2], S. Bonaventura [3], Ballerini-Palmieri [4] aliique, videtur probabilis, quia Ecclesia potest permittere, ut sacerdos vel etiam episcopus ad communionem laicalem reducatur et iam numquam Missam celebret [5]. Sin autem quilibet sacerdos ex iure divino sub gravi obligaretur ad Missam celebrandam, tale indultum non ita facile explicaretur.

Hodie exsistit ubique terrarum consuetudo laudabilis, ut unusquisque sacerdos *quotidie* Missam celebret, nisi sit legitime impeditus. Quare scandalum vix evitare potest sacerdos, qui absque urgenti causa saepius Missam omittit. S. Bonaventura [6] concinne dicit: «Sacerdos, qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria; in purgatorio exsistentes refrigerio; Ecclesiam Christi speciali beneficio; et se ipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates.» Similia habentur in libro De imitatione Christi [7]: «Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adiuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit.»

ARTICULUS II.

De obligatione ratione officii.

254 **Principium.** *Omnes pastores animarum tenentur ex iure divino aliquoties, ex iure autem ecclesiastico certis diebus Missam pro subditis applicare.*

Explicatur: 1. **Quinam sint pastores animarum.** Pastores animarum censentur omnes illi, quibus ratione *officii* incumbit cura animarum, ut sunt Summus Pontifex, episcopi residentiales, abbates «nullius», superiores regulares et quicumque ab auctoritate competenti deputantur, ut vices episcopi vel parochi *ex officio* gerant, puta administrator dioecesis (non autem vicarius generalis) administrator paroeciae defuncto aut impedito parocho. — Cum *superiores regulares* sint veri pastores suorum subditorum idque perfectiore modo quam parochi, haud dubium videtur, quin ex iure divino teneantur ad applicandam Missam *aliquoties* pro subditis. Sed hodieque ius ecclesiasticum commune non determinavit dies, in quibus illi applicare Missam obligentur. *Episcopi titulares,* cum non habeant gregem sibi commissum, non quidem stricte tenentur ad applicationem, «sed tamen si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum

---

[1] Ita *Benedict. XIV,* De sacrif. Missae sect. 2, n. 3.
[2] De euch. disp. 20, n. 2. [3] In 4 dist. 12, part. 2, a. 2, q. 1.
[4] IV, n. 1005. [5] Cf. exemplum Talleyrand et Cod. iur. can. c. 211 sqq.
[6] De praep. ad Miss. c. 5. [7] Lib. 4, c. 5.

illarum condicionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur»[1]. Quod dictum est de episcopis titularibus, non valet de vicariis apostolicis et praefectis missionum, quippe qui sint veri Ordinarii. Isti igitur aliquando tenentur applicare Missam pro grege sibi commisso. — Num sic dicti *parochi castrenses* seu militum teneantur, dependet ex iure particulari. In Hispania clerus castrensis non tenetur[2]. — In Ecclesia orientali obligantur quidem pastores animarum ad applicandam Missam pro populo, sed non stricte tenentur ad dies in occidentali Ecclesia determinatos[3].

255 2. **Obligatio ex iure divino.** Ius divinum obligat omnes pastores animarum ad Missam aliquando pro commisso sibi grege dicendam et applicandam.

«Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*»[4] Quare Concilium Tridentinum[5] expressis verbis dicit: «Cum *praecepto divino* mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre....*» Immo vel ipsum *ius naturale* praecipit, ut pastor animarum vi contractus initi et officii suscepti salutem spiritualem ovium suarum pro viribus foveat atque procuret. Hoc autem videtur esse impossibile, nisi fideles identidem Missae sacrificio assistant et recipiant fructus eius non tantum generales sed etiam ministeriales. Ergo pastor animarum vel ex ipsa natura sui officii tenetur aliquoties dicere Missam pro grege sibi commisso. Licet autem ex iure divino obligentur pastores animarum ad applicandam Missam *aliquoties* pro suis fidelibus, tamen ex solo iure ecclesiastico statutum est, *quando* haec applicatio sit facienda, et sub *quibus* condicionibus haec obligatio incumbat.

256 3. **Obligatio ex iure ecclesiastico.** Ius ecclesiasticum particularia statuta edidit de pastoribus animarum, qui sunt: 1. episcopi residentiales et vicarii capitulares[6], 2. abbates «nullius»[7], 3. vicarii et praefecti apostolici[8], 4. parochi[9], 5. quasi-parochi[10].

Dies applicationis. a) *Dies, quibus episcopi residentiales, abbates «nullius», parochi debent Missam applicare pro populo,* sunt omnes dies dominicae et sequentes dies festi[11]: 1. Nativitatis Domini; 2. Circumcisionis; 3. Epiphaniae; 4. Resurrectionis Domini cum duobus diebus sequentibus; 5. Ascensionis; 6. Pentecostes cum duobus diebus sequentibus; 7. SS. Trinitatis; 8. Corporis Christi; 9. Inventionis Crucis; 10.—14. Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Immaculatae Conceptionis B. M. V.; 15. Dedicationis S. Michaelis; 16. Nativitatis S. Ioannis Baptistae; 17. SS. Petri et Pauli;

[1] Ita *Leo XIII,* Const. «In suprema» d. 10 Iunii 1882; cf. Cod. iur. can. c. 348, § 2.
[2] S. C. C. d. 22 Maii 1909 (Acta Ap. Sedis I 554).
[3] Cf. S. C. de Prop. Fide d. 23 Martii 1863 et 8 Nov. 1882.
[4] Hebr 5, 1. [5] Sess. 23, c. 1 de reform.
[6] Cod. iur. can. c. 339. Episcopi non tenentur ad applicandam Missam pro subditis post electionem aut confirmationem in consistorio, sed post adeptam possessionem. Vicarii capitulares sede vacante tenentur ad applicationem, sicut episcopi. Cod. iur. can. c. 440.
[7] Cod. iur. can. c. 323. [8] Ib. c. 306.
[9] Ib. c. 466, § 1. [10] Ib. et c. 306.
[11] Ita ex Urbani VIII Const. «Universa per orbem» d. 13 Sept. 1642; Clementis XI Const. «Commissis nobis» d. 6 Dec. 1708; Pii IX Const. «Amantissimi Redemptoris» d. 3 Maii 1858; S. C. C. d. 18 Dec. 1919 et 16 Mart. 1920 (Act. Ap. Sed. XII 42).

18. S. Andreae; 19. S. Iacobi; 20. S. Ioannis Evang.; 21. S. Thomae Ap.; 22. SS. Philippi et Iacobi; 23. S. Bartholomaei; 24. S. Matthaei; 25. SS. Simonis et Iudae; 26. S. Matthiae; 27. S. Stephani Protomart.; 28. SS. Innocentium; 29. S. Laurentii Mart.; 30. S. Sylvestri P.; 31. S. Ioseph; 32. S. Annae Matr. M.; 33. Omnium Sanctorum; 34. Patroni regni; 35. Patroni loci.

Cum multa istorum festorum hodie sint suppressa, si aliquod eorum (impeditum festo maioris ritus) transfertur in alium diem, tunc applicatio iam non obligat in die translationis [1]. Unde e. g. si festum S. Matthiae cadens in Dominicam I Quadragesimae transfertur in alium diem, parochus non tenetur applicare pro populo Missam hoc alio die. Si dies isti festi celebrantur die Dominica, tunc parochus una Missa potest satisfacere duplici obligationi, pariter si ista festa ex indulto Pontificio transferuntur in diem Dominicam, sicuti e. g. in Germania Nativitatis B. M. V. semper transfertur in Dominicam sequentem. Sin autem sola *sollemnitas* externa festi transfertur in Dominicam, non autem Officium festi, tunc applicatio fieri debet et die festo et Dominica. Pariter non cessat obligatio applicandi, quamvis sit suppressa sollemnitas istorum festorum quoad forum [2].

b) *Dies quibus vicarii et praefecti apostolici et quasi-parochi debent Missam applicare pro populo* sunt undecim, scil. festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Ioseph sponsi B. M. V., Petri et Pauli, omnium Sanctorum [3]. — Episcopus, qui praeest duabus dioecesibus, non tenetur duas Missas applicare [4] quia iam non exsistit consuetudo, ut episcopus celebret Missam omnibus diebus Dominicis et festivis *in ecclesia cathedrali praesenti populo;* solet enim Missam dicere in sacello suo privato. Sufficit igitur, ut talis episcopus applicet unam Missam pro utraque dioecesi. — Parochus, qui plures parochias administrat, item debet diebus praescriptis unam tantum Missam applicare [5]. Quare nunc revocata sunt omnia statuta contraria.

257 **Nota.** Quando pastores animarum Missam applicare debent pro subditis, *nullum prorsus possunt stipendium accipere, neque etiam pro altera Missa, quam ex facultate binandi forsan celebrant.* Ita ex iure communi [6]. Ex speciali autem indulto pontificio aliquando conceditur pro altera Missa acceptatio stipendii *in certas causas pias erogandi.*

258 4. **Qualitas obligationis.** Pastoris obligatio applicandi Missam est:

a) *Gravis.* Neque ab hac obligatione eximit consuetudo contraria vel infirmitas vel paupertas. Ita omnes [7].

b) *Personalis.* Pastor igitur animarum tenetur ipse Missam pro subditis applicare nisi adsit legitimum impedimentum, e. g. infirmitas, quo in casu debet applicare per alium sacerdotem [8]. Non tenetur autem cantare Missam, sed sufficit dicere Missam privatam. Quando parochus legitime abest a paroecia potest Missam applicare pro populo vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem, qui eius vicem gerit in paroecia [9]; sed nihilominus videtur praestare, ut per se

---

[1] S. C. C. d. 15 Dec. 1913 (Acta Ap. Sed. VI 9).
[2] S. C. C. d. 8 Aug. 1911 (Acta Ap. Sed. III 391).
[3] Cod. iur can. c. 306.
[4] Cf. Leonis XIII Const. «In suprema» d. 10 Iunii 1882.
[5] Cod. iur. can. c. 466, § 2.
[6] Ib. c. 824, § 2.
[7] Cf. Cod. iur. can. c. 339, § 1.
[8] Ib. § 4.
[9] Ib. c. 466, § 5.

ipsum et non per vices gerentem Missam applicet pro populo. Ratio est, quia sicut sacrificium crucis ab ipso Christo Pastore omnium peractum fuit, sic valde conveniens est, ut parochus vices gerens Christi pastoris applicet ipse fructus sacrificii subditis suis.

c) *Localis.* Valde conveniens est, ut Missa pro populo dicatur in ecclesia paroeciali vel in alio loco, ubi fideles assistere possunt[1]. Ratio patet.

d) *Adimplenda statutis diebus,* scil. iis, qui supra n. 256 indicati sunt. Si adsit legitima causa, e. g. si Missa exsequialis aut Missa pro sponsis dicenda est, Ordinarius loci permittere potest, ut parochus Missam pro populo applicet alia die ab ea, qua iure adstringitur[2].

ARTICULUS III.

De obligatione ratione beneficii.

Notiones. *Beneficium* (*seu capellania,* de qua hic est sermo), 259
est pia fundatio rite facta et a legitimo superiore ecclesiastico acceptata cum onere perpetuo Missas dicendi vel in determinata ecclesia aut altari vel die aut hora etc. Haec obligatio interdum breviter vocatur «*perpetua onera Missarum*». Sacerdos qui recipit reditus fundationis, vocatur beneficiarius. Quamquam sic dictae Missae fundatae iuxta modernam disciplinam non possunt proprie vocari beneficia, tamen regulae afferendae etiam de illis valent.

Regula 1. Omnes clausulae in fundatione pia appositae et a 260
legitima auctoritate ecclesiastica acceptatae debent rite applicari et fideliter observari.

Ratio patet. Etenim pia fundatio beneficii est contractus bilateralis, quo fundator dat quaedam bona temporalia, ecclesiastica auctoritas autem legitima promittit ex reditibus istorum bonorum instituere beneficiarium, qui iuxta intentionem fundatoris Missas celebrare debet. Clausulas fundationi appositas rite interpretari oportet, ac proinde regulae de interpretatione legum aut contractuum applicandae sunt. Peccat autem graviter beneficiarius, si saepius (quater vel quinquies in mense) sine causa vel dispensatione Missas fundatas non celebrat. Si in fundatione beneficii statuitur *quotidiana* Missa, videndum est, utrum haec obligatio sit annexa principaliter *loco,* e. g. altari vel sacello, an *personae* beneficiarii. Si obligatio principaliter annexa est *loco* (e. g. si fundator dixit: volo, ut quotidie in hoc sacello Missa dicatur), tunc revera omnibus anni diebus (exceptis tribus ultimis diebus Hebdomadae sanctae) Missa dicenda est; et si beneficiarius ipse nequit Missam dicere, curare debet, ut alius in illo loco Missam dicat. Sin vero obligatio principaliter annexa est *personae* beneficiarii, licet praesumere fundatorem voluisse contribuere in sustentationem pauperis sacerdotis. Tunc autem communiter docent canonistae, huiusmodi beneficiarium non teneri celebrare Missam omnibus prorsus diebus anni, sed ratione infirmitatis, religionis aliusve rationabilis impedimenti posse aliquando Missam omittere. Et primo quidem ratione *infirmitatis* potest omittere Missam, quin fructus beneficii restituere obligetur.

[1] Ib. § 4. [2] Ib. § 3.

Nam benignus herus non praesumitur velle facile detrahere de mercede famuli ob *brevem* eius infirmitatem. Secus autem est, si infirmitas *diu* perdurat; nam tunc fructus beneficii restituendi sunt, nisi tamen beneficiarius illis omnino indigeat ad suam sustentationem. Quaenam autem infirmitas diuturna dicenda sit, disputant auctores. Aliis videtur brevis infirmitas quindecim dierum; aliis, quae unum mensem, aliis demum, quae duos menses non excedit. Quas omnes opiniones S. Alphonsus [1] et Lugo [2] habent probabiles. — Ratione *religionis* potest beneficiarius aliquoties Missam omittere, i. e. semel in hebdomada aut in mense. Ideo e. g. propter humilitatem, propter meliorem praeparationem ad tremendum sacrificium, propter spiritualia exercitia peragenda Missa licite omittitur. — Demum ratione alterius legitimi *impedimenti,* e. g. propter iter necessarium peragendum, beneficiarius potest licite a Missa dicenda abstinere. — Insuper concedunt auctores, ut beneficiarius quinquies aut sexies in anno Missam applicet pro se vel pro suis. *Non licet autem tunc stipendium sumere,* quia beneficiarius iam ex fundatione aliud stipendium habet.

261 **Regula 2.** Quamquam Ordinarius (episcopus dioecesanus aut superior religiosus maior) in rebus levioris momenti condiciones fundationi adiectas interpretari aut etiam dispensare potest, tamen iuxta vigentem disciplinam recurrendum est ad S. Congr. Concilii, quotiescumque agitur de *reductione* aut de *condonatione* Missarum [3].

Itaque Benedictus XIV [4] dicit: «Episcopo nullam hodie relictam esse facultatem reducendi Missas, excepta tantum ea facti specie, qua testator ipse hanc facultatem tribuisse dignoscatur.» Immo proposita quaestione: «An episcopus possit onera Missarum *nondum acceptata* reducere absque beneplacito Sedis Apostolicae, sive huius S. Congregationis, quoties (ob tenuitatem legati) reductionem necessariam esse iudicaverit ex eo, quod locus pius legatum acceptare recuset, non diminuto onere?» respondit S. Congr. Concilii d. 20 Iunii 1682: «Negative.» — Quando bona in fundatione collata *totaliter* perierunt sine culpa beneficiarii, tunc obligatio Missas celebrandi cessat, quia beneficiarius ius habet ad stipendium conveniens pro Missis celebrandis. Sin autem ista bona solum *ex parte* perierunt vel eorum reditus valde diminuti sunt, tunc recurrendum est ad S. Congr. Concilii, si numerus Missarum determinatus erat a fundatore. A fortiori nemo nisi Summus Pontifex potest condonare Missas non dictas, si ex iustitia fuissent dicendae. Ratio est, quia fundator Missarum habet strictum ius ad fructus ministeriales Missarum dicendarum. Quando autem Summus Pontifex condonat Missas non dictas, tunc compensat fructus ministeriales Missarum ex thesauro Ecclesiae, in quo sunt merita Christi, quae proveniunt praesertim ex sacrificio crucis. Itaque ex tali condonatione nullum damnum obvenit fundatori, cum etiam fructus ministeriales Missae derivent ex sacrificio crucis.

ARTICULUS IV.

De obligatione ratione stipendii accepti.

262 1. **Origo stipendiorum.** Missarum stipendia originem ducunt ex oblationibus fidelium, quae in primaeva Ecclesia inter Missarum sollemnia

[1] Theol. mor. l. 6, n. 333. [2] De euchar. disp. 21, n. 49.

[3] Innocentii XII Const. «Nuper a Congregatione» d. 23 Dec. 1697; Cod. iur. can. c. 1517, § 2. [4] De syn. dioec. l. 13, c. ult., n. 19.

offerebantur. Ex istis oblationibus eligebantur ea, quae necessaria erant ad consecrationem et ad communionem fidelium; reliqua autem distribuebantur inter clerum et pauperes. Paulatim huiusmodi oblationes panis et vini cessabant et eorum loco fideles offerebant denarios, praesertim in iis regionibus, ubi vinum et frumentum non ita facile haberi poterant. Primitus denarii offerebantur in ipsa Missa, sicuti adhuc nostris diebus tales oblationes denariorum aliquando habentur durante Missa. Inde a saeculo VIII videtur esse usus sat generalis introductus offerendi denarios *extra* Missam cum ea intentione, ut pro offerentibus fructus ministerialis Missae applicandus esset. Ex quibus omnibus apparet stipendia Missarum non esse mercedem pro Missa, sed potius oblationes pro sustentatione clericorum [1].

2. **Liceitas stipendii.** Sacerdoti licitum est pro applicatione 263
fructus ministerialis accipere iustum stipendium, non quidem tamquam pretium sacrificii — hoc enim esset simonia — sed tamquam adminiculum honestae sustentationis. Qui enim altari serviunt, de altari et vivere possunt [2]. Etiam illi sacerdotes, qui aliunde habent reditus sufficientes, nihilominus Missarum stipendia accipere possunt. Sicut enim beneficiarius non tenetur vivere ex bonis propriis et privatis, sed uti potest reditibus beneficialibus, ita sacerdos sacrificans pro aliis potest ab iis acceptare stipendia Missarum. Sacerdos, qui Missam celebrat *unice* propter stipendium, alias non celebraturus, non quidem directam simoniam committit, cum non praecise intendat vendere Missam, inordinate tamen agit et ut plurimum venialiter peccat. Si tamen pecuniam acceptam impendit in bonos aut pios usus, non videtur hac intentione ductus peccare [3].

Graviter prohibet Ecclesia, ne sacerdos accipiat plura stipendia pro eadem Missa [4], idque nec etiam si applicat fructum cum ministerialem tum specialissimum seu personalem [5].

3. **Obligatio ex stipendio accepto.** *Ex stipendio accepto* 264
oritur gravis obligatio iustitiae dicendi Missam idque cum iis condicionibus, quae a dante stipendium impositae et libere a sacerdote acceptatae sunt. Ratio est, quia inter oblatorem stipendii et sacerdotem initus est contractus legitimus (do ut facias), qui parit obligationem iustitiae pro utroque contrahente, ut scil. oblator pecuniam suam relinquat in libera dispositione sacerdotis, et sacerdos perficiat ea quae oblator exegit. Hinc sacerdos, qui accepto stipendio non applicat Missam iuxta intentionem oblatoris, graviter laedit iustitiam et ad restitutionem tenetur. Ita sententia communissima et certa.

Quamvis quidam theologi ut Billuart, Sporer, Elbel [6] opinati sint sacerdotem non graviter peccare ex omissione Missae, si stipendium oblatum est

[1] Cf. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 5, c. 8, et praesertim Inst. eccl. LVI.

[2] Cf. 1 Cor 9, 13; *S. Thomas,* S. theol. 2, 2, q. 100, a. 2 ad 2. — Quare Pius VI damnavit tamquam temerariam et in Ecclesiam eiusque ministros iniuriosam Synodi Pistoriensis propositionem (54) asserentem esse turpem abusum recipere eleemosynam pro celebrandis Missis (*Denz.* n. 1554).

[3] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 3, n. 55, q. 5 et l. 6, n. 317.

[4] Cf. Prop. damn. 10 ab Alexandro VII. [5] Cf. supra n. 240.

[6] Apud *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 317, Quaer. 3.

tantum *materia levis,* tamen certum fere est, sacerdotem, licet stipendium acceptum sit tenue, graviter peccare, si omittat Missam. Ratio est duplex: 1. quia oblator iniuste privatur magno bono spirituali, quale est fructus ministerialis Missae; 2. quia sacerdos transgreditur gravissimum praeceptum Ecclesiae.

Alia est quaestio, num in hoc casu sacerdos non solum graviter peccet, sed etiam ad restitutionem obligetur. «Ad *restitutionem stipendii* sub gravi non tenetur sacerdos, qui obligationi suae non satisfecit, nisi stipendium summam relative gravem constituat.» Ita Noldin[1] aliique. Haec tamen sententia vix probabilis videtur. Nam omnes fere docent omissionem unius Missae, pro qua stipendium acceptum est, esse peccatum mortale contra iustitiam commutativam. Atqui quaevis laesio iustitiae commutativae coniuncta cum gravi peccato inducit etiam gravem obligationem restitutionis. Unde e. g. sacerdos, qui furto auferret homini satis diviti 3 francos, non teneretur sub gravi ad restitutionem, cum ablata res sit materia levis. Sin autem idem sacerdos reciperet ab eodem homine stipendium Missae 3 francorum hancque non persolveret, peccaret graviter et ad restitutionem sub gravi teneretur. Ratio est, quia in casu furti *sola lex naturalis* obligat ad restitutionem; in casu autem Missae non dictae pro stipendio accepto accedit ad legem naturalem *gravis obligatio legis ecclesiasticae* praecipientis restitutionem.

265 Contractus, qui inter collatorem stipendii et sacerdotem celebrantem initur, non est contractus *venditionis et emptionis,* quia secus haberetur simonia, ut iam dictum est. Verius iste contractus reducitur ad contractum innominatum: *Do ut facias.* Inito hoc contractu stipendium *statim* in dominium sacerdotis transit, ac proinde si perit culpabiliter aut inculpabiliter, sacerdoti perit, qui nihilominus Missam promissam dicere debet. Ita saltem, si agitur de stipendio *Missarum manualium*[2]; sin autem bona data pro *Missis fundatis* perierunt, iam non videtur adesse obligatio dicendi Missas fundatas. In praxi casus deferendus est ad episcopum aut ad S. Congregationem Concilii, quae sola potest onera Missarum reducere. — Licet autem stipendium acceptum statim transeat in dominium sacerdotis, tamen consultius est pecuniam non elargiri, antequam Missa est dicta.

4. **Obligatio circumstantiarum.** Obligatio ex stipendio orta non tantum se extendit ad ipsam Missam dicendam, sed etiam ad omnes circumstantias tacite aut expresse stipulatas. Huiusmodi circumstantiae sunt: loci, temporis, altaris privilegiati, Missae votivae, Missarum S. Gregorii.

266 a) *Loci et temporis circumstantia.* Si constat oblatorem aut fundatorem stipendii graviter intendisse locum et tempus, e. g. Missam dicendam in altari, ubi asservatur imago miraculosa, aut in tali festo, tunc sacerdos tenetur hanc circumstantiam sub gravi observare. Sin

[1] De sacr. n. 184.

[2] Nonnulli auctores, ut *Gasparri* (De euchar. n. 588), *Génicot* (Theol. mor. II, n. 230). putant sed non probant sacerdotem non obligari ad dicendas Missas manuales, quarum stipendium sine culpa illius, e. g. furto, periit. Contrarium statuit Codex iur. can. c. 829: «Licet sine culpa illius, qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat.»

autem oblatoris aut fundatoris intentio non fuit ita gravis circa has circumstantias, levior est obligatio sacerdotis.

Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripsit, tunc distinctione opus est: *α*) Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili celebrandae sunt, e. g. Missae pro valetudine recuperanda, pro felici partu etc. *β*) In aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero [1].

Quodsi oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquit, sacerdos poterit tempore, quo sibi magis placuerit, eas celebrare, ita tamen, ut nemini liceat tot Missarum onera per se celebrandarum recipere, quibus intra annum satisfacere nequeat [2]. Quae igitur hac de re statuta fuerant a Decreto «Ut debita» d. 11 Maii 1904, iam amplius non habent nisi valorem directivum. Fuit autem statutum, ut utile tempus ad celebrandam unam Missam acceptam sit unus mensis, ad celebrandas autem centum Missas semestre vel aliud longius vel brevius temporis spatium iuxta maiorem vel minorem numerum Missarum. Si statuitur in c. 835, ut nemo possit licite accipere tot Missas, quas ipse non poterit dicere intra annum, hoc videtur esse intelligendum, nisi oblator *expresse* consentiat in dilationem ultra annum. Non enim apparet ratio, cur oblator nequeat committere Missas dicendas ultra anni spatium. Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit *a die, quo sacerdos celebraturus easdem receperit,* nisi aliud constat [3].

Omnes (sive clerici sive laici), qui ad Missarum onera implenda obligati sunt, debent in fine anni propriis Ordinariis tradere Missas, quibus nondum satisfecerunt, nisi tamen numerus Missarum relictarum sit parvus aut intentio offerentium permittat ulteriorem retentionem [4]. Dico: omnes, sive clerici sive laici. Laici enim sunt aliquando administratores causarum piarum vel debent vi testamenti aut legati curare, ut certus numerus Missarum dicatur. In istis similibusve casibus laici tenentur curare, ut intra annum Missae praescriptae dicantur. Annus autem dupliciter computari debet: Pro *Missis quasi-manualibus* obligatio tradendi eas Ordinario incipit a die 31 Dec. istius anni, quo Missa dicenda fuisset. E. g. Missa fundata dicenda est d. 30 Maii; quae, si non persoluta est d. 31 Dec. eiusdem anni, tradi debet Ordinario loci. Si agitur de *Missis manualibus,* obligatio tradendi eas Ordinario oritur 365—366 dies post acceptum stipendium [5].

b) *Altaris privilegiati circumstantia.* Si offerens expresse postulavit, 267
ut Missa in altari privilegiato diceretur, haec condicio est implenda. Quid sit altare privilegiatum locale, personale, mixtum, dicetur infra n. 564.

---

[1] Cod. iur. can. c. 834. [2] Ib. c. 835. [3] Ib. c. 837.

[4] Ita cit. Decr. n. 4. Proprii Ordinarii Religiosorum exemptorum sunt eorum superiores maiores. [5] Cod. iur. can. c. 841, § 2.

Breviter haec sint dicta: Missa in altari privilegiato celebrata annexam habet indulgentiam plenariam lucrandam ab illo, pro quo Missa offertur Applicatio Missae et applicatio indulgentiae non possunt ita separari, ut pro uno dicatur Missa et pro altero applicetur indulgentia [1]. Altare est privilegiatum pro *uno* defuncto (non pro multis insimul). Raro conceditur altare privilegiatum cum pro vivis tum pro defunctis. Missa in altari privilegiato oblata pro defuncto iam non debet (licet sit conveniens) esse «de Requiem», sicut antea erat praescriptum [2]. Altare privilegiatum *locale* designatur in quibusdam ecclesiis quoddam altare fixum (non autem portatile). Altare privilegiatum *personale* est indultum pontificium quibusdam sacerdotibus concessum in quolibet altari aliquoties celebrandi Missam, quacum coniuncta est indulgentia plenaria. Si sacerdos obligatus ad celebrandum in altari privilegiato *bona fide* hoc omiserit ex oblivione, nequit illud compensare per applicationem alius indulgentiae plenariae [3].

268 c) *Missae votivae determinatae circumstantia.* Haec circumstantia videtur tantum sub levi obligare, nisi certo constet oblatorem stipendii vehementer intendisse specialem Missam votivam. Unde e. g. sacerdos, qui loco Missae votivae B. M. V. dixit Missam diei, videtur obligationi substantiali satisfecisse. Pariter theologi communiter docent, per Missam de Requiem satisfieri obligationi celebrandi pro vivis, atque obligationi celebrandi pro defunctis per Missam de sancto. Non convenit autem, ut Missa de Requiem applicetur pro vivis, nisi sit causa iusta, e. g. quia non praesto sunt nisi paramenta nigra.

269 d) *Missarum Gregorianarum circumstantia.* Haec circumstantia satis graviter obligat et in eo consistit, ut pro uno defuncto [4] 30 diebus consecutivis 30 Missae dicantur sive ab uno sive a pluribus sacerdotibus. Cum istis Missis Gregorianis hodiedum nulla indulgentia plenaria coniuncta est, sed *pie creditur* istis Missis animam defuncti specialiter iuvari [5]. A feria V in Coena Domini usque ad Pascha exclusive numerus istarum Missarum licite interrumpi potest [6]. Si sacerdos *inculpabiliter* omiserit uno die huiusmodi Missam, non videtur esse obligatus iterum incipere totum numerum, sed sufficit simpliciter numerum trigesimum *complere,* quia istud onus esset nimis durum, neque constat animam defuncti ex hac omissione notabile damnum habuisse, praesertim si sacerdos Missam in altari privilegiato celebrat [7].

270 5. **Quantitas stipendii** non ea requiritur, quae integram sustentationem suppeditat sacerdoti eo die, quo celebrat; actio enim sacrificandi non requirit integram diem, et sacerdos ante susceptum sub-

[1] S. C. Indulg. 23 Ian. 1901. Cf. Anal. eccl. 1895, p. 83 sqq.

[2] S. Off. d. 20 Febr. 1913 (Acta Ap. Sed. V 122).

[3] Cf. infra in tractatu de indulgentiis n. 565.

[4] Non licet applicare istas Missas neque pro pluribus defunctis neque pro vivis (S. C. Indulg. d. 24 Aug. 1888).

[5] S. C. Indulg. d. 15 Martii 1884 et 24 Aug. 1888.

[6] *Benedict. XIV,* Inst. eccl. 34, n. 22.

[7] Sane securius est, ut per se patet, in isto casu iterum incipere tricenarium numerum vel petere condonationem a S. Sede. Cf. *Larraga-Sanchez,* Prontuario [3] n. 1273; Monitore eccl. XIII, 40; *Marc,* Inst. Alphons. [15] II, n. 1622.

diaconatum debuit sibi procurare alium titulum sustentationis. Habito respectu ad locorum et temporum circumstantias, stipendium mensurandum est iuxta legem ab episcopo statutam aut a legitima consuetudine introductam; vel aliis verbis: *Taxa dioecesana observanda est ab omnibus.* Etiam religiosi exempti hac in re sunt subiecti legi dioecesanae[1], ideoque non possunt (saltem a dioecesanis) nec maius stipendium exigere nec ordinarie pro minore stipendio Missas manuales acceptare, saltem si Ordinarius loci id prohibuerit[2]. Pro *fundationibus* autem Missarum religiosi exempti non tenentur ad taxam dioecesanam[3]. Nihil obstat, quominus quilibet sacerdos acceptet stipendium maius, quod *sponte* a fidelibus offertur[4]. Sin autem ultra eleemosynam ab episcopo taxatam sacerdos celebraturus plus *exigat,* non solum delinquit contra legem Ecclesiae, verum etiam iustitiam commutativam laedit[5], sed peccatum simoniae probabiliter non committit[6]. Licet autem exigere maius stipendium propter specialia onera temporalia cum Missa coniuncta. Tunc enim materiali pretio aestimatur non ipsa Missa, sed aliquid accidentale temporale. Sic e. g. licet plus exigere pro Missa cantata, pro Missa dicenda hora tarda vel in loco dissito. Non autem licet plus exigere pro Missa dicenda in altari privilegiato aut ante imaginem miraculosam, quia tunc simonia committeretur vendendo favorem spiritualem pro pretio temporali. — Si quis testamento vel legato Missas celebrandas commiserit neque quantitatem stipendii determinaverit, vel a) recurrendum est ad episcopum, ut congruum stipendium praescribat, vel b) stipendium taxandum est iuxta consuetudinem loci, in quo oblator morabatur[7], aut legitime praesumptam voluntatem testatoris. — Per se patet, sacerdotem posse aliquibus saltem vicibus ex caritate celebrare Missam vel sine stipendio vel cum stipendio diminuto. Debet tamen praecavere, ne ex hoc modo agendi aliis sacerdotibus praeiudicium generetur.

6. **Missae superfluae aliis tradendae.** S. Congr. Concilii his ultimis 271
annis multa statuta edidit, quomodo sacerdos posset Missarum stipendia accepta aliis tradere. Principaliora statuta sunt haec:

a) Distinguuntur Missae fundatae, ad instar manualium, et manuales[8]. *Missae fundatae* illae vocantur, quae perpetuis temporibus celebrandae sunt in aliqua determinata ecclesia aut in determinato altari, e. g. nonnullae capellaniae. De illis hic iam non agimus, cum condiciones appositae a testatore sint sedulo observandae, nec quis in illis dispensare possit nisi Summus Pontifex. — *Missae ad instar manualium* illae dicuntur, quae quidem in aliqua ecclesia sunt fundatae aut alicui beneficio annexae, sed licite possunt tradi aliis sacerdotibus alibi dicendae. — *Missae manuales* illae dicuntur, quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant. Parum refert, utrum stipendia data sint de manu ad manum an ex dispositione testamenti provenerint, dummodo tamen pecunia tradita ne constituat perpetuam funda-

---

[1] Cod. iur. can. c. 831, § 3. [2] S. C. C. d. 8 Maii 1905.
[3] Cod. iur. can. c. 1550. [4] Ib. c. 832.
[5] S. C. C. d. 16 Ian. 1649, 2 Mart. 1861.
[6] Cf. supra II, n. 563. [7] Cod. iur. can. c. 830. [8] Ib. c. 826.

tionem in determinato loco omnino persolvendam. Pariter inter manuales Missas accensentur illae, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt constitutae. Quibus Missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus arbitrio familiae satisfieri potest [1].

b) «Nemini licet plures Missas assumere, quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat, salva tamen semper offerentium voluntate», qui possunt aut longius tempus concedere aut brevius tempus determinatum exigere [2]. In fine autem anni Missae superfluae tradendae sunt Ordinario. Cf. quae supra dicta sunt de hac re, et praesertim modum, quo computetur annus aut tempus, intra quod sacerdos huiusmodi Missas superfluas receptas persolvere debeat.

272 c) Sacerdos habens Missas superfluas potest illas transmittere α) ad Ordinarium vel ad S. Sedem, et tunc ipsa traditione ab omni obligatione liberatur coram Deo et Ecclesia [3]; β) ad alios sacerdotes, dummodo sibi constet eos esse vere dignos vel testimonio proprii Ordinarii commendatos [4]. In hoc tamen casu primus sacerdos non liberatur ab obligatione suscepta, usque dum ab altero obtinuerit testimonium acceptatae obligationis et recepti stipendii [5].

Qui vult mittere stipendia ad sacerdotes *ritus orientalis*, hoc facere debuit per Congregationem de Prop. Fide vel ad delegatos apostolicos pro sacerdotibus sui districtus [6]. Nihilominus licet stipendia mittere in Orientem ad sacerdotes *latini ritus*, cum iisdem clausulis, quae observandae sunt in transmissione ad alium sacerdotem in Occidente. Unde possunt directe mitti stipendia ad delegatos, vicarios et praefectos apostolicos; pariter sacerdotes religiosi possunt mittere stipendia ad confratres suos in Oriente viventes; sin autem velint illa mittere ad religiosos alterius instituti regularis, tutius est ea tradere superiori generali eiusdem instituti in Occidente commoranti.

Cum in Codice iur. can. nihil speciale statutum sit de transmissione stipendiorum ad orientales, decisiones modo indicatae non amplius videntur habere valorem praeceptivum, sed dumtaxat directivum.

273 d) Prohibitum est ope Missarum emere aut vendere libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res, quoties id in habitudinem cedit et in subsidium alicuius commercii vergit [7]. Tamen toleratur consuetudo exsistens in compluribus locis, quod sacerdotes cooperatores dicant Missas et recipiant pro illis victum a parocho [8].

Experientia constat, huiusmodi traditionibus et acceptationibus aliquod saltem palliatum commercium satis inconveniens exerceri. Qui autem secus fecerit, aut aliquid illicite retinuerit ex stipendiis transmissis, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione [9]. Suppressae sunt excommunicationes latae sententiae antiquitus exsistentes in hac materia.

---

[1] Cod. iur. can. c. 826. [2] Decr. «Ut debita» d. 11 Maii, n. 3 et 4.

[3] Ib. n. 6.

[4] Ita Cod. iur. can: c. 838, qui igitur mitigavit aliqualiter Decretum «Ut debita». Episcopus nequit prohibere, ne sacerdos mittat stipendia Missarum *manualium* extra dioecesim: aliud est de Missis fundatis vel ad instar manualium. S. C. C. d. 19 Febr. 1921 (Act. Ap. Sedis XII 230).

[5] Cod. iur. can. c. 839. [6] S. C. C. d. 22 Maii et 9 Sept. 1907.

[7] Decr. «Ut debita» n. 10. [8] S. C. C. d. 27 Febr. 1905.

[9] Cod. iur. can. c. 2324.

e) Prorsus prohibitum est retinere aliquam partem stipendii et tra- 274
dere alteri sacerdoti Missam dicendam cum diminuto stipendio.

Quare Alexander VII damnavit propositionem (9): «Post Decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.»[1] S. Sedes aliquando permittit, ut pars modica stipendii retineatur in pias causas eroganda[2]. Notandum autem est omnia indulta ante annum 1904 hac in re concessa esse revocata[3]. Quidam auctores[4] putant peccare quidem graviter sed probabiliter non laedere *iustitiam* ac proinde non teneri ad restitutionem illum sacerdotem, qui retinet partem stipendii, dummodo tamen curet determinatum numerum Missarum celebrari. Quae quidem sententia nobis videtur improbabilis. Etenim si ea esset vera, tunc sacerdos, qui retinet e. g. ex 1000 stipendiis satis pinguibus 1000 francos, facit autem illas Missas alibi persolvi, ad nihil teneretur ex iustitia. Quod videtur valde incongruum. Ratio autem laesae iustitiae haec videtur esse: Stipendium non est pretium pro Missa, sed est oblatio ab Ecclesia concessa et ab offerente data illi, qui Missam dicturus est. Licet igitur primus sacerdos recipiens stipendia statim fiat dominus eorum, tamen non est dominus *absolutus,* sed tunc solummodo, quando implet praecepta hac de re ab Ecclesia lata. Quodsi haec praecepta graviter laedit, perdit dominium et ad restitutionem tenetur. Porro Ecclesia graviter praecepit, ne pars stipendii indebite retineatur. Obligationem restitutionis in hoc casu communissime auctores tuentur[5], saltem illi, qui scripserunt post propositionem damnatam ab Alexandro VII.

Licet retinere partem stipendii in sequentibus casibus: 275

α) Ex indulto pontificio post annum 1904 concesso[6].

β) Si donator consentit.

Patet. Non solum consensus explicitus, sed etiam implicitus aliquando sufficit. Sic si donator ratione amicitiae, gratitudinis etc. dederit intuitu personae recipientis stipendium notabiliter maius, quam dari solet, censetur implicite consentire, ut accipiens partem excedentem retineat[7]. Itaque e. g. si in tali loco quantitas ordinarii stipendii sunt 2 franci et donator dedit 20 francos, sacerdos tradens hanc Missam alteri sacerdoti non tenetur dare 20, sed 2 francos. Si tamen excessus est mediocris, consensus implicitus donatoris non constat neque praesumendus est.

γ) Si agitur de stipendiis non stricte manualibus, sed ad instar manualium.

Tunc enim sufficit tradere stipendium iuxta taxam dioecesanam loci, in quo Missa celebratur[8], dummodo istae Missae sint annexae *alicui beneficio* vel ex intentione fundatoris constituant partem congruae sustentationis parochi. «Attento quod eleemosynae Missarum quorundam legatorum pro parte locum tenerent «Congruae parochialis», Emi Patres censuerunt licitum

---

[1] *Denz.* n. 1109.

[2] Cf. S. C. C. d. 27 Febr. 1905, responsum ad societatem SS. Salvatoris.

[3] Decr. «Ut debita» n. 9.

[4] E. g. *Noldin,* De sacr. n. 191; *Génicot,* Theol. mor. II 231; *D'Annibale,* Summula Theol. mor. III 190, n. 17; *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. IV, n. 1017.

[5] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 322. [6] Cf. supra n. praec.

[7] Cf. S. C. C. d. 25 Iulii 1874; Cod. iur. can. c. 840, § 1.

[8] Cod. iur. can. c. 840, § 2.

esse parochō, si per se satisfacere non possit, eas Missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro Missis lectis sive cantatis. . . . In legatis Missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redituum portionem, quae in limine fundationis vel alio legitimo modo ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali praestando pro legati adimplemento.»[1]

δ) Si recipiens non rogatus consensit.

Declarat enim Benedictus XIV[2]: «A quolibet sacerdote, stipendio maioris pretii pro celebratione Missae accepto, non posse alteri sacerdoti stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti celebranti et consentienti se maioris pretii eleemosynam accepisse indicasset.» Unde non sufficit, ut sacerdos celebrans Missam consentiat quocumque modo in diminutionem stipendii oblati — quia potest consentire propter moralem necessitatem — sed requiritur, ut prorsus libere et non rogatus consentiat.

ε) Si ecclesia aliqua est pauper nec habet sufficientes reditus.

Tunc enim illa potest ex stipendiis ab ipsa oblatis *sacerdotibus celebrantibus in hac ecclesia* talem partem subtrahere, quae sufficit pro expensis uniuscuiusque Missae necessariis, e. g. in vino, cereis, usu paramentorum etc. Ita Innocentius XII[3].

In causa Tarraconensi ad quinquennium concessit S. Congr. Concilii, ut ille, qui ex officio in ista dioecesi distribuit Missas, 3% sibi retineat pro honorario.

276 *7.* **Tabella et liber Missarum.** Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum (sive saecularium sive religiosorum), in quibus eleemosynae Missarum recipi solent, peculiarem habeant librum, in quo accurate notent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem. Ordinarii (episcopi vel superiores religiosi) tenentur singulis saltem annis huiusmodi libros per se ipsi vel per alios recognoscere. Etiam quilibet *sacerdos privatus* habeat librum specialem, in quo conscribat omnes Missas persolvendas et persolutas cum stipendio accepto[4]. Tabella Missarum fundatarum debet in sacristia publice exponi.

277 **Scholion 1. De permutatione Missarum.** Probabiliter ab omni peccato immunis est sacerdos, qui accepto pinguiore stipendio pro celebranda Missa determinato die (cum hoc die ille nequeat persolvere hanc Missam) interdum rogat alium sacerdotem, ut pro se celebret, simul promittens se alio die celebraturum esse iuxta intentionem illius sacerdotis. Ita recte Billuart[5], Génicot[6], Noldin[7] aliique. Quare non apparet turpis lucri species, ob quam Alphonsus[8] hunc agendi modum peccati venialis damnet. Etenim hic non habetur permutatio stipendiorum, sed Missarum, et est idem, ac si quis dicat alteri: Ego dicam pro te Missam crastina die, si tu hodie pro me Missam dices.

---

[1] Ita habetur in Decreto «Ut debita» n. 15. Cf. tamen Responsum S. C. C. ad episc. Bredan. d. 27 Febr. 1905.

[2] Const. «Quanta cura» d. 30 Iunii 1741.

[3] Const. «Nuper» d. 23 Dec. 1697. [4] Cod. iur. can. c. 843 et 844.

[5] De euchar. diss. 8, a. 6. [6] Theol. mor. II 231, IX.

[7] De sacr. n. 191. [8] Theol. mor. l. 6, n. 322, dub. 4.

Scholion 2. De Missa neo-sacerdotis. Neo-sacerdotes celebrantes cum 278
episcopo Missam illam quidem applicare possunt et debent, sed num pro illa (sine expresso consensu offerentis) stipendium accipere valeant, non ita constat. Cum consuetudo sit contraria, negativa sententia melior est in praxi, quamvis affirmativa sententia sit theoretice verior. Econtra licet stipendium accipere pro tribus Missis, quae ab episcopo imponuntur neo-sacerdotibus [1].

ARTICULUS V.

De obligatione ratione promissionis.

1. Qui *onerosam* promissionem cum animo se obligandi dedit Mis- 279
sam applicandi, tenetur sub gravi satisfacere huic obligationi. E. g. sacerdos, qui acceptis beneficiis in gratiarum actionem et remunerationem promisit Missam benefactori recipienti hanc promissionem, tenetur Missam dicere.

2. Qui *liberalem* dedit promissionem dicendi Missam, tenetur quidem ex fidelitate, sed *sub levi tantum*, atque per unam Missam pluribus promissionibus satisfacere potest, cum fructus Missae sit iuxta solide probabilem sententiam [2] infiniti valoris. Hinc qui liberaliter promisit Petro Missam pro defunctis, Paulo iuxta eius intentionem et Andreae etiam ad eius intentionem, uno sacrificio Missae satisfacere omnibus his promissionibus potest. Ita sententia communis [3].

ARTICULUS VI.

De obligatione ratione oboedientiae.

Praelati cum saeculares tum regulares possunt iusta exsistente causa 280
suis subditis praecipere applicationem Missae. Ita sententia longe probabilior, quae confirmatur fere universali praxi [4]. Licet enim applicatio Missae sit *actus internus*, ac proinde iuxta aliquos non cadat sub lege ecclesiastica, tamen sacerdotes libere suscipiendo quaedam officia aut emittendo vota religiosa se obligaverunt ad omnia ea, quae cum talibus officiis aut cum votis coniuncta sunt. Porro etiam applicatio Missae aliquando coniuncta est cum officio suscepto vel cum statu religioso. Proinde nemo negat parochum teneri sub gravi non tantum Missam celebrare, sed etiam aliquando applicare pro populo. Idem valet de Missa conventuali capitulorum applicanda pro benefactoribus. Superior religiosus potest subditis praecipere, ut Missam applicent vel pro stipendio accepto vel ex mera oboedientia. Quando Superior acceptavit stipendium, censetur *sub gravi* praecipere applicationem, quia orta est etiam ipsi gravis obligatio iustitiae. Quando autem ex alio motivo praecepit,

[1] Cf. *Bened. XIV*, De sacrif. Miss. l. 3, c. 16, n. 10; *S. Alph.* l. c. n. 829.

[2] Cf. supra n. 237. [3] Cf. *Noldin*, De sacr. n. 197.

[4] Huc spectat responsio S. Congr. de Religiosis d. 3 Maii 1914 (Acta Ap. Sedis VI 231): «An superiores religiosi praecipere possint subditis suis etiam in virtute s. oboedientiae, ut ipsi celebrent secundum intentionem a Constitutionibus praescriptam, vel ab ipsis superioribus statutam, salvis exceptionibus a Constitutionibus vel a legitima consuetudine sanctis? — Affirmative.»

adest quidem obligatio oboediendi, sed inoboedientia communiter non esset peccatum mortale. In praxi attendendae sunt uniuscuiusque instituti religiosi leges, quae communiter non obligant sub peccato. Sacerdos religiosus contra grave praeceptum superioris aliter Missam applicans *valide, sed illicite* applicat. Validitas enim applicationis unice dependet a sacerdote celebrante, cum sit coniuncta cum ipso ordine sacerdotali, ut supra n. 243 dictum est. — Num valeat episcopus praecipere sacerdoti saeculari *privato,* qui nullum officium ecclesiasticum habet, ut applicet Missam pro determinato fine, non constat. Applicatio enim Missae est actus mere internus et non est titulus evidens, vi cuius episcopus hunc actum praecipere possit.

CAPUT III.

De requisitis liturgicis ad celebrandum.

Praenotamen. Cum iam supra n. 191 sqq. sufficienter dictum sit de iis, quae ex iure *divino* requiruntur ad validam et licitam Missae celebrationem, ut sunt ordo sacerdotalis, status gratiae, attentio, intentio etc., restat, ut pauca dicantur de requisitis ex iure *ecclesiastico* liturgico, et quidem non prout ista praescripta sunt *physice* implenda (cum hoc ad liturgiam pertineat), sed prout transgressio eorum constituit peccatum plus minusve grave. Ex iure autem ecclesiastico quattuor requiruntur ad Missam licite celebrandam, scil. 1. legitimum tempus; 2. locus decens; 3. sacra utensilia; 4. ritus observandi. De ieiunio eucharistico iam supra n. 198 sqq. satis dictum est.

ARTICULUS I.

De tempore celebrationis Missae.

Tempus celebrationis determinatum est iure ecclesiastico cum quoad dies tum quoad horas. Quotidie licet celebrare Missam. Ex iure autem ecclesiastico prohibentur Missae privatae tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae. Econtra aliquando etiam conceduntur plures Missae dicendae uno die. Claritatis causa iuvat separatim agere: 1. de Missis ultimo triduo hebdomadae sanctae; 2. de pluribus Missis dicendis eodem die; 3. de hora Missae celebrandae.

§ 1.

De Missis ultimo triduo hebdomadae sanctae.

281 **Feria V in Coena Domini** privatae Missae generatim non possunt dici; celebranda est autem una Missa sollemnis in omnibus ecclesiis *cathedralibus, collegiatis* et *paroecialibus.* Ex indulto non raro conceditur, ut Missa sollemnis dicatur etiam in oratoriis publicis aut semipublicis, in quibus ss. eucharistia habitualiter asservatur. Episcopus potest concedere, ut ecclesiae paroeciales vel quasi-paroeciales, quae non habent tres clericos, celebrent solam Missam *lectam* [1]. In aliquibus dioecesibus permittunt episcopi, ut una Missa legatur ante

[1] S. C. R. d. 28 (31) Iulii 1821 (Decr. auth. n. 2616 ad 1). Cf. *Gasparri,* De euchar. I, n. 81.

Missam sollemnem pro populi commoditate. At episcopus non potest huiusmodi facultatem ex propria auctoritate concedere, sed ut accedat oportet aut consuetudo legitima aut indultum apostolicum. Decretum enim S. Congr. Rituum d. 27 Martii 1773 iam non invenitur in authentica collectione S. Congr. Rituum, ac proinde abolitum censetur. A fortiori reicienda est sententia, quam antea complures graves auctores tuebantur asserentes tam feria V quam Sabbato Sancto Missas privatas non absolute interdici [1].

Feria V licet de venia saltem episcopi Missam canere in ecclesiis non paroecialibus, quamvis in iisdem ecclesiis Missa Praesanctificatorum non celebretur [2]. In hoc casu omittenda est consecratio alterius hostiae et processio. In ecclesiis autem paroecialibus faciendae sunt omnes liturgiae praescriptae his tribus diebus saltem iuxta parvum Rituale Benedicti XIII. Attamen S. Congr. Rituum d. 9 Dec. 1899 ad quaestionem: «An feria V in Coena Domini in ecclesiis paroecialibus aliisque non paroecialibus celebrari possit Missa lecta cum cantu, quin peragantur functiones feriae VI in Parasceve et Sabbati Sancti?» respondit: «In ecclesiis paroecialibus, ubi adest fons baptismalis, serventur rubricae Missalis et decreta. . . . In aliis vero ecclesiis non paroecialibus omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa feriae VI in Parasceve; et fiat Sepulcrum.» Quae quidem responsio non ita facile conciliari potest cum responsione eiusdem Congregationis d. 1 Febr. 1895. Fortasse dicendum est hanc ultimam decisionem respicere casum particularem. Unde in praxi Missa Praesanctificatorum dicenda est in omnibus ecclesiis, in quibus feria V in Coena Domini habita est Missa. Nihilominus superiores regulares, qui non peragunt functiones sollemnes istis tribus diebus, possunt feria V in Coena Domini Missam privatam celebrare ad s. communionem suis subditis praebendam, sed in sacello domestico vel, hoc deficiente, in ecclesia *ianuis clausis* [3].

Si in feriam V in Coena Domini incidit aliquod *festum de praecepto*, episcopus curare debet, ut tot Missae in ecclesiis dicantur, quot sufficiunt, ut populus praecepto audiendae Missae satisfacere possit [4]. Hoc tamen minime valet, si talia festa aut iam non sunt de praecepto aut si transferuntur in alium diem [5]. — Episcopus, qui feria V in Coena Domini non dicit Missam sollemnem in sua cathedrali, potest privatam dicere Missam in oratorio suo domestico [6].

Feria VI in Parasceve dicitur dies aliturgicus, quia (excepto 282
casu gravis necessitatis consecrandi hostiam pro viatico administrando) nulla Missa celebrari potest. In tali casu necessitatis Missa votiva de passione Domini dicenda est, sed iste casus nostris temporibus vix accidere potest, cum particulae pro viatico administrando semper asserventur. Quando autem aliud festum, quod ex iure particulari in aliquo loco celebrandum est de praecepto, cadit in feriam VI aut Sabbatum Sanctum, attendenda sunt iura particularia.

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 350, qui dicit istis diebus Missas privatas omnino non licere.

[2] S. C. R. d. 1 Febr. 1895 (Decr. auth. n. 3842 ad 2).

[3] S. C. R. d. 31 Aug. 1839.

[4] S. C. R. d. 12 Sept. 1716.

[5] S. C. R. d. 27 Sept. 1868.

[6] Cod. iur. can. c. 349, § 1, n. 1.

Sic dicta *Missa Praesanctificatorum,* quae hac die solet celebrari, non est vera Missa, ac proinde non potest stipendium accipi.

283 **Sabbato Sancto** multo strictius quam in Coena Domini prohibentur Missae privatae a ceteris functionibus liturgicis seiunctae. Proinde ad Missam privatam dicendam requiritur aut speciale indultum pontificium aut necessitas viatici conficiendi. In ecclesiis paroecialibus, in quibus habetur fons baptismalis, Missa aliaeque functiones fieri debent; in aliis autem ecclesiis omitti possunt. Sabbato Sancto non solum statim post expletam Missam s. communio distribui potest fidelibus, sed etiam inter Missarum sollemnia [1]. De distributione s. communionis feria VI in Parasceve vide quae supra n. 220 ex iure particulari diximus.

§ 2.

De pluribus Missis dicendis eodem die.

284 **Tres Missae** a quolibet sacerdote (latini ritus) possunt quidem sed non necessario debent dici 1. festo Nativitatis Domini; 2. die Commemorationis omnium fidelium defunctorum (2. Nov.).

Circa Missas in festo Nativitatis notandum est:

a) Si sacerdos hoc die unam tantum vel duas Missas celebrat, eam eligere debet, quae respondet circiter horae celebrationis, i. e. primam, si nocte; secundam, si circa auroram; tertiam, si post auroram celebrat [2].

b) Sacerdos non prohibetur recipere stipendium pro singulis tribus Missis [3].

c) Sacerdotes caecutientes, quibus ex indulto licet quotidie Missam de B. M. V. dicere, aut aliam votivam, possunt hanc Missam trina vice dicere in istis diebus [4].

d) Etiam in oratoriis privatis, ubi aliis diebus non permittitur nisi una Missa, licet in festo Nativitatis tres Missas dicere.

e) Quamvis quibusdam visum sit licitum [5], ut omnes sacerdotes possint saltem unam Missam dicere media nocte Nativitatis [6], tamen cum ex rubricis generalibus Missalis [7] tum ex Cod. iur. can. c. 821, § 2 sequitur, ut *de iure communi* permittatur tunc una sola Missa conventualis vel paroecialis. In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sacras species habitualiter asservandi licet uni sacerdoti in sacra nocte Domini nostri Iesu Christi tres rituales Missas vel etiam pro rerum opportunitate unam tantum celebrare, sacramque communionem omnibus ministrare [8]. Attamen hoc indultum «non importat facultatem celebrandi etiam apertis oratoriorum ianuis, nec extendi potest ad ecclesias religiosorum, quae *publico fidelis populi usui* inserviunt, salvo tamen religiosorum privilegio in media nocte Missam [sollemnem] celebrandi» [9]. In nonnullis tamen locis exsistit

---

[1] S. C. R. d. 28 Apr. 1914 (Acta Ap. Sedis VI 197); Cod. iur. can. c. 867, § 3.

[2] S. C. R. d. 19 Ian. 1875, 13 Febr. 1892 (Decr. auth. n. 3354, 3767 ad 21). De significatione mystica trium istarum Missarum cf. S. theol. 3, q. 83, a. 2 ad 2.

[3] Cf. *Bened. XIV,* Const. «Quot expensis» d. 26 Aug. 1748; Cod. iur. can. c. 824, § 2.

[4] S. C. R. d. 26 Ian. 1920, 12. Ian. 1921 (Act. Ap. Sed. XII 122; XIII 155).

[5] Ex c. «Nocte sancta» 48, dist. 1 de consecr.

[6] Cf. *Donoso,* Instituciones de Derecho canónico n. 204.

[7] Tit. 15, n. 4.

[8] Motu proprio d. 1 Aug. 1907; Cod. iur. can. c. 821, § 2.

[9] S. Offic. d. 26 Nov. 1908.

consuetudo vel privilegium, ut quilibet sacerdos possit tres Missas dicere nocte Nativitatis etiam in ecclesiis publicis, et quilibet fidelis ibidem communionem recipere possit.

Circa Missas die 2 Novembris notandum est: 285

a) Non licet accipere stipendium, nisi pro una ex his tribus Missis [1]. Privilegium tamen iam antiquitus in nonnullis regionibus concessum recipiendi tria stipendia pro tribus Missis non videtur esse suppressum [2].

b) Sacerdos dicens tres Missas tenetur alteram applicare pro omnibus defunctis, tertiam ad mentem Summi Pontificis [3]; pro quibus duabus Missis nihil prorsus stipendii accipere potest, etiam ratione laboris seu incommodi extrinseci [4].

c) Prima Missa ea est, quae inscribitur in Missali die commemorationis omnium fidelium defunctorum; altera est, quae habetur ibidem in anniversario defunctorum; tertia est, quae legitur in Missis quotidianis pro defunctis [5]. Qui autem unam solam Missam celebrare vult, eam dicat, quae in Missali invenitur in commemoratione omnium fidelium defunctorum; quae quidem Missa adhibenda quoque est, si Missa cum cantu celebratur. Sacerdos cantans Missam potest duas alias Missas libere aut ante aut post Missam cantatam dicere. Qui vult dicere duas Missas hac die, sumat primam et alteram supra indicatam; una applicanda est ad intentionem celebrantis; altera pro omnibus fidelibus defunctis [6].

Ex indulto speciali licet quibusdam sacerdotibus duas vel tres Missas dicere certis diebus. Indultum tres Missas dicendi rarissime et difficulter concedi solet. S. Congr. Concilii huiusmodi indultum concessit d. 9 Sept. 1899 dioecesi de Tulancingo in republica Mexicana [7].

Facultas binandi seu dicendi duas Missas diebus dominicis et 286
festivis hodie saepissime usuvenit sive ex iure communi sive ex speciali privilegio pontificio.

In primaeva Ecclesia binatio non videtur locum habuisse. Sed iam ante tempora Innocentii III binatio saepius occurrit, unde iste Pontifex statuit: «Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi *causa necessitatis suadeat,* sufficit sacerdoti semel in die unam Missam celebrare.» [8] Sequentibus saeculis aliquando abusus hac in re irrepserunt, quia sacerdotes dicebant plures Missas potius ex cupiditate stipendii quam ex amore pietatis, et exinde etiam negligebant alia officia curae animarum. Quapropter Concilium Tridentinum sess. 22 et Benedictus XIV [9] statuerunt, numquam licere eodem die duas Missas celebrare nisi *in casu necessitatis spiritualis populi, si scil. secus notabilis pars populi non posset satisfacere praecepto dominicali, aut si quis aegrotus non posset recipere viaticum.*

De facultate binandi sequentia notanda sunt iuxta *ius commune* praesens vel iuxta indulta Summi Pontificis:

---

[1] *Bened. XV,* Const. «Incruentum altaris» d. 10 Aug. 1915 (Act. Ap. Sed. VII 403).
[2] Cf. *Donoso* l. c. n. 204. [3] *Bened. XV* l. c.
[4] S. C. de sacr. d. 15 Oct. 1915.
[5] S. R. C. d. 11 Aug. 1915.
[6] Cf. S. R. C. d. 28 Febr. 1917 (Act. Ap. Sed. IX 187).
[7] Cf. Analecta eccl. VII 452. [8] c. 3, X 3, 41.
[9] Const. «Declarasti nobis» d. 16 Mart. 1746.

1. Non licet binare nisi *diebus de praecepto,* ad hoc ut notabilis pars fidelium possit audire Missam [1].

Ergo non licet duas Missas dicere aliis diebus aut festis suppressis [2] neque in oratorio privato, ad hoc ut aliqua familia possit audire Missam. Aliquando tamen conceditur facultas binandi in favorem monialium, quae strictae clausurae subiacent.

Sancta Sedes pluries interrogata a variis episcopis, quantus numerus fidelium vel quanta ecclesiarum distantia requiratur, ut Missa iterari possit, noluit dare responsionem, sed hoc reliquit prudentiae et conscientiae episcoporum. Ceterum in hac re non est cum nimia severitate procedendum. Quare Leo XII d. 13 Martii 1828 scripsit ad archiepiscopum S. Ludovici in America Septentrionali: «Omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commovearis verborum rigore, se [scil. Sanctitatem Suam] conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut tu iudices, quibus in casibus ratione habita adiunctorum dioecesis tuae graves adesse causae censendae sint facultatem, de qua sermo est, sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has graves causas secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas sua, posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti, benigne declaravit.» — In istis litteris pro sufficienti causa habetur, si 30—50 fideles sine binatione facta non possunt audire Missam praeceptam. S. Officium quidem d. 28 Ian. 1688 iudicavit non sufficere numerum 15—20 personarum, quae aliter Missa carerent, sed eodem anno paucis mensibus postea S. Congr. de Prop. Fide iudicavit sufficere numerum *10—12 servorum.* «Neque mirum esse debet, si haec Congregatio [de Prop. Fide] benigniori interpretationi indulsit; agebatur enim de servis, qui ob ipsorum condicionem peculiarem indulgentiam merebantur, cum unicum fortasse solatium iis esset SS. Missae sacrificium.» Ita Instructio S. Congr. de Prop. Fide d. 24 Maii 1870, ubi etiam distantia mediae leucae (i. e. viae mediae horae) unius ecclesiae ab altera non reicitur, licet nec etiam expresse agnoscatur ut causa sufficiens binationis. Dependet hoc etiam ex difficultate viae et aeris.

287 2. Ex *iure communi* (dependenter tamen ab Ordinario, ad quem pertinet de his rebus iudicare) binatio non tantum permittitur, sed etiam *praecipitur* in duobus casibus: a) Quando parochus «duas paroecias obtinet vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam». Ita Instructio citata. Qui quidem casus facile accidere potest praesertim in locis missionum. b) «Quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest.» Ita eadem Instructio.

Quamvis etiam in hoc secundo casu parochus debeat praeviam licentiam episcopi quaerere, tamen in casu necessitatis, e. g. quando eius cooperator vel ipse parochus subito infirmatur, haec licentia potest, immo et debet praesumi, cum secus populus fidelis damnum pateretur. Postea tamen quantocius res est episcopo denuntianda. — Populus censetur non posse insimul convenire in ecclesiam, non tantum ob angustiam aedificii, ut quidam volunt, sed etiam ob distantiam aliaque incommoda. Sic e. g. in omnibus fere

[1] In locis Missionum aliquando conceditur facultas binandi etiam diebus ferialibus.
[2] S. C. de Prop. Fide d. 24 Maii 1870.

paroeciis ruralibus, quae inter se distant saltem per spatium dimidiae leucae, et in quibus unus solus sacerdos Missam celebrat, talis necessitas censetur adesse. Fideles enim nequeunt domos, infantes, animalia etc. sine custodia relinquere. Unde quando una pars familiae assistit Missae, altera debet domi remanere. Ergo in istis locis parochus debet duas Missas dicere, ut omnes fideles satisfacere possint praecepto Missae audiendae.

3. Ordinarius potest permittere, ut sacerdos dicat duas Missas, etiam 288
si in eadem ecclesia aut in eodem loco alii sacerdotes dicunt Missam, dummodo secus notabilis fidelium pars Missae adstare non possit[1].

In magnis paroeciis, ubi numerosissimus est populus fidelis, saepe non sufficiunt duae vel tres Missae, ut omnes assistere possint, sive ob angustiam ipsius ecclesiae sive ob alias rationes. Tunc episcopus non valens mittere tot sacerdotes, quot sunt necessarii, potest concedere, ut aliquis sacerdos duas Missas dicat, etsi alii sacerdotes eodem die in eadem ecclesia aut in eodem loco celebrant Missam. Ita fert praxis in compluribus locis.

4. Sacerdoti celebranti duas Missas ex indulto binationis non licet pro altera Missa stipendium accipere neque alicui obligationi *iustitiae* satisfacere[2], nisi habeat specialem licentiam S. Sedis.

Parochus igitur non potest unam Missam applicare pro populo et pro altera Missa stipendium sumere. Si cum secunda Missa est specialis labor coniunctus, e. g. longa via, tarda hora, instructio facienda etc., sane retributio *istius laboris* accipi potest[3]. Nihil impedit, quominus celebrans duas Missas satisfaciat alii obligationi, e. g. caritatis, gratitudinis, oboedientiae etc., per alteram Missam, ut si applicat pro defunctis iuxta constitutiones Ordinis. Nam sola obligatio *iustitiae* impleri nequit per alteram Missam. Si sacerdos contra grave praeceptum Ecclesiae duo stipendia pro duabus Missis sumpsit, alterum restituere debet, cum desit titulus illud retinendi. Ex speciali tamen indulto pontificio licet duo stipendia accipere in locis missionum, in aliquibus dioecesibus, e. g. Germaniae, Belgii etc., sed tunc solet praecipi, ut alterum stipendium in pias causas ab episcopo determinatas erogetur[4].

5. **Ritus observandus in binatione** a citata Instructione S. Congr. de 289
Prop. Fide d. 24 Maii 1870 hoc modo praescribitur: Sacerdos secundam Missam dicere debet ieiunus, ac proinde ablutionem bibere non potest. Duplex autem modus agendi distingui debet, prout scil. post primam Missam dictam *in eodem altari* altera Missa eo die dicetur aut non.

a) Si altera Missa *in eodem altari* dicetur, sacerdos hoc modo procedat: «Post haustum in prima Missa diligenter sanguinem Domini omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet iunctis manibus: Quod ore sumpsimus, Domine etc. Deinde digitos, quibus ss. sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in altari praeparato abluet. (Potest hoc esse vas, in quo digiti solent ablui distributa communione extra Missam.) Abluendo digitos dicat: Corpus tuum, Domine etc., abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem super altare relinquet, secus vero in sacristiam deferet, ibique super

[1] Cod. iur. can. c. 806, § 2.
[2] S. C. C. d. 25 Sept. 1858, 21 Martii 1863 et pluries.
[3] S. C. C. d. 23 Maii 1861; Cod. iur. can. c. 824, § 2.
[4] Cf. S. C. C. d. 8 Maii 1920 (Act. Ap. Sed. XII 541).

corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam, in qua . . . calicem iterum ad altare deferet ac super corporale extensum reponet.» — Quando infundit vinum et aquam pro secunda Missa, purificatorio calicem ne extergat.

b) Si altera Missa dicenda est *in aliena ecclesia,* tunc observanda est Instructio data a S. Congr. Rituum d. 12 Sept. 1857 et quae habetur in prima appendice Ritualis Romani. Modus agendi est idem fere ac supra sub litt. a). Completo autem ultimo evangelio sacerdos iterum detegat calicem et inspiciat, an aliquid divini sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Si itaque divini sanguinis gutta quaedam supersit, ea rursus ac diligenter sorbeatur, quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat et remanentibus vini speciebus ex divino praecepto compleri debet. Postmodum sacerdos fundat in calicem tantum (saltem) aquae, quantum prius vinum posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua s. sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde purificatorio abstergat, cooperiat et secum portet in sacristiam. Depositis sacris vestibus aquam in vase demissam vel ad sequentem Missam conservet et in secunda ablutione bibat, vel gossypio aut stupa absorptam comburat, vel dimittat in piscinam [1].

§ 3.

De hora Missae celebrandae.

290 Ex iure communi Missae celebrandae initium fieri potest ab una hora ante auroram usque ad unam horam post meridiem [2].

Aurora hic intelligitur crepusculum, quod solet advenire circiter duabus horis ante solis ortum. Theologi omnes dicunt hoc tempus esse moraliter et non mathematice sumendum, ita ut nullam culpam habeat ille, qui Missam paulo ante vel post dicit. Aurora multum variat secundum diversa tempora et loca. In Europa centrali aurora per mensem Iunii incipit fere a media nocte. Ergo iuxta strictum ius etiam tunc Missa dici potest a media nocte, sed tamen sine gravi causa id facere dedecet. In regionibus vero polaribus, ubi aliquibus diebus aurora non apparet, S. Congr. Rituum d. 18 Sept. 1634 concessit, ut Missa incohari possit ab *exordio vitae civilis,* i. e. tempore, quo homines mane surgere solent ad opera iuxta approbatas regionum consuetudines.

Praeceptum non celebrandi extra horas a rubrica statutas per se *sub gravi* obligat, et proinde, qui absque omni causa legitima tempus multum, i. e. *per unam horam,* antevertit vel postponit, graviter peccat [3]. Rationes, ob quas licet citius vel tardius Missam dicere, sunt sequentes:

a) *Necessitas* conficiendi eucharistiam ad viaticum administrandum. Per se patet; nam si licet propter hanc rationem Missam iterare aut illam dicere non ieiunus, a fortiori licet praetergredi tempus celebrationis.

b) *In nocte Nativitatis Domini,* ut supra dictum est.

c) *Consuetudo rationabilis* approbata ab Ordinario. Sic e. g. licet summo mane dicere Missam ad hoc, ut famulis et opificibus praebeatur occasio audiendi Missam.

---

[1] Cf. Collect. d. Prop. Fide n. 1352. [2] Cod. iur. can. c. 821, § 1.
[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 346.

d) *Dispensatio* ab episcopo aut superiore regulari data ex rationabili causa [1]. Sic e. g. propter iter faciendum aut factum licet Missam dicere ante auroram aut post meridiem.

e) *Privilegium* a S. Sede concessum. Tale privilegium habent nonnulli religiosi. Pius VI [2] concessit Congregationi Puritatis, ut Missa possit dici duabus horis ante auroram et post meridiem. Hoc privilegium participari ab aliis religiosis docet Génicot [3]. Immo Redemptoristae possunt in suis ecclesiis celebrare Missam duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem [4].

Scholion 1. De Matutino recitando ante Missam. Cum rubrica Mis- 291
salis dicat: «Sacerdos . . . celebraturus Missam . . . saltem Matutino cum Laudibus absoluto» etc., complures veteres auctores, e. g. S. Antoninus, Antoine, Gavantus, putabant adesse *gravem* obligationem recitandi Matutinum et Laudes ante Missam. Quae quidem sententia est certa, si agitur de recitatione *chorali* ante Missam conventualem. Pro iis vero, qui Officium divinum *privatim* recitant, est etiam practice certum hanc obligationem non esse gravem, sed tantum levem, a qua omnino excusat quaelibet mediocris causa, e. g. studii commoditas, labor perficiendus etc. [5]

Scholion 2. De tempore adhibendo pro Missae celebratione. Cum 292
tempore et hora celebrationis aliqualiter cohaeret tempus ipsum ad celebrandum necessarium, de quo docet recte S. Alphonsus [6] «difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi Missa sit ex brevioribus vel de S. Maria in Sabbato; quia in tam brevi spatio committere debet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiae erga sacramentum; alterum gravis scandali erga populum». Ergo sacerdos curet, ut ad minus 20 minuta impendat celebrationi Missae privatae (ordinariae), neque excedat semihoram.

ARTICULUS II.

De loco celebrationis.

Locus celebrationis includit duo, nempe spatium in quo et altare super quo Missa celebratur.

Principium 1. *Ex iure communi non licet Missam celebrare* 293
nisi in ecclesiis aut oratoriis saltem benedictis, iisque non pollutis, exsecratis aut interdictis.

Constat ex Concilio Tridentino [7] praecipiente: Ne episcopi «patiantur, privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi». Quid sint ecclesiae, oratoria publica, semipublica et privata, iam supra II, n. 483 sqq. in tractatu de religione dictum est. Facultatem habitualiter celebrandi in oratoriis stricte privatis nemo concedere valet nisi S. Sedes [8]: sed loci Ordi-

---

[1] Cf. ib. n. 344. [2] Die 24 Ian. 1783 et 10 Maii 1785.
[3] Theol. mor. II 237. [4] Cf. *Marc*, Inst. mor. II, n. 1625.
[5] Cf. supra II 373; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 347 sq.
[6] Ib. n. 400. [7] Sess. 22 de observ. et evit. in celebr. Missae.
[8] Cf. *Many*, Praelect. de locis sacris n. 80.

narii aut, si agatur de domo religionis exemptae, superiores maiores ex propria auctoritate concedere possunt ex iustis et rationabilibus causis, ut *per modum actus*[1], i. e. in casu particulari, Missa celebretur in quolibet loco decenti (*non autem* in cubiculo) et etiam sub divo, e. g. ob concursum magnum populi vel pro exercitu. Episcopi valent hoc indultum concedere etiam favore eorum, qui iam habent indultum oratorii privati, ut nempe per modum actus celebretur Missa iis diebus, qui in obtento indulto excepti sunt. Requiritur autem in hoc casu, ut adsint iustae et rationabiles causae, et quidem aliae ab iis, ob quas antea concessum erat indultum oratorii privati (S. C. de discipl. Sacr. d. 22 Mart. 1915 ad II). Disputant auctores, quaenam causa sit sufficiens, ut episcopus per modum actus possit concedere celebrationem Missae in oratorio domestico vel in alio quovis loco honesto. S. Alphonsus[2] docet episcopum posse per modum actus permittere Missam in domo privata, ad hoc ut aliquis vir insignis, morbo laborans, Sacro intersit vel sacra communione reficiatur, aut ut sacerdos infirmus possit celebrare Missam. Tamquam causae sufficientes ad dispensationem enumerantur: si viaticum ad moribundum neque ex ecclesia neque ex oratorio rite instituto deferri possit, si magna pars populi secus carere deberet Missa dominicali. «Forsan pluribus videbuntur urgentes causae: gravis infirmitas viri nobilis, optime de Ecclesia meriti; ratio celebrandi in domo huiusmodi viri defuncti, praesente cadavere.» Ita Many[3]. Ceterum haud raro conceduntur specialia indulta pontificia hac in re.

Quomodo ecclesiae polluantur, iam dictum est supra II, n. 546 in tractatu de religione; de interdicto ecclesiarum infra sermo erit in tractatu de censuris.

294 De *exsecratione* aut *profanatione* ecclesiarum sequentia breviter ex Iure canonico notentur: «Ecclesia exsecratur, i. e. perdit consecrationem aut benedictionem acceptam, quando ita mutatur, ut iam non censeatur eadem ecclesia. Quod quidem contingere potest:

a) Si tota vel ex maiore parte destruitur, licet cum eadem materia reaedificetur.

b) Si additur nova pars eaque maior, quam quae antea exstabat. Ecclesia non exsecratur, licet simul tota crusta parietum, in quibus cruces depictae erant, radatur aut excidat. Contraria opinio communiter tenebatur ab antiquis canonistis, sed S. Congr. Rituum d. 19 Maii 1896 respondit ad dubium: «Utrum ecclesia, e cuius parietibus vel partim vel integre disicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco,* ut renovetur, consecrata maneat vel exsecrata? — Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum.»[4]

c) Si in usus profanos ab Ordinario loci redacta est[5]. Quandonam liceat, *vigente interdicto,* Missam dicere, indicabitur infra n. 533.

295 **Privilegia et indulta de loco celebrationis.**

1. Cardinales et episcopi (sive residentiales sive titulares) possunt in domibus suis erigere oratoria privata, in quibus Missam celebrent. Hoc valet etiam de hospitio, quo versantur in itinere[6].

---

[1] S. C. C. d. 23 Ian. 1847; 7 Iulii 1855; 20 Dec. 1856; S. C. de discipl. Sacr. d. 22 Mart. 1915; Cod. iur. can. c. 822, § 4.

[2] Theol. mor. l. 6, n. 359. [3] L. c. n. 82; cf. *Gasparri,* De euchar. I, n. 276.

[4] Decr. auth. n. 3907 ad 2. [5] Cod. iur. can. c. 1170.

[6] Leo XIII d. 10 Iunii 1896. Cod. iur. can. c. 1189. Privilegio oratorii privati (domi rurique) *ab Ordinario tamen loci visitandi et approbandi* gaudent quoque proto-

2. Missionariis solet concedi ampla facultas celebrandi in quocumque loco decenti, quando deest ecclesia aut oratorium.

3. Requiritur indultum apostolicum, ut Missa dici possit in navi mare transnavigante.

Quod quidem indultum non conceditur nisi sub condicione, ut mare sit tranquillum neque adsit ullum irreverentiae periculum. Nec absolute vetita est celebratio in cellis navis (vulgo *cabines*), dummodo decenter fiat [1]. Episcopis totius Americae, Oceaniae, Australiae concessit S. Congregatio Rituum d. 30 Iunii 1908, ut, quotiescumque Romam petituri sunt, tam in accessu quam in reditu possint quotidie Missam celebrare in navi, dummodo a) locus ad hoc electus nihil indecens prae se ferat; b) mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis sanguinis pretiosissimi; c) ut adsit alter sacerdos superpelliceo indutus assistens praesuli celebranti.

Principium 2. *Numquam licet Missam celebrare nisi in altari rite consecrato.* 296

Distinguitur duplex altare: *fixum* (immobile) et *portatile* (mobile). Altare fixum iterum est duplex, scil. 1. fixum in *sensu stricto seu liturgico,* quod constat a) mensa ex unico lapide naturali (non arte facto) confecta, b) stipite lapideo (vel totus stipes sit lapideus, vel saltem latera seu columellae, quibus mensa sustentatur, sint ex lapide naturali. Cod. iur. can. c. 1198, § 2), coniuncto cum mensa supraposita et sepulcro reliquiarum; et 2. fixum in *sensu minus stricto* (in materia *indulgentiarum*), quod aliquo modo stabile est, licet sit ex ligno confectum. Quando in materia indulgentiarum requiritur altare fixum, sufficit, quod sit fixum in minus stricto sensu [2]. — Altare *portatile* est illud, quod facile portari potest ab uno loco in alium. Debet constare ex uno lapide naturali, duro, integro et satis amplo, ita ut hostiam et saltem maiorem partem calicis supportare possit. Non requiritur, ut sit lapis marmoreus; prohibetur autem lapis puniceus [3]. Numquam licet Missam dicere nisi super altari saltem portatili consecrato. — Consecratio altarium pertinet de iure ad episcopum; potest tamen sacerdos a Summo Pontifice ad hoc delegari.

Altare in stricto sensu *fixum* exsecratur tripliciter: 1. si mensa sit mota a stipite, 2. si mensa licet immota a stipite sit enormiter fracta, 3. si sepulcrum reliquiarum sit effractum [4]. — Altare vero *portatile* exsecratur: 1. si lapis enormiter sit fractus, vel si magna scissura sit in eo, 2. si sepulcrum sit effractum vel reliquiae inclusae amoveantur. — Notandum est: Exsecrata

---

notarii apostolici omnes exceptis protonotariis honorariis. In istis oratoriis vel ipsi protonotarii vel alius sacerdos potest celebrare Missam etiam sollemnioribus diebus (exceptis sex), et consanguinei, affines, familiares et cohabitantes protonotariorum audiendo hanc Missam satisfaciunt praecepto dominicali. Ita ex Motu proprio Pii X «Inter multiplices» d. 21 Febr. 1905, n. 11, 22 et 46 (Anal. eccl. XIII [1905] 63 sqq.) — Equites Velleris Aurei habent item privilegium oratorii privati et altaris portatilis. Ita ex Brevi Pii X d. 10 Febr. 1913 (cf. Linzer Quartalschr. 1914, p. 991). Item Auditores Rotae (Clemens XIII, Breve d. 27 Aug. 1762 et Pius X d. 26 Iul. 1913); cf. *Wernz,* Ius Decr. V, n. 85.

[1] S. C. de Prop. Fide d. 1 Mart. 1902 et 13 Aug. 1902 (Collectan. n. 2130).

[2] Cf. nostrum Man. iur. can. q. 367.

[3] Vulgo *Eimsstein,* pierre ponce. — S. C. R. d. 13 Iunii 1899 (Decr. auth. n. 4032).

[4] Cf. nostrum Man. iur. can. q 371.

ecclesia non exsecrantur altaria [1]; polluta vero ecclesia etiam polluta censentur altaria. Quomodo ecclesia et altare exsecratum aut pollutum reconciliari possint, videsis apud canonistas aut liturgistas.

ARTICULUS III.

De sacris utensilibus.

297 Sacra utensilia ad tres classes reduci possunt: 1. ornatus altaris, 2. ornatus sacerdotis, 3. sacra vasa.

1. In **ornatu altaris** [2] comprehenduntur sequentia:

a) Tres *mappae* (sive tobalea) ex lino vel cannabi confectae. Istae mappae benedicendae sunt ab episcopo vel a parocho vel ab aliis habentibus legitimam facultatem. Omissio benedictionis esset indecens et peccatum leve [3]. Celebrare Missam super altari nulla mappa ornato videtur esse gravis irreverentia et grave peccatum.

b) *Missale* cum cussino vel parvo pulpito. Celebrare Missam sine Missali censetur gravis irreverentia propter errandi periculum. Si quis tamen non potest habere Missale et Missam memoriter scit, defectus Missalis non videtur esse graviter irreverentiosus [4].

c) *Duae candelae accensae.* Esset grave peccatum celebrare Missam sine ullo lumine. Unde si lumen deficiat ante consecrationem neque aliud haberi possit, sacerdos debet Missam abrumpere; sin autem hoc accidat post consecrationem, sacrificium potest et debet perfici, neque diu, i. e. per $^1/_4$ aut $^1/_2$ horam, illud interrumpi oportet. Celebrare Missam cum uno tantum cereo habetur veniale peccatum [5]. Candelae debent esse confectae ex *cera* (saltem ex maxima parte), nisi adsit indultum apostolicum [6]. Merito autem docet Génicot [7] non esse *grave peccatum* adhibere candelas ex stearina aliisque rebus vegetabilibus confectas, cum vix distinguantur ab iis, quae ex apum cera confectae sunt. Plures quam duos cereos accensos habere in Missa stricte privata non permittitur nisi solis episcopis. Dico autem, in Missa *stricte privata;* nam si etiam Missa lecta celebratur ratione alicuius sollemni-

---

[1] Cod. iur. can. c. 1200, § 4.

[2] De ornatu altaris Rubricae generales Missalis tit. 20 praescribunt: «Altare, in quo ss. Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum et ab episcopo . . . consecratum; vel saltem ara lapidea similiter ab episcopo . . . consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit, ut hostiam et maiorem partem calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab episcopo vel alio habente potestatem benedictis: superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis. Super altare collocetur crux in medio et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere. Ad crucis pedem ponatur tabella secretarum appellata. In cornu epistolae cussinus supponendus Missali; et ab eadem parte epistolae paretur cereus ad elevationem sacramenti accendendus, parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad haec praeparata. Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium vel ad ipsius altaris ornatum non pertineat.»

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 375, dub. 2. Parochi et superiores religiosi possunt benedicere s. utensilia pro propriis solummodo ecclesiis. Cod. iur. can. c. 1304.

[4] Ita etiam *Noldin*, De sacr. n. 211. [5] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 394.

[6] Cf. S. C. R. d. 7 Sept. 1850; d. 14 Dec. 1904 (Decr. auth. n. 2985 et 4147).

[7] Theol. mor. II 246.

tatis, nihil videtur obstare, ut tunc non ratione Missae, sed ratione sollemnitatis plures cerei in altari accendantur [1]. Quidam praelati regulares possunt quattuor candelas accensas habere in Missis suis lectis, sic permittente consuetudine. — Lux electrica et gas nequeunt adhiberi ad cultum, sed tantum ad splendidam illuminationem [2].

d) *Imago crucifixi* debet inter candelabra vel super tabernaculo (non autem in throno ss. sacramenti) [3] ita eminere, ut non tantum a celebrante, verum etiam ab aliis facile videri possit. Est obligatio levis [4].

Tabellae, quae solent poni in utroque cornu altaris, non stricte praescribuntur; sed in commoditatem sacerdotis convenienter adhibentur [5]. — Ad ornatum altaris valde conducit *antipendium*, quod est pallium artificiose factum, pendens ante mensam altaris. Color antipendii mutatur iuxta festa quotidie occurrentia. Sed antipendium iam non est in usu in plerisque regionibus.

2. **Ornatus sacerdotis** Missam dicentis constituitur ex amictu seu 298
humerali, alba, cingulo, manipulo, stola, casula. Omnes istae vestes benedici debent ab episcopo aut ab habente facultatem. Talem facultatem habent (praeter Cardinales et omnes episcopos) superiores religiosi, parochi, rectores ecclesiarum, sed hi tres ultimi non nisi pro propriis ecclesiis [6]. Casula, stola, manipulus etsi absolute non debent esse ex serico confecta, requiritur tamen materia pretiosa, atque illicita sunt ista paramenta ex gossypio, lino, lana integre confecta [7]. — *Cingulum* convenientius fit ex lino albo, sed neque alia materia neque alius color prohibetur. Sic e. g. in nonnullis ecclesiis adhibentur cingula serica rubra. — Censetur esse grave peccatum celebrare Missam sine ulla sacra veste. Idem valet de defectu casulae vel albae [8]. Reliquae autem vestes sacrae non videntur tantae esse necessitatis. Unde ad viaticum conficiendum, vel si secus populus non posset satisfacere praecepto dominicali, liceret sine illis vestibus Missam dicere.

Color paramentorum est quidem observandus iuxta diversa officia et festa, sed non obligat sub gravi. Unde recte dicit Sporer [9] satius esse quocumque die facere Sacrum in quolibet colore quam illud omittere, atque excusare omnem rationabilem causam, ut si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris. Color aureus non potest inservire pro coloribus albo, viridi, rubro; si autem adhibita fuit tela vere aurea [10], tunc paramenta ita confecta possunt inservire propter pretiositatem pro coloribus albo, viridi, rubro [11], non autem pro coloribus violaceo aut nigro.

Rubrica generalis item praescribit, ut sacerdos, antequam sacras vestes induat, sit in veste talari. Unde si sacerdos in aliquibus regionibus non semper portat vestem talarem, illam in sacristia induere debet. Sed haec obligatio non tam gravis est, ut causa rationabili exsistente omitti nequeat.

---

[1] S. R. C. d. 12 Sept. 1857 (Decr. auth. n. 3059 ad 9).

[2] Cf. tamen supra n. 224.

[3] S. R. C. d. 11 Iun. 1904 (Decr. auth. n. 4136).

[4] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 393. [5] Ib. n. 390.

[6] Cod. iur. can. c. 1304.

[7] S. R. C. d. 23 Sept. 1837; d. 23 Iun. 1892 (Decr. auth. n. 2769, dub. 5; n. 3779, dub. 1).

[8] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 377. [9] Theol. mor. P. 2, c. 6, n. 414.

[10] *Goldbrokat.*

[11] S. C. R. d. 29 Martii 1851; d. 20 Nov. 1885 (Decr. auth. n. 2986 ad 5, n. 3646, ad 2).

Dedecet autem prorsus vestes sacras induere super vestes alterius quam nigri coloris (nisi casu necessitatis).

299 3. **Vasa sacra** ad Missam requisita sunt calix cum patena, ampullae vini et aquae. Accedunt ad vasa sacra corporale, palla, purificatorium, velum calicis et bursa pro corporali.

Patena et cuppa calicis debent esse aureae, vel, si sunt ex argento vel ex stanno vel ex aluminio, debent esse intus deauratae [1]. Alia materia non admittitur iuxta praesentem disciplinam; patena tamen potest esse etiam ex alia materia solida [2]. Deauratio sub gravi requiritur pro interiore parte cuppae calicis et superiore parte patenae [3]. S. Congregatio Rituum d. 31 Aug. 1867 ad quaestionem: «An permitti possit ciborium ex cupro deaurato, item monstrantia et lunula?» respondit: «Affirmative». Ergo cuppa calicis debet esse argentea, stannea aut aluminea; pro aliis autem sacris vasis etiam alia materia solida permittitur. — Calix et patena exsecrantur: 1. Per *amissionem formae*, e. g. si pes a cuppa per *fractionem* separatur, non autem si pes est tornatilis et facile a cuppa separari potest; neque per *novam aurationem* [4]. Sin autem longo usu auratio est detersa, calix remanet quidem consecratus, sed debet renovari deauratio. 2. Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerunt [5]. Cum nullus laicus possit calicem consecratum tangere, cumque consecratio illius maneat, etsi deauratio est detrita, requiri videtur licentia episcopi aut praelati regularis, ut calix consecratus denuo inaurandus tradatur artifici. — Usus parvi cochlearis ad infundendam vino aquam non prohibetur [6], ut iam supra dictum est, sed tale cochlear non benedicitur.

Calici substernendum est *corporale* ex lino vel cannabi confectum. Graviter peccat, qui extra casum magnae necessitatis sine corporali eoque benedicto celebrat [7].

Purificatorium quoque debet esse ex lino vel cannabi, sed non est benedicendum [8], neque ulla eius benedictio invenitur in Rituali Romano. Ergo purificatorium suppleri potest strophiolo mundo, quod tamen postea non est iterum ad usus profanos adhibendum.

Palla ex lino vel cannabi debet esse confecta, saltem ex ea parte, qua tangit calicem. Ex altera parte potest aureis vel sericis ornamentis operiri, dummodo pannus ne sit nigri coloris neque referat aliqua signa mortis [9].

Ampullae aquae et vini melius conficiuntur ex vitro; permittuntur tamen etiam confectae ex auro vel argento vel stanno [10].

300 *Prima lotio* corporalium, pallarum, purificatoriorum, quae in Missa adhibita fuerunt, facienda est a clerico maiorista [11]. Aqua primae lotionis proicienda

[1] Cf. *S. Thom.*, S. theol. 3, q. 83, a. 3 ad 6; *Bened. XIV* Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742 (§ VI 20); S. C. d. Prop. Fide d. 16 Ian. 1797.

[2] Cf. *Génicot*, Theol. mor. II, n. 247. [3] Id videtur sequi ex c. 1305, § 2.

[4] Cod. iur. can. c. 1305, § 2 statuit: «Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen priore in casu gravi obligatione rursum ea inaurandi.»

[5] Cod. iur. can. c. 1305, § 1, n. 2.

[6] S. R. C. d. 6 Febr. 1858 (Decr. auth. n. 3064).

[7] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 387.

[8] S. R. C. d. 7 Sept. 1816 (Decr. auth. n. 2572 ad XII).

[9] S. R. C. d. 17 Iul. 1894 (Decr. auth. n. 3832 ad 4).

[10] S. R. C. d. 28 Apr. 1866 (Decr. auth. n. 3149).

[11] Cod. iur. can. c. 1306, § 2.

est in sacrarium; quo deficiente, in ignem. . Moniales egent speciali licentia S. Congregationis Rituum, ut possint primam istam lotionem peragere.

Curandum est, ne calix cum patena, et ante lotionem purificatoria, pallae, corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur nisi a clericis vel ab iis, qui eorum custodiam habent [1].

S. Congregatio Rituum d. 14 Mart. 1900 statuit de clerico loco subdiaconi in Missa ministrante:

1. «Clericus ad munus subdiaconi subeundum in Missa sollemni numquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.»

2. «Clericus, pro subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia, quae ad subdiaconum ex rubricis spectant, rite expleat, hisce tamen exceptis: a) aquam ante offertorium in calicem non infundat, quod in casu diaconus praestabit; b) calicem ipsum infra actionem (i. e. infra canonem) numquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; c) post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.» [2]

Scholion. Quomodo res benedictae aut consecratae benedictionem amittant. Omnes res (sive vasa sive paramenta), quae egent consecratione aut benedictione pro usu altaris, illam amittunt in triplici casu: 1. si amittunt notabiliter formam primigeniam, ita ut fiant prorsus ineptae ad usum destinatum; 2. si nova materia ex magna vel saltem essentiali parte additur; 3. si ad usus indecoros abhibitae vel publicae venditioni expositae fuerint. 301

Quomodo calix exsecretur, iam supra dictum est. — Corporale benedictionem amittit, si est ita laceratum, ut iam nequeat substerni calici et hostiae. Cingulum perdit benedictionem, si disruptum est in tales partes, ut iam nulla earum ad cingendum sit apta. Alba perdit benedictionem, si novae manicae adduntur. Casula demum est iterum benedicenda, quando nova pars assuta superat partem relictam. Idem videtur valere de manipulo et stola.

ARTICULUS IV.

De ritibus observandis.

Praenotamen. Hic non agimus de diversis ritibus ab Ecclesia institutis aut permissis, ut de ritu romano, orientali, ambrosiano, de ritu Praedicatorum, Carthusianorum etc. Regula generalis est: «Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus ne liceat: propterea suae quisque Ecclesiae ritu sacramentum corporis Domini conficiant et ministrent.» [3] 302

Quapropter absque omni dubio peccaret e. g. sacerdos ordinis Praedicatorum, qui sine praevia licentia legitima et extra urgentissimam necessitatem Missam celebraret ritu romano, et vicissim sacerdos adstrictus ad ritum romanum, qui vellet Missam dicere iuxta ritum Fratrum Praedicatorum.

Concilium Tridentinum [4] de caeremoniis generatim acceptis haec statuit: «Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propter-

[1] Cod. iur. can. c. 1306, § 1. [2] Analecta eccl. XIV (1906) 166.
[3] Pii X Const. «Tradita ab antiquis» d. 14 Sept. 1912 (Acta Ap. Sedis IV 615).
[4] Sess. 22, c. 5 de sacrif. Miss. (*Denz.* n. 943).

ea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scil. quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit; caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.»

303 **Principium.** *Omnes rubricae Missalis aliqualiter obligant in conscientia.*

Prob. 1. S. Pius V stricte praecipit in Constitutione, quae legitur in initio Missalis, ut Missa iuxta ritum, modum ac normam celebretur, sicut notatum est in rubricis Missalis. Iamvero talis lex generalis ecclesiastica obligat in conscientia.

Prob. 2. S. Congregatio Rituum in decreto, quod pariter invenitur in Missali Romano, «mandat in omnibus et per omnia servari rubricas Missalis Romani», non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. Porro tale praeceptum esse pure directivum aut poenale, est assertio prorsus gratuita.

Quamobrem distinctio a compluribus auctoribus adhibita inter rubricas praeceptivas et directivas, est parvae utilitatis, tum quia nemo hucusque potuit assignare, quaenam rubricae sint praeceptivae, quaenam autem tantum directivae [1], tum quia haec distinctio nequit solide probari. Ergo dicendum est: Quotiescumque in rubricis aliquid *determinate statuitur*, hoc obligat in conscientia; quando vero relinquitur *discretioni* sacerdotis aut episcopi aut pro opportunitate sacerdotis affertur, profecto unusquisque agere potest, sicut rationi suae est consentaneum.

304 **Gravitas obligationis.** Rubricae Missalis sunt leges ecclesiasticae positivae, ac proinde ad iudicandum de gravitate obligationis earum adhibendae sunt regulae generales de obligatione legum ecclesiasticarum; scil. attendatur oportet a) *gravitas materiae*, b) *communis sensus doctorum*. Ex applicatione harum regularum sequentes solutiones practicas iuvat adducere:

1. Requiritur sub gravi *minister* isque masculus ad serviendum in Missa. Ab hac autem lege excusant a) dispensatio pontificia, quae aliquando concedi solet missionariis aliisque sacerdotibus, et b) casus necessitatis, e. g. ut die festo populus Missae interesse possit, ut viaticum conficiatur, vel etiam probabiliter, si secus sacerdos omnino non posset dicere Missam eo die. Cum ministro, qui nesciat respondere, licet ex minore necessitate celebrare. Ergo sacerdos non debet sibi scrupulos facere, si minister male pronuntiet verba; convenit autem tunc, ut ipse sacerdos suppleat verba omissa. Gravis censetur transgressio praecepti ecclesiastici admittere, ut femina *in omnibus* gerat vicem servitoris Missae, i. e. ut sistat ad altare, urceolos porrigat etc.

[1] Nonnulli auctores opinantur omnes rubricas servandas *intra* Missam esse praeceptivas, servandas vero *ante* vel *post* Missam esse mere directivas. Quae quidem opinio non videtur esse satis fundata, quoniam e. g. preces, quae in induendis s. vestibus dicendae sunt, communissime habentur tamquam praeceptivae.

Deficiente autem ministro masculo licet Missam celebrare, si mulier (praesertim monialis) respondeat quidem, sed non accedat ad altare. In ecclesiis vero publicis mulier non potest hoc modo servire in Missa, nisi exsistente necessitate[1], vel saltem iusta causa.

Quanta autem ista necessitas esse debeat, non constat. Postquam S. Congregatio Rituum (d. 14 Aug. 1893) respondit talem necessitatem non haberi in casu, quo sacerdos secus omittere deberet Sacrum, quod minime necessarium sit, ut praeceptum audiendi Missam impleatur, postea (d. 13 Ian. 1894) huius rescripti exsecutionem suspendit, donec allata nova rationum momenta perpendisset. Ad hunc diem nondum data est decisio. Immo Codex c. 813, § 2 iam non requirit necessitatem, sed iustam causam. Quare videtur esse licitum adhibere mulierem, si secus sacerdos non posset dicere Missam *etiam devotionis causa.*

2. Quaelibet mutatio *notabilis* in Canone Missae est peccatum mortale. Ita omnes. S. Alphonsus[2] putat iam esse grave omittere decem verba in Canone.

3. Extra canonem omittere partes integras, quae *in qualibet Missa* dici debent, item censetur grave peccatum, e. g. omissio Confessionis et omnium aliarum orationum ante gradus dicendarum; omissio epistulae cum tractu vel graduali; omissio evangelii.

4. Omittere unam alteramve illarum partium, quae *non in omni* Missa occurrunt, non videtur grave, e. g. omittere: Gloria, Credo, commemorationem etc.

Docet Lehmkuhl[3]: «Non plane constat esse peccatum grave in hebdomada sacra Passionem omittere, recitando solum ultimam partem, quae pro evangelio sumitur; verum si quis fortuito impedimento detineatur, quominus Missam tam longam dicere possit, devotione tamen aliave causa ad celebrandum impellatur, praestat, aliam Missam, ut votivam de Passione, sumere, quam ex Missa illorum dierum Passionis historiam omittere. Nam illam votivam Missam sumere, etsi per se peccatum sit contra rubricas, at certe veniale tantum, et ex causa mediocriter gravi licebit sine ulla culpa id facere.» Secunda pars huius opinionis non placet, quia oportet 1. colorem paramentorum mutare, 2. sumere Missam contra expressam prohibitionem Ecclesiae. Cum autem iuxta communem sententiam non sit grave, omittere illa, quae non in omni Missa dicenda sunt, et Passio non sit in omni Missa dicenda, exsistente vera causa potius Passio est omittenda quam Missa votiva de Passione dicenda[4].

5. Non licet ex importuna devotione aliquid *addere* in Missa, et notanter non possunt ad libitum addi Collectae vel orationes[5].

6. *Abrumpere* Missam ante consecrationem non licet, nisi desit scandalum et simul adsit gravis causa, e. g. si sacerdos recordatur se non esse ieiunum, vel si subito aegrotat[6]. Abrumpere Missam post consecrationem numquam licet, nisi immineat periculum mortis aut

---

[1] S. C. R. d. 18 Martii 1898 (Decr. auth. n. 4015 ad 6); Cod. iur. can. c. 813.
[2] Theol. mor. l. 6, n. 403. [3] Theol. mor. II, n. 332.
[4] Cf. *Ballerini-Palmieri,* Opus theol.[3] IV, n. 1105.
[5] S. R. C. d. 17 Iul. 1894 (Decr. auth. n. 3832 ad 8).
[6] Cf. *S. Thom.,* Sum. Theol. 3, q. 83, a. 6, ad 2.

profanatio eucharistiae. Missa autem post consecrationem abrupta omnino complenda est ab ipso sacerdote vel ab alio etiam non ieiuno, quia secus immane sacrilegium committeretur[1]. Si tamen intercessit plus quam una hora, iam videtur esse destructa unio moralis inter partes Missae, ideoque probabiliter cessat stricta obligatio complendi Missam. Licitum tamen est complere Missam abruptam etiam post plures horas[2].

Interrumpere ad breve tempus Missam licet, dummodo adsit iusta causa. Sic e. g. licet interrumpere Missam post evangelium ad praedicationem faciendam, ad banna proclamanda etc.; licet post communionem brevem exhortationem habere ad pueros communicantes, ad vota religiosa recipienda aut emittenda. Coepto autem iam canone usque ad communionem sacerdotis non licet Missam interrumpere, nisi ex gravissima causa, e. g. ad viaticum administrandum moribundo, propter morbum sacerdotis breviter transiturum etc.

7. Si quis ex errore aliquid omisit, quod est de necessitate et integritate Missae (e. g. offertorium, consecratio), debet hoc repetere. Alia autem, quae non sunt de necessitate et integritate Missae, ut sunt Gloria, collecta, Credo etc., si sacerdos iam est aliquantulum progressus, non debet repetere, sed prosequi Missam[3].

TRACTATUS V.
De poenitentia.

305 **Praenotamen.** «Aggrediamur opus ad hunc tractatum de sacramento poenitentiae exponendum, *cui utique omni studio prae ceteris materiis sedulo incumbendum, cum in ipso totius Theologiae moralis summa et quaestiones magis ad praxim spectantes contineantur.*» Ita S. Alphonsus[4]. Catechismus autem Romanus[5] dicit: «Quemadmodum humanae naturae fragilitas et imbecillitas omnibus nota est, eamque in se ipso quisque facile experitur: ita, quantam habeat necessitatem poenitentiae sacramentum, ignorare nemo potest. Quodsi diligentiam, quae a parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei, quam tractant, magnitudine et pondere metiri oportet: omnino fatebimur eos numquam in huius loci explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit; quia etiam de hoc sacramento, quam de baptismo, eo accuratius agendum est, quod baptismus semel tantum administratur, nec iterari potest, poenitentiae vero toties locus datur eiusque repetendae toties necessitas imposita est, quoties post baptismum peccare contingat.» — Parochi autem aliique sacerdotes prorsus impares sunt ad recte instruendum fideles de poenitentia, nisi prius ipsi hanc rem apprime didicerint. Unde nullus sacerdos sacramentum poenitentiae administrare audeat, nisi sit instructus perfecta scientia poenitentiae.

Dividimus totum hunc tractatum in tria capita: 1. de essentia poenitentiae; 2. de subiecto poenitentiae; 3. de ministro poenitentiae.

---

[1] *S. Thom.*, S. theol. 3, q. 83, a. 6 ad 2.
[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 355.
[3] Cf. S. theol. 3, q. 83, ad 6 ad 5.
[4] Theol. mor. l. 6, n. 426.
[5] P. 2, c. 5, q. 1.

Innumeri auctores scripserunt de poenitentia; specialiter commendamus S. Thomam, S. theol. 3, q. 84 sqq., S. Alphonsum, Theol. mor. l. 6, n. 427 sqq., eiusque discipulos Marc et Aertnys. Deinde Billuart, Drouven, Lehmkuhl, Noldin, Haine, Ios. Göttler, Der hl. Thomas von Aquin und die vortridentin. Thomisten über die Wirkungen des Bußsakramentes (Freiburg 1904), Reginaldus Schultes O. P., Reue und Bußsakrament (Paderborn 1907), A. Tappehorn, Anleitung zur Verwaltung des heiligen Bußsakraments (Dülmen 1893).

CAPUT I.

De essentia poenitentiae.

Dividimus istud caput in quinque articulos: 1. de notione poenitentiae; 2. de virtute poenitentiae; 3. de exsistentia sacramenti poenitentiae; 4. de eius essentia; 5. de eius effectibus.

ARTICULUS I.

De notione poenitentiae.

Nomen latinum poenitentiae quidam derivant a «poenam tenere», quia 306
poenitens sibi poenam imponit ad satisfaciendum offenso. Alii hoc nomen designare putant «penitus» (i. e. intime in corde) aliquid sentire. Graece poenitentia nominatur μετάνοια, quod est idem ac mutatio sensus seu resipiscentia.

1. *Acceptiones profanae* nominis poenitentiae significant taedium, displicentiam, dolorem. Poenitentia adhibetur cum de bono tum de malo. Sic e. g. Cicero dicit de senectute: «Num igitur, si centesimum vixisset annum, eum suae senectutis poeniteret?»

2. *Acceptiones theologicae.* Vox poenitentiae a theologis sumitur in triplici potissimum sensu; a) pro *virtute morali* poenitentiae; b) pro *sacramento* poenitentiae; c) pro illa parte huius sacramenti, quae solet quoque vocari *satisfactio.* Poenitentia in primo sensu accepta recte vocatur a Catechismo Romano *poenitentia interior;* in duobus aliis vero sumpta nominatur *poenitentia exterior.* Ambae autem poenitentiae sunt intime connexae, ita ut in praesenti rerum ordine neutra sine altera esse possit. Etenim vera virtus poenitentiae includit votum sacramenti poenitentiae, quia peccator non potest Deo satisfacere propriis viribus, sed eget ad hoc poenitentiae sacramento. Ex alia parte sacramentum poenitentiae non potest valide suscipi, nisi adsit actus verae virtutis poenitentiae, scil. contritio vel attritio. Quamvis enim confessio et satisfactio abesse possint in casu necessitatis, e. g. in homine sensibus destituto, actus virtutis poenitentiae est omnino condicio, sine qua non potest quis valide absolvi. Quae quidem poenitentia interna simul iuncta cum externa solet vocari a SS. Patribus *baptismus laboriosus* vel etiam *secunda post naufragium tabula.* Prima enim tabula salvationis post naufragium peccati orginalis est baptismus.

Graeci poenitentiam vocantes μετάνοιαν non intendunt dicere (sicut Luther) *totam* eius essentiam consistere in resipiscentia, sed resipiscentiam esse signum evidens verae poenitentiae. Graeci aliquando vocant quoque poenitentiam ἐξομολόγησιν, i. e. confessionem.

ARTICULUS II.

De virtute poenitentiae.

Definitio. *Virtus poenitentiae est habitus supernaturalis, quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito*[1].

307 **Explicatur.** Dicitur 1°: poenitentia est *habitus supernaturalis*, quia, licet homo etiam naturalibus viribus propter motiva naturalia possit poenitere de peccatis commissis, tamen talis poenitentia neque est virtus perfecta neque destruit peccati maculam. Unde Concilium Tridentinum[2] definivit: «S. q. d. sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem . . . poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, A. S.» Idem Concilium[3] (et post ipsum Catechismus Romanus)[4] docet quinque motibus vel gradibus supernaturalibus hominem ad veram poenitentiae virtutem pervenire, scil. requiritur: a) Actus *misericordiae* divinae nos moventis et illuminantis iuxta illud: «Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.»[5] b) Actus *fidei*. Homo enim motus et illuminatus a Deo misericorde per fidem in Deum tendere debet. Nam quicumque vult accedere ad Deum, debet credere, quia Deus est ac remuneratur humana opera[6]. c) Actus *timoris*. Homo namque, credens Deum esse iustum persecutorem criminum, necessario percutitur timore Dei irascentis et punientis. d) Actus *spei*. Et-enim peccator non potest ad Deum accedere, nisi illi fulgeat spes nanciscendae misericordiae divinae et remissionis peccatorum. e) Actus *amoris initialis*. Nam homo credens in Deum iustum aeque ac misericordem necessario inducitur ad diligendum talem Deum. Insuper nulla iustificatio possibilis est adulto homini, nisi ille velit se convertere ad Deum atque coniungi cum ipso. Porro talis conversio et coniunctio includunt saltem imperfectum actum amoris. — Homo his quinque motibus vel gradibus praeparatus actum verae poenitentiae elicere potest atque sic deletis peccatis iustificari. Sane non semper requiritur, ut isti quinque motus seu gradus sint *realiter distincti aut separati* ante actum verae poenitentiae, sed aliquando homo motus a divina gratia elicit unum actum formalem poenitentiae, qui tamen *virtualiter* continet omnes alios requisitos.

Dicitur 2°: *quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato, in quantum est offensa Dei*. Ergo non quicumque dolor de peccatis commissis est actus verae virtutis poenitentiae, sed solummodo quando peccatum odio habetur ut *offensa Dei;* ideoque obiectum formale poenitentiae est offensa seu iniuria Dei reparanda; e. g. dolor de peccatis ortus ex turpitudine naturali peccati vel eius malis effectibus naturalibus, non est actus verae poenitentiae. Non oportet quidem, ut motivum poenitentiae sit amor Dei perfectus, sed requiritur, ut illud aliqualiter ad Deum referatur, e. g. motivum sufficiens sunt poenae temporales aut aeternae, non quidem ut sunt in se, sed *ut infligendae a iustitia divina*.

---

[1] Cf. *S. Thom.*, S. theol. q. 85, a. 1—3. *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 434) dat sequentem definitionem: «Poenitentia est virtus tendens in destructionem peccati, in quantum est Dei offensa, medio dolore et satisfactione.»

[2] Sess. 6, can. 3 de iustif. (*Denz.* n. 813). [3] Ib. cap. 6 (Denz. n. 798).

[4] P. 2, c. 5, q. 7.

[5] Thr. 5, 21. [6] Cf. Hebr 11, 6.

Demum dicitur 3°: *cum emendationis proposito,* quia verus dolor peccati includit detestationem praeteriti et propositum emendationis pro futuro.

Actus poenitentiae. Ex dictis sequitur, ut in virtute poeni- 308
tentiae plures actus contineantur, scil. a) odium et detestatio peccati; b) dolor de offensa illata Deo; c) voluntas delendi in nobis peccatum; d) voluntas satisfaciendi Deo laeso; e) voluntas vitandi peccatum futurum. Communiter autem assignantur tantum tres actus in poenitentia inclusi: dolor, detestatio, propositum.

Subiectum proximum poenitentiae est voluntas. 309

Poenitentia enim est pars iustitiae, quae in voluntate residet, ut supra II, n. 70 dictum est. Quamvis enim aliae facultates animae ad actum poenitentiae concurrant (e. g. memoria repraesentat peccatum commissum eiusque malitiam; dolor sentitur aliquando in corpore), tamen voluntatis est elicere et imperare actum poenitentiae; proindeque fideles non sunt inquietandi, si elicientes contritionem non sensibiliter percipiunt (uti dicunt) dolorem.

Subiectum remotum poenitentiae est quilibet homo peccati reus 310
vel saltem capax.

Cum poenitentia sit virtus infusa, est in omnibus, qui sunt in statu gratiae sanctificantis atque peccaverunt aut saltem possunt peccare. Ergo etiam in infantibus baptizatis. — In gehenna non datur vera poenitentia, quia ibi non exsistit vera virtus; in coelo vero beatis remanet virtus poenitentiae, in quantum habent displicentiam de peccatis antea commissis et gaudium de satisfactione praestita. — Neque Christus neque probabiliter B. Virgo habent virtutem poenitentiae, cum non fuerint capaces alicuius peccati [1].

Obiectum materiale poenitentiae est quodlibet peccatum *per-* 311
sonale, in quantum est laesivum divinae iustitiae ac proinde exigit satisfactionem.

Unde poenitentia proprie non versatur neque circa peccatum originale neque circa peccata aliena, quia nemo retractare potest nisi illud, quod propria voluntate personali factum est. In latiore autem sensu, in quantum scilicet poenitentia significat *detestationem,* poenitere aliquis potest de omnibus peccatis, sicut etiam ipse Christus omnia peccata detestatus est.

Obiectum formale poenitentiae est offensa Dei expiabilis seu 312
ius divinum laesum reparabile per satisfactionem.

Poenitentia igitur non respicit Deum, ut est summum bonum amabile vel ut est summo cultu dignus, sed ut est *supremus dominus super omnes actiones humanas,* quae ideoque fieri debent secundum eius beneplacitum. Peccator laedit hoc ius. Poenitens reparat idem ius. Si haec prae oculis habentur, facile intelligitur, cur S. Thomas et communiter theologi doceant poenitentiam esse virtutem *specialem,* non autem quid intrinsecus complexum aut qualitatem cuilibet virtuti annexam. Poenitentia enim cum habeat speciale obiectum materiale et formale, sit specialis virtus oportet. Rectissime autem S. Thomas [2] scribit: «Poenitentia, licet sit directe species iustitiae, comprehendit tamen quodammodo ea, quae pertinent *ad omnes virtutes.*» Fortasse in nulla alia virtute ita claret connexio omnium virtutum sicut in poenitentia perfecta.

---

[1] Cf. *Billuart,* De poenit. diss. 2, a. 2.

[2] S. theol. 3, q. 85, a. 3 ad 4.

Homo vere poenitens exercet omnes alias virtutes. Quapropter etiam facile intelligitur, cur multi peccatores et peccatrices vere poenitentes ad magnam sanctitatem pervenerint. Optime de virtute poenitentiae disserit Angelicus Doctor in compluribus articulis Summae theol. 3, q. 85.

313 **Necessitas virtutis poenitentiae.** Poenitentia (vel intra vel extra sacramentum) omnibus peccatoribus necessaria est, necessitate tam medii quam praecepti.

a) *Necessitas medii.* S. Thomas[1] ait: «Impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia, quae est virtus», et Concilium Tridentinum[2] definivit: «Fuit poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria.» Salvator dixit: «Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.»[3] — Ratio autem est, quia peccatum mortale essentialiter est aversio a Deo. Porro ista aversio destrui debet per conversionem ad Deum seu per peccati detestationem, quae est profecto poenitentia.

b) *Necessitas praecepti.* Poenitentia praecipitur cum a iure naturali tum a iure divino tum a iure ecclesiastico. *Ius naturale* exigit, ut iustitia laesa reparetur. Atqui peccatum laedit iustitiam, violando honorem Deo debitum. Reparatio autem iustitiae hoc modo laesae fit per poenitentiam. — Poenitentiam esse etiam necessariam necessitate *praecepti divini,* patet ex compluribus S. Scripturae textibus, e. g.: «Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum. . . . Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.»[4] «Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.»[5] — *Ius ecclesiasticum* praescribens annualem confessionem etiam praecipit poenitentiam.

314 **Quaeres:** *Quandonam obligat praeceptum poenitentiae?*

Theologi non concordant. Sequentia videntur admittenda: Praeceptum poenitentiae obligat per se et per accidens.

Per accidens obligat, quoties urget aliquod praeceptum, quod sine vera poenitentia adimpleri nequit, e. g. si sacerdos in statu peccati exsistens debet aliquod sacramentum administrare, vel si quis non potest aliter gravem tentationem vincere.

Per se obligat praeceptum poenitentiae in articulo aut gravi periculo mortis, quia tunc homo peccator debet obtinere remissionem peccati; non autem obligat *statim* post patratum peccatum. Licet enim sit valde consulendum, ut homo post patratum peccatum quantocius poeniteat, tamen neque ius naturale neque ius positivum huiusmodi clarum praeceptum continet. Unde S. Thomas[6] ait: «Non est de necessitate salutis corporalis, quod statim medicina quaeratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, et similiter est de morbo spirituali.» — Ratio autem est, quia praeceptum poenitentiae est praeceptum *affirmativum,* quod non obligat omni, sed determinato tempore. Insuper si quis teneretur sub gravi statim poenitere, tunc toties peccaret graviter, quoties cogitans de huiusmodi obligatione poenitentiam differret, quod profecto gratuito asseritur et a nemine in praxi docetur. — Nihilominus *notabilis dilatio* poenitentiae est peccatum speciale et mortale.

[1] S. theol. 3, q. 86, a. 2. [2] Sess. 14, c. 1 de poenit. (*Denz.* n. 894).
[3] Lc 13, 5. [4] Act 2, 38 et 3, 19. [5] Act 8, 22.
[6] 4, dist. 17, q. 3, a. 1, sol. 4 ad 2.

Ita sententia verior contra Caietanum, Durandum et paucos alios. Saltem videtur poenitentia differri non posse *ultra annum,* cum praeceptum Ecclesiae de annua confessione non videatur anticipare naturalem et divinam obligationem poenitentiae. S. Alphonsus [1] huic opinioni non omnino acquiescit dicens: «Spatium enim anni satis notabile mihi videtur, ut quis per tantum temporis exsistens in mortali possit vitare periculum in alia facile relabendi. Nec valet dicere, quod Ecclesia pro omnibus indistincte determinaverit tempus anni: nam Ecclesia hoc tempus solum determinavit ad obligationem confessionis, non autem poenitentiae. Non nego tamen, quod peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam, ut plurimum, immo fere semper excusari possunt.» Cum igitur S. Doctor fere semper excuset peccatores a gravi obligatione speciali poenitendi infra annum, confessarius valde quidem consulat frequentem poenitentiam, sed ne damnet eos specialis peccati mortalis, qui poenitentiam usque ad annuam confessionem distulerint.

Scholion. De resipiscentia insufficienti ad poenitentiam. Luther 315
docuit veram poenitentiam esse nihil aliud nisi resipiscentiam ad bonam vitam. Contra hunc errorem declarat Concilium Tridentinum [2], «hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et incohationem, sed veteris etiam odium continere.» Et revera, qui clamores Psalmistae poenitentis et Prophetae considerat, e. g.: «Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum» [3], et: «Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae» [4], facile intelligit eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse.

ARTICULUS III.

De exsistentia sacramenti poenitentiae.

Errores. Poenitentiam externam, sicuti in Ecclesia catholica nunc ad- 316
hibetur et in articulo sequenti explicabitur, non esse verum et proprie dictum sacramentum Novae Legis, praeter quosdam antiquos haereticos (ut Montanistas, Novatianos etc.) Calvinistae, Lutherani et generatim omnes fere haeretici docent. Sic e. g. Calvinistae opinantur nullum aliud remedium peccatorum actualium exsistere quam ipsum baptismum in memoriam revocatum cum certa fiducia remissionis peccatorum. — Harnack docet theoriam de poenitentia semper quidem in Ecclesia viguisse, Concilium Lateranense IV (1215) praescripsisse confessionem auricularem annualem, sed S. Thomam primum asseruisse hanc confessionem auricularem esse verum sacramentum. Contra hos omnes cum Ecclesia catholica statuitur:

Thesis. *Poenitentia externa, quae in Ecclesia catholica agitur,* 317
est verum et proprium sacramentum Novae Legis.

Prob. 1. *Ex definitionibus Ecclesiae.* Concilium Tridentinum [5]: «S. q. d. in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, A. S.» Idem definit Concilium Florentinum dicens: «Quartum sacramentum est poenitentia.»

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 437. [2] Sess. 14, c. 4 de poenit. (*Denz.* n. 897).
[3] Ps 6, 7. [4] Is 38, 15.
[5] Sess. 14, can. 1 de poenit. (*Denz.* n. 911).

Prob. 2. *Ex S. Scriptura.* Ad sacramentum tria requiruntur, scil. signum sensibile, gratiae productivum, institutio a Iesu Christo. Atqui haec tria inveniuntur in poenitentia. Etenim a) habetur signum sensibile, scil. ipsum iudicium sacramentale constans ex duplici elemento, i. e. ex confessione peccatorum et ex absolutione ore prolata. Per se patet istud signum sensibile poenitentiae distinctum esse a signo sensibili baptismi, ac proinde sacramentum poenitentiae distingui a sacramento baptismi. b) Deinde in poenitentia producitur gratia sanctificans. Etenim in poenitentia remitttuntur peccata. Atqui peccata non possunt remitti, quin simul infundatur gratia sanctificans. Peccata autem revera in poenitentia remitti, sequitur ex potestate clavium Ecclesiae a Christo collata, quam quidem Ecclesia exercet in sacramento poenitentiae. Christus vero contulit cum Petro tum aliis apostolis potestatem clavium dicens: «Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.»[1] c) Institutio sacramenti a Iesu Christo sequitur ex eius verbis post resurrectionem prolatis et directis ad apostolos: «Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.»[2] Quae quidem potestas apostolis tradita non est potestas mere *declarandi* peccata esse remissa, sed potestas vere *remittendi* peccata. Nam Christus immediate antea dixerat: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos», quibus verbis significavit se dare apostolis similem missionem, sicuti ipse a Patre accepit. Iamvero Christus non solum declaravit peccata esse remissa, sed ea revera ipse remisit[3]; immo ad hoc in mundum venit. Insuper quando Christus hanc potestatem contulit, modo valde sollemni egit, nam prius insufflavit in apostolos et tunc dixit: Accipite Spiritum Sanctum etc. Porro annuntiare remissionem peccatorum non est privilegium tam novum et singulare, quod non nisi Spiritu Sancto specialiter adiuvante exerceri possit, cum id etiam prophetae Veteris Testamenti fecerint, immo quilibet praedicator hoc facere valeat.

Prob. 3. *Ex traditione.* In libro, qui vocatur «Doctrina duodecim Apostolorum» et qui editus est saeculo II, legitur: «Die autem dominica convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum.»[4] Quamvis iste textus varie a variis auctoribus intelligatur, tamen ex eo satis apparet confessionem sacramentalem iam saeculo II a fidelibus adhibitam esse, ut esset mundum sacrificium. *Tertullianus* initio saeculi III vivens satis clare loquitur de sacramento poenitentiae, sed tamquam rigidus Montanista non nisi semel admisit poenitentiam. Iuxta Tertullianum tunc temporis prius peragebatur in vita peccatoris confessio, quae fieri debebat episcopo aut eius delegato. Nil autem probat hanc confessionem semper fuisse *publicam.* Secundo loco habebatur exomologesis, i. e. satisfactio. Exomologesis tunc temporis non erat idem quod confessio (ut complures erronee putaverunt), sed erant opera poenitentiae perficienda pro satisfactione peccatorum patratorum. Unde Tertullianus dicit: «Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est.» Tertio loco absolutio seu venia dabatur ab episcopo[5].

Exsistentiam sacramenti poenitentiae haud obscure probat institutio presbyterorum poenitentiariorum iam saeculo III nota. Scribit de hac institutione

---

[1] Mt 18, 18; cf. 16, 18. [2] Io 20, 22 sq. [3] Cf. Mt 9, 6.
[4] Didache n. 14 (ed. *Funk*). [5] Cf. *Tanquerey*, De sacr. n. 43 sqq.

Socrates[1]: «Ex illo tempore [persecutionis Decianae 250] episcopi poenitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adiecerunt, ut, qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem instituto delicta sua confiterentur.» *Sozomenes*[2] autem addit hunc presbyterum peccatores absolvisse. A saeculo V et deinceps clara est poenitentiae sacramenti exsistentia. Sic e. g. *Innocentius I* (saec. V) scribit ad Decentium episcopum Eugubinum: «De poenitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanae Ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis et ad fletus atque lacrimas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis aegritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de saeculo absque communione discedat.»[3]

Haec sufficiant pro scopo nostro. Qui plura cupit, adeat dogmaticos et apologetas.

Necessitas sacramenti poenitentiae. Supra iam probata est 318
necessitas *virtutis* poenitentiae. Cum autem ibi dictum sit virtutem poenitentiae in praesenti rerum ordine non posse iustificare sine sacramento saltem *in voto,* patet etiam ipsum sacramentum esse necessarium saltem ex praecepto divino. Unde Concilium Tridentinum[4] definivit: «Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse *iure divino,* ... A. S.» Iure ecclesiastico Concilium Lateranense IV (a. 1215) definivit, sacramentum poenitentiae saltem semel in anno esse suscipiendum ab eo, qui reus est peccati mortalis[5].

ARTICULUS IV.

De essentia sacramenti poenitentiae.

Praenotamen. In hoc articulo agemus de partibus constitutivis sacramenti poenitentiae, postquam primo explicata est huius sacramenti definitio. Unde totus articulus comprehendit quattuor paragraphos: 1. de definitione sacramenti poenitentiae; 2. de eius materia remota; 3. de eius materia proxima; 4. de eius forma.

§ 1.

De definitione sacramenti poenitentiae.

Definitio. Sacramentum poenitentiae est sacramentum 319
Novae Legis a Christo institutum per formam iudicii ad peccata post baptismum commissa remittenda homini contrito et rite confesso per absolutionem sacramentalem.

Dicitur 1°: *a Christo institutum.* Cum in articulo praecedente probatum sit sacramentum poenitentiae exsistere, sequitur, ut illud sit a Christo insti-

[1] Hist. eccl. l. 5, c. 19 (*Migne,* Patr. graec. 67, 614).
[2] Hist. eccl. l. 7, c. 16 (*Migne* l. c. 67, 1459).
[3] Apud *Migne,* Patr. lat. 2, 559.
[4] Sess. 14, can. 6 de poenit. (*Denz.* n. 916).
[5] *Denz.* n. 437.

tutum, quia omnia sacramenta sunt a Christo instituta. Circa *tempus* istius institutionis docet Concilium Tridentinum[1]: «Dominus sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt.» Concilium autem dicit: *praecipue* instituit, quia Christus iam ante passionem suam hoc sacramentum promiserat, ac proinde incohative instituerat[2].

Dicitur 2°: *per formam iudicii,* et reconciliativi quidem, non condemnatorii. Concilium Tridentinum[3] definivit: «S. q. d. absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti. . . . A. S.» In hoc sacramento poenitens est simul reus, testis et accusator, sacerdos vero est iudex. Forma iudicialis distinguit hoc sacramentum ab omnibus aliis. Etenim sacramentum matrimonii institutum est per *modum contractus;* alia vero sacramenta consistunt in rebus physicis. Propter iudicium essentialiter requisitum in poenitentia exiguntur confessio peccatorum, absolutio indicativa (et non per modum deprecationis), aliaeque plures condiciones, ut infra patebit.

Nota. Iudicium sacramentale in poenitentia, licet sit verum iudicium, in pluribus differt a iudicio civili, in quo numquam reus est simul accusator et testis. Deinde iudicia humana intendunt *reparationem publici ordinis laesi* ideoque reum saepe graviter puniunt; iudicium autem sacramentale intendit reconciliationem rei cum Deo et iuxta praesentem disciplinam levissimas poenas imponit poenitenti. — Ecclesia nullam quidem potestatem habet circa physicam materiam et formam sacramentorum. Cum autem in sacramentis poenitentiae et matrimonii materia sint actus *morales* hominis, Ecclesia potest condiciones apponere, quae requiruntur non solum ad liceitatem, verum etiam ad validitatem amborum sacramentorum. Sic iurisdictio eaque non limitata requiritur ad validitatem absolutionis in poenitentia. Sic Ecclesia statuit impedimenta validitatem matrimonii destruentia.

Dicitur 3°: *ad peccata post baptismum commissa remittenda.* Quibus verbis indicatur materia remota huius sacramenti. Omnia prorsus peccata cum venialia tum mortalia in sacramento poenitentiae possunt remitti. Ergo nulla sunt peccata irremissibilia, ut voluerunt Montanistae et Novatiani. Lutherani autem et Iansenistae impugnabant confessionem peccatorum venialium. Licet non sit necessarium confiteri peccata venialia, tamen hoc est utile, et eorum remissio obtineri potest in sacramento poenitentiae. — Per poenitentiam non possunt remitti nisi peccata commissa *post* baptismum, quippe qui remittat omnia peccata anteriora. Si baptismus receptus erat cum obice, tunc reviviscit eius efficacia, quando obex ablatus est per contritionem aut per attritionem cum sacramento poenitentiae. Cf. infra n. 321.

Dicitur 4°: *homini contrito et rite confesso per absolutionem sacramentalem.* Istis verbis continetur materia *proxima* et forma sacramenti poenitentiae. Ut enim infra n. 327 patebit, tres actus poenitentis, scil. contritio, confessio et satisfactio, sunt huius sacramenti materia proxima, forma autem est sacramentalis absolutio sacerdotis.

---

[1] Sess. 14, can. 1 de poenit. (*Denz.* n. 894).
[2] Mt 16, 19; 18, 18.
[3] Sess. 14, can. 9 (*Denz.* n. 919).

§ 2.

De materia remota sacramenti poenitentiae.

Materia remota (seu potius removenda) sacramenti poenitentiae sunt peccata non acceptanda sed detestanda et destruenda. 320

Ita S. Thomas[1]. Est autem (ut dici solet) materia circa quam; sicut enim medicinae materia est infirmitas curanda, ita poenitentiae materia sunt peccata destruenda. Materia haec remota distinguitur: 1. necessaria et libera; 2. certa et dubia; 3. sufficiens et non-sufficiens.

Materia necessaria *sacramenti poenitentiae sunt omnia peccata mortalia post baptismum commissa nondum in confessione manifestata nec per absolutionem directe remissa.* 321

Dicitur 1°: omnia peccata *mortalia.* «Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt.»[2]

Dicitur 2°: *post baptismum commissa.* Peccata enim ante baptismum commissa remittuntur ipso sacramento baptismi digne suscepto. Non concordant theologi de modo, quo remittantur peccata *ante* vel *in* baptismo commissa, si baptismus quidem valide, sed indigne suscipitur propter obicem exsistentem, e. g. propter defectum sufficientis fidei et doloris de praeteritis peccatis. Videtur cum distinctione esse respondendum: Peccata, quae *ante* baptismum commissa sunt, e. g. adulteria, furta etc., numquam sunt materia necessaria sacramenti poenitentiae, etiamsi baptismus est sacrilege susceptus, ac proinde numquam adest stricta obligatio ea confitendi. Ratio est, quia ista peccata commissa sunt eo tempore, quo Ecclesia nondum habuit in hunc peccatorem iurisdictionem atque potestatem absolvendi. Peccatum vero sacrilegii, quod committitur *in ipso instanti* suscepti baptismi, virtualiter perdurat saltem unum momentum post. Ergo iam est materia necessaria sacramenti poenitentiae, ac proinde accusari debet. Quando igitur hoc sacrilegium cum debito dolore confessum absolvitur in sacramento poenitentiae, reviviscit baptismus atque omnia peccata antea commissa delentur[3]. Sin autem quis baptismum valide suscipiat cum obice sed *sine sacrilegio,* e. g. non dolet de peccatis commissis, quia non percipit gravem obligationem doloris, tunc peccata ante baptismum commissa delentur, quando baptizatus elicit dolorem sufficientem etiam extra confessionem, sed ne in isto quidem casu tenetur illa peccata confiteri.

Si **adultus catholicus** orto serio dubio de valore suscepti baptismi iterum baptizatur, non tenetur iterare confessiones ante secundum baptismum factas. Ratio est, quia, si prior baptismus validus fuit, tunc peccata postea facta remissa sunt sequentibus confessionibus; sin vero prior baptismus fuerit invalidus, tunc omnia peccata remittuntur per secundum baptismum. Ergo in omni casu peccata remittuntur. Peccata autem *ab ultima confessione commissa et nondum accusata* debent in confessione declarari.

---

[1] S. theol. 3, q. 84, a. 2.

[2] Conc. Trid. sess. 14, c. 5 de poenit. (*Denz.* n. 899).

[3] Cf. S. theol. 3, q. 69, a. 10 ad 2. — *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 427) concedit hanc sententiam esse communissimam, sed dicit rationes pro ea allatas non convincere.

Si **adultus acatholicus** sub condicione iterum baptizatur, debet confiteri omnia peccata anteactae vitae et sub condicione absolvi. Ratio est, quia ista peccata nondum fuerunt accusata in confessione, neque certo remittuntur per baptismum condicionatum [1]. Differentia igitur inde provenit, quia catholicus dubie baptizatus omnia peccata iam confessus est, acatholicus vero non.

Dicitur 3°: *nondum in confessione manifestata ac directe remissa. Directe* dicuntur remitti peccata illa, quae explicite accusata sunt et deinde absolutionem acceperunt a confessario legitima iurisdictione praedito. *Indirecte* remittitur aliquando peccatum propter absolutionem validam aliorum peccatorum. Cum enim unum peccatum grave peccatori non possit remitti sine omnibus aliis, uno rite absoluto omnia alia quoque absolvantur necesse est. E. g. poenitens inculpabiliter obliviscens in confessione peccatum mortale habensque contritionem universalem, cum absolutione directa peccatorum accusatorum indirecte absolvitur a peccato ex oblivione omisso. Absolutio indirecta aliquando etiam locum habet, si agitur de peccatis reservatis [2].

322 **Materia libera** sacramenti poenitentiae sunt: a) peccata venialia, post baptismum commissa; b) omnia peccata tam mortalia quam venialia iam directe remissa post baptismum.

Peccata venialia esse materiam liberam et non necessariam patet ex verbis Concilii Tridentini sess. 14, c. 5 supra citatis. Ratio autem est, quia peccatum veniale ex una parte veram culpam includit ac proinde in sacramento poenitentiae absolvi potest; ex alia vero parte culpa peccati venialis non est tanta et talis, quae non possit extra sacramentum poenitentiae remitti e. g. per actus caritatis aliarumque virtutum. — Peccata (mortalia et venialia) iam remissa esse materiam liberam poenitentiae sequitur ex praxi universali fidelium huiusmodi peccata iterum iterumque potestati Ecclesiae submittentium. De qua re iam scribit Benedictus XI [3]: «Ceterum licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen . . . propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salutare.» Ratio autem, quare liceat salutariter huiusmodi peccata iam remissa iterum submittere potestati clavium, videtur potissimum haec esse: S. Scriptura monet: De propitiato peccato noli esse sine timore. Et homo non potest sine speciali revelatione certo scire, utrum sit amore an odio Dei dignus. Accusato igitur et absoluto peccato homo nihilominus iterum potest convenienter petere a Deo veniam, atque Deus potest per os confessarii iterum veniam peccatorum eorundem concedere.

323 **Materia certa** est omne verum et certum peccatum sive mortale sive veniale. Materia vero *dubia* est peccatum *dubium*. Dubium de exsistentia peccati ex diversis causis oriri potest, e. g. propter conscientiam erroneam, propter dubiam advertentiam, propter dubium consensum etc. Materia dubia est materia insufficiens, de qua statim.

324 **Materia sufficiens** est illa, quae ad absolutionem sacramentalem valide recipiendam sufficit. Est autem omnis materia necessaria et libera, dummodo sit certa [4]. — Materia *insufficiens* sunt imperfectiones et omnia ea quae non *certe* habent rationem peccati; vel aliis verbis: materia insufficiens est omne id, quod constituit ne liberam quidem materiam.

[1] Cf. supra n. 139. [2] Cf. infra de reservatione casuum.
[3] Habetur c. 1 «Inter cunctas» V, 7 Extrav. comm. [4] Cod. iur. can. c. 902.

Nomine imperfectionum in hac materia intelliguntur actus minus boni, qui *obiective* considerati nullam certam transgressionem legis aeternae constituunt [1]. Sane cum non exsistant *in individuo* actus indifferentes, tales sic dictae imperfectiones sunt reapse aut actus mali aut actus boni; sed quia confessarius ordinarie nequit *certo* iudicare de eorum peccaminositate, non sunt materia sufficiens absolutionis. Sic e. g. qui accusat se omisisse aliquoties preces matutinales, se passum esse distractiones involuntarias in oratione, se habuisse subitaneos et involuntarios motus irae aut concupiscentiae, affert materiam insufficientem pro absolutione sacramentali. Possunt quidem poenitentes declarare huiusmodi imperfectiones, ad hoc ut confessarius valeat melius de eorum animae statu iudicare atque bona consilia dare, sed omnino inducendi sunt, ut praeter has imperfectiones ad minus accusent aliquod peccatum vitae anteactae, licet non secundum ultimas species descriptum, e. g. debent dicere: Insuper accuso me de peccatis anteactae vitae contra castitatem, contra caritatem etc.

Scholion. De peccatis in genere tantum accusatis. Essentia sacra- 325
menti poenitentiae consistit in eo, quod sit iudicium idque reconciliativum. Porro iudex non potest iustum iudicium ferre, nisi sufficienter cognoscat delicta commissa. In sacramento poenitentiae non requiritur tanta cognitio delictorum, quanta in iudiciis humanis, quia in eo Deus, ipse perscrutator cordium, est principalis iudex, et quia finis poenitentiae est sententia *reconciliatoria* et *liberativa*. Nihilominus aliqua saltem cognitio ex parte confessarii requiritur ad validitatem sacramenti.

In extrema necessitate sufficit *accusatio generica*. E. g. militibus instante proelio [2], vel nautis imminente naufragio, vel moribundo sensibus destituto licite datur absolutio, si signo aliquo externo se manifestant generice tamquam peccatores contritos, in quantum hoc est possibile. Ita fert universalis praxis Ecclesiae. Ratio autem est, quia Christus praecepto affirmativo in sacramento poenitentiae exegit moralem actum confessionis ad hoc, ut confessarius iudicare queat de statu poenitentis. Porro praeceptum affirmativum non obligat in extrema necessitate, si saltem essentia sacramenti salvatur. Essentia autem poenitentiae consistit in iudicio, quod aliqualiter adest etiam post solam generalem accusationem.

Extra casum extremae necessitatis requiritur omnino (licet forte non de validitate) aliqua magis determinata accusatio. Determinatio vero accusationis diversos gradus habet, scil.:

a) Accuso me de omnibus peccatis vitae meae.

b) Accuso me de omnibus peccatis mortalibus.

c) Accuso me de omnibus peccatis commissis contra talem virtutem, e. g. castitatem, caritatem etc.

d) Accuso me semel laesisse virtutem iustitiae clam auferendo 1000 Mark a gubernio civili.

Quibus distinctionibus praemissis duae sequentes propositiones videntur verae:

1. Si agitur *de materia necessaria,* non sufficit extra casum necessitatis accusatio neque de omnibus peccatis neque de peccatis mortalibus, sed re-

[1] Cf. supra I 131.

[2] Ita expresse statuit S. Poenitentiaria d. 6 Febr. 1915 (Act. Ap. Sed. VII 72). Milites ita absoluti possunt etiam s. eucharistiam sumere; debent autem postea, si evaserint periculum, integram confessionem peragere.

quiritur determinatio secundum speciem et numerum. Ratio est, quia ex iure divino peccata mortalia sunt accusanda secundum speciem et numerum, ut declaravit Concilium Tridentinum[1]: «S. q. d. in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, . . . A. S.»

2. Si agitur *de materia libera*, valida quidem est etiam extra casum necessitatis generica accusatio sub a) et b), sed saltem *venialiter illicita*. Validam esse absolutionem in hoc casu, vix negari potest. Nam non exsistit praeceptum divinum accusandi materiam liberam, et insuper non est aliud quid *essentiale* exigendum pro casu necessitatis et aliud extra hunc casum. Ergo cum in casu necessitatis valida sit generalis accusatio, etiam eam oportet validam esse aliis in casibus. Neque quis dicat exinde sequi, ut etiam valida sit generalis accusatio materiae *necessariae*, quod tamen supra negatum est. Nam si agitur de materia necessaria, accedit grave praeceptum divinum declarandi singula peccata, quod non adest, si agitur de materia libera.

Illicitam esse solam generalem accusationem materiae liberae, docent communissime theologi, paucis exceptis, e. g. Gury-Ballerini[2], Génicot[3], Bucceroni[4]. Ratio est multiplex: 1. praxis universalis fere omnium confessariorum, qui exigunt, ut saltem species materiae liberae declaretur; 2. adesset periculum deficientis contritionis, cum sit satis difficile dolorem elicere de peccatis generice tantum accusatis; 3. iudicium confessarii sine sufficienti ratione maneret valde imperfectum, ut patet. — Unde in praxi exigendum est a poenitentibus, qui non accusant nisi materiam liberam, ut saltem adhibeant determinationem sub c) indicatam, nempe ut dicant se peccasse contra talem vel talem virtutem. Quae obligatio non videtur gravis, ideoque si poenitens est ita rudis aut labilis memoriae, ut nullius peccati determinati recordetur, confessarius non debet illum torquere ad habendam materiam magis determinatam. Potest igitur illi dicere e. g.: Velis includere omnia peccata vitae anteactae et specialiter contritionem elicere de peccatis contra caritatem vel debitam devotionem in exercitiis pietatis etc.

§ 3.

De materia proxima sacramenti poenitentiae.

326 *Materia proxima sacramenti poenitentiae sunt tres actus poenitentis, scil. contritio, confessio, satisfactio.* Contritio debet adesse actualiter (vel virtualiter), confessio autem et satisfactio saltem *in voto* vel tamquam inclusae implicite in contritione. — Isti tres actus recte vocantur materia proxima, quia agunt circa materiam remotam, i. e. peccata, ac hominem peccatorem praeparant, ut accedente forma sacramenti, scil. absolutione confessarii, gratia sanctificans ei infundatur. Ita sententia communissima, quae nititur et auctoritate S. Thomae, Conciliorum Florentini, Tridentini, Catechismi Romani, Ritualis Romani et insuper valida ratione theologica.

---

[1] Sess. 14, can. 7 de poenit. (*Denz.* n. 917).
[2] Comp. Theol. mor. II 421. [3] Theol. mor. II 262.
[4] Inst. Theol. mor.[6] III, n. 673.

S. Thomas[1] dicit: «Quartum sacramentum est poenitentia, cuius quasi-materia sunt actus poenitentis.» Haec eadem verba adhibet Concilium tam Florentinum quam Tridentinum. Catechismus autem Romanus ea explicat de vera materia sacramenti[2]. Rituale Romanum[3] dicit: «Cum autem ad illud [sacramentum poenitentiae] constituendum tria concurrant: materia, forma, minister, illius quidem remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio, satisfactio; forma autem illa absolutionis verba: Ego te absolvo etc.»

Ratio vero theologica est haec: Christus instituit sacramentum poenitentiae *in forma iudicii*. Porro in iudicio debent esse duo elementa: materia iudicii, i. e. delictum accusatum, probatum et puniendum, atque sententia iudicis. Sic a pari in sacramento poenitentiae debent esse duo elementa: unum materiale, scil. delicta poenitentis atque tres actus eius; alterum formale, scil. absolutio confessarii. Patet etiam tres actus poenitentis, licet soli non possint (saltem ordinarie) gratiam conferre, disponere tamen ad illam.

Tres actus poenitentis sunt *causa partialis instrumentalis*, qua Deus causat gratiam in sacramento poenitentiae. Quod quidem manifeste docet S. Thomas[4] dicens: «Omne sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae. . . . Unde . . . remissio culpae est effectus poenitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc sacramento; secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae.»

Ceterum in praxi duo admittuntur fere ab omnibus: 1. Non licet absolutionem dare poenitenti, qui hos tres actus non elicuit, etiamsi potuit; 2. potest et debet dari absolutio christianis moribundis etiam sensibus destitutis, dummodo habeant intentionen saltem interpretativam recipiendi illam. Haec intentio interpretativa semper fere est supponenda, et quidem etiam apud haereticos vel schismaticos materiales. Unde relinquenda est sententia severior plurium veterum auctorum, e. g. Concina[5]. Ratio est, quia omnis fere homo christianus aliquando manifestat exterius desiderium religiose moriendi. Porro tale desiderium (quale iam sufficienter exprimitur verbis «Ave Maria . . . ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen») necessario includit voluntatem praestandi ea omnia, quae sunt necessaria ad remissionem peccatorum obtinendam, inter quae sunt contritio et confessio. Ergo cum sacramenta sint propter homines et in casu mortis liceat sacramenta etiam dubie valida administrare, homo baptizatus moribundus et sensibus destitutus praesumitur habere sufficientem intentionem ac contritionem et confessionem antea manifestatam ac nunc virtualiter et etiam exterius perseverantem[6], ita ut condicionate absolvi possit[7]. Aliter res se habet, si talis moribundus paulo antea *manifeste* expresserit voluntatem sacramentum poenitentiae non recipiendi; sed etiam in isto casu aliquando dari potest absolutio sub condicione, quia non est certum permansisse moribundum in sua perversa voluntate. — In praxi praestat, ut sacerdos assistens

---

[1] Op. de articulis fidei et Eccl. sacr.

[2] Cf. infra n. 327 textus allatos. [3] Tit. 3, c. 1, n. 1.

[4] S. theol. 3, q. 86, a. 6. [5] De poenit. l. 1, diss. 4, c. 10.

[6] Experientia constat tales homines, qui apparent quidem sensibus destituti, revera percepisse verba prolata et contritionem manifestasse motu musculorum et nervorum.

[7] Cf. S. Off. d. 20 Iul. 1898; 17 Maii 1916 (Linzer Theol. Quartalschr. 1916, 693 sq).

moribundo sensibus destituto hoc modo procedat: Cum ille, qui apparet destitutus sensibus, nihilominus haud raro bene audiat et intelligat verba prolata, sacerdos alta voce pro illo eliciat actum contritionis et deinde illi det absolutionem sub condicione; pro salutari poenitentia illi porrigat imaginem Crucifixi osculandam. Postea, si tempus suppetit, et aliud obstaculum deest, det illi extremam unctionem.

327 **Aliter sentientes de materia proxima.** Nonnulli antiquiores theologi, ut Guilelmus Antisiodorensis et Alexander Halensis, dicuntur docuisse materiam proximam huius sacramenti esse *impositionem manus* a confessario factam. Sed haec sententia iam est obsoleta, quia constat nullam impositionem manus pertinere ad essentiam poenitentiae.

Scotistae complures, quibus accedunt Melchior Canus [1], Maldonatus [2], et ex modernis Gury-Ballerini [3] et clarius Ballerini-Palmieri [4], Berardi [5], docent actus poenitentis esse quidem condicionem praerequisitam, sed totam essentiam sacramenti in absolutione consistere, quae, quatenus est *externa caeremonia,* materiam proximam constituit; quatenus vero habet *vim significandi,* est forma. Complura argumenta pro hac sententia congesta inveniuntur apud Ballerini-Palmieri [6]. Principale argumentum est hoc: Materia alicuius sacramenti debet esse sensibile signum. Atqui licet dare absolutionem sacramentalem moribundo, qui nullo signo sensibili neque confessionem neque contritionem neque satisfactionem manifestat. Ergo in isto casu administraretur sacramentum sine materia; quod est manifeste falsum. — Sed respondetur ad hoc argumentum, materiam poenitentiae etiam in isto casu revera esse sensibilem, scil. *virtualiter.* Non enim homo sensibus destitutus posset valide absolvi, nisi antea verbis aut signis manifestasset *intentionem* recipiendi sacramentum poenitentiae in simili casu. Porro cum tali intentione virtualiter perseverante etiam virtualiter exsistit materia necessaria ad sacramentum poenitentiae, scil. confessio et contritio externe manifestata. — Sententia Scotistarum difficulter conciliari potest cum Conciliis Florentino et Tridentino definientibus, quasi-materiam poenitentiae sacramenti esse tres actus poenitentis. Catechismus autem Romanus, cuius auctoritas est maxima et cuius auctores apprime cognoverunt mentem Concilii Tridentini, sic docet: «Neque vero hi actus *quasi-materia* a Sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habent; sed quia eius generis materia non sunt, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione.» Ex quibus omnibus sequitur, ut sententia Thomistarum docentium tres actus poenitentis esse materiam sacramenti poenitentiae sit tutior et verior. Si econtra sententia Scotistarum esset vera, sequerentur corollaria maximi momenti; etenim si confessio, contritio, satisfactio non essent materia proxima poenitentiae, a) hoc sacramentum posset esse validum sine illis, b) non obligaremur in controversiis de illis sequi sententiam tutiorem, quia haec obligatio non exsistit nisi pro essentialibus sacramenti. Liceret ergo sequi opinionem vere probabilem. Quae quidem duo corollaria communissime reiciuntur a modernis theologis.

---

[1] Relect. de poenit. p. 6, q. 16.
[2] De poenit. p. 3, thes. 7.
[3] Comp. Theol. mor. II, n. 414 et 447, q. 7, nota.
[4] De poenit. n. 5 sq.
[5] Prax. confess. IV, n. 2. [6] L. c.

§ 4.

De forma sacramenti poenitentiae.

Forma essentialis sacramenti poenitentiae sunt verba absolu- 328
tionis a confessario rite pronuntiata. Rituale Romanum[1] refert essentialem formam his verbis: «Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.» — Iuxta omnes certe valet forma: «Absolvo te a peccatis tuis», quia sufficienter exprimuntur minister actioque eius verbo «absolvo», subiectum verbo «te», materia verbis «a peccatis tuis». Immo probabile est validas esse formulas: «Absolvo te» et «absolvo te a peccatis tuis»; quas tamen omnino non licet adhibere; neque adesse potest rationabilis causa, ut quis adhibeat istas formulas solum probabiliter validas.

In casu necessitatis, e. g. in naufragio, valide et licite potest multis simul dari absolutio sub hac forma: «Ego vos absolvo a peccatis vestris in nomine Patris etc.»

Forma rubricalis, vel potius confessarii modus agendi in administratione sacramenti poenitentiae, hic est: Ante confessionem confessarius benedicit poenitenti dicens: «Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ad digne confitendum omnia peccata tua. In nomine Patris etc.» Haec benedictio a pia consuetudine introducta est, sed neque obligat sub culpa neque invenitur in Rituali Romano. Confessione peracta confessarius quasdam breves exhortationes vel pia verba dicat poenitenti. Non nisi rarissime expedit, ut confessarius, omissa omni exhortatione, statim imponat poenitentiam salutarem et det absolutionem. Etenim confessarius fungens officio suo habet speciale adiutorium Spiritus Sancti illuminantis ac moventis. Proinde eius verba sunt efficacissima et valde salutaria etiam pro poenitentibus bene instructis aut in magna dignitate constitutis. — Rituale habet: «Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, iniuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit [ex quibus verbis sequitur, ut salutaris poenitentia imponenda sit *ante* absolutionem et non post, ut minus convenienter fit aliquando]: ‚Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.' Deinde dextera versus poenitentem elevata dicit: ‚Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Deus. Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde: Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.' Si poenitens sit laicus, omittitur verbum ‚suspensionis'. — ‚Passio Domini nostri Iesu Christi, merita Beatae Mariae Virginis et omnium sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.' In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest: ‚Misereatur etc.', et satis erit dicere: ‚Dominus noster Iesus Christus etc.', ut supra usque ad illud: ‚Passio Domini nostri etc.' Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: ‚Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.'» Hucusque Rituale Romanum.

[1] Tit. 3, c. 2.

329 **Obligatio caeremoniarum.** a) *Elevatio manus* a verbo «Indulgentiam» usque ad formationem crucis in absolutione non obligat neque sub gravi neque sub levi. Convenientissime autem adhibetur, cum significet impositionem manus super caput poenitentis, quae in usu fuit antiquis temporibus. Unde et palma manus et non tantum parvus digitus convertatur versus poenitentem.

b) *Preces «Misereatur» et «Indulgentiam»* exsistente iusta causa [1] facile et sine ulla culpa omitti possunt in confessionibus *frequentioribus* (i. e. si magnus concursus poenitentium adest) aut *brevioribus* (i. e. si poenitens saepius redit). Preces «Passio Domini N. I. Chr.» etiam sine culpa omitti possunt sub iisdem condicionibus. Cum autem S. Thomas [2] et complures theologi putent ea verba elevare bona opera poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, non convenit ea omittere.

c) *Omittere absolutionem a censuris,* quae ad cautelam additur, si confessarius habet moralem certitudinem, poenitentem nulla censura ligari, non est gravis culpa. Observanda tamen sub levi est formula Ritualis. Verbum «Deinde» in modernis editionibus Ritualis imprimitur nigris caracteribus, ac proinde tamquam ad formam pertinens pronuntiandum est.

d) *Externae caeremoniae a statutis particularibus* praescriptae in administratione sacramenti poenitentiae observandae sunt. Nisi adsit sat gravis ratio, confessiones audiendae sunt in ecclesiis aut oratoriis publicis vel semipublicis, non autem in domibus aut oratoriis privatis. Quod quidem praesertim valet de confessionibus mulierum. Sorores tamen religiosae *possunt confiteri* in alio loco decenti, dummodo ibi adsit confessionale, crate interposita; confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet [3]. Confessarius sit indutus superpelliceo et stola violacei coloris. Sed hac in re consuetudo aut statutum particulare non raro dispensat a superpelliceo [4].

330 **Modus absolutionis.** Absolutio debet esse a) oralis, b) data poenitenti moraliter praesenti, c) non condicionata, d) non deprecatoria, sed indicativa.

---

[1] Cod. iur. can. c. 885. [2] Quodl. 3, q. 13, a. 28.

[3] Cod. iur. can. c. 910.

[4] Cf. S. R. C. d. 31 Aug. 1867 ad 2 et d. 7 Iul. 1877 ad 4 (Decr. auth. n. 3158 et 3426). Rituale Romanum (tit. 3, c. 1) monet: «Sacerdos, ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat, ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.» Pius IX per Decretum S. C. Indulg. d. 27 Martii 1854 concessit semel in die indulgentiam 100 dierum confessariis recitantibus sequentem orationem ante confessiones excipiendas: «Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam iudicare populum in iustitia et pauperes tuos in iudicio. Fac me ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit, nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo sollertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos in meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, me ipsum non perdam. Amen.»

a) *Absolutio debet esse oralis seu vocalis*[1].

Unde invalida est absolutio scripto vel nutu data (etiam in extrema necessitate), ac proinde sacerdos mutus numquam potest valide absolvere. Ita sententia communissima, paucis contradicentibus, e. g. Sporer, Medina, Petr. Soto. Ratio alia non potest dari nisi voluntas Christi sic instituentis sacramentum poenitentiae; quae quidem voluntas cognosci potest ex Conciliis Florentino et Tridentino definientibus formam huius sacramenti esse *verba:* «Ego te absolvo.» Unde est distinctio hac in re inter sacramentum poenitentiae et sacramentum matrimonii, in quo forma, i. e. consensus, valide exprimi potest etiam signis.

b) *Absolutio non potest dari nisi poenitenti moraliter praesenti.*

Cum enim absolutio vocaliter proferri debeat, dari non potest nisi illis, qui possunt verba audire vel ad quos confessarius loqui potest. Iuxta S. Alphonsum[2] moralis praesentia reputatur illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiore, loqui possunt et solent. In casu extremae necessitatis haec moralis praesentia large interpretanda est. Hinc licet absolvere illum, qui procul cadit e tecto. Extra autem tales casus extremae necessitatis communiter theologi cum S. Alphonso[3] docent non licere absolvere poenitentem, qui plus quam *viginti passus* distat a confessario. Sacramentum enim poenitentiae institutum est ad modum iudicii. Ergo recte exigitur ea praesentia poenitentis, intra quam iudex convenienter loqui potest cum reo; quod quidem fieri potest per distantiam viginti passuum. Si poenitens ante absolutionem receptam inopinato discedat e confessionali, tunc his modis agendum est: 1. Si convenienter revocari potest, revocetur ad confessionale; 2. si non potest sine admiratione aliove incommodo revocari, tunc sacerdos cito proferat essentialia verba absolutionis, antequam poenitens ultra viginti passus discesserit a confessionali; non autem requiritur, ut confessarius adhuc *videat* aut *audiat* poenitentem, dummodo ille sit in vicina turba aut loco; 3. sin autem poenitens iam longius discessit, neque potest revocari neque rediturus est ad eundem confessarium, nihil aliud superest nisi eum misericordiae divinae commendare.

Clemens VIII (d. 20 Iunii 1602) propositionem: «Licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere», damnavit «ad minus uti falsam, temerariam, ac scandalosam». Insuper prohibuit, «ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur»[4]. Ergo numquam licet dare *absolutionem* absenti, uti docuerunt quidam antiqui, e. g. Paludanus[5], Ioh. Medina[6] etc. Ex sufficienti autem causa permitti potest, ut poenitens peccata sua *in litteris* conscripta mittat ad confessarium absentem, postea *personaliter* adeat hunc confessarium dicens: Accuso me de peccatis, quae iam scis ex litteris meis. Deinde petat atque recipiat absolutionem de peccatis scripto manifestatis. In hoc casu haberetur manifestatio peccatorum in absentia quidem prius facta, sed postea in personali praesentia aequivalenter ore repetita confessio, et demum absolutio data in praesentia personali poenitentis. Propter rationes sufficientes,

---

[1] Cf. S. theol. 3, q. 84, a. 3 ad 3. [2] Theol. mor. l. 6, n. 429.
[3] L. c. [4] *Denz.* n. 1088. [5] In 4, dist. 17, q. 2, a. 1.
[6] Tract. de confessione q. 15.

e. g. propter nimiam longitudinem confessionis oralis, propter erubescentiam poenitentis etc., confessarius potest hunc modum confitendi permittere vel etiam suadere. Iste modus agendi minime adversatur neque Decreto Clementis VIII modo citato neque etiam Declarationi a Paulo V d. 14 Iulii 1605 datae. Nam non habetur neque confessio absenti facta neque absolutio absenti data. Suarez hac in re non ita clare et recte docuit ac proinde S. Congr. Inquisitionis d. 31 Iulii 1603 et 14 Iulii 1605 eius doctrinam reprobavit. Verumtamen forsan fuit potius lis de modo explicandi quam de ipsa re. Optime hanc controversiam olim celebrem exponit Billuart [1].

331 **Absolutio per telephonium** certe illicita est extra casum extremae necessitatis, et idem dicendum est de absolutione data per longum *canalem phoneticum* [2]. Ratio est, quia valde dubium est, num tunc adsit *praesentia moralis requisita,* et proinde exponeretur sacramentum periculo nullitatis. Sed num huiusmodi absolutiones sint *certo invalidae,* non constat. Ex responsione S. Poenitentiariae d. 1 Iulii 1884 nihil certi deducere licet: «Utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium?» rescripsit: «Nihil esse respondendum.» Qua formula responsionis ideo videtur usa esse S. Poenitentiaria, quia ad ipsam quidem spectat resolvere casus particulares, sed non determinare dubia, quae ad essentiam sacramentorum pertinent. Hoc enim spectat ad S. Officium. Tota quaestio de validitate absolutionis per *telephonium* aut per longum *canalem phoneticum* eo reducitur, num in istis casibus adhuc sit moraliter praesens poenitens confessario. Si tamquam criterium istius moralis praesentiae habetur facilis locutio oralis inter confessarium et poenitentem, certe adest sufficiens praesentia, praesertim si agitur de locutione per canalem phoneticum. Neque quis dicat, ad moralem praesentiam insuper requiri, ne corpora opaca totaliter separent confessarium a poenitente. Nam secus nec etiam exsisteret moralis praesentia, si confessarius audiat confessionem alicuius monialis, quae retro cancellos spisso velo tectos genuflectit. Nobis arridet sententia P. Sabetti S. J. dicentis: «Quoniam sacramentum poenitentiae est institutum ad instar iudicii forensis, ad quod sufficit illa praesentia, vi cuius iudex et reus possint simul colloqui, non videtur in casu proposito absolutionem esse certo invalidam, siquidem poenitens et sacerdos possunt dici vero sensu esse colloquentes.» (Contra validitatem huiusmodi confessionis in longum et latum disserit G. A. Eschbach [3].)

332 c) *Absolutio sit absoluta et non condicionata (nisi propter graves rationes).*

Iam supra n. 24 dictum est in tractatu de sacramentis in genere, numquam licere sacramentis apponere condicionem *de futuro* (excepto forsan rarissimo casu in matrimoniali contractu). Ergo numquam licet dare absolutionem sub condicione de futuro, e. g. si restitueris, si proximam occasionem vitaveris. Quando autem agitur de condicione praesenti vel praeterita, licet aliquando dare absolutionem condicionatam.

Regula generalis de absolutione condicionata. *Absolutio condicionata dari potest, quoties absolute data exponeret sacramentum periculo nullitatis, absolute autem negata exponeret poenitentem periculo gravis damni spiritualis.*

---

[1] De sacr. poenit. diss. 7, a. 3, § 2.

[2] Vulgo *Sprachrohr, speaking tube, porte-voix.*

[3] La confession par téléphone, Examen 1887, Réponse 1888 (Tournay).

Ratio huius regulae est, quia confessarius pro viribus debet procurare et reverentiam erga sacramentum et utilitatem spiritualem poenitentis. Utrumque autem in istis casibus meliore quo potest modo servatur. Aliquando absolutionem condicionatam revera licere, docent omnes fere theologi [1]. Cuius ratio est, quia confessarius saepe caret morali certitudine, num poenitens validae absolutionis sit capax. Cogitur itaque tunc relinquere iudicium certum omniscientiae divinae, et interim absolutione condicionata pro viribus consulere et dignitati sacramenti et utilitati poenitentis. Immo in vero aliquo sensu omnis absolutio sacramentalis est condicionata, quia semper datur sub ea condicione implicita, quod poenitens sit dignus. Non requiritur quidem, sed licet condicionem *expressis verbis* praemittere absolutioni, e. g. si capax es. Sufficit condicio mente concepta.

Praecipui casus, in quibus licet absolutionem condicionatam dare, sunt sequentes:

1. In dubio, utrum poenitens sit vivus an mortuus.

2. In dubio de sufficienti usu rationis in pueris et semifatuis, qui habent peccata obiective gravia.

3. In dubio de absolutione rite data, dummodo tamen poenitens confessus sit gravem materiam.

4. In dubio de morali praesentia poenitentis [2].

5. In dubio de sufficienti iurisdictione, si absolutio sine notabili incommodo differri nequit.

6. In dubio de sufficienti dolore et proposito poenitentis, si ex dilatione absolutionis recte timetur maius malum. Caveat autem confessarius, ne frequentius absolutionem condicionatam ob dubiam dispositionem poenitentis adhibeat, quia secus notam gravis laxitatis non effugiet atque non utilitatem, sed damnum spirituale affert poenitenti. Iste casus solet accidere in confessione recidivorum et occasionariorum, de quibus infra n. 449 sqq. amplior sermo redibit.

d) *Forma deprecatoria absolutionis non est licita, immo probabilius* 333
est invalida.

Ratio est, quia essentia sacramenti poenitentiae consistit *in forma iudiciali,* ut iam saepe probatum est. Absolutio est igitur tamquam sententia iudicialis. Porro sententia iudicialis nec est nec esse potest deprecatoria, quia sententiam ferre est actus habentis et exercentis veram auctoritatem, deprecari autem actus *supplicantis.* Unde deprecari et auctoritative iudicare sunt actus insociabiles [3]. Obiciuntur quidem ab adversariis formulae deprecatoriae usitatae in Ecclesia latina usque ad saeculum XII et in Ecclesia graeca usque ad nostros dies, sed animadvertit Billuart [4] tria: 1. Has formulas non spectant absolutionem sacramentalem, sed *canonicam.* 2. Ritualia antiqua non tantum continent formulam deprecatoriam, sed etiam indicativam. Quod quidem notanter in Euchologio ab illustri P. Goar edito valet, nam ibi p. 678 legitur de forma absolutionis: «Insuper ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quaecumque confessus es coram Deo et coram indignitate mea.» 3. Usque ad tempora S. Thomae complures theologi opinabantur remissionem peccatorum proprie causari *a contritione* ante confessionem elicita, per absolutionem

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 431. [2] Cf. supra n. praec.
[3] Cf. *S. Thom.*, Op. 18 de forma absolutionis.
[4] De poenit. diss. 1, a. 3, § 3.

autem hominem reconciliari Ecclesiae, liberari a poenis et augeri in gratia. S. Thomas scripsit integrum opusculum (18) de forma absolutionis, in quo propugnat validitatem solius formae indicativae positivae, quae non est deprecatoria.

334 **Scholion. De absolutione iteranda.** Quando poenitens recepta iam absolutione peccatum oblitum vel circumstantiam gravem alicuius peccati accusati aut numerum notabiliter diversum subiungit, confessarius debet absolutionem repetere. Ratio est, quia secus poenitens deberet in sequenti confessione hanc materiam necessariam iterum confiteri, cum de illa non receperit absolutionem directam. Contritio se debet extendere ad hanc quoque materiam, proindeque de novo elici, nisi tamen antea habita adhuc virtualiter perseveret[1].

ARTICULUS V.

De effectibus sacramenti poenitentiae.

Praenotamen. Cum in praesenti rerum ordine nulla vera virtus poenitentiae exsistere queat sine sacramento poenitentiae suscepto saltem in voto, effectus virtutis et sacramenti poenitentiae de facto coincidunt. Effectus poenitentiae solent vocari a dogmaticis *iustificatio impii*. Breviter de illa sequentia sint dicta. Omnes effectus poenitentiae ad tres reduci possunt, nempe sunt: 1. remissio omnium peccatorum, 2. gratiae infusio, 3. reviviscentia meritorum.

335 1. *Per poenitentiam possunt remitti omnia peccata sive mortalia sive venialia.*

«Si impius egerit poenitentiam, ... omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.»[2] «Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.»[3] Unde et Dominus dixit apostolis: «Quaecumque solveritis», nullam faciens limitationem. Ad remissionem peccati mortalis omnino requiritur sacramentum poenitentiae saltem in voto susceptum. Peccatum autem veniale hominis, qui in statu gratiae sanctificantis consistit, remitti potest etiam ex *opere operantis* sine sacramento poenitentiae. Docet enim Concilium Tridentinum[4] «peccata venialia multis aliis remediis expiari posse». Nullum autem peccatum etiam veniale remittitur sine poenitentia saltem virtuali, quae consistit in detestatione peccati. Impossibile est enim, ut Deus remittat culpam homini illi, qui non vult relinquere peccatum. Poenitentia virtualis multipliciter exerceri potest, e. g. si quis veniam peccatorum petit a Deo, si quis exercet virtutem contrariam peccatis commissis, si quis exercet etiam alias virtutes cum intentione obtinendi veniam peccatorum.

336 2. *Per poenitentiam infunditur gratia sanctificans.*

Nam de fide est, in iustificatione non solum peccata tegi vel amplius non imputari (ut volunt Protestantes), sed econtra hominem effici Deo gratum. Porro nemo potest esse Deo gratus sine gratia sanctificante. Ergo peccata remittuntur per infusionem gratiae sanctificantis. Quia autem gratia sanctificans et peccatum non possunt simul in eodem homine exsistere — sunt enim sicuti aqua et ignis insociabiles — hinc dimisso uno peccato mortali dimittuntur omnia, et uno non dimisso, nullum dimittitur. Ex quibus sequitur, ut

---

[1] Cf. infra n. 352.
[2] Ez 18, 21 sq.
[3] Is 1, 18.
[4] Sess. 14, c. 5 de poenit. (*Denz.* n. 899).

poenitens elicere debeat contritionem de omnibus omnino peccatis mortalibus. Aliter est de peccatis venialibus; nam peccatum mortale potest dimitti sine veniali; pariter unum peccatum veniale sine alio, veniale autem non potest remitti sine mortali, cum ille indignus sit venia, qui vult remanere inimicus Dei. Ad remissionem enim peccati venialis semper requiritur aliquis influxus gratiae sanctificantis [1].

Ex infusione gratiae sanctificantis sequentes effectus producuntur:

a) Remissa culpa remittitur quoque *poena aeterna,* i. e. gehennae, non autem semper tota poena temporalis. Remitti semper poenam aeternam sequitur manifeste ex indole gratiae sanctificantis, quippe quae reddat hominem Deo gratum et heredem aeternae gloriae. Ergo impossibile est, ut idem homo adhuc sit dignus poena aeterna in gehenna luenda. Concilium autem Tridentinum definivit, per poenitentiam non semper remitti totam *poenam temporalem.* Monet enim poenitentes post receptam absolutionem, ut satisfaciant per ieiunia, eleemosynas et orationes, «non quidem *pro poena aeterna,* quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis» [2]. Remisso peccato mortali Deum non semper condonare totam poenam temporalem, elucet ex pluribus exemplis S. Scripturae, e. g. ex peccato David, quod quidem fuit remissum, sed filius adulterinus mori debuit; Moyses prohibetur ingredi terram promissam propter peccatum diffidentiae, remissum quidem quoad culpam, sed non quoad totam poenam. Manifestissimum autem exemplum est ipsum peccatum originale, quod quidem remittitur quoad culpam, sed cuius poenalitates remanent.

b) Cum gratia infunduntur omnes *virtutes* tam theologicae quam morales [3], et conceditur gratia sacramentalis, i. e. ius ad auxilia, quibus homo poenitens penitus abstergit maculas praeteritas et praecavet futuras.

3. *Per poenitentiam obtinetur reviviscentia meritorum.* 337

Theologi solent distinguere quadruplicis generis opera: alia sunt opera *viva,* quae scil. a gratia, principio vitae spiritualis, procedunt; alia sunt *mortua,* quae, licet sint obiective bona, tamen patrata sunt ab homine in statu peccati mortalis exsistente, e. g. eleemosyna data a peccatore; alia sunt *mortifera,* i. e. peccata mortalia, quae spiritualem mortem animae inferunt; alia demum sunt *mortificata,* quae sunt opera bona in statu gratiae peracta, sed per subsequentem peccati statum amiserunt omne meritum. Per poenitentiam reviviscunt opera mortificata. Opera viva non indigent reviviscentia, ut patet. Opera mortifera seu peccata mortalia per poenitentiam non reviviscunt, sed penitus destruuntur. Opera mortua nec etiam reviviscunt, cum numquam vitam habuerint. Opera mortificata seu merita, quae per subsequens peccatum efficacitate sunt privata, reviviscere per poenitentiam est certum et ab omnibus theologis admissum, attamen non est proprie de fide.

Prob. 1. *Ex S. Scriptura.* «Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.» [4] Noceret autem impietas plurimum, si per illam omnia merita priora irrevocabiliter perderentur.

Prob. 2. *Ex concilio Tridentino* [5], quod requirit tres condiciones, ut opera humana sint meritoria et vitam aeternam obtineant, scil.: a) ut sint opera

---

[1] S. theol. 3, q. 87, a. 4. [2] Sess. 6, c. 14 de iustif. (*Denz.* n. 807).
[3] Cf. supra in tractatu de virtutibus I, n. 472.
[4] Ez 33, 12. [5] Sess. 6, can. 32 de iustif. (*Denz.* n. 842).

hominis iustificati; b) ut sint facta in Deo, sive a gratia Dei; c) ut operans decedat in statu gratiae. Atqui merita mortificata habent duas priores condiciones, tertiam autem recuperant per virtutem poenitentiae. Argumenta desumpta ex auctoritate SS. Patrum videsis apud Billuart [1].

Prob. 3. *Ex ratione theologica* suadetur haec reviviscentia meritorum. Misericordiae divinae valde congruum est, ut illa opera, quae semel fuerunt bona, meritoria et acceptata a Deo in ordine ad vitam aeternam, semper sic maneant, nisi grave obstaculum occurrat. Tale obstaculum est quidem peccatum mortale, sed illud tollitur per poenitentiam. Ergo merita ante statum peccati acquisita recuperantur, si peccatum aufertur [2].

Modus et gradus istius reviviscentiae. Licet omnes theologi concordent quantum ad ipsum factum reviviscentiae, tamen in multas diversas sententias abeunt, si disserunt *de gradu et quantitate* reviviscentiae.

Prima opinio tenet *omnia* merita ante peccatum acquisita post poenitentiam peractam statim iustificato restitui et quoad gratiam et quoad ius gloriae. Ita Suarez in opusculo de reviviscentia meritorum, et complures alii, praesertim moderni.

Secunda opinio tenet non semper omnia merita reviviscere, sed secundum quantitatem *praesentis* poenitentiae et caritatis. Ita complures Thomistae, e. g. Dom. Soto, Ledesma, Gonet.

Tertia opinio docet merita reviviscere solummodo quantum ad ius gloriae *accidentalis,* quae augetur ex reviviscentia, sed gloriam essentialem non augeri quidem, concedi tamen duplici titulo, scil. propter gratiam noviter acquisitam et merita ante peccatum habita. Ita Bannez, Sylvius, Contenson.

Quarta opinio asserit omnia merita resurgere quidem quoad ius gloriae, sed non quoad quantitatem gratiae habitualis prius habitae, quippe quae detur secundum actualem dispositionem poenitentis. *In articulo autem mortis* hominem iustificatum elicere actum caritatis ita perfectum, ut denuo acquirat omnem gratiam prius habitam. Ita Salmanticenses.

Billuart [3] merito dicit inter tot opiniones vix aliquid certi posse statui. Prima sententia est magis benigna, misericordiae divinae magis conveniens, neque plures difficultates patitur quam aliae. Qui plura cupit de hac controversia, adeat Billuart [4], qui adhuc aliam opinionem propugnat.

338 **Scholion. De mutua relatione inter virtutem et sacramentum poenitentiae.** Iuvat hic, explicata essentia poenitentiae, sub uno conspectu proponere, in quo conveniant et in quo discrepent sacramentum et virtus poenitentiae.

1. *Conveniunt* in effectu, scil. in destructione peccati. Immo in praesenti rerum ordine neque sacramentum sine virtute, neque virtus sine sacramento, saltem in voto suscepto, peccatum destruere potest. Sunt igitur virtus et sacramentum poenitentiae intime connexa, sed nihilominus in multis differunt, scil.:

2. *Differunt* a) quantum *ad naturam.* Virtus poenitentiae est habitus, cuius actus sunt potissimum interni. Sacramentum vero poenitentiae, utpote signum sensibile, continet materiam proximam externe manifestatam, nempe tres actus poenitentis externe productos, scil. contritionem, confessionem sacerdoti

---

[1] De poenit. diss. 3, a. 5. [2] *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 89, a. 5.
[3] L. c. [4] L. c.

factam, satisfactionem. Accedat oportet tamquam forma absolutio sacerdotis item exterius manifestata.

b) Quantum *ad modum operandi.* Virtus poenitentiae producit effectum iustificationis *ex opere operantis.* Sacramentum vero *ex opere operato;* quapropter in illo sufficit attritio seu contritio imperfecta; virtus autem poenitentiae non potest iustificare nisi mediante contritione perfecta.

c) Quantum *ad necessitatem.* Homini onusto gravi peccato virtus poenitentiae in re (et non tantum in voto) est necessaria necessitate *medii;* sacramentum autem poenitentiae realiter susceptum est solum necessarium necessitate praecepti; quare in necessitate sufficit votum huius sacramenti.

CAPUT II.

De subiecto sacramenti poenitentiae.

Praenotamen. Postquam in praecedenti capite egimus de essentia tam virtutis quam sacramenti poenitentiae, nunc specialiter tractandum est de *officiis,* quae poenitens peragere debet in susceptione sacramenti poenitentiae. Quae quidem officia sunt tres actus ab illo praestandi, scil. contritio, confessio, satisfactio. S. Raymundus de Pennaforte[1] pulchre dicit: «In vera et perfecta poenitentia tria sunt necessaria: cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio», de quibus seorsim dicemus. Subiectum autem capax sacramenti poenitentiae est omnis homo baptizatus, qui hos tres actus vel saltem contritionem elicere potest.

ARTICULUS I.

De contritione.

Dividimus istum articulum in quattuor paragraphos: 1. de natura, divisione et effectibus contritionis in genere; 2. de attritione; 3. de dotibus contritionis et attritionis; 4. de proposito.

§ 1.

De natura, divisione et effectu contritionis in genere.

Definitio. Contritio (generice accepta) **est «animi dolor** 339
ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero». Ita Concilium Tridentinum[2].

Ad contritionem ergo requiruntur tres actus integrantes: a) dolor, b) detestatio, c) propositum.

Disputant theologi, uter actus sit principalior, dolor an detestatio. Quaestio est parvi momenti et nullius utilitatis practicae, quoniam uterque actus necessario adesse debet. Si quis enim vere dolet de aliqua re mala, etiam

[1] Summa, de poenit. l. 3, § 7.

[2] Sess. 14, c. 4 de poenit. (*Denz.* n. 897). Similem definitionem iam dedit *S. Raymundus de Pennaforte* (l. c.) dicens: «Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi.» Quam definitionem etiam *S. Thomas* (Suppl q. 1, a. 1) adoptavit et totum articulum explicativum scripsit. Notatu dignum est, quod *duplex* propositum necessario includatur in contritione, scil. confitendi et satisfaciendi, ita ut nulla detur vera contritio, nisi saltem *implicite* istud duplex propositum adsit. In praxi insistendum est, ut istud duplex propositum eliciatur etiam *explicite.*

detestatur eam, et si quis detestatur aliquam rem, etiam dolet de ea, quando eam pati debet. Non est cur recedatur ab ordine in definitione Tridentina observato, ita ut principalior sit dolor quam detestatio. Qui quidem ordo etiam magis respondere videtur naturae peccati, quod est inordinata conversio ad bonum commutabile cum aversione a bono incommutabili, scil. a Deo. Quia ista inordinata conversio ad bonum creatum est quid inordinatum in anima, ideo necessario causat dolorem, scil. remorsus conscientiae in hac vita et poenam gehennae in altera vita. Ex huiusmodi dolore concepto homo necessario fere inducitur *ope divinae gratiae* ad detestandam causam huius doloris, scil. peccatum. Dolor autem et detestatio simul causant tertium actum, scil. propositum. Breviter dici potest cum Billuart[1]: «Essentia contritionis consistit formaliter in dolore, praesuppositive in odio, et consecutive in proposito.»

340 **Divisio**[2]. Contritio duplex distinguitur: altera *perfecta*, quae simpliciter *contritio* appellatur; altera *imperfecta*, quae solet vocari *attritio*. Attamen ex hac explicatione minime licet deducere, contritionem et attritionem non distingui nisi secundum magis et minus, seu secundum qualitates accidentales, uti voluerunt complures auctores praesertim veteres, qui ad omnem peccati remissionem exigebant veram contritionem, et illi moderniores omnes, qui ad attritionem requirunt verum amorem caritatis, licet non ita perfectum sicut in contritione proprie dicta. Sed melius dicitur contritionem et attritionem specifice distingui. Etenim distinguuntur cum ratione *motivi* tum ratione *efficaciae*.

a) *Contritio* oritur ex motivo *caritatis*. Iamvero amor Dei duplex distinguitur, scil. amor *spei seu concupiscentiae*, quo Deus diligitur propter summa bona, quae communicat nobis; amor *benevolentiae*, quo diligitur Deus ut in se infinite bonus et perfectus, et quo desiderat homo maximam Deo gloriam ab omni creatura contribui. Qui quidem amor benevolentiae, si exsistat in perfecto gradu, est *amor amicitiae*, scil. consistens in mutuo amore inter Deum et hominem et causans, ut homo amet Deum in se non tantum ut summum bonum, sed etiam ut amicum suum.

Quidam auctores (ut Scotistae, et ex modernis Hurter, Palmieri, Egger, Tanquerey) videntur docere, ad perfectam contritionem sufficere amorem *spei* et gratitudinis, scil. si homo amat Deum propter spem beatitudinis et exinde in affectus gratitudinis extollitur. Haec sententia, etsi fortasse est probabilis, communissime tamen reicitur. Unde theologi omnes fere requirunt verum amorem benevolentiae et amicitiae, qui tamen non necessario habet pro obiecto divinam bonitatem, sed *quodlibet attributum divinum*. Ceterum, qui

---

[1] De poenit. diss. 4, a. 1.

[2] Per undecim priora saecula aerae christianae theologi non distinguebant diversas species contritionis, saltem explicite. Tempore autem Petri Lombardi, et praesertim Alexandri Halensis, S. Thomae, S. Bonaventurae, distincta est attritio a contritione. Alanus ab Insulis († ca. 1200, Lib. poenit. [*Migne*, Patr. lat. 210, 300 et 665]) videtur primus adhibuisse verbum attritionis in sensu nostro. Attritio sumebatur tunc temporis etiam in aliis sensibus.

amat vero amore benevolentiae unum attributum divinum, amat omnia, cum illa non sint realiter ab invicem distincta[1].

b) *Attritio* oritur ex motivo *supernaturali* quidem, *sed non ex motivo caritatis*. Motiva attritionis sunt e. g. turpitudo peccati, poena aeterna aut etiam temporalis *a Deo* infligenda. Sed apprime notandum est ista motiva omnino debere esse *supernaturalia*, i. e. *lumine fidei et gratia actuali acquisita*. Ergo non sufficiunt e. g. naturalis turpitudo adulterii, poenae quae imminent pro homicidio commisso etc. De indole attritionis amplior sermo erit infra in § 2.

Effectus perfectae contritionis est remissio omnium peccatorum, 341
dummodo accedat votum sacramenti poenitentiae.

Docet enim Concilium Tridentinum[2]: «Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, . . . ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam.» S. Pius V damnavit propositionem (71) Baii: «Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.»[3]

Ad iustificationem non requiritur, ut contritio sit in *summo gradu*, sed S. Thomas[4] docet: «Quantumvis parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem attingat, omnem culpam delet.» Votum sacramenti non absolute requiritur explicitum, sed sufficit *implicitum*, quale invenitur in generali voluntate omnia peragendi, quae ad salutem sunt necessaria. Votum tamen sub gravi debet impleri tempore opportuno, i. e. saltem infra anni spatium, et tunc per absolutionem sacramentalem non quidem remittitur peccatum, quippe quod iam remissum sit, sed augetur gratia sanctificans duplici titulo, scil. ex opere operato (sacramenti) et ex opere operantis poenitentis, qui iam in statu gratiae sanctificantis exsistens bonum opus facit confitendo et satisfaciendo.

§ 2.

De attritione.

1. *Attritio non potest iustificare cum solo voto sacramenti, sed re-* 342
quiritur sacramentum reapse susceptum.

Unde ortum est adagium: *Homo ex attrito fit contritus per sacramentum poenitentiae*. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi attritio evaderet contritio[5] in sacramento poenitentiae, sed homo attritus recipiens per absolutionem sacramentalem gratiam sanctificantem, simul recipit habitum caritatis causantis contritionem[6].

2. *Vera attritio sufficit ad iustificationem obtinendam in sacramento* 343
poenitentiae.

---

[1] Videsis de hac controversia, quae est parvae utilitatis, acerrimas dimicationes inter Ballerini et Vindicias Alphonsianas.

[2] Sess. 14, c. 4 de poenit. (*Denz.* n. 898). Cf. etiam propositionem damnatam a Sixto IV (*Denz.* 724).

[3] *Denz.* n. 1071. [4] Suppl. q. 5, a. 3. [5] Ib. q. 1, a. 3.

[6] Cf. *R. Schultes*, Reue u. Bußsakr. n. 19 36 sq. 91.

Haec propositio nunc prorsus certa est atque ab omnibus admittitur, ita ut contraria sententia, quam tenuerunt complures theologi ante Concilium Tridentinum, sit temeraria. Iam S. Thomas[1] docuit: «Quando aliquis accedit ad confessionem *attritus, non plene contritus,* si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione sibi gratia et remissio peccatorum datur.» Idem haud obscure eruitur ex Concilio Tridentino[2] dicente: «Quamvis [attritio] sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit.» Sane Concilium adhibet verbum «disponit», sed hoc verbum intelligendum est de dispositione proxima et idem significat ac *sufficit.* Quod quidem patet ex contextu et comparatione attritionis cum contritione. Voluit enim Concilium docere, contritionem iustificare etiam absque sacramento, sed attritionem solummodo adveniente absolutione sacramentali. Praeterea idem manifeste apparet ex universali praxi Ecclesiae, quae monet, ut moribundis sensibus destitutis, quorum dispositio rite praesumi potest, absolutio detur. Iamvero haec praxis non esset rationabilis, si attritio non sufficeret ad validam absolutionem. Etenim tunc deficiente vera contritione sacramentalis absolutio esset invalida; exsistente autem contritione absolutio esset quasi superflua, cum contritio iustificet etiam sine absolutione sacramentali reapse suscepta.

Mirum est, quot quantique theologi antiqui pro omni remissione peccatorum etiam in sacramento poenitentiae putaverint necessariam esse veram contritionem[3]. Citantur pro hac opinione: Hugo a S. Victore[4], Richardus a S. Victore[5], Robertus Pullus[6], Magister Sententiarum[7], Innocentius III[8], Guilelmus Antisiodorensis[9], B. Albertus Magnus[10], Alexander Halensis[11], S. Raymundus de Pennaforte[12], S. Bonaventura[13], complures alii, e. g. Vincentius Bellovacensis, S. Bernardinus Senensis, Gabriel Biel[14]. Attamen nihilominus errat Harnack dicens ante saeculum XIII contritionem semper habitam fuisse necessariam, cum antiqui auctores sumant verbum contritionis in alio sensu ac moderni theologi; includunt enim sub contritione etiam attritionem.

Circa attritionem nonnullae sunt celebres controversiae, quas hic iuvat breviter tangere:

344 1. *Num attritio concepta ex solo metu gehennae sit bona?*

Luther contendit attritionem ex metu conceptam esse coactam et malam hominemque reddere peiorem et verum hypocritam. Similia docuerunt Iansenistae, Quesnel, Synodus Pistoriensis[15]. Antequam respondetur ad quae-

---

[1] 4, dist. 22, q. 2, a. 1; cf. Suppl. q. 10, a. 1; q. 18, a. 1.

[2] Sess. 14, c. 4 de poenit. (*Denz.* n. 898).

[3] Cf. de hac re *M. Buchberger,* Die Wirkungen des Bußsakr. nach der Lehre des hl. Thomas, Freiburg 1901, § 4.

[4] De sacr. l. 2, P. 14, c. 8. [5] De potestate solvendi ac ligandi c. 7 et 19.

[6] De sacr. P. 3, c. 13. [7] 4, dist. 17 et 18. [8] In Ps. 2 poenitentialem.

[9] Summa IV, de sacr. poenit. [10] In 4, dist. 17 et 18.

[11] Summa l. 4, q. 8, membr. 1. [12] Summa, de poenit. l. 3, § 11.

[13] In 4, dist. 18, P. 1, a. 2, q. 1.

[14] Cf. *Drouven,* De re sacr. l. 6, c. 2, a. 2.

[15] Hinc attritio vocata est dolor pendentis in patibulo *(Galgenreue).*

stionem propositam, oportet attendere ad doctrinam S. Thomae[1] de quattuor speciebus timoris, nempe: mundani, servilis, initialis, filialis[2]. Timor servilis subdividitur: Est enim vel *serviliter servilis*, quando scil. quis vitat quidem peccata propter poenas infligendas, sed ita dispositus est, ut pergeret in peccando, nisi adesset poena, vel aliis verbis, adhuc amat peccatum et est similis cani, qui vellet devorare carnem, sed inde deterretur imminente baculo domini. Vel timor est *simpliciter servilis*, qui detestatur peccatum quidem propter poenas imminentes, sed simul revera deponit affectum ad peccatum. Timor serviliter servilis est certe malus, quia affectum ad peccatum retinet; pariter malus est timor mundanus, ut per se patet. Timor filialis est certe bonus, pariter etiam timor initialis. Sed estne bonus timor *simpliciter servilis*? Affirmativa responsio est de fide et quidem definita in Concilio Tridentino[3]: «S. q. d. gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, A. S.» Alexander VII damnavit propositionem (15): «Attritio, quae ex gehennae poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.»[4] Leo X damnavit propositionem (6) Lutheri: «Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.»[5]

Ratio theologica manifeste ostendit honestatem talis attritionis. Etenim in attritione tria elementa concurrunt eaque omnia sunt bona:

a) Motivum inducens, nempe fuga poenarum gehennae.

b) Medium ad hunc finem obtinendum, nempe detestatio peccati.

c) Ordinatio istius medii ad finem obtinendum.

Sin autem ista tria elementa sunt bona, etiam totum bonum est, cum agatur de actu morali, in quo nil mali inveniatur. Insuper timor simpliciter servilis est vera detestatio peccati, cuius affectus omnino ex anima tollitur, ac proinde includit bonum propositum serviendi Deo[6].

2. *Num ad sacramentum poenitentiae sufficiat attritio ex solo metu gehennae absque amore initiali?* 345

Mirum est, quam acerrimae lites circa hanc quaestionem exarserint inde a saeculo XVI. Testante Benedicto XIV[7] omnium primi Franciscus Victoria et Dom. Soto, ambo ex ordine Praedicatorum, docuerunt, ad peccatorum remissionem in sacramento poenitentiae sufficere attritionem mere servilem, dummodo haec a poenitente *bona fide* reputetur contritio. Melchior Canus ulterius procedens iam non requirit contritionem bona fide putatam, sed solam veram attritionem. Loquitur tamen adhuc haesitanter: «Contritio ponitur pars sacramenti, quia est certa et indubitata materia. Quod autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeo certum et indubitatum; et ideo Concilium Florentinum, communisque sententia tenens certum, relinquens incertum, ponit contritionem partem esse huius sacramenti.»[8] Melchiorem Canum secuti sunt complures alii auctores primo quidem pavidi,

[1] S. theol. 2, 2, q. 19, a. 2 ad 4. [2] Cf. supra I, n. 542.

[3] Sess. 6, can. 8 de iustif. (*Denz.* n. 818). [4] *Denz.* n. 1146.

[5] *Denz.* n. 746; cf. prop. 25 Synodi Pistor. (*Denz.* n. 1525).

[6] Cf. *Billuart*, De poenit. diss. 4, a. 5. [7] De syn. dioec. l. 7, c. 13, n. 6.

[8] Relect. de poenit. P. 6.

ut Suarez, Vasquez, Comitolus etc.; deinde autem animosiores facti eo usque progressi sunt, ut oppositam sententiam, quae requirit saltem initialem amorem, vocaverint omnino improbabilem, periculosam et menti Concilii Tridentini contrariam. Auctores requirentes aliquem initialem amorem vocabantur *Contritionistae*[1], adversarii vero negantes necessitatem huius amoris initialis audiunt *Attritionistae*. Lis eo devenit, ut Alexander VII d. 5 Maii 1667 debuerit silentium imponere litigantibus. En verba: «SS. D. N. Alexander Papa VII, cum acceperit non sine gravi animi maerore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo, inter se contendere, an illa attritio, quae concipitur ex metu gehennae, excludens voluntatem peccandi cum spe veniae, ad impetrandam gratiam in sacramento poenitentiae requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, et invicem adversam sententiam censurantibus: Sanctitas sua enixe cupiens pacis vinculum inter fideles servare, omnemque scissurae fomitem exstinguere, . . . hoc praesenti decreto in virtute sanctae oboedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae huic S. Sedi reservatae, aliisque poenis eius S. Sedis arbitrio taxandis, praecipit cunctis ac singulis fidelibus, quocumque gradu ac dignitate . . . fulgentibus, ut, si deinceps de materia attritionis praefatae scribent vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel praedicabunt, vel alio quovis modo poenitentes aut scholares ceterosque erudient, non audeant alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.»[2]

Lis videtur esse potius de verbis quam de rebus, quia alii aliter intelligunt amorem initialem. Amor initialis certo non est amor *caritatis*, quia tunc iam non haberetur attritio sed contritio, cum etiam minima caritas sufficiat ad iustificationem[3]. Ergo amor initialis est amor aut solius benevolentiae aut concupiscentiae. Licet autem in rebus humanis amor benevolentiae multum differat ab amore concupiscentiae, tamen verus et honestus amor concupiscentiae, qui respicit Deum ut nostram ultimam beatitudinem, videtur aliqualiter esse amor benevolentiae. Etenim homo vere attritus detestatur peccatum atque affectum ad illud deponere debet, praeterea debet proponere observationem voluntariam mandatorum Dei. Inter ista mandata autem invenitur tamquam principale diligendi Deum super omnia. Insuper vult pervenire ad vitam aeternam, quae est perfectissima amicitia cum Deo. Ex quibus omnibus manifeste sequitur, ut vera attritio sit logice et psychologice prorsus impossibilis sine aliquo initiali amore Dei. Attritio, quae excludit omnem amorem Dei, iam nihil aliud est nisi *timor serviliter servilis*, qui profecto non sufficit ad iustificationem obtinendam in sacramento poenitentiae. — Quae cum ita sint, hodie omnes fere theologi admittunt necessitatem alicuius amoris initialis in attritione. Ergo nunc longe communior est sententia illa, quae tempore Alexandri VII non ita communis videtur fuisse[4]. S. Thomas[5] iam breviter et clare docuit: «Sicut aliquis introducitur ad amandum Deum

[1] Contritionistae aliquando vocantur quoque omnes illi antiqui Scholastici, qui soli contritioni perfectae et non absolutioni sacerdotali attribuebant remissionem peccatorum.

[2] *Denz.* n. 1146. [3] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 5, a. 3.

[4] Cf. *Schanz*, Die Lehre v. d. Sakr. I, § 40; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 391.

[5] S. theol. 2, 2, q. 17, a. 8.

per hoc, quod, timens ab ipso puniri, cessat a peccato, ut Augustinus dicit; ita etiam spes introducit caritatem, in quantum aliquis, sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum et servandum praecepta eius.» In hoc sensu videtur quoque intelligendus esse textus Concilii Tridentini [1], quod requirit, ut peccatores Deum «tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiant». — Eodem fere modo explicant amorem initialem requisitum in attritione S. Franciscus Salesius [2] et S. Alphonsus [3].

§ 3.

De dotibus contritionis sive perfectae sive imperfectae.

Dotes contritionis sunt illae qualitates, quae ad validitatem contritionis sive perfectae sive imperfectae requiruntur. Solent enumerari quattuor; 1. ut sit vera et formalis, 2. supernaturalis, 3. appretiative summa, 4. universalis.

1. **Vera et formalis** contritio vel attritio requiritur, sicuti hucusque explicatum est in paragrapho praecedenti. 346

Requiritur igitur, a) ut contritio sit *vera* seu interna, ac proinde non sufficit α) mera externa recitatio formulae contritionis, nisi simul adsit verus internus dolor et detestatio peccati. Non sufficit β) *existimatus*, sed requiritur verus dolor. Ratio est, quia, sicuti non sufficit aqua existimata ad baptismum, ita insufficiens est ad sacramentum poenitentiae dolor existimatus. Quodsi quidam veteres theologi videntur contrarium docuisse, aut relinquendi sunt aut benigne interpretandi in hoc sensu, ut necessariam putaverint contritionem saltem existimatam; quae si revera non adsit, sufficit vera attritio exsistens, quae a poenitente bona fide habetur perfecta contritio. — Nec etiam sufficit γ) *desiderium doloris et absolutionis*; in praxi tamen fideles timoratae conscientiae sincere optantes habere verum dolorem de peccatis commissis non sunt inquietandi, etsi dicunt se nullum prorsus dolorem sentire. Cum enim contritio sit actus voluntatis, non semper sentitur.

b) *Formalis* contritio requiritur, i. e. actus positivus, quo homo vere et explicite dolet de peccatis commissis. Ergo non sufficit *contritio implicita* vel *virtualis*, qualis includitur in actu caritatis, uti post Lugonem [4] paucissimi docuerunt; nam etsi actus perfectae caritatis iustificat *extra* sacramentum poenitentiae, tamen per se loquendo non sufficit *in* sacramento, quia formalis contritio pertinet ad materiam proximam huius sacramenti. Verumtamen practice vix possibile est, ut homo peccator eliciens actum perfectae caritatis simul non doleat de peccatis suis eaque detestetur. Minus adhuc sufficit ille dolor implicitus, qui includitur in voluntate non peccandi de cetero; quia absolute possibile est, ut quis habeat complacentiam de peccatis praeteritis, sed nihilominus iam amplius nolit peccare [5].

2. **Supernaturalis** debet esse dolor, et quidem dupliciter: a) ratione 347
principii, quatenus elici debet cum auxilio gratiae supernaturalis [6]; b) ratione *motivi*, quod aliquatenus ad Deum refertur.

---

[1] Sess. 6, c. 6 de iustif. (*Denz.* n. 798).
[2] De amore Dei l. 2, c. 17. [3] Theol. mor. l. 6, n. 442 in fine.
[4] De poenit. diss. V, n. 92 sqq. [5] Conc. Trid. sess. 14, c. 4.
[6] Ita post Concilium Arausicanum definivit Concilium Trid. sess. 6, can. 3.

Unde motivum mere *naturale* dolendi de peccatis est insufficiens, et Innocentius XI damnavit propositionem (57): «Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.»[1] Motiva naturalia insufficientia sunt e. g. poena carceris inflicta pro peccato, infortunium inde ortum, infamia etc. Motiva autem idonea ad quattuor reduci possunt: 1. ad timorem poenae *a Deo* infligendae vel inflictae; 2. ad spem praemii in aeternitate; 3. ad turpitudinem supernaturalem peccati; 4. ad bonitatem Dei. Uno verbo: Omnia illa motiva sunt idonea, quae *lumine fidei supernaturalis* apprehenduntur, non autem illa, quae puro rationis lumine cognoscuntur.

348 3. **Summa** debet esse contritio non quidem *intensive*, sed *appretiative*.

Contritio intensive summa nedum non requiritur, sed nec est possibilis, cum acerbitas et intensitas doloris per Dei gratiam semper magis magisque augeri possit. Contritio autem debet esse appretiative summa, in quantum peccatum censetur malum magis detestabile quam quodlibet aliud malum; ideoque peccator debet esse paratus ad amittendum quodvis bonum et ad patiendum quodvis malum potius quam ad peccatum committendum. In praxi autem tam confessarius quam poenitens abstineant a comparationibus expresse instituendis inter peccatum vitandum et aliquod atrox malum subeundum. S. Thomas[2] scite de hac re animadvertit: «Contritus tenetur in generali velle magis pati quamcumque poenam, quam peccare; . . . sed in speciali descendere ad hanc poenam vel ad illam, non tenetur. Quin immo *stultum faceret*, si quis se ipsum vel alium sollicitaret super huiuscemodi particularibus poenis. Manifestum est enim, quod, sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur; et aliqui sunt, qui in minore tentatione non cadunt, qui forte in maiore caderent. Sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem, sed, si per considerationem descendit ad singulas illecebras, moveretur. Et similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo; sed si descenderet ad considerandum singulas poenas, magis retraheretur. Et ideo descendere in talibus ad singula est inducere hominem in tentationem et praebere occasionem peccandi.» Unde prorsus incongruae sunt quaedam usitatae formulae contritionis, e. g.: «Mallem millies mori quam te, Deus, iterum offendere.» — Cum intensitas non pertineat ad essentiam doloris in poenitentia, sequitur, a) ut minime requiratur *dolor sensibilis*, qui se manifestat suspiriis et lacrimis; b) ut *nulla temporis mora* sit necessaria ad eliciendam contritionem, quippe quae utpote actus spiritualis in instanti exerceri possit. Nihilominus in praxi fideles instanter monendi sunt, ut contritionem eliciendam reputent magis necessariam quam confessionem oralem, ac proinde ut aliquantum temporis impendant ad veram et sinceram contritionem eliciendam.

349 4. **Universalis** debet esse contritio, in quantum se extendit ad omnia prorsus peccata *mortalia* nondum remissa.

Ratio est, quia quodlibet peccatum mortale est totalis aversio a Deo. Iamvero contritio est conversio ad Deum atque delere debet omnem aversionem a Deo, ac proinde unum peccatum mortale nequit remitti sine alio. Non autem requiritur stricte (licet sit ut plurimum melius), ut specialis contritio eliciatur de singulis peccatis mortalibus. Sufficit, ut poenitens ex motivo

[1] *Denz.* n. 1207. [2] Quodl. 1, a. 9.

universali, scil. quia Deum optimum offendit et gehennae poenas meruit, doleat de omnibus peccatis mortalibus commissis sive cognitis sive hic et nunc incognitis. — Cum peccata venialia non sint necessario accusanda in confessione, non requiritur, ut contritio sit universalis circa ista. Sin autem quis confitetur *sola peccata venialia*, debet saltem de uno elicere veram et formalem contritionem, aut de alia materia libera peccatorum iam remissorum, quia secus non praeberet sufficientem materiam proximam sacramenti, quod proinde frustraretur.

Corollaria. Ex eo, quod contritio pertinet ad materiam proximam, 350
absolutio autem est forma sacramenti poenitentiae, deducuntur sequentia:

1. Contritio debet esse *signo sensibili manifestata*. Materia enim sacramenti pertinet ad signum sensibile. Sufficienter autem habetur haec sensibilis manifestatio per dolorosam peccatorum confessionem vel per devotam absolutionis petitionem. Nihilominus suadendum est pueris et rudibus, ut contritionem etiam *expressis verbis* eliciant, quia haec verba solent illos multum adiuvare ad sinceram contritionem internam.

2. Contritio necessario elici debet *ante absolutionem* illique coexsistere. Ratio est, quia contritio est materia, absolutio autem forma sacramenti poenitentiae. Porro materia debet adesse, quando forma advenit. Per se quidem non requiritur, ut contritio eliciatur *ante confessionem*, sed in praxi hoc omnino est suadendum et faciendum, cum sit satis difficile elicere contritionem durante confessione aut illo parvo intervallo inter confessionem et absolutionem. Contritio debet coexsistere cum absolutione, ac proinde non tam diu ante absolutionem confessionemve elici potest, ut iam non virtualiter perseveret. Quamdiu autem contritio virtualiter perseverare censeatur, non potest regula generali determinari, quoniam hoc dependet ab intensitate illius ac a dispositione poenitentis. Quidam theologi putant, contritionem perseverare virtualiter per tres quattuorve horas; alii per unum diem et noctem, alii per aliquot dies [1]. In praxi consulendum est, ut contritio longe ante confessionem elicita iterum renovetur ante absolutionem. Per se autem patet contritionem esse omnino renovandam, quando postea novum peccatum mortale commissum est.

3. Contritio elicita debet *habere aliquem ordinem ad absolutionem*, seu 351
aliis verbis, debet esse *sacramentalis*. Sententiam eam, quae negat necessitatem huius ordinationis, vocat quidem S. Alphonsus [2] probabiliorem, sed inculcat, ut opposita (quippe quae sit tutior) in praxi observetur. Haec autem sententia non solum tutior, sed etiam verior esse videtur. Etenim si etiam in contritione perfecta includi oportet votum confitendi et recipiendi absolutionem sacramentalem, a fortiori hoc necessarium est in attritione. Istud votum est idem ac intentio aut ordinatio ad sacramentum poenitentiae. At minime requiritur, ut poenitens habeat *prius* intentionem sacramentum poenitentiae suscipiendi et ex hac intentione motus eliciat contritionem. Unde absque dubio fidelis, qui e. g. fortuito audiendo contionem excitatur ad contritionem et deinde confitetur, valide et licite absolvitur. Sin autem dolor praecedens *nullo modo* refertur ad confessionem, videtur esse invalida absolutio; itaque si idem fidelis hodie ex contione vehementissime ad dolorem peccatorum excitatur nihil cogitans de confessione, crastina autem die nihil cogitans de habita hesterna contritione confitetur peccata sua, invalide videtur absolutionem

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 446. [2] Ib. n. 447.

recipere. Contritio igitur et confessio se mutuo influere debent. Contritio reddit confessionem *dolorosam* et non mere narrativam; confessio vero coniungit contritionem cum absolutione et sic constituit totum sacramentum.

352 4. Contritio *non necessario est denuo elicienda, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur et denuo absolvitur.* Ita Billuart[1], qui hanc sententiam putat probabiliorem; Roncaglia habet illam moraliter certam, Sporer autem, Elbel et alii multi habent eam probabilissimam, ita testante S. Alphonso[2]. Ratio autem est, quia contritio prius et universaliter habita virtualiter perseverat atque etiam se extendit ad istud peccatum ex oblivione omissum. Neque quis dicat, in isto casu haberi duplex sacramentum, et duplicem absolutionem seu formam, ac proinde requiri etiam duplicem contritionem tamquam materiam proximam. Nam supposito quod contritio virtualiter perseverans se extendit ad peccatum omissum, revera habetur materia proxima sufficiens confessionis. Praeterea haec secunda absolutio non remittit peccatum omissum, quippe quod iam remissum sit per primam absolutionem. Proinde secunda absolutio nihil aliud est nisi complementum primae, et utraque videtur esse unum sacramentum. Si enim poenitens tunc reciperet revera duplex sacramentum, esset melioris condicionis, quam si nihil oblitus esset et prima accusatione omnia peccata integraliter declarasset. Quod sane videtur incongruum. — Nihilominus in praxi auctores solent consulere, ut in isto casu confessarius invitet poenitentem ad novum actum contritionis, ac ut etiam illi *novam satisfactionem* (vel iam impositam poenitentiam denuo) imponat. Ratio est, quia ista praxis est securior, immo iuxta probabilem sententiam quorundam auctorum necessaria[3]. Aliqui auctores, e. g. Noldin[4], generatim docent unum eundemque actum doloris sufficere pro pluribus confessionibus; e. g. si poenitens peccata iam rite accusata et remissa sequenti die iterum subiciat clavibus, dolor heri elicitus sufficit, ut valida absolutio denuo concedi possit, dummodo hesternus dolor universalis virtualiter adhuc perseveret. Verum haec sententia practice non videtur esse tuta neque licita. Etenim tunc certe duplex est sacramentum, ac proinde requiritur etiam duplex actus contritionis. Non enim ad validam susceptionem sufficit habitualis contritio, sed tamquam materia proxima (partialis) requiritur *actus* contritionis (saltem virtualiter perdurans).

353 **Scholion. Num sacramentum poenitentiae possit esse validum, sed informe?** Practicum momentum haec quaestio non habet, quia iste casus numquam fere accidit. Iuxta sententiam illorum auctorum, qui putant totam essentiam sacramenti poenitentiae consistere in absolutione, nihil obstat, quominus sacramentum poenitentiae sit validum sed informe. Sed haec sententia est vix probabilis. Supposito autem, quod tres actus poenitentis sunt materia proxima sacramenti, si revera cum omnibus dotibus essentialibus non adsunt (etiam inculpabiliter), sacramentum est nullum ob defectum materiae. Proinde melior videtur sententia negans sacramentum poenitentiae posse esse informe[5]. Neque obstat auctoritas S. Thomae[6], qui

---

[1] De poenit. diss. 4, a. 8. [2] Theol. mor. l. 6, n. 448. [3] Cf. ib.

[4] De sacr. n. 259. [5] Cf. *Billuart* l. c. diss. 7, a. 1.

[6] Suppl. q. 9, a. 1. Commentatores minime concordant in explicatione huius textus revera difficilis, quem Capreolus, Caietanus, Ioannes a S. Thoma, Salmanticenses et ex modernis Billot (De poenit. thes. 16, p. 162) subtiliter explicant. Forte melius et simplicius est dicere cum *Dom. Soto* (In 4, dist. 18, q. 3, a. 3): «Loquebatur S. Thomas

admittit confessionem informem; nam Angelicus Doctor manifeste agit de *confessione* tantum et non de toto sacramento poenitentiae; quia certum est, sacramentum poenitentiae sine contritione non solum esse informe, sed etiam invalidum. Ceterum etiam ii, qui informe sacramentum poenitentiae admittunt, dicunt hoc accidere non posse nisi in duplici casu, scil.: 1. Si quisquiam duplicis peccati mortalis reus ex invincibili oblivione de altero tantum dolet ex motivo *particulari* et hoc solum confitetur. Tunc enim remanet alterum peccatum, quod neque accusatum neque contritione affectum fuit, ac proinde non potuit remitti. Sed videtur in isto casu sacramentum esse invalidum, quia deest contritioni essentialis dos *universalitatis*, ac proinde contritio est insufficiens. 2. Si quis ex ignorantia invincibili credit non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen adsit dolor de aliquo peccato. Iste casus est revera chimericus, et, si accideret, sacramentum esset invalidum, cum ignorantia invincibilis nequeat reddere validum sacramentum, quod alias esset invalidum. Sicut etiam invalide contraheret quis matrimonium cum consanguinea in secundo gradu, quamvis ex ignorantia invincibili putaret huiusmodi matrimonium esse validum et licitum.

§ 4.

De proposito.

Definitio. Propositum est voluntas non peccandi de cetero. Ergo non sufficit pura velleitas neque tamen requiritur stricta promissio aut votum vitandi omnia peccata. Potest autem aliquando confessarius a poenitente exigere explicitam promissionem, si dubitat de eius sincero proposito. 354

Duplex distinguitur propositum: alterum *explicitum et formale*, quod est actus specialis et distinctus a contritione; alterum *implicitum et virtuale*, quod continetur in omni sincera contritione, quippe quae ex natura sua sit detestatio non tantum peccatorum praeteritorum, sed etiam futurorum.

Necessitas. *Propositum saltem implicitum requiritur ad validitatem sacramenti.* Melius autem est, si poenitens cogitans de vita futura formet propositum explicitum idque in particulari determinatum. 355

Propositum implicitum continetur necessario in omni vera contritione, ac proinde aeque necessarium est ac contritio. Ideoque merito quis dixerit contritioni incumbere duo munia, scil. detestari praeterita et praecavere futura peccata. Et revera eo ipso, quod quis vehementer et sincere detestatur actum praeteritum, habet voluntatem illum vitandi in futuro. Res enim, quae tamquam detestabilis clare cognoscitur, eo ipso vitatur, quia nemo potest appetere malum ut malum. Praeter propositum hoc implicitum quidam auctores[1] requirunt propositum *explicitum et formale*, quia Concilium Tridentinum[2] exigit «propositum non peccandi de cetero»; sed iste textus non est ad rem, quoniam

---

cum communi vulgo, i. e. tamquam commentator tradidit sententiam Petri Lombardi, quae tunc communis erat in scholis.» Cf. *Ios. Göttler*, Der hl. Thomas . . . über die Wirkungen des Bußsakr. (1904) 23.

[1] *Concina*, De sacr. poenit. l. 1, diss. 3, c. 1, q. 8.

[2] Sess. 14, c. 4 de poenit. (*Denz.* n. 897).

habetur in ipsa definitione contritionis. En verba: «Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.» Ergo Concilium potius contrarium docet, cum nihil aliud requirat nisi illud propositum, quod continetur in ipsa contritione[1].

Sententia vera, quae a compluribus auctoribus recte vocatur moraliter certa, docet, ad remissionem peccatorum obtinendam sufficere propositum, quod in contritione (sive perfecta sive imperfecta) *implicite* continetur. Unde Concilium Tridentinum enumerans actus explicitos, qui necessarii sunt ad essentiam sacramenti poenitentiae, affert quidem contritionem, confessionem et satisfactionem, nihil autem dicit de actu explicito propositi. Propositum igitur eodem modo est necessarium sicut actus fidei, spei, qui etiam implicite requiruntur in poenitente. Ceterum in praxi fieri non potest, quin poenitens sincera contritione perculsus et cogitans de vita futura eliciat expressum actum propositi, sicuti etiam fidei, cum credat in Dei misericordiam et iustitiam, ac spei, cum speret veniam a Deo obtinendam atque adiutorium divinum ad tentationes vitandas. Ballerini[2] affert textus 73 auctorum, qui omnes docent propositum implicitum sufficere ad valorem sacramenti.

356 **Qualitates propositi** solent enumerari tres: firmitas, efficacia, universalitas.

1. **Firmum** oportet esse propositum saltem quoad praesentem affectum voluntatis, licet forte sit infirmum quoad futurum eventum. Firmum propositum igitur non est idem quod constans. Nihil aliud requiritur, nisi ut poenitens *hic et nunc* sincere et firmiter proponat se iam amplius nolle peccare. Proinde obiectum propositi est *actualis voluntas,* non autem eventus futurus. Itaque «quod aliquis postea peccat . . . non excludit, quin prima poenitentia vera fuerit»[3]. Haud raro tamen frequens relapsus est indicium propositi infirmi.

Recte complures auctores[4] animadvertunt, solum propositum firmum non peccandi de cetero requiri, non autem necessario *persuasionem* poenitentis se non amplius esse peccaturum aut hoc vel illud peccatum non amplius patraturum. Potest enim quis vere dolere et detestari peccatum, ac vere et absolute proponere se de cetero non esse peccaturum, tametsi valde timet, immo certo credit, se ob expertam voluntatis suae inconstantiam et fragilitatem suam denuo relapsurum esse. Si poenitens ita animum despondeat, debet confessarius illum ante absolutionem disponere, ut speret non per proprias vires, sed per Dei gratiam se posse vitare peccata, dicens cum Apostolo: «Omnia possum in eo, qui me confortat.» Quodsi poenitens nullam spem emendationis capere possit aut potius velit, iam committit peccatum desperationis neque est dignus absolutione.

---

[1] Notare iuvat, plures auctores, qui a *Concina* (De sacr. poenit. l. 1, diss. 3, c. 1, q. 8) pro sua sententia citantur, reapse prorsus contrarium docere, ut e. g. S. Thomas, Caietanus etc.

[2] In adnotationibus ad *Gury,* Comp. Theol. mor. II, n. 462.

[3] *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 84, a. 10 ad 4.

[4] E. g. *Sporer,* De poenit. n. 310.

2. Efficax debet esse propositum quoad tria: poenitens debet 1. adhibere media necessaria ad vitanda peccata, e. g. orationem, vigilantiam etc.; 2. debet vitare occasionem peccandi, in quantum potest (quid sit occasio peccandi, infra dicetur, ubi sermo erit de occasionariis et recidivis); 3. debet pro viribus reparare damnum, quod forte ex peccatis ortum est proximo (e. g. ex peccato furti). Sufficit autem, ut propositum sit efficax *affective*, i. e. ut poenitens habeat hic et nunc seriam voluntatem exsequendi ea, quae sunt necessaria ad peccata vitanda. Caveat confessarius, ne poenitenti praecipiat aliquid tamquam medium stricte *necessarium,* quod revera est tantum *utile.*

3. Universale oportet esse propositum, in quantum excludit prorsus omnia peccata mortalia facienda. Sin autem poenitens confitetur sola peccata venialia vel in confessione includit solam materiam liberam, tunc nihilominus ad validitatem sacramenti, sicut requiritur vera contritio, ita etiam verum propositum, quod se extendere debet vel a) ad omnia peccata mortalia vitanda, vel b) ad unum peccatum veniale vitandum, vel c) ad emendandam determinatam speciem peccatorum, e. g. peccata linguae, vel d) ad vitanda omnia peccata venialia deliberata, vel saltem e) ad minuendam frequentiam peccatorum venialium.

Monitum practicum. Quando fideles frequenter eadem peccata con- 357
fitentur, quae non tam ex fragilitate quam ex aperta socordia oriuntur, conicere (etsi non certo iudicare) licet, eos elicere proposita nimis generalia vel non satis strenua. Proinde sunt monendi, ut maiore diligentia contritionem et propositum eliciant. Non raro etiam poenitentes (praesertim mulieres) diu examini conscientiae incumbunt, minimas culpas maxima anxietate requirunt et longas confessiones peragunt, nec tamen ita solliciti sunt de dolore et firmo proposito. Serio instruendi sunt isti, ut (omissa meticulosa enarratione omnium peccatorum venialium) magis insistant in perfecta contritione elicienda et firmo ac *specialiter determinato proposito* statuendo. Ad firmitatem propositi augendam praestat, ut poenitentes illud post confessionem saepius renovent, e. g. quolibet die.

ARTICULUS II.

De confessione.

Dividimus istum articulum in tres paragraphos: 1. de essentia et necessitate confessionis; 2. de eius dotibus; 3. de eius iteratione.

§ 1.

De essentia et necessitate confessionis.

Definitio. Confessio sacramentalis est accusatio pecca- 358
torum propriorum post baptismum commissorum facta sacerdoti competenti ad eorum absolutionem obtinendam. Tria igitur ad essentiam confessionis sacramentalis pertinent: a) *Accusatio propriorum peccatorum.* Ergo confessio non est mera narratio historica, sed proprie accusatio facta iudici spirituali: obiectum huius accusationis

sunt *propria peccata commissa post baptismum*, ideoque neque peccatum originale neque peccatum alienum neque merae imperfectiones, quae non habent peccati rationem. — b) Confessio debet fieri *competenti sacerdoti*. Ergo confessio scienter facta laico, sicut usus fuit medio aevo, vel sacerdoti qui manifeste non habet iurisdictionem necessariam, non est confessio sacramentalis. — c) Confessio debet institui ad *absolutionem sacramentalem obtinendam*. Ergo si poenitens confitetur peccata sua e. g. ad tentandum confessarium vel consilii causa, non adest confessio sacramentalis. Quae quidem omnia animadvertenda sunt, cum agitur *de sigillo confessionis*, quoniam ex sola sacramentali et non ex alia confessione oritur obligatio sigilli.

Necessitas confessionis sacramentalis negata est a *Wicleff* dicente: «Si homo fuit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis»[1]; a *Luthero*, qui vocavit confessionem «cruentissimam carnificinam, quae miseras torquet conscientias»; a *Calvino*, qui contendit auricularem confessionem introductam esse ab Innocentio III (saec. XIII); a modernis *Protestantibus*, qui omnes negant necessitatem, licet quidam agnoscant utilitatem confessionis. Contra hos omnes statuitur:

359 **Thesis.** *Confessio sacramentalis necessaria est cum* a) *ex praecepto divino, tum* b) *ex praecepto ecclesiastico.*

a) **Necessitas ex iure divino.** Doctrinam catholicam sic exponit Concilium Tridentinum[2]: «Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere, quia D. N. Iesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint: qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.» — Ex hoc textu duo erui possunt: necessitas confessionis iure divino introducta et obiectum confessionis, scil. omnia peccata mortalia.

Prob. 1. Ex S. Scriptura. Licet Christus directe nihil dixerit de confessione, tamen illam certo instituit. Etenim Christus instituit sacramentum poenitentiae in forma iudicii. Atqui forma iudicii non potest observari sine confessione. Ergo Christus instituit confessionem. — Sacramentum poenitentiae institutum esse in forma iudicii, iam saepe dictum est et manifeste sequitur ex verbis institutionis: Quorum remiseritis, remittuntur; quorum retinueritis, retenta sunt. Etenim si apostoli eorumque successores quaedam peccata remittere, quaedam vero non remittere possunt, debent prius iudicium non arbitrarium, sed diligens instituere. Iamvero nequeunt tale iudicium instituere, nisi cognoscant in particulari ipsa peccata. Porro non possunt illa cognoscere ordinario modo, nisi poenitens ipse illa plene manifestaverit. Ergo confessio est indirecte inclusa in forma iudiciali sacramenti poeni-

[1] Cf. *Denz.* n. 587. [2] Sess 14, c 5 de poenit. (*Denz.* n. 899).

tentiae, ac proinde est necessaria ex iure divino, ita ut sine illa invalide administretur sacramentum poenitentiae. Nihilominus confessionis integritas non necessario est absoluta, sed mensuranda est iuxta vires uniuscuiusque hominis, cum Deus nihil impossibile exigat. Ergo si quis peccata non valet confiteri propter oblivionem, vel quia est sensibus destitutus, capax est absolutionis sacramentalis.

Ad probandam ex S. Scriptura institutionem divinam confessionis ab aliquibus auctoribus afferuntur adhuc duo textus, scil. in Act. 19, 18 legitur: «Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos», et in ep. S. Iacobi 5, 16 monemur: «Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.» Qui quidem textus possunt intelligi de confessione sacramentali, ut docent complures exegetae, aliis tamen contradicentibus.

Prob. 2. Ex traditione. Iam saeculo II mentio fit confessionis in textu Didaches iam supra citato: «Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum.»[1] Saeculo III dicit S. Cyprianus[2]: «Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.» Ex Origenis scriptis licet conspicere confessionem cum publicam tum privatam tunc temporis fuisse in usu, et adhibitam esse iuxta discretum iudicium sacerdotis. «Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis suis stratum suum et fiunt ei lacrimae panes die ac nocte, et *cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum* et quaerere medicinam.»[3] A saeculo IV abundant textus SS. Patrum, qui loquuntur de confessione sacramentali, e. g. S. Ambrosius[4], qui et ipse cum magno fervore confessiones fidelium audiebat. Narrat enim de illo Paulinus diaconus[5]: «Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus, siquidem, quotiescumque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam *lapsus suos confessus est,* ita flebat, ut et flere illum compelleret . . . Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.» Pro aliis multis textibus veterum Scriptorum videsis Billuart[6] vel Tanquerey[7].

Suadetur 3. Ex multiplici utilitate et convenientia confessionis. Etenim confessio est: α) Optimum exercitium *humilitatis,* quo edomatur nefasta superbia peccatoris. Proinde etiam filius prodigus in Evangelio debuit dicere: «Pater, peccavi.» β) Causa *pacis et securitatis interioris.* Quamvis enim peccator sincera contritione atque satisfactione peccatum delere conetur, tamen saepe dubius haeret, utrum sit amore an odio Dei dignus, cum nemo sit iudex in propria causa; quando autem candide confessus est omnia peccata sacerdoti pio ac sapienti et ab illo absolutionem ac salutaria monita accepit, pacem animae nanciscitur. Praeterea confessarius interiorem cognoscens statum animae poenitentis potest illi suadere efficacia media ad virtutes

---

[1] Cap. 14, 1; cf. c. 4, 14. — *Rauschen* (Euchar. u. Bußsakr. § 10) confidenter sed sine solida probatione asserit hanc confessionem non fuisse sacramentalem.

[2] De lapsis c. 29 (*Migne,* Patr. lat. 4, 489).

[3] Hom. in Lev. 2, 4 (*Migne,* Patr. graec. 12, 418).

[4] De poenit. l. 2, c. 1 (*Migne,* Patr. lat. 16, 497).

[5] Apud *Migne* l. c. 14, 440. [6] De poenit. diss. 5, a. 1.

[7] Synopsis Theol. mor., de poenit. c. 2.

acquirendas. γ) *Custodia ordinis socialis.* Prudens enim confessarius urget observantiam legum divinarum et humanarum, recte ordinat pacem societatis domesticae et reipublicae, lites et dissidia componit, inimicos reconciliat, restitutionem iustitiae laesae exigit, ac multa scandala reparat aut praecavet.

b) **Ex iure ecclesiastico** confessio sacramentalis etiam necessaria est. Etenim Codex iur. can. c. 906 statuit: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, i. e. ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri.» Similia iam statuit concilium Lateranense IV (a. 1215)[1].

360 **Tempus obligationis.** 1. *Praeceptum divinum* confessionis sacramentalis obligat cum per se tum per accidens.

Per se obligat peccatorem: a) in articulo vel imminente periculo mortis, quia peccator tunc debet recuperare statum gratiae sanctificantis, quod difficulter fieri potest per solam contritionem cum voto sacramenti; unde graviter peccat, qui conscius peccati mortalis negligit confessionem in articulo aut imminente periculo mortis; b) aliquoties in vita. Peccator confitens quolibet saltem anno videtur sufficienter implere praeceptum cum divinum tum ecclesiasticum.

Per accidens obligat praeceptum divinum: a) si peccator vult recipere s. eucharistiam; tunc enim non sufficit contritio elicita, ut supra n. 192 sq dictum est; b) quando requiritur status gratiae neque peccator valet cum morali certitudine elicere actum perfectae contritionis; c) quando gravis tentatio et praesertim pravus habitus nequit vinci sine adiutorio confessionis[2].

361 2. *Praeceptum ecclesiasticum* confessionis sequentia statuit:

Subiectum huius praecepti ecclesiastici sunt omnes homines usu rationis capaces, *qui conscii sibi sunt peccati mortalis.* Ergo nec perfecte amentes, nec pueri ante usum rationis, nec qui peccati mortalis non sunt conscii, tenentur ad confessionem.

Ante primum septennium aetatis homo rarissime obligatur ad confessionem. Nostris regionibus pueri censentur habere sufficientem usum rationis pro confessione peragenda aetatis suae anno septimo vel octavo.

Cum ecclesiasticum praeceptum nihil aliud esse videatur nisi determinatio praecepti divini, quod quidem non praescribit confessionem peccatorum venialium, hinc ille, qui non commisit peccata mortalia (vel numquam vel saltem ab ultima confessione), stricte non tenetur ad annualem confessionem. Posset ergo ille in rigore iuris accedere ad communionem paschalem sine praevia confessione. Itaque praeceptum annuae confessionis obligat *solos peccatores,* cum praeceptum communionis paschalis obliget omnino omnes fideles usu rationis capaces. Ita sententia verior et communior[3]. Per se

[1] *Denz.* n. 437. [2] Cf. *S. Thom.,* Suppl. q. 6, a. 5.

[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 667. *S. Thomas* (l. c. a. 3 ad 3 et q. 8, a. 5 ad 4) putat, etiam illum, qui non commisit peccatum mortale, debere semel in anno se repraesentare sacerdoti, non quidem ad confessionem peragendam, sed ut ecclesiae rectori subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat. Angelici Doctoris temporibus adhuc exsistebat lex, ut confessionem annualem fideles deberent facere apud proprium parochum. Hodie autem haec lex abolita est, et proinde nec etiam semel in anno tenentur parocho se praesentare fideles, qui sola peccata venialia patraverunt.

autem patet esse indecens atque damnosum, si quis ne semel quidem in anno confiteri vellet. Namque 1. privat se multis gratiis et notanter gratia in sacramento poenitentiae collata; 2. facile errat iudicans aliquid esse veniale peccatum, quod revera est mortale; 3. indecens est, ut quis etiam solis peccatis venialibus onustus accedat ad eucharistiam. Iamvero non est verisimile illum, qui recusat annualem confessionem, sese aliis remediis mundare a peccatis venialibus.

Obiectum huius praecepti ecclesiastici est determinatio 1. temporis, 362
scil. spatium unius anni, et 2. materiae, scil. peccatum mortale.

Quantum ad 1 dicit Concilium: «saltem semel in anno». Theologi non concordant, quomodo iste annus computandus sit. Quidam computant iuxta annum civilem, i. e. a Ianuario ad sequentem Ianuarium, alii a Paschate ad Pascha, alii putant annum incipere a tempore, quo primum peccatum mortale commissum est. Hodie exsistit consuetudo universalis computandi annum a Paschate ad Pascha, ita ut fideles, qui quolibet tempore Paschali confitentur, non transgrediantur praeceptum annuae confessionis. Si quis autem reus peccati mortalis confessus non sit tempore Paschali, data opportunitate *quam primum* confiteri debet, quia lex ecclesiastica annualis confessionis imposita est non ad finiendam, sed *ad urgendam obligationem.* Qui autem praecedenti anno peccata sua mortalia confessus non est, satisfacit confessione praesenti anno facta, neque iterum confiteri tenetur ad satisfaciendum obligationi praesentis anni[1].

Quantum ad 2 requiritur sola confessio peccatorum mortalium. Quando quis tempore Paschatis sola peccata venialia habuit in confessione, paulo post autem committit peccatum mortale, iuxta quosdam auctores denuo confiteri debet ante finem anni, nam accusando venialia peccata non adimplevit praeceptum annuae confessionis; verumtamen alii auctores, e. g. Ballerini-Palmieri[2], Génicot[3], merito docent, de huiusmodi obligatione non constare. Ideo fideles, qui semel in anno confessi sunt, recte putant se satisfecisse praecepto annuae confessionis.

Non satisfit praecepto ecclesiastico per confessionem *sacrilegam,* ut patet ex propositione (14) damnata ab Alexandro VII: «Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.»[4] — Ante Concilium Tridentinum aliquando exigebatur, ut confessio annualis fieret coram proprio sacerdote, i. e. *parocho,* vel saltem cum eius expressa licentia apud alium sacerdotem. Hodie fideles possunt confiteri apud quemlibet confessarium legitime approbatum, etiam alterius ritus[5].

Poena duplex infligebatur transgredientibus hoc praeceptum annuae confessionis, scil. interdictum ab ingressu ecclesiae et privatio sepulturae ecclesiasticae. Sed utraque haec poena est *ferendae sententiae,* i. e. non incurrebatur nisi post sententiam episcopi, et hodie non applicatur.

§ 2.

De dotibus confessionis.

Dotes confessionis aliae sunt necessariae, aliae tantum utiles. S. Tho- 363
mas[6] aliique antiqui theologi enumerabant sedecim dotes confessionis:

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 668. [2] Opus theol., de poenit. n. 1061.
[3] Theol. mor. II 323. [4] *Denz.* n. 1114; cf. Cod. iur. can. c. 907.
[5] Cod. iur. can. c. 905. [6] Suppl. q. 9, a. 4.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans et sit parere parata.

Dos inter omnes maxime necessaria est integritas, de qua infra specialiter agetur. De aliis dotibus pauca:

1. *Simplex et nuda* sit confessio, ac proinde libera ab omnibus inutilibus verbis et narrationibus.

Confessarius omnino ne permittat, ut poenitens durante confessione narret quaedam, quae ad confessionem non pertinent. Nec etiam ipse faciat sermones aut interrogationes inutiles. S. Antoninus [1] recte docet: Poenitentes, qui indigent consolatione propter tribulationes vel consilio propter dubia, post confessionem factam et absolutionem talia dicant et non misceant in confessione, ne contritionis vis diminuatur.

2. *Humilis* (i. e. cum in verbis tum in gestibus) atque *parere parata* sit confessio.

Poenitens durante confessione in signum humilitatis genuflectat, nisi sit impeditus infirmitate vel alio modo; sit capite discooperto, si est vir; milites deponant arma durante confessione. Poenitens humiliter accipiat monita, immo et vituperationes iustas confessarii, cum debeat *parere* iustis confessarii mandatis.

3. *Pura,* i. e. recta intentione instituta, scil. ad gratiam sacramentalem accipiendam.

Ergo peccat, qui confitendo quaerit fines terrestres, e. g. benevolentiam confessarii, colloquium iucundum etc. Confessarius percipiens intentionem poenitentis non ita puram, paterno quidem sed et strenuo modo commonefaciat eum de dignitate confessionis et de pura intentione habenda.

4. *Discreta et verecunda,* i. e. poenitens ne pandat peccata aliorum, ac praesertim ne revelet nomen complicis sui. Insuper loquens de peccatis contra sextum praeceptum adhibeat verba pudica, quin tamen inde veritas obiectiva laedatur.

5. *Fortis et accusans,* i. e. poenitens, quantumvis erubescat, tamen fortiter accuset peccata sua, sibi dicens: Si non erubui committere, nec debeo erubescere confiteri peccata commissa.

364 6. *Fidelis,* i. e. absque omni mendacio. De mendacio in confessione facto sequentia notentur: *Si quis mentitur circa rem gravem necessario declarandam, committit grave sacrilegium. Mentiri autem in aliqua re, quae ad confessionem necessario non pertinet, est peccatum iuxta qualitatem materiae.*

Sic e. g. graviter peccat is, qui in confessione negat circumstantiam gravis peccati speciem mutantem, pariter qui de proximo gravem calumniam dicit; qui autem negat aliquod peccatum veniale commissum vel peccatum mortale iam antea remissum, aut mentitur circa res indifferentes, venialiter peccat, saltem per se. Nihilominus omne mendacium etiam obiective leve in confessione factum inducit circumstantiam *aggravantem,* cum sit irreverentia

[1] S. theol. P. 3, c. 19, tit. 14, § 12.

magna erga sacramentum peccare eodem tempore, quo remissio peccatorum quaeritur [1]. Contra fidelitatem per se non peccat ille poenitens, qui confessario ignoto confitetur peccata mortalia et *postea* confessario ordinario dicit peccata venialia, dummodo numquam hanc alteram absolutionem recipiat, antequam sit rite absolutus a peccatis mortalibus. In praxi tamen attendendum est ad motivum, propter quod iste modus eligitur. Si poenitens intendit deceptionem ordinarii confessarii, propriam gloriam vel aliud quid inordinatum, certe committit peccatum plus minusve grande; sin vero ita agit ex pudore, quo suffunderetur, quia confessarium familiariter cognoscit, non peccat. Quocirca confessarius numquam curiose inquirat de confessione alibi facta, nec ostendat sibi displicere, si poenitens alteri sacerdoti confessus sit.

Sunt adhuc complures alii modi, quibus fidelitas plus minusve laeditur, e. g. si quis peccatum recens accusat ut antiquum, sicut si poenitens instituit confessionem generalem, in qua ex industria non distinguit peccata ab ultima confessione patrata ab iis, quae antea commissa sunt. Per se quidem circumstantia *temporis* non violat graviter fidelitatem confessionis; per accidens tamen, quando scil. inde iudicium rectum confessarii impeditur, est gravis violatio. Talem modum agendi esse semper vituperabilem, per se patet. Parum et non graviter laeditur fidelitas confessionis, si poenitens simulat vocem aliave media adhibet, ne a confessario agnoscatur. Exsistente autem legitima causa atque recta intentione habita huiusmodi simulatio non est peccaminosa.

Fideliter et sincere tenetur respondere poenitens confessario legitime interroganti; illegitimas autem quaestiones, e. g. de nomine, patria, loco habitationis, potest declinare, responsionem recusando vel restrictionem late mentalem adhibendo.

7. Vocalis, i. e. verbis expressa, non autem nutu, signis aut scriptis, 365
nisi adsit iusta causa.

Communiter theologi docent illum, qui sine causa iusta confitetur scripto aut nutibus, peccare graviter, quia agit contra universalem et iustissimam consuetudinem Ecclesiae. Cui autem physice aut moraliter impossibile est confiteri vocaliter, ille potest confiteri aliis modis, quoties urget praeceptum confessionis. Ratio autem est, quia accusatio vocalis non est de essentia confessionis. Christus enim instituens confessionem nihil aliud stricte exigit nisi dolorosam manifestationem peccatorum. Confessio igitur oris, quae exigitur a Concilio Florentino, nihil aliud est nisi quaelibet confessio externe manifestata. In casu physicae vel moralis impossibilitatis loquelae hominem non solum posse sed etiam debere scriptis aut nutibus confiteri, docent communiter theologi [2], quia incommodum scribendi peccata non solet esse tantum, ut excuset a gravi praecepto divino confessionis. Neque dicat quis: Homo non tenetur scribere peccata, *ne memoria excidant.* Ergo *numquam* tenetur confiteri scriptis. Nam necessitas ipsius confessionis in se est multo maior quam necessitas *integritatis materialis* ipsius [3]. Sic e. g. mutus solet scriptis vel signis confiteri; pariter, si confessarius est surdaster, potest

---

[1] Cf. *Concina*, De poenit. l. 1, diss. 4, c. 3, n. 6.

[2] *S. Thom.*, In 4, dist. 17, q. 3, a. 4, sol. 3 ad 2; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 479. Contrarium docent *Göpfert*, Moraltheol. III, n. 117; *Noldin*, De sacr. n. 270.

[3] Cf. *Billuart*, De poenit. diss. 7, a. 3, § 1.

confessio fieri scriptis vel signis, ne circumstantes audiant accusationem. Semper autem, in quantum est possibile, dicat poenitens vocaliter haec vel similia verba: Accuso me de peccatis, quae tibi manifestavi, et peto absolutionem [1], ut iam supra dictum est.

8. *Secreta.* Licet antiquis temporibus confessio publica in usu fuerit, hodie tamen nemo obligatur ad confitenda peccata, si hoc non fieri potest nisi publice.

Hinc e. g. nemo ignarus idiomatis confessarii *tenetur* confiteri per interpretem [2]. S. Officium d. 28 Febr. 1633 statuit, ut ille, qui *velit* confiteri per interpretem, non sit prohibendus; immo docent quidam theologi, e. g. Faust. Scarpazza O. Pr. [3], in articulo mortis peccatorem *debere* confiteri per interpretem, si facile fieri possit. Interpres in isto casu adhibitus tenetur ad secretum servandum de peccatis auditis. Aliqua sagacitate adhibita obtineri potest, ut interpres fere nihil sciat de confessione audita. Etenim si confessarius ponit quaestiones, quas interpres repetit in lingua poenitentis et ad quas poenitens respondet *non voce sed signis, quae videt aut percipit solus confessarius* (non autem interpres), integritas sufficiens confessionis haberi potest, quin interpres cognoscat responsiones a poenitente datas.

Principalis dos confessionis est eius *integritas.* Tria puncta singillatim de illa explicanda sunt: 1. necessitas et extensio integritatis; 2. causae excusantes; 3. media ad integritatem obtinendam.

1. Necessitas et extensio integritatis.

366 A. **Necessitas.** Ut patet ex textu Concilii Tridentini supra citato, homo tenetur confiteri omnia peccata mortalia post baptismum commissa, in quantum hoc moraliter fieri potest. Proinde distinguitur duplex integritas: a) *materialis,* quae complectitur (secundum speciem, numerum et circumstantias speciem mutantes) absolute omnia peccata mortalia post baptismum commissa et nondum directe remissa; b) *formalis,* quae complectitur omnia illa peccata mortalia, quae poenitens hic et nunc spectatis omnibus adiunctis confiteri potest et debet.

Principium 1. *Integritas materialis confessionis non semper necessaria est ad validam et licitam susceptionem sacramenti poenitentiae.*

Christus enim pro sua benignitate misericordi noluit exigere ab homine peccatore aliquid, quod est moraliter vel physice impossibile, quale est aliquando integritas materialis. Praeterea lex de integritate confessionis est lex

---

[1] Iam *Gratianus* (c. 88, dist. 1 de poenit.; desumptus est iste canon ex libro «De vera et falsa poenitentia», qui falso adscribitur S. Augustino) indicat rationem, cur confessio debeat esse vocalis, scil. in signum verae poenitentiae. «Praecepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus: docens corporali praesentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. . . . Qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc praecepit Dominus, ut neminem poeniteret in occulto. In hoc enim, quod per se ipsum dicit sacerdoti et erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis. Multum enim satisfactionis obtulit, qui, erubescentiae dominans, nihil eorum, quae commisit, nuntio Dei denegavit.» Decreta Clementis VIII et Pauli V hac de re vide supra n. 330.

[2] Cod. iur. can. c. 903. [3] Theol. mor. IX 89.

positiva. Iamvero lex positiva ordinarie non obligat in casu gravis incommodi, ut supra in tractatu de legibus dictum est. Unde etiam Concilium Tridentinum[1] dicit: «Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me.» Quod valet de peccatis ex oblivione omissis, valet etiam de peccatis ex alia gravi causa non accusatis. Quaenam sint causae iustae ab integritate materiali excusantes, dicetur infra n. 378.

Principium 2. *Integritas formalis ad validam et licitam confessionem omnino requiritur.*

Haec integritas est aeque necessaria pro sacramento poenitentiae atque aqua pro sacramento baptismi. Praeceptum enim divinum declarandi omnia peccata mortalia commissa certe refertur ad ea peccata, *quae hic et nunc declarari possunt et debent.* — Idem apparet ex Concilio Tridentino[2] declarante necessarium esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant.

B. **Extensio integritatis** consideranda est quantum ad 1. speciem peccatorum, 2. eorum numerum, 3. eorum circumstantias, 4. actum externum et effectus, 5. peccata dubia.

1. **Species moralis infima** peccatorum mortalium declaranda 367
est. Sequitur manifeste ex Concilio Tridentino[3] dicente: «Sacerdotes iudicium hoc [sacramentale], incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi [poenitentes] peccata declarassent.» Haec verba «in specie» intelligenda sunt de *specie infima,* quia nomen speciei semper sic intelligendum est, nisi contrarium prorsus apparet. Ratio autem huius praecepti est, quia secus confessarius nequit sufficienter iudicare de statu poenitentis.

Quapropter praecepto divino confessionis peragendae non satisfit, si extra casum necessitatis poenitens se accusat sequentibus modis: Peccavi mortaliter, peccavi contra iustitiam, contra castitatem etc. Dico: *extra necessitatem;* etenim si poenitens nequit propter oblivionem, propter periculum mortis, propter scandalum etc. confiteri infimam speciem peccatorum mortalium, iam sufficit generica accusatio, ut supra n. 325 dictum est.

Aliquando moraliter impossibile est a poenitentibus parum instructis sciscitari infimam speciem peccatorum praesertim internorum. Non enim distinguere valent e. g. inter delectationem morosam, gaudium et desiderium, vel inter verba obscena et verba solum sordida. Iamvero in istis casibus confessarius abstineat ab interrogationibus inopportunis, quippe quae ad nihilum utiles sint et potius poenitentes perturbent aut taedio afficiant. Idem valet de exacto numero istorum peccatorum sciscitando. Nam, ut S. Alphonsus recte animadvertit, poenitentes tales tunc respondent, quidquid in «buccam» venit.

---

[1] Sess. 14, c. 5 de poenit. (*Denz.* n. 900).
[2] Ib. (*Denz.* n. 899). [3] Ib. c. 5 (*Denz.* n. 899).

368 2. **Numerus** peccatorum mortalium item declarari debet in confessione, in quantum id est moraliter possibile. Dicit enim Concilium Tridentinum [1] *omnia* et *singula* peccata esse accusanda. Quare poenitens tenetur pro viribus accusare rectum et certum numerum peccatorum, atque peccat, si notabiliter numerum vel auget vel minuit. Proinde si falsus numerus gravium peccatorum indicatus est, poenitens debet in sequenti confessione verum numerum declarare. Docent tamen theologi, poenitentem, qui *bona fide* numerum notabiliter maiorem expressit, non debere hunc errorem corrigere, quia verus numerus in maiore indicato continetur. Aliter est, si numerus fuit notabiliter diminutus.

Poenitens non inveniens exactum numerum peccatorum debet illum meliore quo potest modo determinare adhibendo verbum «circiter». Qualis autem numerus censeatur comprehendi in particula «circiter», non potest regula omnino certa determinari. Quidam auctores dicunt: circa ter intelligi 2 vel 4; circa decem intelligi 8 vel 12; circa triginta 27 vel 33; circa centum 95 vel 105; circa mille 950 vel 1050 [2]. — Quodsi autem ne probabilis quidem numerus haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus et frequentia in die, in septimana, in mense. Hinc notat Noldin [3] ex Sporer-Bierbaum, sufficere e. g. si meretrix dicit: Per biennium in meretricio permansi et, quoties occasio fuit, etiam coniugatis etc. potestatem corporis feci; vel si homo luxuriae deditus dicit: Obvias quasque mulieres, etiam cognatas, coniugatas etc., concupivi; vel de rebus turpissimis quavis data occasione cum sociis quibusvis locutus sum. — Poenitens, qui, in confessione numerum peccatorum mortalium bona fide circiter indicavit, non tenetur iterum confiteri, si postea numerum accuratum forte invenit. Ratio est, quia confessarius iam potuit sufficienter iudicare de statu huius poenitentis [4].

369 3. **Circumstantias** *speciem peccatorum mortalium mutantes* oportet in confessione declarari. Patet ex Concilio Tridentino [5]. Quaenam circumstantiae speciem peccati mutent, dictum est supra I, n. 117 et 373. Generalis regula est: *Tunc circumstantia speciem actus peccaminosi mutat, quando addit novam malitiam graviter repugnantem alteri virtuti.* Sic e. g. furtum laedit virtutem iustitiae; furtum autem factum in rebus sacris insuper laedit virtutem religionis; fornicatio laedit virtutem castitatis, fornicatio autem facta cum consanguineis laedit insuper virtutem pietatis. Praeter istas circumstantias, quae mutant speciem *moralem* peccati, sunt adhuc aliae, quae mutant speciem *theologicam,* i. e. quae mortale reddunt peccatum per se veniale; e. g. furtum oboli est peccatum veniale, circumstantia autem magnae quantitatis in furto, e. g. furtum 1000 francorum, constituit peccatum grave. Solent istae circumstantiae vocari etiam «in infinitum aggravantes», et per se patet illas in confessione esse declarandas.

Gravis autem controversia est, utrum etiam aliae circumstantiae, quae speciem neque moralem neque theologicam mutant, sed tantum malitiam *aggravant,* sint in confessione manifestandae.

---

[1] Sess. 14, c. 5 de poenit. (*Denz.* n. 899).
[2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 466. [3] De sacr. n. 275.
[4] *S. Alph.* l. c. n. 478. [5] L. c.; cf. Cod. iur. can. c. 901.

Omnes quidem consentiunt circumstantias *parum* aggravantes non esse necessario accusandas; sed si agitur de circumstantiis *notabiliter* aggravantibus, theologi non concordant: alii, e. g. Suarez, Billuart, Concina, Lacroix etc., propugnant sententiam affirmativam; alii, e. g. S. Antoninus [1], S. Thomas [2], S. Bonaventura [3], S. Alphonsus [4] et omnes fere moderni, negant talem obligationem, licet in praxi consulant confessionem omnium circumstantiarum notabiliter aggravantium. Neutra sententia est certa. Strictam obligationem semper adesse confitendi istas circumstantias nequit probari, quidquid dicat Concina [5]. Nam Concilium Tridentinum altum silentium de hac re tenet in illo loco, ubi accurate declarat, quid manifestandum sit in confessione, scil. omnia et singula peccata mortalia et circumstantiae, quae *peccati speciem* mutant. Prorsus nequit intelligi, cur Concilium, ex professo explicans materiam necessariam confessionis et designans circumstantias speciem mutantes, omiserit circumstantias notabiliter aggravantes, si earum confessio esset absolute necessaria. Insuper nihil habetur de huiusmodi obligatione neque in S. Scriptura neque in traditione neque in Codice iur. can. Quapropter cum morali certitudine dici potest, circumstantias notabiliter aggravantes *per se* non esse necessario manifestandas. *Per accidens* talis obligatio saepe aderit, ut infra explicabitur. S. Thomas quoque negat circumstantias notabiliter aggravantes esse necessario semper accusandas. Etenim dicit: «Quidam dicunt, quod omnes circumstantiae, quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriae occurrant. Alii vero dicunt, quod non sunt de necessitate confitendae, nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt, *et hoc probabilius est*, . . . cuius ratio est, quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent.» [6] Et alibi scribit: «*Circumstantias aggravantes, quae in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri,* sicut nec peccata venialia, licet laudabile sit, quod homo ea confiteatur.» [7] Quidam respondent ad hos textus, S. Thomam ita quidem docuisse, cum esset iunior, sed verisimilius futurum fuisse ut opinionem hanc mutasset, si longius vixisset. — Ita respondere est potius divinare quam docere. Alii dicunt, Angelicum Doctorem loqui de illis solis circumstantiis, quae ad instar peccati venialis ac proinde leviter tantum aggravant malitiam, non autem de circumstantiis notabiliter aggravantibus. Etiam haec explicatio parum placet, quia difficulter conciliatur cum ipsis textibus allatis.

Quae cum ita sint, stricta obligatio semper declarandi circumstantias notabiliter aggravantes non est asserenda. Confessio enim iam ex se est satis onerosa, ac proinde non est addendum onus accusandi circumstantias notabiliter aggravantes, nisi adsit clarum praeceptum divinum aut ecclesiasticum. Iam vero nemo potest probare exsistentiam talis praecepti. Neque quis dicat ipsam naturam iudicii sacramentalis necessario exigere talem manifestationem. Nam iudicium sacramentale non potest esse undequaque

---

[1] S. theol. P. 3, tit. 14, c. 19, § 7. [2] 4, dist. 16, q. 3, a. 2, sol. 5.
[3] 4, dist. 17, P. 3, a. 2, q. 3. [4] Theol. mor. l. 6, n. 468.
[5] De sacr. poenit. diss. 4, c. 6. [6] 4, dist. 16, q. 3, a. 2, sol. 5.
[7] Opusc. 12 ad lectorem Bisuntinum. — B. Albertus Magnus, magister S. Thomae, de eadem re dicit: «Respondeo sine praeiudicio secundum antiquos doctores, quod non oportet circumstantias confiteri, nisi quae trahunt in aliud genus peccati; securum est etiam alias dicere, praecipue si remordet aliquem conscientia, sed tamen dicunt, quod non tenetur ex praecepto» (In 4, dist. 16, a. 24 sol.).

perfectum, cum confessarius saepe nequeat clare iudicare, e. g. audiendo confessionem peccatoris, qui iam a longo tempore non est confessus, vel dando absolutionem moribundo sensibus destituto, semifatuis, pueris etc. Ergo *a sola voluntate Christi pendet,* quo gradu adesse debeat perfectio in iudicio sacramentali. Voluntas autem Christi nobis non est manifestata circa confessionem circumstantiarum notabiliter aggravantium.

Unicum fere argumentum pro sententia affirmativa desumitur ex Catechismo Romano[1], cuius auctoritas est sane maxima, et qui videtur hanc sententiam tueri: «Neque solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, *quae unumquodque peccatum circumstant et pravitatem valde augent, vel minuunt.*» Diversae explicationes huius textus excogitatae sunt, scil. Catechismum Romanum non loqui nisi de solis circumstantiis, quae mutant speciem aut moralem aut theologicam, vel si loquatur etiam de aliis circumstantiis, illum hanc obligationem solummodo *per accidens* statuere vel potius suadere quam inculcare. Quidquid est, ex solo textu allato nequit stricta obligatio confessionis talium circumstantiarum statui.

370 *Per accidens* circumstantiae notabiliter aggravantes saepe manifestari debent; e. g.:

a) Ratione *reservationis.*

Sic percussio religiosi vel non in dignitate constituti clerici (suadente diabolo) est casus reservatus proprio Ordinario; percussio vero episcopi, Cardinalis punitur excommunicatione Summo Pontifici specialiter reservata. Ergo poenitens debet fateri qualitatem percussionis, quamvis ista circumstantia sit tantum aggravans et non speciem mutans.

b) Ratione *occasionis aut consuetudinis peccandi.*

Licet enim occasio vel consuetudo peccandi peccatum ipsum non mutet essentialiter (e. g. peccatum fornicationis ex consuetudine factum non differt essentialiter a fornicatione raro facta), tamen certum est, confessarium posse interrogare poenitentem de consuetudine et occasione atque poenitentem debere tunc veraciter respondere. Patet ex propositione 58 damnata ab Innocentio XI (d. 2 Mart. 1679): «Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.» Ratio est, quia secus impossibile est, ut confessarius rectum iudicium de statu poenitentis et de mediis adhibendis efformet.

c) Ratione *satisfactionis* aliarumque rerum post confessionem peragendarum.

Hoc locum habet praesertim in restitutione facienda. Sic e. g. aliter aget confessarius cum poenitente, qui furatus est 50 francos; aliter cum eo, qui defraudavit 50000. Aliam satisfactionem imponet illi, qui semel ira percitus odio habuit inimicum; aliam ei, qui iam per totum annum habet odium implacabile. — Egregie tractat Billuart[2] controversiam de obligatione confitendi circumstantias notabiliter aggravantes.

371 **Monitum.** In praxi vehementer hortandi sunt poenitentes, ut confiteantur circumstantias notabiliter aggravantes, cum ad iudicium sacerdotis facilius reddendum, tum ad humilitatem exercendam et errores in propria causa evitandos. In materia tamen sexti praecepti communiter melius est nihil manifestare nisi speciem et circumstantias speciem mutantes. Sunt enim

[1] P. 2, c. 5, q. 47. [2] De poenit. diss. 7, a. 2, § 3.

ibi nonnullae circumstantiae notabiliter aggravantes, quarum manifestationem horrescunt poenitentes, et quam utpote non prorsus necessariam ipse confessarius praecavere debet propter sanctitatem sacramenti et propter alias causas graves.

Resolves. Ex dictis facile sequuntur solutiones practicae. 372

a) Incestus inter consanguineos et affines specie non differunt, ideoque sufficit simpliciter accusare incestum [1]. Iuxta communissimam sententiam in confessione expresse declarandus est primus gradus *lineae rectae,* nempe peccata carnalia inter patrem et filiam, matrem et filium, socerum et nurum, generum et soceram. In praxi etiam manifestandus est saltem primus gradus *lineae collateralis* propter occasionem proximam peccandi, quae tunc solet exsistere [2].

b) Circumstantia *temporis sacri* per se non est necessario manifestanda, nisi tamen peccans specialiter intenderit violationem temporis sacri. Ergo non est necessario dicendum, num e. g. luxuria facta sit die dominica aut die Paschatis etc. [3]

c) *Numerus* personarum, quibuscum aliquis peccavit, per se non est necessario accusandus. Sufficit dicere numerum peccatorum [4]. Ergo qui fornicatus est cum tribus meretricibus diversis, sufficienter confitetur dicens: Ter fornicatus sum. Sin autem confessarius suspicatur, poenitentem vivere in proxima occasione vel ex peccato multiplicem iniuriam ortam esse, habet ius quaerendi, utrum persona complex fuerit una necne. Poenitens tunc tenetur veritatem dicere.

d) Sacerdos religiosus peccans contra castitatem sufficienter confitetur dicens: Peccavi contra votum publicum castitatis. Ratio est, quia votum emissum in subdiaconatu et votum publicum emissum in religione ex eodem motivo facta sunt. Communiter autem theologi docent, in isto casu necessario manifestandum esse votum publicum; unde insufficiens esset accusatio transgressionis voti simplicis *privati.* Ratio autem est, quia transgressio voti publici (etiam simplicis) est *verum sacrilegium,* quod non ita certo dici potest de laesione voti simplicis privati [5].

e) In peccatis *odii* declaranda est condicio personae odio habitae, si ex odio non tantum laeditur caritas, sed etiam *graviter alia virtus.* Ergo poenitens debet confiteri e. g. odium patris.

4. **Actus externus** saepe coniunctus est cum actu interno pec- 373
caminoso. Quamvis peccatum essentialiter situm sit in actu interno voluntatis, tamen omnes theologi docent actum non solum internum, sed etiam externum peccati esse necessario declarandum. Ergo non sufficit e. g., si adulter confitetur: Habui intentionem adulterandi; sed debet dicere: Adulterium commisi. Ratio est, quia secus confessarius non potest recte iudicare de statu poenitentis. Aliter enim iudicabit de poenitente, qui reapse commisit adulterium, et aliter de poenitente, qui solum intendit adulterium. Sub nomine actus externi non tantum intelligitur positivus actus perpetratus, sed etiam *omissio* praescripti

[1] S. theol. 2, 2, q. 154, a. 9 ad 2. [2] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor l. 6, n. 470.
[3] Cf. supra II, n. 492.
[4] Ita sententia communior, quam tamen Concina (De sacr. poen. l. 1, 31) nimis laxam putat.
[5] Cf. supra II, n. 544.

actus externi. Ergo nec etiam sufficit confiteri: Habui intentionem Missam omittendi, sed dici oportet: Omisi Missam.

374 **Effectus externus** (praevisus) peccati communiter accusandus est in confessione, et sic fert etiam mos universalis fidelium poenitentium. Ratio est eadem; nam etiam effectus praevisus peccati, etsi non habet *propriam* malitiam (sicuti nec etiam actus externus), tamen participat malitiam actus interni et cum illo aliquid unum morale constituit. Omnes theologi docent, *per accidens* aliquando esse accusandum effectum peccati, e. g. si ex effectu incurratur censura aut reservatio aut obligatio restitutionis. Sed etiam *per se* talis obligatio probabilius exsistit, quando effectus non fuit pro viribus retractatus et saltem fuit in confuso praevisus. Nam talis effectus est complementum actus interni, atque est voluntarius saltem in causa [1].

Sic e. g. iuvenis legens librum obscoenum et praevidens inde pollutionem secuturam debet confiteri: Legi librum obscoenum cum praevisione pollutionis futurae, quae et revera accidit; vel vir se inebrians et praevidens omissionem Missae inde secuturam debet dicere in confessione: Ebrius fui cum praevisione Missae omittendae, quod et revera accidit; vel brevius: Ebrius fui voluntarie et inde Missam omisi. Sin autem effectus peccati fuit retractatus mente, licet exterius iam non possit retractari, quidam auctores, praesertim Lugo [2], negant adesse strictam obligationem confitendi. Ratio est, quia talis effectus non est proprie peccatum sed tantum quid physicum sequens ex peccato. Iamvero sola peccata sunt in confessione manifestanda. Sic e. g. iuxta istos auctores, qui venenum mortiferum propinavit inimico, debet confiteri: Venenum mortiferum dedi inimico, et potest tacere mortem inde reapse secutam. Attamen in praxi haec sententia relinquenda est, et de facto solet cum a confessariis tum a poenitentibus relinqui.

375 5. **Peccata dubia** non sunt necessario accusanda, si dubium de exsistentia peccati mortalis vel de eius nondum peracta confessione est *negativum* aut parum fundatum. Ita omnes. Ratio est, quia secus lata via sterneretur innumeris scrupulis et anxietatibus. Econtra accusanda sunt peccata dubia, quae longe probabilius mortalia sunt et nondum confessa, quamvis aliqua levis ratio exsistat illa non esse mortalia vel iam esse accusata. Ratio est quia tam levis ratio non excusat a confessione, et secus laxismo habenae darentur.

Sin autem dubium est *positivum et vere fundatum*, tunc aliter agendum est. Dubium autem potest versari: a) circa ipsum actum peccati; b) circa gravitatem actus certo commissi; c) circa confessionem peccati certo gravis. Potest igitur triplex quaestio poni:

Suntne necessario accusanda peccata: a) dubie commissa, b) dubie mortalia, c) dubie confessa?

Sunt auctores, ut Ballerini [3], Noldin [4], Génicot [5], Tanquerey [6], qui respondent simpliciter ad omnes tres quaestiones: *negative*, seu non

[1] Contrarium docent secundum Lugonem (De poen. disp. 16, n. 440) complures theologi.
[2] Ib.; cf. *Gury-Ballerini*, Comp. Theol. mor. II, n. 490.
[3] In notis ad *Gury*, Comp. Theol. mor. II 477 sqq. [4] De sacr. n. 278.
[5] Theol. mor. II 290 [6] Synopsis Theol. mor., de poenit. n. 289.

adesse *strictam obligationem*; sed etiam isti omnesque theologi *suadent* confessionem peccatorum dubiorum, nisi poenitens sit scrupulosus. Claritatis causa ad singulas quaestiones singillatim respondendum est:

a) Si agitur de peccato *dubie commisso,* non exsistit *per se* stricta obligatio confessionis. Ita sententia communior et probabilior[1]. Ratio est, quia peccatum dubie commissum nec est materia *sufficiens* absolutionis, quippe quae dari nequeat (saltem absolute) de peccato dubie commisso. Ergo a fortiori tale peccatum non est materia *necessaria* confessionis. — Praeterea Concilium Tridentinum non exigit nisi confessionem peccatorum mortalium, quorum poenitens *conscientiam habet.* Iamvero nequit absolute dici poenitentem habere conscientiam peccati, si verum dubium exsistit.

Neque huic sententiae contrarius esse videtur S. Thomas, quamvis ab adversariis id dicatur. En verba Angelici Doctoris[2]: «Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri; non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui et iudicium sacerdotis exspectare, cuius est discernere inter lepram et lepram.» Etenim Angelicus Doctor hic non videtur loqui de peccato dubie commisso, sed de peccato *certo commisso* sed *dubie gravi,* quia peccatum dubie commissum non est certo lepra; neque tunc confessarius discernit inter lepram et lepram, sed inter lepram et non-lepram.

Per accidens autem peccata dubie commissa manifestanda sunt et quidem *α*) in articulo mortis, neque videtur sufficere actus contritionis, si tunc adest copia confessarii[3]; nam homo tunc tenetur eligere id, quod est tutius; *β*) in dubio practico, ad *consilium petendum* pro futuro.

b) Si agitur de peccato quidem commisso, sed *dubie gravi*, sequentes 376
regulae practice sunt observandae, prout agitur aut de *materia* dubie gravi aut de *consensu* perfecto dubie praestito. Istud enim dubium non potest oriri nisi ex duplici isto fonte; e. g. aliquis abstulit 5 francos et dubitat, num haec materia furti sit gravis; vel aliquis haesit aliquantisper in delectatione morosa et dubitat, num plenum consensum praestiterit.

Regula 1. In dubio *de gravitate materiae* poenitentes praesertim rudes declarare debent huiusmodi peccata. Nam fere impossibile est, ut poenitens ipse solus tunc conscientiam rectam sibi efformet.

Regula 2. In dubio *de consensu pleno aut advertentia perfecta* adhibendum est principium ab omnibus admissum: «Standum est pro quo stat praesumptio.»[4] Si poenitens est *timoratae conscientiae* nec solet

[1] Cf. *Gury,* Comp. Theol. mor. II, n 477. [2] Suppl. q. 6, a 4 ad 3.

[3] *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 473) putat tunc sufficere solum actum contritionis.

[4] S. Alphonsus optime animadvertit: «Item eximi debent ab obligatione confitendi peccata mortalia dubia ii, qui sunt timoratae conscientiae, et non solent deliberate

graviter peccare, praesumptio stat pro illo, ac proinde non tenetur confiteri peccatum, cui non certo praebuit consensum. Sin autem poenitens est *laxae conscientiae* et saepe cadit in peccata mortalia, praesumptio stat contra illum, ac proinde tenetur peccatum istud dubium confiteri. Si demum poenitens mediam viam inter scrupulositatem et laxitatem servat, tunc, nisi sit longe probabilius, consensum aut advertentiam sufficientem defuisse, peccatum dubie grave est manifestandum, «quia haec videtur universalis et inveterata praxis fidelium, et ideo supponitur emanasse ex Christi institutione, et per traditionem usque nunc fuisse observatam» [1].

377 c) Si agitur de peccato mortali certo commisso, sed *dubie confesso*, illud accusandum est, nisi tamen dubium de peracta confessione sit *valde tenue*. Ratio est, quia, cum certum sit peccatum mortale, certa est quoque obligatio illud confitendi. Iam vero certae obligationi nequit satisfieri per dubiam impletionem.

Ita communiter auctores (qui non sunt puri probabilistae) cum S. Alphonso [2], qui tamen addit: «Non autem reprobo, . . . quod ille, qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, si postea dubitat, an aliquod peccatum omiserit, postquam *multum elapsum sit tempus,* a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere eo casu moraliter certe iam de illo confessum fuisse. Et subiungit P. Concina, quod, si quis prius ex prava consuetudine in plura peccata lapsus fuerit et postea sit vere conversus per constantem vitae integritatem; si tunc dubitet, an omiserit in confessione generali vel particulari facta cum debita diligentia aliquod peccatum vel circumstantiam, confessarius prohibeat illi, ne recogitet quidem de praeterita vita, sed potius imponat, ut piis meditationibus tempus impendat.» — Ergo in praxi poenitens, qui serio et fundate dubitat, num peccatum mortale aut circumstantiam specificam omiserit in *ultima* confessione non ita longe ante peracta, debet peccatum hoc vel circumstantiam hanc in sequenti confessione declarare. Sin autem poenitens dubitat de confessione alicuius peccati iam *a longo tempore* peracti et semper habuit consuetudinem bene confitendi, non tenetur hoc peccatum dubie confessum manifestare. — *Scrupulosis* poenitentibus confessarius ne permittat, ut peccata dubie confessa iterum accusent, quia secus scrupuli adhuc augeri solent.

---

letaliter peccare: hi enim in dubio rationabiliter, immo moraliter certo credere possunt non consensisse; quia praesumptio sumitur ex communiter contingentibus. . . . Ratio huius a priori est, quia is, qui habitualiter Deo adhaeret et valde timet, ne divina gratia privetur, si contingat aliquando ab eo averti, magnam sibi vim inferre debet, ut remorsum conscientiae contemnat et in peccatum se deliberate proiciat. Id autem non potest agere, nisi certo advertat malum, quod amplectitur, nam, ut ait doctissimus P. Alvarez: Plenus consensus in mortali est tanta iniquitas, ut celari aut ignorari non possit, sed in recenti facile agnoscitur. Hinc Dominus dixit S. Theresiae: *Nemo me amittit, nisi certo id cognoscat.* . . . E converso, oppositum est censendum de eo, qui est assuetus de facili in peccata mortalia prolabi, quia in dubio praesumitur iste consensisse: si enim obstitisset, utique recordaretur conatus illius, quem sibi intulisset ad tentationem repellendam. Unde recte concludit Croix, quod vix umquam in huiusmodi hominibus tam primi quam secundi generis, datur dubium mere negativum. Praesumptio enim probabilitatem fundat consensus praestiti vel dissensus» (Theol. mor. l. 6, n. 476).

[1] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 474. [2] Ib. n. 477.

2. Causae excusantes ab integritate materiali.

Causae excusantes ad duo capita reduci possunt; sunt enim *im-* 378
potentia aut physica aut moralis. Notandum autem est peccata illa, quae propter impotentiam physicam aut moralem in confessione omissa sunt, debere manifestari non quidem quantocius, sed *in sequenti confessione,* si impotentia cessaverit. Ratio est, quia, licet ista peccata fuerint indirecte remissa, tamen adhuc manet praeceptum divinum explicite confitendi omnia peccata mortalia nondum directe remissa [1]. Sin autem impotentia perseverat, confessio non obligat.

Impotentia physica censetur adesse in sequentibus vel similibus 379
casibus, scil. si exsistit:

1. *Infirmitas extrema.*

Si nempe homo est ita infirmus et morti proximus, ut iam non valeat sufficienter loqui aut cogitare. Cum contritio sit multo magis necessaria quam confessio materialiter integra, confessarius accedens ad aegrotum valde debilem magis satagat, ut eliciat cum illo actus verae contritionis, quam ut inquirat de integritate materiali confessionis [2].

2. *Defectus loquelae.*

Hinc excusantur a) *muti,* qui non possunt signis aut scriptis confiteri omnia peccata et circumstantias specificas; b) *ignari idiomatis,* quando obligatio confessionis urget neque accessus ad alium confessarium callentem idioma patet. In isto casu confessio mediante interprete consulenda quidem, sed non imponenda est.

3. *Defectus temporis ob imminens periculum mortis.*

E. g. imminente naufragio vel imminente pugna naufragi vel milites absolvi possunt, etsi omnia peccata confessi non sunt. Numquam autem in aliis casibus angustia temporis excusat ab integritate materiali. Hinc in maximo confluxu poenitentium confessarius nequit licite supersedere ab integritate confessionis, etiamsi tunc poenitentes debent longius exspectare vel etiam sine confessione discedere. Quare Innocentius XI damnavit propositionem (56): «Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.» [3]

4. *Ignorantia vel oblivio invincibilis.*

Ideo poenitens, qui nequit recordari alicuius peccati commissi, valide et licite absolvitur. Per se autem patet huiusmodi poenitentem obligari ad seriam diligentiam adhibendam, ut recordetur omnium peccatorum commissorum, et illa accusare debere, si postea peccata iterum in memoriam venerint. Quare Alexander VII damnavit propositionem (11): «Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.» [4] Multi auctores [5] docent peccatum grave ex oblivione quidem omissum sed postea in mentem veniens esse *ante communionem* clavibus Ecclesiae subiciendum, eo quod secundum Concilium

---

[1] Cf. prop. 11 damn. ab Alexandro VII infra n. 4 allatam.
[2] Cf. supra n. 326. [3] *Denz.* n. 1209. [4] *Denz.* n. 1111.
[5] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 257.

Tridentinum [1] nemo ad ss. eucharistiam accedere possit, qui est peccati mortalis sibi conscius. Porro talis homo est adhuc sibi conscius peccati mortalis. — Sane haec doctrina commendanda est, si absque incommodo potest exsecutioni mandari; si tamen repetita confessio sine incommodo fieri nequit, sufficit et requiritur, ut saltem in sequenti confessione hoc peccatum omissum declaretur. Quae quidem sententia merito videtur S. Alphonso [2] omnino rationi consentanea, quia tale peccatum ex oblivione omissum certo est remissum et poenitens est in statu gratiae sanctificantis. — Non est stricta obligatio peccata in scripto redigendi, ne e memoria labantur. Hoc enim a compluribus auctoribus censetur medium extraordinarium; cf. tamen infra n. 384.

380 **Impotentia moralis** adest, si integritas materialis confessionis haberi nequit sine magno incommodo morali, quod *externum* est ipsi confessioni et cum ea *per accidens* hic et nunc coniunctum. Valde autem oportet animadvertere, ab integritate materiali confessionis non excusare quodcumque incommodum confessioni *internum*, e. g. magnam repugnantiam et verecundiam, amissionem propriae famae penes confessarium etc. Condiciones igitur requisitae pro hac impotentia morali sunt sequentes: 1. Ut ex particularibus et externis circumstantiis confessionis oriatur grave incommodum (corporale spiritualeve) aut poenitenti aut confessario aut tertiae personae; 2. ut haec confessio nequeat sine magno incommodo differri, e. g. quia urget necessitas communicandi aut celebrandi; 3. ut haec confessio nequeat sine magno incommodo fieri apud alium confessarium, quocum non eaedem difficultates exsurgunt. — Exempla talis impotentiae moralis sunt:

1. Nimia scrupulositas poenitentis. Cf. supra I, n. 323 de sic dictis privilegiis scrupulosorum.

2. *Periculum vitae* poenitentis, confessarii aut tertii.

E. g. si tempore pestis confessarius timet contagionem; si tempore persecutionis poenitens graviter timet emissarios.

3. *Periculum scandali vel lapsus* cum ex parte poenitentis tum ex parte confessarii.

E. g. mulier non potest confiteri nisi apud sacerdotem, quem certo scit esse valde proclivem in luxuriam. Si nunc haec mulier manifestaret propria desideria luxuriosa in sacerdotem, iste probabilissime peccaret. Quo in casu mulier debet celare haec peccaminosa desideria. In praxi talis casus est rarissimus. — Iuxta aliquos auctores haec excusatio quoque adest, si parochus venerabilis cadit in peccatum probrosum contra castitatem, quod debet confiteri iuveni vicario fragili in virtute. Posset enim forsan parochus sibi persuadere, ut vicarius audiens huiusmodi peccatum patratum a sacerdote spectabili imitaretur pravum exemplum auditum, vel animum prorsus desponderet [3].

4. *Periculum laesionis sigilli.*

E. g. confessarius nequit proprium peccatum confiteri, quin peccata alicuius personae in confessione audita manifestet; vel si surdaster confitetur, dum alii adstant aut si confessarius nimis alte loquitur in confessionali; vel si confitetur graviter infirmus, qui a servientibus relinqui non potest; vel si

[1] Sess. 13, c. 7 de euchar. (*Denz.* n. 880). [2] Theol. mor. l. 6, n. 257.
[3] Cf. *Génicot*, Theol. mor. II 193, 4 et Cas. consc. II 214.

poenitens timet, ne confessarius indirecte sigillum sit violaturus, qui quidem casus rarissime supponi potest. Iuxta aliquos auctores talis excusatio adest, si vicarius cohabitans cum parocho cadit in valde magnum peccatum luxuriae et non potest confiteri nisi apud parochum, de quo merito timet, ne scientia ex confessione habita utatur atque ipsum male tractaturus sit [1].

5. *Periculum famae* vel ipsius poenitentis vel tertiae personae.

Fama poenitentis periclitatur e. g., si ipse non potest confiteri, quin alii adstantes audiant sua peccata, vel quin aliquid sinistri de se suspicentur propter insolitam prolixitatem aut circumstantiam confessionis. Fama *tertiae personae* periclitatur praecipue, si peccatum commissum non potest perfecte declarari, quin confessarius cognoscat personam complicis.

Auctores non concordant, num liceat peccatum grave in confessione omittere ad vitandam diffamationem *complicis* apud confessarium. Ratio dubitandi haec est: Ex una parte ius naturale praecipit, ne sine gravi causa fama proximi laedatur; ex altera vero parte praeceptum divinum mandat integritatem confessionis. Sequentia videntur esse statuenda:

a) *Occultandum est nomen complicis, quotiescumque hoc fieri potest sine gravi* 381
incommodo. Hinc non licet nomen complicis manifestare ad declarandum peccatum veniale vel etiam peccatum mortale iam alias directe remissum. Pariter poenitens tenetur huiusmodi peccatum confiteri apud confessarium, qui non cognoscit complicem, si hoc fieri potest sine gravi incommodo.

b) *Certum est, confessarium obiective graviter peccare, si directe inquirat nomen complicis, licet ob bonum finem hoc faciat,* e. g. ad emendandum complicem. Sic enim pluries statuit Benedictus XIV [2]. Cod. iur. can. c. 888, § 2 mandat: «Caveat (confessarius) omnino, ne complicis nomen inquirat.» Excipitur sola causa gravissima boni communis vel tertiae personae. Hinc e. g. si puer in collegio vivens accusat peccatum grave luxuriae commissum cum condiscipulo, in confessione obligandus est, ut denuntiet non quidem ipsi confessario, sed competenti superiori istum condiscipulum, si grave et imminens periculum perversionis aliorum puerorum secus averti nequit. Patet autem manifestationem complicis non licere, si alio modo periculum praecaveri possit [3]. — Confessarii nomen complicis iniuste requirentes *sub poena denegandae absolutionis* non solum graviter peccant, sed etiam possunt ab episcopo suspendi ab audiendis confessionibus.

c) *Confessarius potest licite inquirere de peccatorum circumstantiis necessario declarandis deque occasione proxima exsistente etc., quamvis tunc indirecte notitiam complicis assequatur.* Ratio est, quia confessario incumbit obligatio procurandi pro viribus integritatem confessionis.

d) Cum liceat ex iusta et proportionata causa verum delictum proximi manifestare, theologi communiter docent, *poenitentem posse proprium peccatum integre confiteri, etsi indirecte inde proximus eiusque delictum notum fiat confessario, dummodo tamen sufficiens causa adsit.* Tamquam causae sufficientes habentur: α) si urget periculum mortis vel praeceptum annuae confessionis; β) si grave est poenitenti omittere confessionem aut communionem; γ) si

---

[1] Cf. *Lehmkuhl,* Cas. consc. II, n. 157.

[2] Breve d. 7 Iulii 1745, Const. «Ubi primum» d. 2 Iunii 1746, Const. «Ad eradicandum» d. 28 Sept. 1746.

[3] Cf. de ordine observando in correctione fraterna supra I, n. 602 et S. theol. 2, 2, q. 33, a. 7.

quis alteri confessario conscientiam difficulter aperit; δ) si quis secus in peccato mortali manere debet et hoc ei grave est; ε) si apud confessarium, cui complex cognitus est, habetur multo melior directio spiritualis [1].

e) *Non tantum potest, sed etiam debet poenitens proprium peccatum integre confiteri, quamvis indirecte nomen complicis confessario innotescat.* S. Alphonsus [2] vocat hanc sententiam communem illamque ipse sequitur cum Gonet, Palao, Concina, Juénin, Salmanticensibus, S. Bonaventura, S. Antonino, Caietano, Suarez, Lugo etc. S. Thomas [3] quoque hanc sententiam tuetur dicens: «Si . . . speciem peccati [poenitens] exprimere non possit nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quaerere talem confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat » Et idem docet S. Bernardus [4]: «De nullo sinistre loquaris . . . nisi in confessione . . . ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.» Ratio autem huius doctrinae est, quia poenitens non debet habere maiorem curam de fama alterius quam de propria fama. Iamvero tenetur peccatum suum confiteri, tametsi ipsius fama laeditur. Ergo idem dicendum est, etiamsi fama alterius confessione minuitur. Ceterum haec laesio famae implicite permitti debet a complice, quippe qui bene praevidere potuerit obligationem hanc confessionis, quando libere in peccatum consensit. Demum haec laesio famae non est nociva complici, cum confessarius strictissime obligetur ad sigillum sacramentale. — Nihilominus sententia opposita eximens in hoc casu ab integritate confessionis extrinseca saltem probabilitate non caret [5], ac proinde si quis illam sequi velit, non est inquietandus. Ratio autem intrinseca allata pro ista sententia debilis esse videtur. Etenim dicunt: Lex naturalis non laedendi famam alterius praevalet legi positivae integre confitendi. Sed facile respondetur: Lex naturalis prohibet solam *iniustam* laesionem famae alienae, minime autem vetat, ne ex iusta et proportionata causa delictum alterius personae notum fiat. Quae cum ita sint, poenitens pro viribus quidem incolumem conservet famam complicis, praesertim si agitur de crimine probroso manifestando, sed non est inquietandus, si *ex rationabili causa* confitetur peccata sua apud confessarium, qui exinde indirecte cognoscit nomen complicis.

382 **Monitum S. Alphonsi** [6]. «Nulli dubium, quod aliquando tenetur poenitens complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum. Sed spectata tam rigorosa Pontificis [Benedicti XIV] prohibitione, ad finem vitandi proximi infamiam, sacramenti iniuriam, sigilli violationem, scandalum etc., non est licitum confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendae correctionis. Unde casu, quo poenitens vere teneatur complicem patefacere, tantum poterit confessarius poenitenti imponere in genere, ut complicem revelet alicui, qui scandalum possit impedire; *sed numquam licebit confessario dicere: Revela mihi.* — Si vero poenitens ex se et sponte sua rogaret confessarium, ut complicem corrigeret, tunc confessario multa prudentia opus est; nam ordinarie loquendo non expedit, ut se immittat in huiusmodi rem: ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solum-

[1] Cf. *Noldin,* De sacr. n. 285. [2] Theol. mor. l. 6, n. 489.
[3] Opusc. 12 ad lectorem Bisuntinum, q. 6, versus finem.
[4] Inter opera suppositicia S. Bernardi, apud *Migne,* Patr. lat. 184, 1173.
[5] Cf. Busenbaum apud *S. Alph.* l. c. n. 488.
[6] L. c. n. 492.

modo intra confessionem, non extra; et ex alia parte confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii.»

3. Media ad integritatem confessionis obtinendam.

Duo sunt media ad integritatem confessionis obtinendam, scil. unum per se, quod est *examen conscientiae,* et alterum per accidens, scil. *iteratio confessionis* seu confessio generalis, quando scil. aliquod peccatum in anterioribus confessionibus omissum fuit. De hoc altero medio agemus in paragrapho sequenti.

1. **Necessitas examinis conscientiae.** Poenitens regulariter 383
tenetur sub gravi instituere diligens examen conscientiae, antequam confitetur.

Unde monet Concilium Tridentinum [1], ut poenitentes in confessione recenseant omnia peccata mortalia, quorum post *diligentem sui discussionem* conscientiam habent. Ratio autem huius obligationis per se patet. Quomodo enim poenitens posset omnia peccata mortalia secundum speciem et numerum accusare, nisi prius diligenter ea in memoriam revocasset? Dixi autem: *regulariter* tenetur, quia, si tempus aut vires deficiunt (ut in gravi infirmitate vel articulo mortis), non requiritur tantum examen conscientiae, sicuti tum nec etiam tanta integritas confessionis necessaria est. Similiter non est gravis obligatio examinandi conscientiam pro illis, qui moraliter certi sunt se ab ultima confessione non graviter peccavisse. Illi itaque potius satagant, ut veram contritionem de materia libera allata eliciant, quam ut conscientiam longius perscrutentur de peccatis minimis aut imperfectionibus.

2. **Diligentia** in hoc examine requiritur non quidem summa, sed 384
ea, quam homines prudentes in re gravi adhibere solent.

Mensuranda est itaque haec diligentia: a) Pro *diuturnitate temporis,* quod ab ultima confessione elapsum est. Maius enim examen conscientiae requiritur e. g. ad invenienda peccata commissa durante toto anno quam durante bimestri. b) Pro *condicione personarum.* Sic e. g. homines rudes non tenentur tantum examen perficere, quantum homines instructi et exculti. Unde homo rudis veniens in confessionale sine sufficienti examine conscientiae non est remittendus, sed adiuvandus ab ipso confessario. Nam si remitteretur, aut animum desponderet et forsan non rediret amplius, aut, si rediret, effectus examinis peracti vix esset melior. Quapropter tunc ipse confessarius paucis sed bene aptis quaestionibus positis adiuvet poenitentem in examine peragendo. Sin autem poenitens, bene instructus *ex mera negligentia* examen conscientiae non perfecerit, utique (ordinarie) dimittendus atque hortandus est ad melius examen faciendum. De hac re scribit Catechismus Romanus [2]: «Si sacerdos huiusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant ac deinde revertantur. Quodsi forte affirmaverint, se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt, praesertim si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accurata meditatione compensaturos promittant.» — Illi, qui

[1] Sess. 14, c. 5 de poenit. (*Denz.* n. 899). [2] P. 2, c. 5, q. 60.

graviter decumbunt et prae virium defectu aut dolorum acerbitate nequeunt recogitare vitam praeteritam, neque sunt obligandi ad longius examen conscientiae neque ab ipso confessario sunt nimis examinandi. Multo satis est, ut, accusatis peccatis, quae absque magno labore in memoriam venerunt, pro viribus elicere conentur perfectam contritionem. Postea autem sanitate forsan recuperata, supplenda est confessio eorum peccatorum, quae omissa sunt. Ceterum parochi et praedicatores saepe moneant fideles, ne aegroti differant confessionem peragendam usque ad extremum vitae, quando vires animae et corporis iam sunt maxime diminutae.

Qui cum gravi negligentia peragunt examen conscientiae onustae peccatis mortalibus, graviter peccant, quia tunc non possunt illam integritatem confessionis obtinere, quae sub gravi praecepto exigitur. Ceterum ille, qui negligenter examen conscientiae peragit, solet etiam negligenter contritionem elicere et sic sacrilege suscipere sacramentum poenitentiae.

Complures theologi docebant poenitentem, qui propter debilem memoriam praevidet se esse obliturum in confessione nonnulla peccata, nihilominus non teneri *ad scribenda* sua peccata in charta. Ratio est, quia talis scriptura est medium extraordinarium et insuper potest facile amitti aut in notitiam aliorum venire. Sed videntur *antiqui* quidem moralistae merito vocasse scripturam medium extraordinarium, quia tunc temporis pauciores homines callebant artem scribendi, hodie autem in nostris regionibus quilibet fere absque aliqua difficultate scribere potest neque vix ullum periculum perdendi scripturam pro diligenti homine adest. Proinde scriptura iam non semper est medium extraordinarium ad integritatem confessionis obtinendam [1].

385 3. **Methodus** in examine conscientiae observanda nullo praecepto positivo est determinata.

Ideo quilibet quam mavult methodum sequatur. Sequentia observatione videntur esse digna:

a) Optima est consuetudo faciendi examen conscientiae *quolibet die*. Tunc enim homo apprime cognoscet statum animae suae et tempore confessionis facile obtinebit integritatem necessariam.

b) Instante tempore confessionis poenitens invocet Spiritum Sanctum illuminantem corda humana. Deinde in loco quieto recogitet vitam suam ab ultima confessione, servans clarum ordinem. Simplices fideles non ita saepe confitentes utiliter adhibere possunt sic dictum catalogum peccatorum [2], qualis habetur in multis libris devotionis. Fideles autem saepe confitentes melius conscientiae statum agnoscent, si recogitaverint, quomodo obligationes status sui, obligationes erga proximum, obligationes religiosas etc. impleverint.

§ 3.

De confessionum iteratione et de confessione generali.

1. Apprime distinguendum est inter confessionem invalidam et confessionem incompletam. Confessio est *invalida*, si deest aliquid essentiale, e. g. si deficit *integritas formalis*, i. e. si quis culpabiliter omisit in confessione peccatum grave. Confessio est *incompleta*, si deficit sola

---

[1] Cf. supra n. 365 et *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 429 479 493.

[2] Vulgo *Beichtspiegel.*

integritas materialis, i. e. quando quidem omissum est aliquod grave peccatum, sed inculpabiliter.

a) *Confessio incompleta complenda est accusatione illius peccati,* 386
quod omissum est.

Si quis adhuc exsistens in confessionali post absolutionem receptam recordatur peccati gravis omissi, debet illud statim accusare et novam absolutionem recipere, ut iam supra n. 192 dictum est. Ita fert praxis communis. Etenim poenitens certo debet hoc peccatum accusare neque solet adesse ratio sufficiens differre eius accusationem usque ad confessionem sequentem. Si tamen adsit ratio sufficiens, e. g. quia poenitens putat se melius posse hoc peccatum alteri confessario declarare, potest supersedere ab accusatione illius usque ad sequentem confessionem. Sin autem poenitens iam *extra* confessionale exsistens recordatur peccati ex oblivione omissi, potest quidem, sed non tenetur ante communionem redire ad accusandum hoc peccatum. Ratio est, quia hoc peccatum utpote indirecte remissum non obstat dignae receptioni ss. eucharistiae, et sola obligatio illud confitendi in sequenti confessione superest [1].

b) *Confessio certe invalida totaliter repetenda est; nam per illam* 387
nullum peccatum remissum est; immo si confessio fuit non solum invalida, sed etiam sacrilega, praeter peccata iam commissa insuper grave peccatum sacrilegii clavibus Ecclesiae submittendum est.

Confessio toties est invalida, quoties pars essentialis sacramenti poenitentiae deficit, quod praecipue sequentibus modis accidere potest:

α) Ex parte *confessarii*, qui caret potestate ordinis aut iurisdictionis, qui formam absolutionis omisit aut substantialiter mutavit, qui non habet intentionem absolvendi, qui nullum omnino peccatum poenitentis intelligit propter somnum vel ignorantiam idiomatis, ita ut careat materia absolutionis.

β) Ex parte *poenitentis*, qui non habuit sufficientem contritionem, vel qui noluit debitam satisfactionem impositam implere, praecipue autem qui in confessione sacrilege omisit peccatum grave eiusve circumstantiam specificam.

Ut plurimum non est culpa poenitentis, si confessio fuit nulla propter essentialem defectum *confessarii;* itaque pie creditur tunc poenitentem, qui est in bona fide, gratiam sanctificantem obtinere per contritionem, quam auxiliante divina gratia aut mediante s. communione eliciet. Nihilominus oportet, ut poenitens (si nullitatem confessionis adverterit) peccata ita accusata iterum clavibus Ecclesiae submittat.

Si confessio fuit invalida propter defectum *poenitentis*, ut plurimum est etiam sacrilega, ac proinde hoc sacrilegium cum omnibus aliis peccatis mortalibus nondum remissis iterum accusari debet, vel apud eundem vel apud alium confessarium. Si primus confessarius *adhuc recordatur* saltem in confuso peccatorum auditorum, poenitens sufficienter confitetur dicens: Accuso iterum peccata iam in priore confessione manifestata et insuper accuso peccata sacrilege reticita. Sin autem primus confessarius *non meminerit* (neque in confuso) status poenitentis, tunc, testante S. Alphonso [2], «Suarez et S. Antoninus, Sylvester, Paludanus apud Croix dicunt sufficere, *si memoretur imposuisse poenitentiam*», sed ait ipse S. Doctor: «Huic non acquiesco, quia sacerdos, dum sententiam profert, debet efformare iudicium, saltem de statu conscientiae poenitentis. . . . Si tamen tunc absolveret facta confessione in

[1] Cf. supra n. 379. [2] L. c. n. 502, dub. 3.

communi, valide absolveret.» — Ergo *valida* est absolutio in hoc casu, licet confessarius nihil aliud sciat, nisi poenitentem apud ipsum confessionem instituisse. Immo complures auctores, ut Lugo [1], Ballerini-Palmieri [2], Tanquerey [3], Génicot [4], putant confessarium tunc non solum valide sed etiam *licite* absolvere posse. «Nam videtur sufficere, ut sacerdos sciat se de iis peccatis antea iudicasse, et quidem statuisse poenitentem absolvendum esse.» Ita Génicot l. c. Verumtamen in praxi non est recedendum a sententia S. Alphonsi, quoniam vix umquam adesse potest ratio sufficiens ita benigne tractandi poenitentem, qui sacrilege confessus est.

Confessio autem invalida integre repetenda est, quando poenitens *alium* confessarium adit, quippe qui profecto non valeat iudicare de statu poenitentis, non accusantis omnia peccata gravia nondum remissa.

388 2. **Confessio generalis** *est repetitio aliquarum vel omnium confessionum vitae anteactae.* Aliquando est a) necessaria; b) nociva; c) utilis.

a) **Necessaria** est confessio generalis, quoties moraliter certo constat, aliquas anteriores confessiones fuisse invalidas, e. g. propter defectum culpabilem contritionis aut integritatis formalis confessionis. In confessione generali necessaria ea observentur, quae supra dicta sunt. Confessarius aeque procuret integritatem formalem ac contritionem sinceram poenitentis, ita ut confessione peracta moraliter constet poenitenti revera omnia peccata nunc esse remissa.

b) **Nociva** est confessio generalis, quando ex illa oriuntur novae anxietates aut alia incommoda. Hinc prohibenda est generalis confessio iis, qui sunt scrupulosi et iam repetitis vicibus generales confessiones instituerunt, quin inde maior animae pax orta sit. Pariter saepe prohibenda est generalis confessio (vel saltem accurata accusatio) iis, qui multum et graviter *contra castitatem* peccaverunt. Experientia enim constat hominem, qui in singulari recogitat peccata luxuriae commissa, saepe in novas tentationes cadere. Proinde in istis casibus, quando omnia carnalia peccata iam sunt semel potestati clavium submissa, non expedit illa iterum recogitare in singulari atque confiteri. Sit ergo tunc accusatio generica, *contritio autem valde intensa.*

c) **Utilis** ac proinde consulenda est confessio generalis iis omnibus, qui quidem ad eam non obligantur, sed magnos fructus animae inde recipiunt. Utilitas confessionis generalis rite institutae est multiplex: intensior et efficacior est contritio; clarius cognoscitur status propriae animae, propositum elicitur firmius, pax animae et fiducia in misericordiam divinam augentur. Suadenda est igitur confessio generalis:

α) Poenitentibus, qui rationabiliter dubitant de valore praeteritarum confessionum, ad maiorem securitatem obtinendam. Excipiuntur scrupulosi et meticulosi, ut supra dictum est.

β) In morbo periculoso, si tamen vires aegroti inde non nimis consumuntur. Quando enim imminet mors, homo omnibus viribus niti debet, ut cuncta peccata eorumque poena deleantur.

γ) In quibusdam vitae periodis, quibus maior gratiae infusio desideratur, e. g. ante primam communionem, ante matrimonium contrahendum, ante

[1] De sacr. poenit. disp. 16, n. 636. [2] Opus theol., de poenit. n. 472.
[3] Synopsis Theol. mor. de poenit. n. 324.
[4] Theol. mor. II 306.

maiores ordines suscipiendos, tempore missionis, exercitiorum spiritualium, iubilaei etc.

Nota. In suadenda vel permittenda generali confessione sequentia anim- 389
advertantur:

a) Generalis confessio, nisi sit necessaria, nemini *obtrudenda* est, quia confessio generalis non libenter acceptata solet potius obesse quam prodesse. Quapropter illi confessarii male agunt, qui, quoties novum poenitentem nanciscuntur, statim vel mox illum impellunt ad generalem confessionem peragendam, quasi necessariam ad eum in vita spirituali rite dirigendum. Exspectet igitur confessarius, usquedum ipse poenitens desiderium exprimat peragendi confessionem generalem.

b) Si poenitens huiusmodi desiderium exprimit, confessarius a duobus extremis oppositis cavere debet, scil. alterum est, ne statim poenitenti deneget hanc facultatem, quasi inanibus scrupulis torqueatur; alterum est, ne statim poenitentem ignotum ad confessionem generalem admittat, quia illa forsan nedum utilis, sed potius nociva erit. Propterea confessarius prius humanissimis verbis sciscitetur, ex quibusnam motivis poenitens desideret confessionem generalem; quae si sufficientia sint, admittat illam, secus autem eam deneget.

Methodus observanda in confessione generali diversa est, prout illa est necessaria aut solum utilis. Si confessio generalis est solum utilis, confessarius moneat *explicite* poenitentem, integritatem accusationis non esse ita necessariam, immo libere posse omitti peccata iam alias accusata. Sin autem confessio generalis est necessaria, tunc et integritas et contritio valde sunt procurandae. Aptis quaestionibus et exhortationibus confessarius adiuvet poenitentem in hoc negotio satis arduo. In omni confessione generali prius accusanda sunt peccata ab ultima confessione patrata, ad hoc ut confessarius melius possit iudicare cum de praesenti statu poenitentis tum de integritate formali confessionis.

Scholion. De catalogo peccatorum utili pro confessione generali. 390
Aliqui auctores, e. g. Gury, Lehmkuhl, hic subiciunt catalogum peccatorum, iuxta quem confessarius interrogare valeat in confessionibus perficiendis. Quilibet confessarius revera tenetur huiusmodi catalogum peccatorum aliqualiter scire, sed multo melius est, ut ipse cum consilio prudentis sacerdotis sibi conscribat talem catalogum in *lingua vernacula*. Etenim multum interest, ut confessarius non solum cognoscat, quae sint, verum etiam quo modo sint interroganda. Iamvero praesertim modus interrogandi in materia sexti praecepti cum magna prudentia est addiscendus atque differt iuxta diversa idiomata. Proinde minus utilem iudico catalogum latinum peccatorum, ideoque illum omitto. Qui cupit catalogum latinum, adeat Gury vel Lehmkuhl.

ARTICULUS III.
De satisfactione.

Dividimus hunc articulum in quattuor paragraphos: 1. de natura et divisione satisfactionis; 2. de necessitate satisfactionis imponendae; 3. de necessitate satisfactionis acceptandae et implendae; 4. de commutatione satisfactionis.

§ 1.

De natura et divisione satisfactionis.

391 **Notio.** Satisfactio iuxta vim nominis est quaedam compensatio; quae, si fiat in rebus materialibus furto ablatis aut damnificatis, vocatur *restitutio,* sin autem fiat ad compensandam offensam aut iniuriam illatam, dicitur *proprie satisfactio.* Ergo *satisfactio est compensatio iniuriae alteri illatae.* Cum autem per peccatum Deo inferatur maxima iniuria, satisfactio, prout hic de illa loquimur, est compensatio iniuriae *Deo* per peccatum illatae. Iamvero nulla creatura potest iustam offerre Deo laeso compensationem. Proinde humanum genus peccatis obnoxium eguit Christo Salvatore, qui sua redemptione condignam satisfactionem obtulit Deo offenso. Vi istius redemptionis in sacramento poenitentiae satisfit culpae et poenae *aeternae* pro peccato debitae. Sed etiam remissis culpa et poena aeterna adhuc remanet (saepe) poena temporalis, ad quam delendam praecipue ordinatur satisfactio a peccatore peragenda. Satisfactio igitur haec definiri potest: *compensatio poenae temporalis peccato debitae per opera bona et poenalia libere facta.* Dicitur: *libere facta;* nam, si homo coacte poenam temporalem luit, uti fit in purgatorio aut per poenas alias a Deo inflictas in hac vita, non est proprie satisfactio sed potius *satispassio.* — Ex quibus dictis patet satisfactionem esse actum cum virtutis tum sacramenti poenitentiae. Ut actus virtutis poenitentiae est, competit illi definitio iam data et solet vocari satisfactio *extrasacramentalis;* ut vero est pars sacramenti poenitentiae, definiri potest: **compensatio poenae temporalis peccatis debitae per opera bona et poenalia a confessario taxata et a poenitente voluntarie acceptata.**

Satisfactio pro peccatis patratis multum commendanda est. Unde S. Ioannes Baptista Iudaeis ad se poenitentiae causa accedentibus dicebat: «Quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae.»[1] S. Pius V damnavit propositionem (77) Baii: «Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.»[2] S. Augustinus[3] docet: «Non sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis.» Quamvis autem satisfactio extrasacramentalis sit optima et necessaria, tamen non producit effectum suum nisi ex *opere operantis;* satisfactio autem sacramentalis, utpote pars sacramenti, poenas debitas delet ex *opere operato,* ac proinde multo efficacior est.

392 **Fructus.** Iuxta Concilium Tridentinum[4] fructus satisfactionis est quadruplex, quoniam satisfactio:

1. peccatori inculcat efficaciter, peccatum esse magnum malum dira poena dignum; est enim quasi vindicta pro peccatis;

---

[1] Lc 3, 7 sq. [2] *Denz.* n. 1077.
[3] Sermo 351 (al. 50), apud *Migne,* Patr. lat. 39, 1549.
[4] Sess. 14, c. 8 de poenit. (*Denz.* n. 904).

2. reddit peccatorem cautiorem et vigilantiorem, ne iterum in eadem peccata cadat;

3. medetur peccatorum reliquiis ac exstirpat pravos habitus acquisitos; non enim est solummodo poena vindicativa, sed etiam poena medicinalis et praeservativa;

4. facit hominem poenitentem conformem Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit.

Divisiones. 1. Satisfactio est sacramentalis vel extrasacramentalis, 393
prout in ipso sacramento poenitentiae imponitur acceptaturque, vel extra sacramentum suscipitur.

2. Satisfactio sacramentalis vel est *publica*, qualis antiquis temporibus fuit in usu; vel est *privata*, qualis hodie viget.

3. Satisfactio sacramentalis est vel *in voto* vel *in re* peracta. Satisfactio in voto est sincera voluntas acceptandi et implendi poenitentiam a confessario iniunctam. Quae quidem est pars *essentialis* sacramenti et pertinet ad tres actus poenitentis, qui sunt materia proxima sacramenti poenitentiae. Proinde si ista satisfactio in voto deest, sacramentum est nullum. — Satisfactio in re est actualis impletio poenitentiae iniunctae. Haec non est essentialis, sed *integralis* pars sacramenti, quod proinde validum est, etsi poenitentia iniuncta revera non impletur. Hinc peccata per absolutionem remissa non reviviscunt neque sunt iterum accusanda, etiamsi voluntarie poenitentia prius acceptata postea omittitur; sed in hoc casu oritur novum peccatum, ut infra dicetur.

§ 2.

De necessitate satisfactionis imponendae.

Principium 1. *Confessarius non tantum potest, sed etiam regu-* 394
lariter debet poenitenti satisfactionem imponere.

Potest confessarius huiusmodi satisfactionem imponere, cum quia habet potestatem non solum solvendi a poena, sed etiam ligandi ad poenam, tum quia eius operatio debet esse conformis operationi Dei, cuius est minister. Deus autem remissa poena aeterna adhuc infligit poenas temporales.

Debet vero confessarius regulariter satisfactionem imponere, quia secus et agit contra intentionem Dei et poenitenti multum nocet, quippe qui privetur magnis bonis in paragrapho praecedenti tamquam effectus sacramentalis satisfactionis enumeratis. Unde et Concilium Tridentinum [1] statuit: «Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.» — Dicitur autem: *regulariter*, quia per accidens confessarius non tenetur satisfactionem iniungere, e. g. si satisfactio est poenitenti impossibilis, ut in extremo articulo mortis, quando poenitens est ita debilis, ut iam nullum actum perficere possit. Nihilominus etiam in isto casu expedit levissimam satisfactionem imponere,

[1] L. c. (*Denz.* n. 905). Idem statuit Codex iur. can. c. 887.

quam ipse sacerdos statim cum poenitente persolvat, e. g. invocare nomen Iesu vel osculari imaginem Crucifixi. Praeter hunc casum extremae infirmitatis quidam auctores adhuc duos alios afferunt: 1. Quando confessarius ex revelatione divina sciat omnem poenam temporalem poenitentis iam esse remissam; 2. quando poenitens accepta iam absolutione iterum materiam necessariam accusat iterumque absolutionem accipit. Melius tamen est in hoc secundo casu novam (etsi levem) poenitentiam imponere, vel saltem poenitentiam impositam denuo imponere sub novo titulo. Hoc ultimum tamen S. Alphonsus [1] non admittit, quia idem opus non potest eodem titulo iterum imponi.

395 **Gravitas huius obligationis** certe per se exsistit, si agitur de satisfactione imponenda pro peccatis *mortalibus* nondum directe remissis. Ita docent omnes. Unde peccat graviter confessarius, qui scienter negligit imponere satisfactionem poenitenti, qui confessus est gravia peccata, nisi tamen poenitenti est impossibile aliquam satisfactionem implere, ut si est sensibus destitutus, vel morti proximus.

Controversia inter theologos circa obligationem imponendi satisfactionem, si poenitens sola peccata venialia aut peccata mortalia iam remissa accusat, nullam practicam utilitatem habet, cum omnes admittant, semper satisfactionem esse imponendam poenitenti, qui capax est illam persolvere. Etenim confessarius suo officio deesset, irreverentiose privaret sacramentum parte integrante et poenitenti noceret, si voluntarie omitteret imponere poenitentiam [2].

Satisfactio imponenda est *ante absolutionem*, ut merito praescribit Rituale Romanum. Nam poenitens debet acceptare poenitentiam adimplendam, antequam sit dignus absolutione. Unde perperam agunt illi confessarii, qui *post* absolutionem solent iniungere poenitentiam. Si tamen forte confessarius oblitus sit poenitentiam imponere ante absolutionem, potest hoc postea supplere.

396 **Principium 2.** *Quantitas et qualitas poenitentiae determinanda est et pro qualitate criminum et pro poenitentium facultate.* Ita Concilium Trid. [3]

Ideo pro gravi peccato etiam gravis satisfactio *per se* imponenda est, et confessarius, qui *sine iusta causa* pro gravibus delictis levissimam satisfactionem iniungeret, sine dubio peccaret. Quo plura et maiora delicta commissa sunt, eo maior satisfactio est imponenda, sed non est procedendum ultra facultatem poenitentis. Unde melius est imponere poenitenti leviorem satisfactionem, quae libenter et perfecte adimplebitur, quam exigere maiorem, quae negligetur aut defectuose persolvetur. Hinc illud dictum Gersonii: Tutius est cum parva poenitentia, quae sponte suscipitur et verisimilius adimplebitur, ducere confessos in purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in infernum [4]. — In antiqua Ecclesia solebant durae poenitentiae

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 513.

[2] Non adesse pro confessario nisi levem obligationem imponendi satisfactionem poenitenti, qui levia peccata confessus est, docent *Lugo* (De sacr. poenit. disp. 25, n. 49), *Noldin* (De sacr. n. 299) aliique.

[3] Sess. 14, c. 8 (*Denz.* n. 905).

[4] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 510.

pro gravibus peccatis imponi, sicut apparet ex veteribus Canonibus poenitentialibus. Ex hodierna autem praxi Ecclesiae *gravis illa censetur poenitentia, quae, si alias ab Ecclesia esset praecepta, sub gravi obligaret.* Hinc satisfactio gravis est e. g. Missam audire, ieiunare per unum diem, recitare quinque decades rosarii vel Litanias omnium Sanctorum cum precibus et alia similia. Gravis autem non censetur poenitentia: recitatio Litaniae Lauretanae, trium decadum rosarii vel Psalmi «Miserere». Per se patet poenitentiam, quae in se levis est, ut e. g. quinque Pater noster, evadere gravem, si poenitens illam *pluries* persolvere debet, e. g. per mensem.

Diminutio poenitentiae *ex multis causis fieri potest,* quoniam 397
non solum attendendum est ad gravitatem peccatorum, sed etiam ad facultatem poenitentis. Huiusmodi causae sunt praecipue:

a) *Infirmitas corporalis.*

Unde aegrotis leves poenitentias iniungi oportet, neque ordinarie expedit illis aliquam poenitentiam imponere, quam recuperata sanitate persolvere debebunt. Salutare est autem, si confessarius illis suadet, ut in satisfactionem peccatorum patienter tolerent dolores infirmitatis.

b) *Infirmitas spiritualis.*

Si namque recte timetur, ne gravior poenitentia potius obfutura quam profutura sit animae poenitentis. Ad rem sapienter notat S. Thomas [1]. «Videtur autem satis conveniens, quod sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis, quia, sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili exstinguitur, ita posset contingere, quod parvus effectus contritionis in poenitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis exstingueretur, peccatore totaliter desperante.» Quando confessarius timet, ne poenitens non sit accepturus graviorem poenitentiam, prudenter agit, si imponit opus iam aliunde praeceptum, e. g. auditionem Missae dominicalis.

c) *Magna et extraordinaria contritio.*

Ipsa enim putatur iam omnes poenas temporales delevisse. Ita Caietanus [2]. Verumtamen poenitens, qui revera tanta contritione perculsus est, libenter acceptat satisfactionem convenientem, ac propterea non convenit tunc poenitentiam diminuere, cum sic privaretur poenitens efficaci bono spirituali.

d) *Tempus iubilaei vel indulgentiae plenariae.*

Quidam veteres theologi docuisse feruntur [3] satisfactionem imponendam non esse iis poenitentibus, qui intendunt lucrari indulgentiam plenariam, sed Benedictus XIV hanc doctrinam reiecit [4]. Ratio autem est, quia nemo certus esse potest de indulgentia revera accepta, et praeterea quamvis poenitens lucretur indulgentiam, adhuc debet satisfactionem implere, ne sacramentum mancum remaneat. Optime agit confessarius, si *preces indulgentiis ditatas* tamquam poenitentias iniungit vel si poenitenti consulit, ut nitatur lucrari indulgentias. Tunc enim poenitens simul peragit poenitentiam et lucratur indulgentiam [5].

---

[1] Quodl 3, q. 13, a. 28. [2] Summula, s. v. «satisfactio».

[3] A *S Alphonso* (Theol. mor. l. 6, n. 519) citantur pro hac opinione Lugo, Suarez, Toletus, immo et S. Thomas (Suppl. q. 25, a. 1 ad 3 et 4), sed non ita clare constat de mente istorum auctorum, et praesertim S. Thomas non videtur id docere.

[4] Const. «Inter praeteritos»; cf. Leonis XII Const. «Caritate Christi».

[5] S. C. Indulg. d. 14 Iunii 1901; Cod. iur. can. c. 932.

e) *Satisfactio ab ipso confessario pro poenitente praestanda.*

Quidam confessarii fervido zelo ducti et imitantes exemplum Christi, qui satisfecit pro peccatis totius mundi, fecerunt et faciunt satisfactiones pro poenitentibus. Licet autem proscripta sit ab Alexandro VII propositio (15), «posse poenitentem *propria auctoritate* substituere sibi alium, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat» [1], tamen nihil obstat, quominus ipse confessarius non totam sed partialem satisfactionem poenitentis in se assumat. Etenim propter communionem sanctorum datur vicaria satisfactio.

398 **Qualitas poenitentiae** conformanda est condicioni poenitentis. Generatim omnia opera bona pro salutari poenitentia iniungi possunt, praecipue autem opera religionis, caritatis et mortificationis, seu oratio, eleemosyna, ieiunium [2].

a) Per se quidem nihil obstat, quominus opus *mere internum* (ut meditatio) pro salutari poenitentia iniungatur, cum in praesenti rerum statu etiam actus mentis sint laboriosi. Attamen in praxi melius est, praeter opus mere internum etiam aliquod opus sensibile pro satisfactione imponere, quia satisfactio pertinet ad signum sensibile sacramenti saltem tamquam pars integralis.

b) Per se quidem etiam *cessatio ab opere bono non necessario* imponi posset, e. g. omittere Missam diebus ferialibus. Tunc enim poenitentia non esset ipsa cessatio, sed actus humilitatis et oboedientiae hac cessatione exercitus. Raro autem talis poenitentia expedit, saltem si sola imponitur [3].

c) Etiam opus *pro defunctis offerendum* potest esse salutaris poenitentia, quia tunc effectus impetratorius provenit defunctis; effectus autem satisfactorius redit ad poenitentem [4].

d) Etiam *opus aliunde iam praeceptum* potest iusta exsistente causa imponi tamquam poenitentia salutaris, ut S. Alphonsus [5] cum multis auctoribus contra paucos docet. Etenim opus illud potest elevari per claves ad meritum satisfactionis sacramentalis. Quapropter sicut ille, qui die festo audit Missam etiam ex *voto* debitam, habet duplex meritum, ita ille, qui implet opus alias praeceptum iniunctum pro poenitentia, duplex meritum acquirit. Attamen ordinarie id non est faciendum, et nisi expresse confessarius declaret se iniungere opus iam aliunde praescriptum, poenitentia praesumitur esse opus *supererogatorium*. Unde poenitens, qui recepit pro salutari poenitentia Missam audiendam die dominica, tenetur duas Missas audire. Sin autem confessarius expresse opus aliunde debitum imposuerit, et nihilominus poenitens illud voluntarie omiserit, adest duplex peccatum, scil. transgressionis legis et omissionis poenitentiae.

e) Generatim non expedit imponere poenitentiam *publicam* neque pro peccatis occultis (ut statuit Rit. Rom.) neque pro peccatis publicis, quia tales poenitentiae publicae solent odiosum reddere sacramentum. Si tamen peccatum commissum fuit publicum et vere scandalosum, tunc prudentiae confessarii relinquitur ad reparationem scandali imponere poenitentiam publicam.

f) *Poenitentiae incongruae* sunt omnes illae, quae facultati poenitentis non sunt proportionatae, e. g. ieiunia pro pueris, rusticis, opificibus; prolixae preces, peregrinationes pro filiisfamilias, poenitentiae naturae repugnantes,

---

[1] *Denz.* n. 1115. [2] Cf. *S. Thomas,* Suppl. q. 15, a. 3.
[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 514.
[4] Cf. *S. Thom.*, Quodl. 3, a. 28. [5] L. c. n. 513.

ut lingua signare crucem in terra, invisere inimicos. S. Alphonsus [1] exclamat: «Quam imprudenter se gerunt confessarii, qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poenitentes non impleturos!»

§ 3.

De necessitate satisfactionis acceptandae et implendae.

1. *Poenitens acceptare tenetur satisfactionem sibi a confessario rationabiliter impositam.* 399

Ratio est, quia, sicut confessarius tenetur imponere poenitentiam, ita etiam illam acceptare debet poenitens. Praeterea satisfactio est pars saltem integralis sacramenti poenitentiae. Iamvero poenitens non minus ac confessarius debet partem integralem sacramenti praestare. At satisfactionem irrationabilem, i. e. illam, quae (visa actuali disciplina Ecclesiae) non respondet facultatibus poenitentis, acceptare non est necesse. Proinde homo confessus potest aut petere a confessario aliam poenitentiam aut discedere sine absolutione aut quidem hic et nunc acceptare satisfactionem, cum animo tamen postea ab alio confessario commutationem petendi. Generatim in praxi expedit, ut confessarius acquiescat poenitenti flagitanti aliam ac impositam poenitentiam, nisi tamen haec petitio sit certo irrationabilis.

2. *Poenitens non tantum acceptare, verum etiam implere debet satisfactionem, quae legitime imposita est.* 400

Ratio est eadem ac pro acceptatione. Insuper quasi ludibrium sacramento inferret, qui acceptaret satisfactionem, quam postea voluntarie sine causa excusante non impleret. Confessarius autem censetur sub gravi iniungere satisfactionem, quando a) accusata sunt peccata mortalia nondum remissa, et b) materia imposita est gravis. Nam gravitas obligationis ordinarie respondet gravitati materiae. Si pro levibus peccatis gravis satisfactio imposita est, impletio eius obligat sub levi. Iuxta quosdam auctores confessarius potest pro gravi culpa gravem poenitentiam iniungere, quae tamen sub levi tantum obligat. Omnes autem merito notant, hunc agendi modum non expedire, nisi quando iam alia poenitentia sub gravi imposita est [2].

Tres igitur condiciones requiruntur, ut poenitens sub gravi teneatur implere poenitentiam:

a) *Ut poenitentia sit imposita pro culpa gravi nondum directe remissa.* Pro peccatis enim venialibus aut pro peccatis mortalibus iam remissis nequit imponi poenitentia graviter obligans.

b) *Ut materia satisfactionis impositae sit gravis in se.* Materia enim levis non inducit gravem obligationem.

c) *Ut confessarius voluerit graviter obligare, quod tamen in praxi semper praesumendum est in materia gravi.*

Si adsunt istae tres condiciones, et poenitens nihilominus ex propria culpa satisfactionem vel eius notabilem partem omittit, peccat graviter; in aliis omnibus casibus satisfactio neglecta est peccatum veniale.

Si quis *oblitus est satisfactionis acceptatae,* tenetur confessarium eundem adire, si commode fieri potest, ad sciendum, quaenam satis- 401

[1] Theol. mor. l. 6, n. 510. [2] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 518.

factio sibi implenda sit. Ratio est, quia talis satisfactio implenda adhuc moraliter est possibilis ac proinde id praestandum est. Sin autem poenitens non potest commode redire, non tenetur iterum confiteri. In hoc enim casu satisfactio sacramentalis illi facta est moraliter imposibilis. Expedit autem, ut tunc ipse voluntarie sibi aliquam convenientem satisfactionem imponat. Quando confessarius post reditum poenitentis iam non recordatur satisfactionis impositae neque etiam peccatorum auditorum, non tenetur novam confessionem exigere (saltem totalem), sed sufficit, ut aliqualiter iudicare valeat de statu poenitentis, antequam novam satisfactionem sacramentalem imponat.

Ipse poenitens et non eius mandatarius implere debet satisfactionem impositam. Sicut enim ipse poenitens et non mandatarius peccata commisit et accusavit, ita etiam ipse poenitens et non eius vices gerens satisfacere debet pro peccatis commissis[1].

Circa tempus et modum poenitentiae implendae haec notentur:

402 1. *Tempore* assignato poenitentia implenda est, et si nullum tempus assignatum fuit, quam primum id moraliter fieri potest.

Non requiritur, ut poenitentia impleatur ante absolutionem aut *ante communionem,* ut voluerunt Petrus de Osma, Iansenistae aliique[2]. Quando poenitentia non fuit persoluta tempore assignato, debet fieri postea, quia tempus non fuit assignatum ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Hinc e. g. ille, qui accepit poenitentiam assistendi Missae per octo dies continuos, si uno alterove die hanc obligationem neglexit, debet postea audire Missas omissas. *Differre* sine sufficienti ratione gravem poenitentiam iniunctam est peccatum idque grave, si praevideatur impotentia eam postea implendi vel adsit periculum oblivionis. Quaenam autem dilatio poenitentiae sit per se graviter peccaminosa, nequit determinari; unde cum quidam auctores putent dilationem octo dierum esse gravem, alii contra, e. g. Diana, opinantur dilationem non esse gravem, nisi sit unius anni[3]. In praxi confessarius instanter exhortetur poenitentes, ut *statim post confessionem* satisfactionem impositam persolvant, si hoc est possibile.

Quaestio difficilis est, num satisfaciat obligationi poenitens, qui persolvit opus iniunctam *in statu peccati mortalis?* Theologi in varias sententias abeunt. «Conveniunt doctores hunc non peccare mortaliter. Alii ... dicunt nullo modo peccare, quia, ut aiunt, nulla est culpa obicem ponere soli remissioni poenae. Alii tamen probabilius tenent peccare venialiter, quia ponere obicem effectui partiali sacramenti non potest ab aliqua culpa excusari. Dicunt autem Wigandt, Salmanticenses et Antoine, quod recedente fictione tunc poenitentia habet effectum satisfactionis, contra Scotum, Medina, Bonacina et Vasquez, qui censent habere effectum, cum impletur.» Ita S. Alphonsus[4]. Nihil certi de hac re dici potest. Ex omni parte sunt difficultates. Etenim difficulter intelligitur, quomodo opus bonum in statu peccati mortalis peractum, cum sit opus mortuum, apud Deum impetrare possit remissionem poenae temporalis, et hoc eo vel magis, quod talis homo sit dignus poena aeterna. Deinde adhuc difficilius intelligitur, quomodo opus

[1] Cf. Prop. 15 damn. ab Alexandro VII supra n. 397 (e) citatam.
[2] Cf. Prop. damn. apud *Denz.* n. 728 1306 1312 1437.
[3] Cf *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 525. [4] Ib. n. 523.

mortuum, quod numquam vixit, ablato obice reviviscere possit. Quidquid est, concludi potest cum Billuart[1]: «Probabile est, per opus in statu peccati mortalis satisfieri *praecepto* confessarii, nec esse iterandum; quia est aliquo modo satisfactorium. Est saltem sententia communior et communis sensus fidelium, qui non solent se accusare, quod satisfactionem impleverint extra caritatem, eaque videtur intentio confessariorum, praesertim dum poenitentias diu duraturas imponunt. Quia tamen non est absolute certum, Deum acceptare haec opera ad satisfactionem, consultum est, ut confessarii aliquam saltem poenitentiae partem *statim implendam* semper iniungant.»

2. *Modus* persolvendae poenitentiae debet esse conformis praecepto 403
vel intentioni confessarii.

Hinc si confessarius iubet preces recitare flexis genibus vel ante tale altare, hae circumstantiae observandae sunt. Ordinarie tamen negligere huiusmodi circumstantias non est grave peccatum, nisi multo difficilius reddunt opus peragendum. Nisi constet de mente confessarii, eius intentio est explicanda sicut *leges ecclesiasticae*. Hinc si poenitens pro satisfactione debet audire quolibet die Missam, non tenetur audire duas Missas diebus dominicis et festivis; si debet recitare rosarium, potest hoc alternatim facere cum socio vel cum populo; preces pro satisfactione recitandae possunt dici durante Missa de praecepto etc. Non requiritur, ut poenitens perficiens opus iniunctum habeat *explicitam* intentionem satisfaciendi, dummodo tamen ne habeat etiam intentionem contrariam.

§ 4.

De commutatione satisfactionis impositae.

1. Pro commutatione poenitentiae petenda aut danda requiritur 404
rationabilis causa, scil. bonum spirituale poenitentis. *Ante absolutionem acceptam* poenitenti facilius satisfactio commutari potest, cum tunc iudicium sacramentale nondum sit perfectum. Immo si confessarius nollet acquiescere petenti, hic posset (exsistente rationabili causa) e confessionali egredi et apud alium confessarium iterum confiteri et absolvi.

2. Poenitens post *absolutionem iam acceptam* potest ex iusta causa obtinere mutationem satisfactionis iniunctae sive ab eodem sive ab alio confessario, *non autem a semetipso* vel ab alia persona, quae non habet iurisdictionem audiendi confessiones.

Ratio est, quia satisfactio est complementum absolutionis sacramentalis, ac proinde semper debet habere relationem ad illam, et nemo nisi ille, qui absolutionem impertire valet, potest satisfactionem commutare.

Ex hoc principio sequitur: a) Ut poenitens vel persona laica numquam possit satisfactionem sacramentalem commutare, nec etiam in opus evidenter melius. Ita omnes. b) Ut poenitentia imposita pro peccatis reservatis ordinarie non possit commutari ab alio confessario, qui non valet absolvere ab istis peccatis reservatis; nisi tamen difficilis sit recursus ad superiorem. Tunc enim licet praesumere licentiam debitam et concedere commutationem. Ita sententia communior, quae arridet S. Alphonso[2].

---

[1] De poenit. diss. 9, a. 7. [2] L. c. n. 529, dub. 2.

3. *Idem* confessarius immediate post absolutionem certe potest commutationem facere, siquidem iudicium adhuc moraliter perdurat. Complures auctores, e. g. Lugo, Ballerini, Noldin etc., putant confessarium posse satisfactionem impositam commutare etiam *extra* sacramentum, et quidem quamdiu mutatio cum sacramentali iudicio moraliter unitur, e. g. per aliquos dies, immo iuxta Lugo [1] post «longum tempus», etiamsi confessarius peccatorum memor amplius non sit. Quidquid est de probabilitate istius sententiae, verius cum S. Alphonso [2] tenendum est hanc commutationem *non licere* nisi immediate post absolutionem, ac proinde si poenitens post aliquos dies redeat petens commutationem, ipsum debere iterum absolvi praemissa saltem generali accusatione peccatorum.

4. *Alius* autem confessarius commutare nequit satisfactionem, nisi vi absolutionis sive nunc sive postea dandae. In isto tamen casu sufficit, ut poenitens statum suae animae modo generali manifestet confessario, ad hoc ut absolutionem recipere valeat. Non enim necessarium est, ut confessarius iudicet de singulis peccatis, quae iam rite accusata et remissa sunt. Satis tamen probabiliter docent nonnulli theologi, poenitentiam posse mutari ab alio confessario, quin accusentur iterum peccata [3].

CAPUT III.

De ministro sacramenti poenitentiae.

Dividimus hoc caput in quattuor articulos, scil. 1. de potestate ministri; 2. de eius officio et obligationibus; 3. de modo agendi cum consuetudinariis, occasionariis, recidivis; 4. de abusu confessionis.

ARTICULUS I.

De potestate ministri.

Potestas ministri supponit duo: ordinem sacerdotalem et iurisdictionem. De iurisdictione occurrunt quaedam quaestiones separatim tractandae. Unde in hoc articulo agemus 1. de potestate ordinis; 2. de iurisdictione in genere; 3. de iurisdictione putativa, dubia, probabili; 4. de iurisdictione religiosorum et in religiosos; 5. de restrictione iurisdictionis; 6. de absolutione a casibus reservatis.

§ 1.

De potestate ordinis.

405 **Principium.** *Ad valide administrandum sacramentum poenitentiae requiritur ex iure divino potestas ordinis sacerdotalis.*

Est de fide definitum in Concilio Tridentino [4]: «S. q. d. sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non *solos sacerdotes* esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: ‚Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo‘; et: ‚Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta

---

[1] De sacr. poenit. disp. 25, n. 112. [2] Theol. mor. l. 6, n. 529, dub. 3.
[3] *S. Alph.* l. c. n. 529, dub. 3.
[4] Sess. 14, can. 10 de poenit. (*Denz.* n. 920).

sunt', quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, A. S.»

Errores hac in re commiserunt: a) Montanistae, docentes solos pneumaticos, i. e. Spiritu Sancto inspiratos, posse peccata condonare; b) Waldenses et Wicleffitae, tribuentes facultatem absolvendi etiam bonis laicis, non autem malis sacerdotibus; c) Protestantes, negantes omnino propriam potestatem clavium; d) quidam catholici Medio Aevo, putantes in casu necessitatis diaconum esse ministrum *extraordinarium* sacramenti poenitentiae, sicuti etiam est minister baptismi vel eucharistiae[1]. Absque omni dubio antiquis temporibus exsistebat consuetudo in extrema necessitate, quando defuit sacerdos, aliquando confitendi apud diaconum, vel etiam apud laicum vel mulierem. Sed nullus fere theologus adduci potest, qui clare doceat huiusmodi confessionem esse verum sacramentum. Plures autem commendabant hanc confessionem in signum magnae humilitatis et contritionis tamquam utilissimam. Praesertim commentatores Decreti Gratiani ita faciebant, propter textum Decreti, quem falso attribuebant S. Augustino: «Tanta itaque vis est confessionis, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo.... Etsi ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio.»[2] Cum autem iste modus confitendi laicis in articulo mortis multa incommoda habere possit, paulatim in desuetudinem abiit.

Cum solus sacerdos possit valide absolutionem sacramentalem impertire, sequitur: a) ut sacerdos, cuius ordinatio est invalida, etiam invalide absolvat; b) ut Ecclesia non possit facultatem concedere diacono absolvendi a peccatis, quia Ecclesia nequit mutare essentiam alicuius sacramenti; c) ut numquam homo teneatur confiteri peccata sua alicui non-sacerdoti. Quare etiam Ecclesia nostris diebus graviter prohibuit, ne superiores institutorum religiosorum exigant manifestationem conscientiae a suis subditis.

§ 2.

De iurisdictione in genere.

Notio. Iurisdictio in sensu generali est *potestas moralis regendi* 406
aliquam humanam societatem atque includit potestatem docendi, iudicandi, coercendi. Potestas autem regendi societatem domesticam familiae non est iurisdictio, sed potestas dominativa, cum pater seu rector familiae in multis rebus habeat dominium super ipsas voluntates domesticorum. *Iurisdictio ecclesiastica est potestas regendi, iudicandi et coercendi homines baptizatos in ordine ad sanctitatem et beatitudinem supernaturalem.*

Divisiones. 1. Iurisdictio *fori interni* et *fori externi.* Prior 407
ordinat fidelium relationes morales internas cum Deo. Vocatur aliquando iurisdictio in foro *poli* (vel in foro individuali), quia Deus debet

[1] Cf. *Gromer,* Die Laienbeicht im Mittelalter (München 1909); *Laurain,* De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence (Paris 1897).

[2] De vera et falsa poenitentia (*Migne,* Patr. lat. 40, 1122).

esse polus, versus quem omnes actiones humanae dirigi debent. — Altera iurisdictio, nempe *fori externi* (vocatur etiam in *foro fori* vel in foro sociali), ordinat fidelium relationes sociales externas ad Ecclesiam et publice exercetur.

Forum internum sumitur vel in stricto sensu, quando iurisdictio exercetur *in solo sacramento* poenitentiae; vocatur tunc *forum sacramentale;* vel in latiore sensu, quando iurisdictio exercetur etiam extra sacramentum poenitentiae, sed pro sola conscientia privati hominis. Vocatur tunc iurisdictio in *foro conscientiae* seu iurisdictio extrasacramentalis. Haec distinctio attendenda est praecipue in dispensationibus, quae aliquando dari nequeunt nisi in actu sacramentalis confessionis; aliquando autem etiam extra sacramentum pro foro conscientiae licite concedi possunt.

2. Iurisdictio *ordinaria* et *delegata.* Prima est illa, quae connexa est cum ipso officio ecclesiastico rite obtento. Talem iurisdictionem habent: Papa in tota Ecclesia et etiam S. R. E. Cardinales ad excipiendas confessiones [1]; episcopi eorumque vicarii generales, canonicus poenitentiarius in tota dioecesi; superiores religiosi exempti pro suis subditis; parochi pro paroecianis suis, ut infra latius dicetur. Qui habent ordinariam iurisdictionem, possunt suos subditos absolvere ubique terrarum ac proinde etiam extra proprium territorium [2]. — Altera iurisdictio, nempe delegata, ea est, quae sine officio ecclesiastico libere confertur sive a iure sive ab homine. Talem iurisdictionem delegatam habent simplices confessarii.

408 **Necessitas.** *Iurisdictio iure divino necessaria est ad valide absolvendum in sacramento poenitentiae.*

Concilium Tridentinum [3] statuit: «Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.» Cum necessitas iurisdictionis sequatur ex ipsa natura iudicii sacramentalis, apparet illam esse *ex iure divino* et non ex iure ecclesiastico. Hinc Bonifatius VIII [4] dicit: «Nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui superioris licentiam confessarium sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.» Quod autem nulla consuetudine introduci potest, prohibetur a iure divino aut naturali. Unde iurisdictio est etiam prorsus necessaria ad sacramentaliter absolvendum a peccatis *venialibus* aut generatim ad quamcumque absolutionem sacramentalem dandam. Si S. Thomas fertur docuisse contrarium [5], scil. simplicem sacerdotem posse absolvere a peccatis venialibus, explicandus est vel ex eo, quod tunc temporis exsistebat generalis consuetudo approbata a Summis Pontificibus, vi cuius omnibus sacerdotibus conferebatur iurisdictio ad absolvenda peccata venialia, vel quod Angelicus Doctor loquatur de remissione venialium extrasacramentali. Si revera temporibus S. Thomae talis iurisdictio generalis exsistebat, tamen ab Innocentio XI d. 12 Febr. 1679 abolita est Decreto «Cum ad aures»: «Non permittant episcopi, ut venialium

[1] Cod. iur. can. c. 873, § 1. [2] Ib. c. 861, § 2.
[3] Sess. 14, c. 7 de poenit. (*Denz.* n. 903). [4] c. 2, V 10 in VI°.
[5] 4, dist. 18, q. 2, a. 3, sol. 1 ad 3.

confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario. Si confessarii etiam regulares aut quicunque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros esse, neque defuturam episcoporum et Ordinariorum iustam et rigorosam animadversionem in contrafacientes.»

A *iure ecclesiastico* statuitur, ut iurisdictionis concessio a) sit *expressa* sive verbis sive scripto; quare non sufficit concessio tacita vel praesumpta; b) sit *gratis* data, i. e. sine retributione [1].

Iurisdictio ordinaria. Iam supra breviter dictum est, quinam 409
gaudeant iurisdictione ordinaria in tribunali poenitentiae. De singulis adhuc sequentia notanda sunt:

1. *Summus Pontifex* habet amplissimam iurisdictionem ordinariam in orbe universo. Quam iurisdictionem participant Cardinales *pro foro interno* [2]. — Legati a latere, nuntii et delegati apostolici habent iurisdictionem ordinariam intra fines territorii iis commissi.

Theologi patiuntur difficultates in explicando modo iurisdictionis, quam habet confessarius ipsius Papae. Rationabilis explicatio videtur esse haec: Papa qua Papa committit iurisdictionem confessario suo, qui tunc vi huius iurisdictionis absolvit Papam qua hominem peccatorem.

2. *Ordinarius loci* habet iurisdictionem ordinariam in suo territorio, sed ita ut Papa possit illam limitare vel etiam propter gravissimas rationes suspendere. Quam iurisdictionem ordinariam habent episcopus residentialis, vicarius generalis et sede vacante vicarius capitularis, abbas et praelatus nullius, vicarius et praefectus apostolicus.

3. *Poenitentiarius cathedralis vel collegiatae ecclesiae* quoque habet iurisdictionem ordinariam audiendi confessiones pro tota dioecesi; ac proinde potest etiam extra dioecesim audire confessiones omnium fidelium, qui habent domicilium aut quasi-domicilium in sua dioecesi; nequit autem hanc iurisdictionem aliis delegare [3].

4. *Parochus* habet iurisdictionem ordinariam sed dependenter ab episcopo, 410
qui illam potest limitare aut suspendere [4]. *Per se* quidem parochus habet approbationem et iurisdictionem pro sua paroecia tantum, ita ut neminem sacramentaliter absolvere possit, nisi paroecianos *eosque ubique terrarum exsistentes,* et alios, qui in territorio suo paroeciali volunt confiteri. Hodierna tamen fert consuetudo sat communis, ut episcopus parochis det facultatem audiendi confessiones in tota dioecesi. Quidam auctores, praesertim Lugo [5] et Lacroix [6], docent parochum habere approbationem *pro tota Ecclesia,* ac proinde illum posse audire confessiones ubique terrarum sine nova approbatione, dummodo parochus loci illi licentiam dederit. Sed merito reicit hanc sententiam S. Alphonsus [7] cum Benedicto XIV, quia falsum est quemlibet parochum approbari ad audiendas confessiones pro tota Ecclesia. Unde S. Congr. Concilii d. 19 Ian. 1641 statuit: «Parochus unius dioecesis non potest confessiones audire in alia dioecesi sine licentia episcopi dioecesani» [8],

---

[1] Cod. iur. can. c. 879. [2] Ib. c. 239, § 1, n. 1.

[3] Ita *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 3, c. 4, n. 3; Cod. iur. can. c. 401, § 1; c. 873, § 2,

[4] Quidam canonistae nolunt concedere parochis iurisdictionem stricte ordinariam, quia illis non competit iurisdictio in foro externo. Proinde vocant iurisdictionem parochi non ordinariam, sed quasi-ordinariam. Est lis de solis verbis.

[5] De sacr. poenit. disp. 21, n. 8. [6] De consc. l. 6, P. 2, n. 1537.

[7] Theol. mor. l. 6, n 544. [8] Apud *S. Alph.* l. c.

et eadem S. Congregatio d. 3 Dec. 1707 respondit ad quaesitum: «An curati unius dioecesis, vocati a parochis alienae dioecesis, possint in ista audire confessiones . . . absque licentia episcopi? — Affirmative quoad subditos, negative quoad alios.»[1] Unde sententia Lugonis hodie omni probabilitate destituta esse videtur, quamvis quidam auctores, ut Lehmkul[2], Ballerini-Palmieri[3], illam non prorsus reiciant. Solent episcopi concedere licentiam generalem, ut parochi possint advocare sacerdotes *dioecesium vicinarum* pro confessionibus audiendis. Sed tunc, ut patet, episcopus dat istis sacerdotibus advocatis approbationem et iurisdictionem et non parochus, quippe qui propria auctoritate nequeat delegare facultatem audiendi confessiones suorum subditorum[4].

5. *Superiores* religiosi exempti in religionibus clericalibus habent iurisdictionem ordinariam ad audiendas confessiones suorum subditorum. Censentur autem subditi non tantum religiosi professi, sed etiam a) novitii, b) postulantes et c) continui commensales. Unde confessarii religiosi a proprio superiore rite approbati possunt audire confessiones tam famulorum in monasterio habitantium quam etiam alumnorum convictorum sine approbatione episcopi dioecesani[5]. Operarii autem diurni, qui *extra* monasterium habitant et sic dicti alumni *externi* non censentur esse de familia, ac proinde requiritur approbatio episcopi ad eorum confessiones audiendas. — Superiores religiosi possunt delegare sacerdotes tam saeculares quam regulares ad audiendas confessiones propriorum subditorum[6]. Quomodo ista delegatio sit facienda, solet in singulis ordinibus iure particulari definiri. Ceterum infra sermo redibit de confessionibus religiosorum.

6. *Militum parochi et episcopi,* qui in aliquibus regnis a Summis Pontificibus concessi sunt, solent habere iurisdictionem ordinariam in milites eorumque uxores et filios. Attendenda sunt particularia statuta hac in re lata.

411 **Iurisdictio delegata** duplici modo obtineri potest, scil. ab homine et a iure. *Ab homine* (i. e. ab aliquo, qui habet vel iurisdictionem ordinariam vel saltem facultatem delegandi) solet concedi iurisdictio omnibus confessariis, qui carent iurisdictione ordinaria. *A iure* (sive scripto sive consuetudinario) in nonnullis casibus delegatur iurisdictio; nempe:

1. In articulo et gravi periculo mortis versantem poenitentem quilibet sacerdos (etiam suspensus, schismaticus et apostata) absolvere potest a quibuslibet peccatis et censuris. Attamen si moribundus ita absolutus postea convalescat, aliquando recursus est necessarius, ut infra n. 424 latius dicetur. Neque «inquietandi sunt, qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus.»[7] In gravi periculo mortis censentur quoque versari omnes milites mobilizati seu convocati ad bellum[8].

2. Conceditur iurisdictio ad audiendas confessiones omnibus sacerdotibus transmarinum iter arripientibus, dummodo vel a proprio Or-

[1] Thesaur. resol. S. C. C. post a. 1740, tom. IX, fol. 168.
[2] Theol. mor. II, n. 488. [3] Opus theol. V, n. 377.
[4] Ita decretum est d. 16 Oct. 1919 (Act. Ap. Sed. XI 477).
[5] Cod. iur. can. c. 875. [6] Ib. [7] Ib. c. 882.
[8] S. Poenit. d. 18 Mart. 1912 et d. 29 Maii 1915.

dinario vel ab Ordinario portus, in quo in navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario portus cuiuslibet intermedii confessiones excipiendi facultatem habeant, ita ut isti in navi (vel in loco portus, ad quem *obiter* descendunt) toto itinere durante fidelium confessiones excipere valeant[1].

3. A iure nunc conceditur iurisdictio in peregrinantes et vagos, ita ut isti ubique absolvi possint a quolibet sacerdote rite approbato ab episcopo loci, ubi confessio instituitur[2].

4. Iis confessariis delegatur iurisdictio, quos sibi elegerunt episcopi, Cardinales[3].

Cessatio iurisdictionis. Iurisdictio cessat a) revocatione dele- 412
gantis vel eius legitimi successoris[4]; b) exspiratione temporis praefixi, quando iurisdictio data erat pro determinato tempore; si tamen confessarius *per inadvertentiam* absolutionem dederit, elapso tempore vel exhausto casuum numero, absolutio est valida[5]; c) quibusdam censuris, si sc. quis est per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam excommunicatus vel suspensus ab officio vel interdictus[6]; d) amissione officii per renuntiationem, privationem, amotionem, translationem; e) morte sive physica sive morali delegantis, si iurisdictio data fuit his similibusve clausulis: «ad beneplacitum nostrum»[7], «usquedum revocamus». Hinc si episcopus moritur vel amovetur a sede sua, exspirant iurisdictiones sub istis clausulis concessae. Sin autem iurisdictio data est: «usque ad revocationem», durat eo usque dum expresse revocatur. Ceterum clausulae appositae intelligendae sunt ad mentem uniuscuiusque episcopi, qui eas apposuit.

§ 3.

De iurisdictione putativa, dubia, probabili.

Iurisdictio putativa ea est, quae revera non adest, sed quae 413
putatur adesse. Ecclesia supplet iurisdictionem, si adest error communis, non autem solus error privatus.

Error dicitur *communis,* qui inficit omnes fere incolas alicuius loci; sin autem attingit tantum paucos, vocatur error *privatus.* Recte docet Noldin[8]: «Ut aliquis per errorem communem habeatur confessarius, requiritur aliquod *factum,* e. g. exercitium muneris confessarii per aliquod tempus peractum, ex quo loci fideles eum passim pro confessario habent; non sufficit, ut quis semel more aliorum confessiones excipiat.» Antiquitus requirebatur praeter errorem communem titulus coloratus vel saltem existimatus, nunc autem

---

[1] S. Offic. d. 9 Apr. 1900; 24 Aug. 1905; 13 Dec. 1906 (Analecta eccl. XV [1907] 9); Cod. iur. can. c. 883.

[2] Cod. iur. can. c. 881. [3] Ib. c. 349.

[4] Cum haec revocatio sit quid odiosum, licite fieri nequit sine gravi causa; immo nec *valida* est, si episcopus, inconsulta Sede Apostolica, omnibus alicuius religiosae domus formatae confessariis una simul iurisdictionem adimit (Cod. iur. can. c. 880).

[5] Cod. iur. can. c. 207, § 2. [6] Ib. c. 873.

[7] Ib. c. 183, § 2. [8] De sacr. n. 346.

statuit simpliciter Codex iur. can. c. 209: «In errore communi . . . iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo, tum interno.» Ergo iam nullus titulus requiritur, et sufficit solus error communis, ut Ecclesia suppleat iurisdictionem putativam. Ratio huius legis est, quia secus multi fideles ex inculpabili errore damna spiritualia paterentur, scil. omnes absolutiones receptae essent invalidae. Quare etiam si iurisdictio concessa est pro determinato tempore vel pro determinato numero casuum reservatorum, confessarius, qui *per inadvertentiam* elapso hoc tempore vel exhausto hoc numero absolvit, valide absolvit [1].

Non sunt obligandi fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud sacerdotem, qui ex communi errore confessarius reputabatur.

Certum est Ecclesiam non supplere iurisdictionem, si error sit privatus. Nam tunc bonum *commune* non laeditur. Ita fere omnes.

414 **Iurisdictio dubia et probabilis.** Iurisdictio dubia oriri potest vel ex dubio *iuris* vel ex dubio *facti*. In primo casu potius habetur iurisdictio probabilis; in posteriore vero eventu habetur iurisdictio dubia, quae praecipue accidere potest: a) si dubitatur, num superior dederit iurisdictionem; b) num tempus iurisdictionis exspiraverit; c) num tale peccatum vel talis censura sit reservata.

Olim exsistebant de valore et usu iurisdictionis dubiae vel probabilis graves controversiae, quae nunc cessaverunt, cum Codex iur. can. c. 209 statuat: «In dubio positivo et probabili sive iuris sive facti iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno.» Proinde in praxi potest valide et licite absolutio concedi, exsistente iurisdictione dubia vel probabili. Nihilominus, ut per se patet, curandum est, ut dubium de iurisdictione ortum solvatur et locum det iurisdictioni certae.

§ 4.

De iurisdictione religiosorum et in religiosos.

Ius ecclesiasticum specialia statuit 1. de confessariis ex clero religioso, 2. de poenitentibus, qui vivunt in statu religioso.

415 1. **Confessarii ex clero religioso pro poenitentibus saecularibus.** Religiosi hic intelliguntur non tantum ii, qui habent vota sollemnia, sed etiam omnes religiosi, qui gaudent privilegio *exemptionis* a iurisdictione episcopali. Huiusmodi confessarii religiosi *iurisdictionem* accipiunt ad audiendas confessiones cum saecularium tum religiosorum ab Ordinario loci et non immediate a S. Sede, ut antea multi auctores docuerunt. Sacerdotes autem religiosi eadem ordinarie ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui superioris [2]. In religione *clericali exempta* iurisdictionem delegatam ad audiendas confessiones subditorum confert quoque proprius superior religiosus, idque non solis sacerdotibus suae religionis, sed etiam aliis sacerdotibus [3]. Quantum autem ad confessiones peregrinorum, de quibus olim dubium erat,

[1] Cod. iur. can. c. 207, § 2. [2] Ib. c. 874, § 1.
[3] Ib. c. 875, § 1.

hodie iam constat quemlibet confessarium (ex clero sive saeculari sive religioso) posse licite et valide istas confessiones audire [1].

Cum confessarius religiosus receperit ab episcopo dioecesano *approbationem et iurisdictionem,* valide audit confessiones saecularium, quamvis proprius superior hoc prohibuerit, ut patet ex responsione S. Congr. Episc. et Reg. d. 1 Mart. 1866: «An religiosus non approbatus iuxta leges proprii ordinis a suo superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipiat confessiones saecularium? — Affirmative.» Attamen religiosus ita agens peccat contra votum oboedientiae, quod eum obligat etiam in exercitio sacri ministerii.

Iam supra dictum est, religiosos ex iure Tridentino indigere *approbatione episcopi* ad audiendas confessiones *saecularium.* Pariter dictum est confessarios religiosos a suis superioribus rite delegatos posse audire confessiones non solum suorum confratrum, sed etiam *alumnorum convictorum* sine approbatione episcopi.

Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant. Magister autem novitiorum eiusque socius, magister spiritus, superior seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant [2].

2. **Poenitentes ex statu religioso.** Claritatis causa distinguimus 416
statuta lata *α*) de confessionibus virorum religiosorum, *β*) de confessionibus mulierum religiosarum.

α) Quantum ad confessiones *virorum religiosorum* vetus ius [3] statuit, ut omnes viri religiosi deberent confiteri aut apud proprium superiorem aut apud confessarios ab eo legitime delegatos. Confessio autem aliter facta non solum fuit illicita, sed etiam invalida. Superiores potuerunt sibi nonnullos casus reservare; nihilominus saltem aliquibus confessariis debuerunt committere facultatem absolvendi etiam ab his casibus reservatis; quodsi hanc facultatem denegaverint, tunc quilibet confessarius potuit licite et valide absolvere a casibus reservatis. Religiosi itinerantes debuerunt confiteri apud socium legitime designatum, nisi ex iure particulari maior libertas concessa fuerit. — *Novum ius* statuit, ut iurisdictio ad audiendas confessiones religiosorum conferatur vel ab Ordinario loci vel a superiore religioso (in religionibus clericalibus exemptis). Iste superior religiosus potest hanc iurisdictionem concedere etiam sacerdotibus ex clero saeculari aut alius religionis, qui tunc possunt audire confessiones non solum professorum et novitiorum, sed etiam omnium, qui in religiosa domo degunt diu noctuque, e. g. famulationis causa [4].

Non sunt quidem abrogatae antiquae constitutiones, quae confessionem religiosorum statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, sed conceditur [5], ut *quilibet* religiosus (etiam no-

---

[1] Ib. c. 881, § 1. [2] Ib. c. 518, § 2; c. 891.

[3] Clemens VIII d. 26 Maii 1593, Urbanus VIII d. 21 Sept. 1624, complures decisiones Romanarum Congregationum.

[4] Cod. iur. can. c. 514, § 1; c. 874; c. 875.

[5] S. C. de Rel. d. 5 Aug. 1913 (Act. Ap. Sed. V 431); Cod. iur. can. c. 519.

vitius)[1] valide et licite possit confiteri ad suae conscientiae quietem apud quemlibet confessarium ab Ordinario loci (i. e. ab episcopo eiusque vicesgerente et abbate nullius) approbatum. Talis confessarius potest religiosum absolvere in foro interno etiam a peccatis et censuris in religione reservatis. De absolutione autem in foro externo vetus disciplina manet integra.

417 β) Quantum ad confessiones *mulierum religiosarum* (cum votis sive sollemnibus sive simplicibus, vel etiam sine votis) item abolitum est vetus ius. Praecipua statuta novi iuris[2] sunt sequentia:

1. Unicuique religiosae communitati regulariter unus dumtaxat confessarius ordinarius deputetur, nisi ob magnum religiosarum numerum vel aliam iustam causam alterum vel plures confessarios dari oportet. Probabiliter non est obligatio nominandi confessarium ordinarium, si in aliqua communitate religiosa non sunt sex sorores[3]. Sorores autem, quibus non est determinatus confessarius ordinarius, possunt libere confiteri, sicut fideles saeculares. Confessarius ordinarius debet habere sequentes condiciones:

a) Sit aetatis saltem 40 annorum, nisi Ordinarius ex rationabili causa ab hac condicione aetatis dispensaverit; emineat morum integritate et prudentia[4].

b) Sit regulariter deputatus non ultra triennium. Ab hac condicione dispensare potest episcopus (vel Ordinarius) pro altero vel etiam tertio triennio, si adsit penuria sacerdotum idoneorum, vel maior pars religiosarum per secreta suffragia id petierit. Si triennium (vel ex dispensatione alterum et tertium triennium) confessarii ordinarii finitum est, non potest idem confessarius ad idem munus in eadem communitate deputari nisi *post annum*. (Extraordinarius autem confessarius immediate ut ordinarius eligi potest; non autem vice versa.)[5]

c) Sit ex clero vel saeculari vel regulari, dummodo tamen nullam habeat in easdem religiosas potestatem *in foro externo*. Ergo excluduntur a munere confessarii (sive ordinarii sive extraordinarii) e. g. episcopi, vicarii generales, superiores regulares etc. pro suis subditis[6].

2. Pluries in anno (saltem quater) unicuique religiosae communitati detur confessarius extraordinarius, ad quem omnes religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant, si nolint apud ipsum confiteri. Non est limitatum quoad tempus munus confessarii extraordinarii. Ipse debet esse praeditus iisdem qualitatibus ac confessarius ordinarius[7].

3. Praeter confessarium ordinarium et extraordinarium deputet Ordinarius unicuique domui religiosae aliquot confessarios supplentes, quos religiosae in casibus particularibus confessionis peragendae causa facile vocare queant[8].

---

[1] S. C. de Rel. d. 3 Maii 1914 (Act. Ap. Sed. VI 232).

[2] S. C. de Rel. d. 3 Febr. 1913 (Act. Ap. Sed. V 62 sqq.): «Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis votorum cum sollemnium tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communitatibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi instituta sint tantum dioecesana. Obligat etiam communitates, quae in praelati regularis iurisdictione sunt; qui nisi fidelem observantiam huius decreti curet, episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicae Sedis delegatus.» Cod. iur. can. c. 520 sqq. et c. 675.

[3] S. C. de Rel. de 3 Iul. 1916 ad III (Linz. Theol. Quartalschr. 1916, p. 898); cf. tamen nostrum Man. iur. eccl.[3] q. 190.

[4] Cod. iur. can. c. 524, § 1. [5] Ib. § 2. [6] Ib. § 1.

[7] Ib. c. 521. [8] Ib. § 2.

4. Mulieres religiosae ad suae conscientiae tranquillitatem possunt in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico [1] vel in alio loco decenti confessionem peragere apud quemvis confessarium pro mulieribus approbatum. Superiorissa neque id prohibere neque de ea re inquirere potest, *ne indirecte quidem;* religiosae autem nihil referre tenentur superiorissae de confessione peracta [2].

5. Etiam confessarius specialis (qui inter supra recensitos non continetur) est facile ab Ordinario concedendus, si et quamdiu aliqua religiosa ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum id petierit. Praesertim hoc permittitur religiosae in gravi aegritudine [3]. Nihil obstat, ne confessarius ordinarius, qui nondum explevit annum a cessatione sui officii [4] concedatur tamquam confessarius specialis seu moderator conscientiae.

6. Deputatio confessarii ordinarii vel extraordinarii pertinet ad episcopum loci. Sin autem aliqua communitas religiosa subiecta est iurisdictioni *superioris regularis*, tunc officium huius est praesentare confessarios, sed ad episcopum loci pertinet concedere potestatem audiendi confessiones his confessariis praesentatis [5].

7. Confessarii omnino ne se immisceant interno vel externo regimini communitatis [6].

8. Loci Ordinarius potest ob gravem causam *quemcumque* confessarium religiosarum mulierum amovere; nec tenetur causam amotionis cuiquam significare (excepta S. Sede, si ab ea requiratur). De amotione autem debet superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur [7].

§ 5.

De restrictione iurisdictionis.

Praenotamen. Iurisdictio diversis modis restringi seu limitari potest, nempe quoad *personas,* si excipiuntur a iurisdictione, e. g. moniales; quoad *locum,* si iurisdictio e. g. limitatur ad talem districtum; quoad *tempus,* si conceditur potestas audiendi confessiones, e. g. ad triennium; quoad *certa peccata,* si confessarius nequit ab istis absolvere; quae quidem ultima restrictio iurisdictionis vocari solet *reservatio casuum,* de qua nunc tractandum est, relictis tribus aliis restrictionibus, quae facile intelliguntur sine speciali explicatione.

Reservatio casuum. *Reservatio casuum*, prout nunc de illa 418
loquimur, *est revocatio alicuius casus (peccati vel censurae) ad proprium tribunal reservantis, ita ut nemo absolutionem impertire valeat nisi ipse reservans, eius successor aut superior in officio, vel eius delegatus.*

A nonnullis auctoribus definitur reservatio casuum: negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, concessa potestate absolvendi a ceteris. Sed haec definitio non primarium sed secundarium effectum reservationis exprimit, cum primaria nota eius sit *revocatio ad proprium et speciale tribunal* [8]. — Sive autem primarius sive secundarius reservationis effectus consideretur, reser-

---

[1] Cf. S. C. de Rel. d. 3 Iul. 1916, ad I. [2] Cod. iur. can. c. 522.
[3] Cf. S. C. de Rel. d. 22 Apr. 1917 (Act. Ap. Sed. IX, 277) et Cod. iur. can. c. 523.
[4] Cf. supra 1 b. [5] Cod. iur. can. c. 525.
[6] Ib. c. 524, § 3. [7] Ib. c. 527. [8] Ib c. 893.

vatio immediate et primario afficit *confessarium*, cuius potestas limitatur; mediate attingit etiam poenitentem, qui pro absolutione obtinenda adire debet tribunal superioris.

419 **Modus reservationis.** Duplex distinguitur modus reservationis, nempe ratione *censurae* et ratione *peccati*. Priores reservationes vocantur censurae reservatae, posteriores vero peccata reservata. Iuxta vigentem disciplinam omnes casus Summo Pontifici reservati sunt reservatae *censurae* (excepto uno). Econtra casus episcopis reservati solent esse reservata *peccata*. Etenim praeter censuras a iure episcopis reservatas episcopi possunt quidem, sed non solent alias censuras easque reservatas ferre. In praxi uterque modus reservationis est bene distinguendus, cum in utroque modo diversa requirantur et ad incurrendam et ad absolvendam reservationem.

420 **Finis reservationis** est bona disciplina populi christiani, qui hoc modo salutariter deterretur a peccatis atrocioribus, et ipsis commissis efficacius curatur.

De hac re docet Concilium Tridentinum[1]: «Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur.» Quae quidem disciplina optime obtinetur cum ex parte confessarii tum ex parte poenitentis. Sic enim quaedam graviora et perniciosiora peccata reservantur iudicibus superioribus excellentiore prudentia et experientia praeditis; poenitentes autem istis peccatis gravati recipiunt poenam medicinalem, quia debent in se sumere onus recurrendi ad altiorem confessarium, qui non solet absolutionem impertire nisi maiore poenitentia salutari imposita. Nihilominus, licet reservatio casuum sit in se optima, hodie est parce adhibenda, cum fides facta sit ita frigida, ut poenitentes saepe non multum curent de reservatione, et cum ex casibus reservatis occurrentibus confessario non parvum onus accrescat. Quare S. Officium adhortatur Ordinarios, ne, «generatim loquendo, extraordinario huic remedio manus velint apponere nisi re in synodo dioecesana discussa, vel, extra synodum, auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex probatioribus ac prudentioribus suae dioecesis animarum curatoribus, de vera reservationis necessitate aut utilitate in Domino convincantur.»[2]

421 **Potestas reservandi casus** competit:

a) *Summo Pontifici* pro tota Ecclesia, qui sibi complures censuras, sed nonnisi unum peccatum reservavit, scil. *calumniosam denuntiationem confessarii*[3]. Casus, qui Summo Pontifici reservantur, solent vocari *casus papales*.

b) *Episcopis* pro sua dioecesi[4]. Sed *casus isti episcopales* ne sint 1. nisi peccata vere atrociora et externa eaque specifice determinata,

[1] Sess. 14, c. 7 de poenit. (*Denz.* n. 903).

[2] Instructio d. 13 Iul. 1916 (Act. Ap. Sed. VIII 313 sqq.). Idem statuit Codex iur. can. c. 895. [3] Cf. infra n. 467.

[4] Ita constat ex Conc. Trid. sess. 14, can. 11 de poenit.: «S. q. d. episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, A. S.» (*Denz.* n. 921).

ut e. g. homicidium, periurium, gravis percussio parentum etc.; 2. nimis numerosi (ad summum quattuor[1]), 3. casus, qui iam Summo Pontifici sunt reservati, aut quibus censura (etsi nemini reservata) a iure imposita est. Hos ultimos tamen casus possunt episcopi sibi reservare, si id omnino necessarium videtur[2]. Haud immerito censent complures auctores reservationem, qua episcopus sibi reservat peccatum iam Romano Pontifici reservatum, esse illicitam et invalidam, quia videtur incongruum, ut episcopus sibi reservet peccatum, a quo nec ipse propria auctoritate valet absolvere. Quare infert Noldin[3]: «Possunt ergo confessarii, qui habent potestatem absolvendi a casibus papalibus, ab his absolvere, etsi episcopus eos sibi reservasset.»

c) *Superioribus* generalibus religionum clericalium exemptarum et Abbati sui iuris[4].

Ordinarie non potuerunt sibi reservare nisi 11 casus sic dictos Clementinos[5]: 1. apostasia a religione; 2. nocturna ac furtiva e monasterio egressio; 3. veneficia; 4. proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale; 5. furtum mortale de rebus monasterii; 6. lapsus carnis voluntarius opere consummatus; 7. iuramentum falsum in iudicio legitimo; 8. procuratio, consilium vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto; 9. occisio, vulneratio vel gravis percussio cuiuscumque personae; 10. falsificatio manus vel sigilli officialium monasterii; 11. malitiosum impedimentum, retardatio aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores vel ab inferioribus ad superiores directarum. — Si adest gravis causa reservandi alios casus, requirebatur consensus consilii generalis. Hodie autem superiores religiosi non videntur posse sibi reservare nisi tres vel ad summum quattuor casus; immo casus reservati ex iure particulari ordinum religiosorum sunt parvae utilitatis practicae, cum quilibet confessarius ab Ordinario loci approbatus illos absolvere valeat, ut supra n. 416 dictum est.

Condiciones ad reservationem requisitae[6]. Ad hoc, ut peccatum censeatur reservatum, requiritur, ut sit: 422

a) *Mortale.*

Quia esset inutile reservare peccatum veniale, quippe quod nemo teneatur confiteri.

b) *Externum,* etsi occultum.

Licet Ecclesia possit reservare etiam peccata interna, tamen hoc numquam facit, cum talis reservatio parum utilis sit[7].

c) *Specifice determinatum.*

Scil. requiritur, ut verba reservationis in stricto sensu verificentur. Hinc e. g. si incestus est reservatum peccatum, requiritur, ut adfuerit vera copula

---

[1] Ita S. Officium in Instructione supra citata n. 2; Cod. iur. can. c. 897.
[2] Ita S. Offic. l. c. n. 4; Cod. iur. can. c. 898.
[3] De sacr. n. 373. [4] Cod. iur. can. c. 896.
[5] Clementis VIII Const. «Sanctissimus» d. 26 Maii 1593.
[6] Cod. iur. can. c. 897.
[7] Cf. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 5, c. 5, n. 5; *Dom. Soto,* In 4, dist. 18, q. 2, a. 5; Instructio S. Offic. d. 13 Iul. 1916.

carnalis, et quidem scienter incestuosa. Ergo si facti sunt soli tactus impudici, aut si copula quidem habita est sed sine scientia incestus, peccatum non est reservatum.

d) *Certum.*

Ergo si peccatum fuit dubium vel dubie mortale, non est reservatum.

423 **Ignorantia reservationis.** Celebris est quaestio, num incurratur reservatio ab illo, qui commisit quidem peccatum, sed cum ignorantia non graviter culpabili reservationis.

Respondetur cum distinctione: negative, si agitur de *censuris* reservatis a iure communi; affirmative in *peccatis*, quae episcopus iure proprio sibi reservat, nisi tamen ipse aliter statuerit.

Prima pars responsionis hodie communissime a theologis docetur, saltem si ipsa censura ignoratur sine gravi culpa [1].

Ratio est, quia censura non plectuntur nisi *contumaces*, i. e. scienter legem ecclesiasticam transgredientes [2]. — Sin autem episcopus ipse (proprio iure) peccatum cum censura sibi reservat, quod raro accidit, tunc attendenda est intentio ipsius episcopi, a quo unice dependet, utrum velit ignorantes ligare necne.

Altera pars responsionis non est quidem certa, sed probabilior, ideoque reservatio a) peccati, quod episcopus sibi reservat *sine censura;* b) peccati calumniosae denuntiationis confessarii, in quantum est *peccatum* S. Sedi reservatum; multo probabilius incurritur etiam ab ignorantibus hanc reservationem.

Ita S. Alphonsus [3]. Ratio autem est, a) quia reservatio non tantum est poena medicinalis, sed est etiam (et quidem principaliter) *ligamen confessarii*, cuius iurisdictio in isto casu limitatur; b) quia reservatio videtur esse ad instar legis irritantis aut inhabilitantis, a qua nulla ignorantia excusat [4]. Unde in praxi poenitens, qui commisit tale peccatum episcopo reservatum, non est a simplici confessario absolvendus, nisi adsit casus necessitatis [5]. Aliquando tamen episcopus ignorantes tacite vel expresse eximit a reservatione. Tacita exemptio admitti potest, si episcopus permittit, ut in suo seminario doceatur sententia de ignorantia excusante. In praxi hodie omnes fere episcopi explicite declarant, utrum velint ignorantiam reservationis excusare necne. Sic e. g. episcopi Trevirensis, Argentinensis, Brixinensis, Lausannensis, Basileensis, Sangallensis, Curiensis etc. declaraverunt ignorantiam non excusare: econtra archiepiscopus Coloniensis, episcopus Sedunensis etc. declaraverunt eam excusare. Quare attendenda est hac in materia praxis uniuscuiusque dioecesis. Ceterum praecipit Cod. iur. can. c. 899,§ 1, ut Ordinarii quo meliore iis videatur modo curent ut deducantur reservationes ad certam fidelium notitiam.

---

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 2229. Si quis autem sciens censuram ignorabat eam esse reservatam, probabilius reservationem incurrit. Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 580.

[2] Cf. infra in tractatu de censuris.

[3] Theol. mor. l. 6, n. 581.

[4] Cod. iur. can. c. 16, § 1.

[5] Cf. infra n. 427.

§ 6.

De absolutione a casibus reservatis.

I. **In articulo vel etiam periculo**[1] **mortis** *omnis reservatio* 424
cessat, ita ut quilibet sacerdos (etiam praesente confessario facultatem habente[2]*) possit absolvere a quolibet peccato et a quavis censura.*

Sic enim statuit Concilium Tridentinum[3]: «Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.»

Si tamen huiusmodi moribundus postea reconvaluerit, tunc, si fuit absolutus a *censura specialissimo modo Romano Pontifici reservata,* tenetur infra mensem sub poena reincidentiae in eandem censuram sive per se sive per confessarium recurrere ad S. Poenitentiariam eiusque mandatis oboedire, vel denuo absolutionem petere ab habente facultatem absolvendi ab huiusmodi censuris[4]. Hic ultimus agendi modus sane praestat, si talis confessarius facile inveniri potest. — Moribundus, qui absolutus est *a quocumque alio casu* (et notanter a peccato Summo Pontifici reservato sine censura), iam ad nullum recursum tenetur.

Nota. Per se patet recursum semper esse necessarium:

a) Si agatur de censura lata *ab homine,* quia tunc nequit absolutio definitiva dari nisi ab ipso, qui tulit censuram, aut ab eius superiore aut successore aut specialiter delegato.

b) Si agatur de *censuris notoriis,* quia tunc scandalum est reparandum, prout legitimus superior determinaverit.

II. **Extra articulum mortis** statuta sunt diversa, prout agitur de absolutione casuum papalium vel episcopalium.

1. **Absolutio casuum papalium.** 425

a) *Cardinales* ex privilegio concesso atque ad modum praerogativae ipsi dignitati cardinaliciae adnexo absolvere possunt ubique terrarum quoslibet poenitentes a quibuslibet peccatis et censuris, exceptis tantum

---

[1] Periculum mortis censetur quicumque casus, in quo probabiliter timetur pro vita licet postea innotescat talem timorem a parte rei non adfuisse. Tale periculum mortis exsistit e. g. in gravi infirmitate, in partu difficili, in proelio instante, in statu bellicae convocationis. Ad quaesitum episcopi Virdunensis: «Utrum miles quicumque in statu bellicae convocationis seu, ut aiunt, mobilisationis constitutus, ipso facto aequiparari possit iis, qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis *obvio sacerdote* possit absolvi?» respondit S. Poenitentiaria d. 18 Martii 1912 et d. 29 Maii 1915: «Affirmative, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas» (Act. Ap. Sed. VII 282).

[2] Cf. S. Offic. d. 29 Iulii 1891: «Non sunt inquietandi, qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus.» Ex quibus verbis haud obscure cernitur huiusmodi absolutionem simplicis sacerdotis non solummodo esse validam, sed etiam licitam accedente rationabili causa (cf. Cod. iur. can. c. 882).

[3] Sess. 14, c. 7 de poenit. (*Denz.* n. 903).

[4] Cod. iur. can. c. 882 et 2252.

censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii[1].

b) *Episcopi* vel *Ordinarii* possunt *in casibus occultis* per se aut per alium remittere omnes poenas et censuras latae sententiae iure communi statutas, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis[2].

c) *Quilibet confessarius in casibus urgentioribus,* in quibus absolutio differri nequeat sine poenitentis gravi incommodo, potest directe absolvere ab omnibus casibus papalibus, ea lege tamen, ut absolutus teneatur sub poena reincidentiae sive per se sive per confessarium recurrere *infra mensem* (30 dies) vel ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum habentem speciales facultates, vel novam petere absolutionem a confessario habente potestatem absolvendi ab his casibus. Si tamen iste recursus est *moraliter impossibilis,* iam simpliciter aufertur censura sine ulla alia obligatione[3].

Casus huiusmodi urgentiores sunt e. g., quando omnia parata sunt ad nuptias, quae proinde differri nequeunt, et alteruter sponsus confitetur peccatum reservatum; vel si sacerdos complicem suum absolvit nec potest abstinere a Missa dicenda. Censetur etiam ratio sufficiens et casus urgentior, si esset durum pro poenitente permanere in statu peccati mortalis per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis[4], e. g. per duos aut etiam per unum diem.

Superiores et confessarii regulares ex iure communi iam nullam specialem facultatem habent in absolutione casuum papalium relate ad poenitentes non ad proprium ordinem pertinentes[5]. Quaenam sit eorum potestas ex iure particulari aut ex speciali indulto, dependet ex privilegio obtento.

426 **Notanda circa recursum.** *α*) Recursus ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum habentem speciales facultates potest fieri vel ab ipso poenitente vel ab aliquo confessario, quem poenitens elegerit.

β) Si recursus fit ad episcopum aut eius vicarium generalem, ante omnia curandum est, ne sigillum sacramentale violetur.

γ) Non sufficit recursus ad confessarium privilegiatum, qui habet facultatem absolvendi a casibus papalibus[6]. Attamen nihil obstat, quominus poenitens talem confessarium adeat, peccatum reservatum confiteatur et absolutionem ab illo recipiat. Qua obtenta iam non tenetur poenitens postea stare aliis mandatis supervenientibus ex parte superioris, ad quem forte factus est recursus[7].

---

[1] Cf. infra n. 494. [2] Cod. iur. can. c. 2237, § 2.

[3] Ita S. Offic. d. 23 Iunii 1886; 19 Aug. 1891; 9 Nov. 1898; 5 Sept. 1900; 6 Sept. 1909; Cod. iur. can. c. 2254. Casus papales hic intelliguntur: omnia Summo Pontifici reservata peccata, censurae et eae irregularitates, quae sequuntur harum censurarum violationem.

[4] S. Offic. d. 16 Iunii 1897. [5] S. Poenit. d. 5 Dec. 1873.

[6] S. Offic. d. 19 Dec. 1900. [7] Cod. iur. can. c. 2254, § 2.

δ) Si recursus est moraliter impossibilis, quod solet accidere in missionibus, exercitiis aliisque casibus, quando poenitens laicus sine gravi incommodo nequit redire ad eundem confessarium, tunc absolutio dari potest absque obligatione recursus. Tunc autem confessarius duo debet observare: 1. debet iniungere de iure iniungenda, e. g. reparationem damni aut scandali forsan orti, vitationem proximae occasionis peccandi etc.; 2. debet imponere pro censura incursa specialem poenitentiam et satisfactionem, et quidem peragendam intra congruum tempus a confessario determinatum sub poena reincidentiae in censuram[1]. Poenitens autem sacerdos numquam excusatur a recursu, quia ipse facile potest Romam scribere et responsum petere sub ficto nomine[2].

ε) Etsi non est prorsus necessarium, tamen multo melius est ad S. Poenitentiariam scribere litteras latino idiomate, huius vel similis tenoris:

Eminentissime Princeps. Titius contraxit censuram specialissime Sedi Apostolicae reservatam propter attentatam absolutionem unius complicis, quod ter fecit. Pariter contraxit irregularitatem, quia violavit censuram exercendo sacros ordines. Sed ab hoc delicto et adnexa censura nunc prima vice absolutus est. Cum enim absolutio differri non potuisset propter infamiam vitandam, et Titius aliunde rite dispositus esset, absolutionem recepit. Nunc vero se sistit ad oboediendum Ecclesiae mandatis. Responsum velit Eminentia Vestra mittere ad confessarium infra scriptum.

Fribourg (Suisse) N. N. parochus
Rue de Romont 10
die 1 Martii 1922.

Exterior inscriptio litterarum: All' Eminentissimo Cardinale Penitenziere Maggiore. Palazzo del Sant' Uffizio. Roma. — Melius est, etsi non sit necessarium, includere in litteris expensas postales, quae necessariae sunt pro responsi expeditione. Ipsum autem responsum semper gratis conceditur a S. Poenitentiaria.

2. Absolutio casuum episcopalium. 427

Imprimis distinguendi sunt casus, qui *a iure* episcopis reservantur (sc. novem infra n. 522 allati), a casibus, quos episcopus sibi *propria auctoritate* reservat. Inter hos ultimos iterum distinguendi sunt casus, qui sunt reservati *cum censura* ab iis, qui *ut peccata* reservantur.

a) Casus, qui *ex iure* episcopo reservantur *cum censura*, possunt absolvi sicut casus papales (non speciali modo reservati). Ita sententia solide probabilis et in praxi tuta, nisi episcopus aliter determinaverit.

Ergo in articulo mortis sine ulla ulteriore obligatione; in casibus autem urgentioribus sub poena reincidentiae, nisi infra mensem recursus ad episcopum fiat. Ratio huius solutionis est responsum S. Officii d. 23 Iunii 1886, quod praxim veterem de absolutione casuum reservatorum penitus mutavit, et quod confirmatum est in Cod. iur. can. c. 2254. Ibi enim censurae omnes indiscriminatim absolvendae indicantur.

Sententia probabilior et tuta in praxi docet *confessarios regulares mendicantes* omnesque illos, qui participant privilegia mendicantium, posse ab-

[1] Cod. iur. can. l. c.
[2] S. Offic. d. 3 Iunii 1899; Cod. iur. can. c. 2254, § 3.

solvere a casibus ex iure episcopo reservatis [1]; sed regulares non possunt sine speciali facultate obtenta absolvere a casibus, quos episcopus *propria auctoritate* sibi reservavit [2].

b) Casus, quos *proprio iure* episcopus sibi reservat [3] (sive cum censura sive non) absolvi possunt:

a *simplici confessario*, α) quoties facultas nequit peti a legitimo superiore absque gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis, β) quando tales casus accusantur ab aegrotis, qui domo excedere non valent, aut γ) a sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa, δ) quando a legitimo superiore denegata fuerit facultas absolvendi petita pro aliquo casu determinato, ε) extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit [4].

a *Missionariis* tempore, quo sacras Missiones ad aliquem populum haberi contingit. Idem videtur valere de tempore exercitiorum spiritualium, quae aequiparantur Missionibus.

a *parocho aliisque, qui nomine parochi in iure censentur* toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili.

a *Canonico poenitentiario et vicariis foraneis* (vulgo decanis ruralibus). Canonico enim isti facultas absolvendi competit ipso iure; vicariis autem foraneis committenda est per episcopum, qui iis concedat etiam licentiam hanc facultatem subdelegandi in proprio districtu, pro casu particulari [5].

428 **Nota.** 1. Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo S. Sedi reservata [6]. Immo etiam absolutio a peccato valet; nam, si quis fuit a censura absolutus, reservatio peccati penitus cessat [7]. Idem creditur, si confessarius ignorans absolvit a *peccato reservato sine censura*.

2. Poenitens, qui *ex inculpabili oblivione* omisit peccatum reservatum in confessione apud confessarium privilegiatum instituta, valide absolutus est. Tenetur tamen postea in confessione manifestare peccatum omissum, quod autem non iam est reservatum. Ratio est, quia confessarius privilegiatus censetur absolvere poenitentem rite dispositum. Iamvero poenitens inculpabiliter obliviscens peccatum reservatum, fuit rite dispositus. Ergo absolutus est ab omni peccato etiam reservato. Idem videtur dicendum, si hoc modo confessio facta est apud confessarium simplicem, nisi tamen agatur de censura specialissime S. Sedi reservata [8]. Aliter res se habet, si poenitens *sacrilege* confessus est: Si enim peccatum reservatum sacrilege *reticuit*, illud non est remissum [9]; sin autem peccatum reservatum candide manifestavit et sacrilegium *ob aliam causam* commisit, reservatio ipsa videtur esse ablata, cum habens

[1] Cf. nostrum Man. iur. can.[8] q. 245 (c).
[2] Clementis X Const. «Superna» d. 21 Iunii 1670.
[3] Vocantur aliquando *a Nobis* reservati.
[4] Cod. iur. can. c. 900.
[5] Ita Instructio S. Offic. d. 13 Iulii 1916, n. 7 supra citata et Cod. iur. can. c. 899, § 2.
[6] Cod. iur. can. c. 2247, § 3.
[7] Ib. c. 2246, § 3.
[8] Ib. c. 2249, § 2.
[9] Ib.

facultatem absolvendi de illa rite iudicaverit et satisfactionem congruam imposuerit. In sequenti igitur confessione poenitens debet repetere totam accusationem et fateri sacrilegium commissum, sed iam a simplici confessario absolvi potest. De hac re optime dicit S. Alphonsus[1]: «Alius est finis confessionis, alius reservationis. Finis confessionis est, ut remittatur peccatum; finis autem principalis et directus reservationis est, ut huiusmodi peccata reservata committentes subiciantur iudicio superioris. Ergo cum subditus peccatum suum superiori defert et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, iam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. Quod autem peccator ex tali iniquitate commodum reportet, hoc per accidens evenit. Nam licet superior ex voluntate interpretativa nollet auferre reservationem, si sacrilegium agnosceret, tamen ex voluntate actuali tunc iam vult auferre.» — Excipitur, si quis *tempore iubilaei* sacrilege confessus est peccatum reservatum confessario simplici; nam tempore iubilaei solummodo illi poenitentes fruuntur privilegio absolutionis recipiendae a quocumque confessario, qui volunt adimplere omnia, quae praescribuntur ad lucrandum iubilaeum. Porro imprimis praescribitur confessio bona. Ergo propter confessionem sacrilegam poenitens amittit omnes gratias omniaque privilegia iubilaei.

3. Confessarius, qui scienter sine necessitate absolvit a casibus reservatis, de quibus absolvendi facultatem non habet, graviter peccat, cum quia legem gravem Ecclesiae laedit, tum quia sacramentum poenitentiae exponit nullitati; immo si praesumeret illegitime absolvere a casibus specialissimo vel speciali modo Summo Pontifici reservatis, incurreret excommunicationem Papae simpliciter reservatam, ut infra n. 520 in tractatu de censuris dicetur.

De absolutione peregrinorum a casibus reservatis specialis difficultas fuit. Hodie tamen regula generalis unice vera est haec: *Peregrini prorsus eodem modo absolvuntur sicut indigenae.* 429

Ita praesertim «Vindiciae Alphonsianae» p. 552 recte docuerunt contra impetus Ballerinianos. Si agitur de *casibus papalibus,* omnes theologi admittunt hanc regulam, cum tunc habeatur iurisdictio delegata ab ipso Summo Pontifice, qui est superior aeque indigenarum ac peregrinorum. Sin vero agitur de casibus episcopalibus, olim inter auctores fuit magna dissensio. Communior autem et vera sententia, quae etiam in praxi observatur, docet iurisdictionem tunc esse delegatam *a iure* atque limitatam iuxta facultates concessas ab episcopo loci, ubi confessio instituitur. Proinde confessarii iam non solent quaerere e poenitentibus, utrum sint indigenae an peregrini, sed quemlibet tractant sicut indigenam. Unde e. g. Petrus peregrinus e dioecesi A., ubi peccatum sodomiae est reservatum, confitens hoc peccatum in dioecesi B., ubi hoc peccatum non est reservatum, valide et licite a simplici confessario semper absolvitur[2]. Econtra si idem peccatum non est reservatum in dioecesi A., sed in dioecesi B., Petrus confitens in hac dioecesi B. non potest absolvi a simplici confessario, quippe cuius iurisdictio ab episcopo dioecesano

[1] Theol. mor. l. 6, n. 598.

[2] Haec doctrina hodie definita est a S. Officio statuente: «A peccatis in aliqua dioecesi reservatis absolvi possunt in alia dioecesi, ubi reservata non sunt, a quovis confessario sive saeculari sive regulari, etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint.» Instructio d. 13 Iulii 1916 supra citata. Ergo poenitentes possunt valide et licite absolvi a peccatis reservatis, quamvis in fraudem legis confitendi causa migraverint in aliam dioecesim (Cod. iur. can. c. 900, § 3).

limitata sit quantum ad peccatum sodomiae. Ratio est, quia poenitens habetur ut reus. Porro reus apparens in tribunali non iudicatur iuxta leges patriae, sed iuxta leges tribunalis, ubi comparet. Peregrinus igitur tenetur reservationibus loci, ubi confitetur [1].

430 **Notanda in praxi.** 1. Confessarius audiens casum S. Sedi vel Ordinario *a iure* reservatum imprimis investiget, num omnes condiciones pro reservatione requisitae adsint, scil. scientia censurae, peccatum grave, externum, consummatum, certum. Quodsi manet aliquod fundatum dubium, casus non est reservatus. Sin autem omnes condiciones requisitae adsunt, tunc investigandum est, num sit casus urgentior necne. Si non est casus urgentior, poenitens nequit absolvi, sed vel ad alium confessarium privilegiatum est mittendus, vel prius petenda est facultas absolvendi. Sin vero est casus urgentior, tunc poenitens monendus est de reservatione et de obligatione infra mensem recurrendi ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum. Si promittit se oboedientiam praestiturum esse, absolvi potest; secus non. Potest tamen poenitens etiam se sistere alii confessario facultates speciales habenti et absolutionem petere. Quando poenitens illa, quae a S. Poenitentiaria iniuncta sunt, non implet, peccat quidem, sed censuram denuo non incurrit. Quid autem dicendum, si poenitens non obstante firma promissione non redit ad audienda mandata S. Poenitentiariae vel episcopi? Si hoc facit *ex culpabili negligentia,* videtur denuo censuram incurrere, quia parvi pendit recursum graviter praescriptum, qui non perficitur, donec poenitens mandata acceptaverit [2]. Sin autem ad confessarium non potuit redire sine magno incommodo, recursus videtur evasisse moraliter impossibilis ac proinde amplius non obligare et censura esse absolute sublata.

2. Confessarius audiens aliquod peccatum, quod *episcopus proprio iure sibi reservavit,* semper fere potest absolutionem concedere poenitenti rite disposito, quippe cui semper fere oriatur grave incommodum ex absolutionis dilatione. Insuper saepe adsunt aliae supra relatae causae, propter quas reservatio episcopalis cessat.

ARTICULUS II.

De confessarii officiis et obligationibus.

431 Quadruplex est munus confessarii, scil. iudicis, doctoris, medici, patris. Praecipuum autem eius munus est officium *iudicis*, cum sacramentum poenitentiae sit a Christo institutum per modum iudicii. Quoniam iudicium sacramentale non est iudicium condemnatorium, sed liberativum et in utilitatem poenitentis, confessarius debet paterno affectu poenitentem tractare, tamquam bonus medicus eius vulnera curare et tamquam doctor eius ignorantiam expellere. Confessarius exercens suum munus prae oculis habere debet a) *honorem Dei,* ac

[1] Pontificia Commissio d. 24 Nov. 1920 (Act. Ap. Sed. XII 575).

[2] Cf. *De Smet,* De casibus reserv. n. 56.

proinde bonum sacramenti, ita ut magna diligentia non tantum validitatem, sed etiam liceitatem sacramenti procuret; b) *bonum poenitentis*. Nam sacramenta sunt propter homines.

Ut autem de omnibus officiis confessarii perspicuo ordine disseramus, agemus 1. de eius officiis ante actum confessionis; 2. in ipso actu confessionis; 3. post confessionem.

§ 1.

De officiis confessarii ante confessionis actum.

Confessarius debet se praeparare ad audiendas confessiones comparando sibi 1. *scientiam sufficientem*, 2. *prudentiam necessariam*, 3. *virtutes christianas*.

1. Scientia confessario necessaria. 432

S. Alphonsus dicit[1]: «Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit.» Ratio est, quia secus confessarius se exponit proximo periculo male fungendi tam venerabili sacramento cum magno damno poenitentium. Unde Christus dicit: «Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.»[2]

Sufficiens illa scientia censetur, quae sacerdotem aptum reddit ad digne et fructuose administrandum sacramentum. Proinde non aequalis scientia requiritur in omnibus confessariis. Sic in casu gravis necessitatis quilibet sacerdos habet sufficientem scientiam, praesertim cum hodie nemo ad sacerdotium admitti soleat, qui non saltem per quadriennium studiis theologicis operam navaverit. Sed etiam extra casum necessitatis confessarius audiens confessiones in humili pago, ubi poenitentes numquam fere difficiles casus afferunt, non eget tanta scientia, quanta opus est confessario audienti confessiones in magnis urbibus, ubi cuiuscumque generis poenitentes solent convenire. Tamquam regula generalis haberi potest: *Ille confessarius praeditus est sufficienti scientia, qui scit casus communiter contingentes solvere et de difficilioribus prudenter dubitare*. Confessarius non tenetur de singulis peccatis semper iudicare, utrum sint mortalia an venialia, cum hoc sit aliquando revera impossibile.

Ad sufficientem scientiam theologiae moralis habendam non sufficit, ut confessarius semel subierit bonum examen, sed tenetur etiam semper semperque scientiam acquisitam novo studio conservare et augere. Nam quolibet anno novae eduntur decisiones Romanarum Congregationum, quae attendendae sunt a confessario. Hoc autem impossibile est, si confessarius non est assiduus in studio. Nec dicatur plane sufficere sanum sensum seu naturalem prudentiam ad casus solvendos, quia tot positivae leges in materia sacramentorum, iustitiae, praeceptorum etc. applicandae sunt, ut naturalis prudentia prorsus non sufficiat. Neque etiam sufficit sola experientia, nam nisi continuum studium dirigat experientiam, necessario committuntur multi errores. Unde recte quis dixit: «Diuturna experientia confessarii, qui studio et scientia careat, vetustas erroris est», et Benedictus XIV dicit[3], «aliquos sacerdotes, qui initio praeclarissime confessarii munus susceperint, inde post diuturnum tempus omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis theologiae scientiam

---

[1] Praxis confess n. 18. [2] Mt 15, 14.
[3] Instit. 32, n. 4.

amittere, ita ut, qui in eiusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua confusaque ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi vix inter tirones adnumerentur». Quae cum ita sint, peccat confessarius, qui per longum tempus negligit studium theologiae moralis, quoniam se exponit proximo periculo committendi graves errores et nocendi poenitentibus. — Ad fovendam scientiam moralem in sacerdotibus ius ecclesiasticum praescribit, ut saepius in anno habeantur collationes seu conferentiae pastorales, in quibus de rebus moralibus tractatur [1].

433 2. **Prudentia** accedat scientiae oportet.

Nam ars artium est regimen animarum. Prudentia est recta ratio agibilium, i. e. eligit optima media ad finem obtinendum. Iamvero finis a confessario obtinendus est imprimis salus animarum. Quapropter confessarius curet, ut unicuique poenitenti apta media salutis consulat praescribatque. Hoc autem impossibile est, si confessarius non cognoscit indolem cuiusque poenitentis. Sit ergo confessarius prudens a) *in interrogationibus faciendis,* praesertim in rebus, quae sextum Decalogi praeceptum attinent; b) *in iudicio ferendo,* in quantum attente considerat omnes circumstantias cum peccatorum tum peccantis; c) *in remediis suggerendis;* d) *in consiliis dandis;* e) *in satisfactionibus imponendis.*

Media, quibus prudentia acquiritur, sunt praecipue a) *oratio;* quare optime agit confessarius, qui ante administrationem sacramenti poenitentiae devote dicit orationem supra n. 329, nota 2, allatam; b) *puritas intentionis,* quae soli Deo placere studet, non autem hominibus; Deus enim illuminat eos, qui nihil quaerunt nisi res divinas; c) *docilitas mentis,* quae praesertim iunioribus confessariis necessaria est, et quae postulat, ut in difficilioribus casibus confessarius quaerat consilium virorum sapientium; serio autem caveat, ne laedatur sigillum.

434 3. **Virtutes christianae** perquam necessariae sunt pro salutifero exercitio muneris confessarii.

Confessarius non tantum ipse debet esse in statu gratiae sanctificantis, verum etiam opus est poenitentes dirigere in via virtutum. Porro qui non ex propria experientia sed ex theoria tantum cognoscit viam virtutis, non solet esse dux aptus. Praecipuae virtutes, quae decent confessarium, sunt:

a) *Ardens zelus animarum,* qui urget illum, ita ut omnibus omnia fiat.

b) *Patientia indeficiens,* quae sane necessaria est ad rudes instruendos, ad tepidos excitandos, ad insufficienter paratos adiuvandos.

c) *Fortitudo,* quae non timet monere opportune importune divites et magnates, si hoc est necessarium.

d) *Eximia puritas.* Etenim etiam nostris diebus «caro corruperat viam suam super terram» [2]. Saepissime confessarius audire debet foedissima peccata. Quodsi tunc eius mens non sit castissima, pravi motus surgentes eum alliciunt ad consensum. Praesertim autem in mulierum confessionibus audiendis omni prudentia et puritate opus est, quia secus grave periculum oritur et pro ipso confessario et pro poenitentibus.

---

[1] Cod. iur. can. c. 131 448 591. [2] Gn 6, 12.

§ 2.

De officiis confessarii in actu confessionis.

435 1. Primum officium, quod incumbit confessario in actu confessionis, est *recte iudicare* cum de peccatis auditis, tum de absolutione danda vel recusanda.

Ad recte iudicandum non solum requiritur sufficiens scientia Theologiae moralis, verum etiam *integritas* confessionis. Proinde monet Rituale Romanum[1]: «Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.» Interrogatio autem semper debet esse: a) *Moderata,* quia nimiae interrogationes solent exasperare poenitentem et invidiam curiositatis confessario impingere. b) *Discreta et prudens* tam de rebus, de quibus interrogatur, quam in modo interrogandi. Debet confessarius omnia vitare, de quibus poenitentes iuste scandalizari possent[2]. c) *Opportuna.* Generatim non expedit interrogare poenitentem *ante* omnino finitam accusationem, quia secus facile peccata ex oblivione omittuntur. Si tamen confessarius percipiens poenitentem tam imperfecte se accusare, ut tot quaestiones sint necessario ponendae, quot non valet memoria retinere, potest etiam durante accusatione interrogare poenitentem.

436 2. Alterum officium confessarii est *docere et monere poenitentem.*

Confessarius *docere* debet poenitentem eas veritates, quae necessariae sunt ad sacramentum rite suscipiendum; ergo non solum veritates, quae sunt necessariae necessitate medii, sed etiam ea omnia, quae necessario pertinent ad contritionem, propositum, confessionem, satisfactionem etc. Per se patet rudes poenitentes non egere perfecta omnino cognitione harum veritatum, sed sufficere, ut pro eorum captu saltem substantiam cognoscant. Aliquando confessarius tenetur quoque instruere poenitentes de officiis status, e. g. de obligationibus coniugum.

Si poenitens ex erronea conscientia iudicat, aliquid esse peccatum, quod revera non est tale, aut grave peccatum, quod reapse est leve, instruendus est; nam talis error est valde nocivus poenitenti. Sin autem poenitens putat aliquid esse *licitum,* quod revera est illicitum, aut aliquid esse leve peccatum, quod revera est grave, tunc distinguendum est: Si talis ignorantia est *vincibilis et culpabilis,* poenitens instruendus est, quia iam peccat ex eo, quod non expulit istam ignorantiam. Sin vero talis ignorantia est *invincibilis,* instruendus est poenitens, quoties inde speratur bonus fructus; nam secus poenitens committeret peccatum materiale, quod non licet permittere sine gravi causa. Quotiescumque autem ex instructione prudenter metuuntur maiora incommoda sive pro ipso poenitente sive pro tertia persona sive pro communitate, poenitens potest et debet relinqui in bona fide; secus enim ex peccatis materialibus fierent peccata formalia. Iste casus aliquando accidit in matrimonio putativo. Si enim sunt in bona fide putativi coniuges, quorum coniunctio neque dissolvi neque in legitimum matrimonium mutari potest, praestat, ut relinquantur in bona fide.

Monere debet confessarius poenitentem de obligationibus necessario implendis, e. g. de restitutione facienda, de proxima occasione vitanda etc.

---

[1] Tit. 3, c. 1, n. 13. [2] Cf. Cod. iur. can. c. 888, § 2.

437 3. Tertium officium confessarii est *disponere poenitentem ad veram contritionem et emendationem.*

De hac re monet Rituale Romanum[1]: «Et [confessarius] ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.» Si confessarius prudenter iudicat, poenitentem esse bene dispositum, ad nihil aliud stricte tenetur nisi ad absolutionem dandam, sed semper fere expedit omnibus innuere aliquod motivum contritionis et boni propositi. Si confessarius *dubitat* de sufficienti contritione poenitentis, non potest illum absolvere, nisi antea eum rite disposuerit. Quam obligationem esse gravem docet S. Alphonsus[2] dicens: «Quocirca nescio, quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint poenitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica praemissa diligentia ad eum curandum. Dico enim, quod confessarius tenetur ex rigorosa obligatione caritatis eum disponere, quantum valet.»

Cum confessarius non tantum sit iudex et doctor, sed etiam medicus, debet causam morbi spiritualis investigare et deinde apta emendationis remedia praescribere, e. g. sacramentorum poenitentiae et eucharistiae frequentem receptionem, orationes determinatas, fugam occasionis, quasdam mortificationes etc.

438 4. Quartum officium confessarii est *absolutionem dare aut denegare aut differre.*

Circa quae sequentia notanda sunt:

a) Absolutio *danda est* poenitenti rite confesso et disposito, qui eam hic et nunc petit, seu qui non facile consentit in dilationem[3].

Etenim confessarius poenitentis confessionem libere excipiendo iniit quasi-contractum dandi absolutionem, si poenitens est rite dispositus. Unde si audita confessione poenitentis rite dispositi negat absolutionem, frangit contractum et graviter peccat, saltem si inde poenitens cogitur remanere in statu peccati mortalis et hoc aegre fert. Ex iusta causa, e. g. medicinae vel experimenti causa, potest aliquando absolutio ad *breve tempus* differri etiam bene disposito et consentienti, ut infra dicetur, quia hoc aliquando utile esse potest poenitenti. Sic etiam in antiqua Ecclesia absolutio interdum dilata est poenitentibus.

b) Absolutio *deneganda est* iis, qui *certo* sunt indigni aut incapaces.

Ratio est, quia tunc certo frustraretur sacramentum, quod nec in extrema necessitate licet. — *Indigni* seu indispositi sunt, qui carent vera contritione et sincero firmoque proposito, e. g. qui nolunt relinquere voluntariam occasionem proximam peccandi; qui nolunt graves inimicitias aut odium proximi deponere; qui nolunt restitutionem necessariam peragere, quamvis id possint; qui nolunt auferre scandalum, quod praebent aliis; qui recusant relinquere artes seu occupationes graviter peccaminosas etc. *Incapaces* absolutionis sunt e. g. non-baptizati, mortui, perpetuo amentes, absentes etc.

Quotiescumque confessarius debet denegare absolutionem, ne adhibeat verba aspera, sed benigno et tranquillo modo manifestet poenitenti rationem,

---

[1] Tit. 3, c. 1, n. 17. [2] Theol. mor. l. 6, n. 608.
[3] Cod. iur. can. c. 886.

cur absolutio concedi non possit. Insuper confessarius prius conetur prudenti diligentia disponere poenitentes imparatos, et solum post inutiles conatus deneget absolutionem.

c) Absolutio *differri debet*, si poenitentis dispositio est *plane dubia* nec adest causa urgens illum condicionate absolvendi; differri *potest* ad breve tempus poenitenti rite disposito, si confessarius recte iudicat hoc esse utile pro eius emendatione, *et si poenitens consentit in dilationem.*

Ratio primae partis est, quia secus sacramentum exponeretur periculo nullitatis, quod profecto non licet nisi in gravi necessitate. Porro censentur dubie dispositi poenitentes, quorum contritio videtur valde suspecta, e. g. recidivi, qui semper cum iisdem peccatis redeunt, neque adhibuerunt remedia a confessario praescripta; poenitentes, qui valde obiter et frigide narrant peccata gravia sine ullo sensu contritionis; qui accedunt ad sacramentum poenitentiae ex consuetudine vel ex timore reverentiali parentum aut dominorum; qui recusant acceptare poenitentiam moderatam et viribus proportionatam etc. In praxi aliquando difficillimum est iudicare de sufficienti poenitentis dispositione. Quando confessarius anceps haeret, utiliter hanc regulam adhibere potest: Si prudenter iudicat dilationem absolutionis fore poenitenti utilem, quippe qui post breve tempus melius dispositus rediturus sit, differat absolutionem; sin autem serio timet, ne poenitens ex dilata absolutione peior evasurus vel ne amplius iam non reversurus sit ad confessionem, (sub condicione saltem) absolutionem impertiat praemissa diligenti adhortatione ad contritionem et firmum propositum. Ceterum sermo redibit de hac re infra, quando tractabitur de recidivis et consuetudinariis.

Ratio alterius partis est, quia poenitens rite dispositus habet quidem ius ad absolutionem, non autem ut *statim* illi absolutio concedatur. Praeterea confessarius ut medicus potest dilatam absolutionem tamquam efficax remedium adhibere ad curandam tepiditatem poenitentis. Talis praxis differendi absolutionem exsistebat in antiqua Ecclesia bonosque fructus protulit. Attamen dilatio sit *brevis*, praesertim si poenitens exsistit in statu peccati mortalis; nam longa dilatio non potest non nocere poenitenti, qui tunc caret multis gratiis. Deinde ne fiat, *nisi poenitens consentiat.* Etenim statuit Codex iur. can. c. 886: «Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est.» Ratio est, quia rarissime producet bonos fructus dilatio absolutionis, si poenitens certo rite dispositus et peccatis mortalibus onustus non consentit in hanc dilationem; contra aliquando valde nociva est.

Sapienter monet S. Alphonsus[1]: «Ceterum unusquisque in hoc puncto impertiendae vel differendae absolutionis dirigere se debet iuxta lumen a Deo sibi donatum. Hoc certum est, quod in hac materia tam errant, qui aequo sunt faciliores, quam qui aequo rigidiores sunt in absolvendo. Utrumque extremum perniciosum: multi enim confessarii ob nimiam facilitatem absolvendi in causa sunt, ut plures animae in perditionem abeant; sed alii ob nimiam rigiditatem non minoris sunt detrimenti. Unde haud scio, utrum confessario minori scrupulo debeat esse, indispositos absolvere, quam dispositos dimittere.»

[1] Theol. mor. l. 6, n. 464.

§ 3.

De officiis ministri post confessionem.

439 Duo sunt officia, quae incumbunt confessario post confessionem, unum *per se,* scil. sigillum servare, aliud *per accidens,* scil. corrigere defectus et errores, si qui occurrerint.

1. **De obligatione corrigendi defectus seu errores.** Error vel defectus potest accidere: a) circa *validitatem* sacramenti, e. g. si confessarius omiserit essentialia verba formae absolutionis; b) circa *integritatem* sacramenti, e. g. si confessarius omiserit interrogare de specie et circumstantiis specificis peccatorum; c) circa *obligationes* poenitentis, e. g. si confessarius omiserit monere de restitutione facienda.

440 a) Circa *valorem sacramenti,* si confessarius erravit, ita ut sacramentum administratum sit nullum, obligatur ad errorem corrigendum. Gravitas autem huius obligationis mensuranda est α) ex gravitate damni secus poenitenti obventuri; β) ex gravitate culpae seu negligentiae, quam commisit confessarius frustrando sacramentum.

Non tantum parochus aliique pastores animarum tenentur *ex iustitia* valide sacramentum administrare rite confesso, verum etiam quilibet confessarius, licet non eodem gradu. Etenim confessarius, qui non est pastor animarum, ex caritate quidem audit confessionem, sed semel audita confessione ex quasi-contractu oneroso ideoque ex iustitia tenetur valide sacramentum administrare. Proinde si hoc non facit, est iniustus damnificator isque *materialis,* si hoc fecit *absque omni culpa* (quod in praxi raro accidit). Quodsi inde grave damnum poenitenti contingit, debet illud praecavere, non tamen cum magno proprio damno. Quando autem *ex propria gravi culpa* frustravit sacramentum et grave damnum intulit, est iniustus damnificator *formalis* et tenetur etiam cum gravi proprio damno malum ortum reparare.

Res clara evadit exemplis. 1. Confessarius audiens in confessione gravia peccata moribundi obliviscitur dare absolutionem. Si confessarius non corrigit istum errorem, magnum damnum occurrit moribundo, quippe qui non sit absolutus, neque certum sit peccata tolli susceptione viatici. Poenitens igitur forsan damnabitur in gehenna, nisi confessarius errorem corrigat. Insuper confessarius vix excusari potest a gravi negligentia, si in tali casu obliviscitur dare absolutionem. Ergo tenetur sub gravi errorem corrigere, si potest. 2. Confessarius obliviscitur dare absolutionem poenitenti peccatis levibus solis onerato. Damnum poenitentis non est ita grave, ac proinde confessarius non tenetur sub gravi errorem corrigere. 3. Confessarius obliviscitur dare absolutionem poenitenti gravibus peccatis onusto, sed cum α) pie credatur talem poenitentem attritum fieri in communione contritum ac recipere remissionem peccatorum; cum β) certo in sequenti confessione peccata ista futurum sit ut absolvantur indirecte, non ita magnum damnum poenitenti contingit, ac proinde confessarius non obligatur cum gravi incommodo corrigere errorem commissum. Nihilominus omnis confessarius sit perquam diligens in praxi, ne umquam errorem committat circa valorem sacramenti.

441 b) Circa *integritatem* confessionis, si confessarius defectum commiserit, distinctione opus est: Vel *negative* se habuit (i. e. omisit interrogare de specie, numero et circumstantiis specificis, vel imponere

poenitentiam) et tunc tenetur quidem intra hanc vel sequentem confessionem defectum reparare, sed ad nihil tenetur *extra* confessionem. Ratio est, quia intra confessionem huiusmodi defectus facile reparatur, non autem extra confessionem. Ex alia autem parte non magnum damnum occurrit poenitenti ex tali omissione, quoniam est valide absolutus, si fuit in bona fide. — Vel *positive* se habuit (i. e. expresse dixit: hoc non est peccatum grave, aut non est necessarium accusare omnia peccata mortalia) et tunc tenetur hunc errorem corrigere tum intra confessionem tum etiam extra illam, prius tamen in hoc ultimo casu obtenta licentia poenitentis loquendi de rebus in confessione auditis. Ratio est, quia confessarius poenitentem in perniciosum errorem culpabiliter induxit.

c) Circa *obligationes* poenitentis, si confessarius defectum commiserit, 442
eadem distinctio adhibenda est: Vel *omisit* monere poenitentem de aliqua obligatione, e. g. de restitutione facienda, de occasione proxima vitanda etc., et tunc ex caritate (et non sub gravi) tenetur errorem corrigere, quia sacramentum est valide administratum, neque magnum damnum ortum est, quod confessarius stricte praecavere debuit. Unde a fortiori confessarius, qui tacuit de obligatione restitutionis faciendae, non tenetur ipse tertiae personae restituere, quia non ex iustitia obligatur ad curandum, ut damnum tertiae personae reparetur[1]. — Vel *positive ac culpabiliter* poenitentem in errorem induxit, e. g. dicendo, illum non teneri ad restitutionem, et tunc ex iustitia tenetur ad damnum causatum reparandum. Est enim iniustus damnificator tamquam consulens damnum. Quando igitur *cum gravi culpa* poenitentem ad restitutionem falso induxerit, vel falso avocaverit, tenetur errorem retractare, et si hoc non fecerit, *debet ipse restituere vel poenitenti vel tertiae personae.* Sin autem confessarius ex levi negligentia erravit, vel si causavit solum parvum damnum, obligatio errorem retractandi et damnum praecavendi aut reparandi non est tanta. Verumtamen in praxi vix a gravi culpa immunis esse potest ille confessarius, qui positive aliquem induxit ad restitutionem falso faciendam aut omittendam. Etenim tunc aut prorsus insufficientem Theologiae moralis scientiam habet aut valde praecipitanter et imprudenter egit. Et nulla est ratio, cur talis confessarius nimiam indulgentiam mereatur.

2. De obligatione sigilli confessionis.

a) **Notio sigilli.** *Sigillum sacramentale seu confessionis est stric-* 443
tissima obligatio servandi secretum de omnibus, quae in ordine ad absolutionem sacramentalem a poenitente dicta sunt, et quorum revelatio redderet sacramentum onerosum vel odiosum. Haec definitio communiter a theologis data amplius explicabitur agendo de subiecto, materia, obligatione, violatione sigilli[2].

---

[1] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 621.

[2] S. Thomas breviter dicit: «Sigillum confessionis nihil est aliud quam debitum confessionem celandi» (4, dist. 21, q. 3, a. 4, sol. 3). De historia sigilli confessionis

b) **Subiectum sigilli** primario quidem est confessarius; secundario autem omnes illi, qui (fortuito vel ex industria, legitime vel illegitime) aliquid ex confessione sacramentali audierunt[1]; non autem ipse poenitens.

Ergo ad sigillum tenentur: homo, qui confessiones excipit fingens se esse sacerdotem[2]; confessarius, qui etiam extra sacramentum poenitentiae de peccatis accusatis consulitur; qui legerit alterius confessionem scriptam, saltem si inveniatur in manibus confessarii aut in stricto loco confessionis, i. e. in loco, in quo sedet confessarius; interpres adhibitus ad confessionem; prope confessionale adstantes, qui casu aut fortuito audiunt ea, quae accusantur; superior, a quo petitur facultas absolvendi a reservatis; consultor, ad quem casus defertur cum venia poenitentis. Ita saltem probabilius[3]. — Ipse autem poenitens non tenetur secreto sacramentali, quia sigillum introductum est in favorem poenitentis, non autem in favorem confessarii. Nihilominus poenitens tenetur ad secretum *naturale* et *commissum* circa ea, quae confessarius illi in confessione dixit, si ex revelatione oriretur confessario damnum. Et revera saepe perquam inconvenienter et illicite agit poenitens, qui loquitur de dictis confessarii, quippe qui ligatus sigillo se nullatenus defendere possit. Nihilominus cum experientia testante poenitentes haud raro loquantur de auditis in tribunali poenitentiae, confessario maxime opus est prudentia, ne quid dicat, quod possit sibi incommodum causare.

444 c) **Obiectum sigilli** seu eius materia sunt: α) omnia peccata mortalia in genere et in specie, atque venialia in specie accusata (nisi aliunde confessario nota sunt); β) ea omnia, quae ratione confessionis sacramentalis cognita fuerunt et quorum revelatio cederet in gravamen poenitentis, e. g. circumstantiae peccatorum, complices, defectus poenitentis.

Non autem sunt materia sigilli ea, quorum revelatio non cedit in gravamen poenitentis nec in odium sacramenti, ut sunt dona et virtutes poenitentis. Tamen etiam ista aliquando sub secreto *naturali* cadunt.

Resolves: 1. Confessarius tenetur ad sigillum, etsi debuit denegare absolutionem poenitenti; nam adfuit confessio sacramentalis, licet sacramentum non fuerit completum. Radix enim, ex qua enascitur sigillum, non est absolutio sacramentalis, sed «poenitentiale iudicium», ut dicit Concilium Lateranense IV[4]. 2. Obiectum sigilli est quoque *poenitentia imposita* (saltem si est gravis), cum ex poenitentia aliquis possit concludere de gravitate peccatorum accusatorum; pariter notitia complicis habita ex confessione; pariter absolutio negata, non autem (ordinarie) absolutio data. Attamen in praxi

---

erudite agit *Bertrandus Kurtscheid* O. F. M., Das Beichtsiegel in seiner geschichtl. Entwicklung, Freiburg 1912.

[1] Cod. iur. can. c. 889, § 2.

[2] De hac re scribit S. Thomas: «Sigillum confessionis competit sacerdoti, in quantum est minister huius sacramenti. . . . Tamen sicut aliquis, qui non est sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem, ita participat de actu sigilli confessionis et tenetur celare, quamvis proprie loquendo sigillum confessionis non habeat» (4, dist. 21, q. 3, a. 1, sol. 3).

[3] Cf. *S. Thom.* l. c. et a. 2 ad 4; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 648.

[4] c. 12, X 5, 38.

confessarius ne dicat aut scribat: talem poenitentem absolvi. Cf. infra n. 447 de schedula confessionis scribenda. 3. Defectus *naturales* poenitentis, e. g. scrupulositas, natales illegitimi etc., sunt materia sigilli, si ex *sola* confessione cognoscuntur, et si poenitens ea celare conatur extra confessionem. 4. Confessarius audita confessione alicuius notorii furis potest quidem loqui de istis furtis utpote iam aliunde sibi aliisque notis; at minime dicere potest: Fur publicus confessus est mihi furta sua. Nam in nullo casu dicere ipsi licet, se aliquid audivisse in confessione [1]. 5. Non est quidem directe contra sigillum, si confessarius dicit: Poenitens ita innocenter vivit, ut vix peccata venialia confiteatur, quia quilibet homo committit peccata venialia; attamen huiusmodi quoque locutiones vitandae sunt, sicuti etiam narrationes de virtutibus et donis poenitentis, quia secus aliqua indirecta violatio sigilli facile accidere potest, ac insuper, quia poenitentes solent aegre ferre tales narrationes. 6. Non est contra sigillum sacramentale, si confessarius in processu canonizationis testificatur de sanctitate sui poenitentis. Tale enim testimonium neque est in gravamen poenitentis, cum post eius mortem detur, neque reddit confessionem odiosam. Attamen scite statuit Codex iur. can. c. 1757, § 3, n. 2: «Incapaces (ad testimonium ferendum) sunt sacerdotes, quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint.» 7. Confessarius non tenetur ad sigillum, si poenitens non sacramentaliter confitendi causa, sed *ex alio motivo* peccata sua narravit, e. g. ad tentandum confessarium, ad eius subsidium consiliumve obtinendum, ad eum diridendum etc. Ratio est, quia *sola confessio sacramentalis est radix, ex qua oritur obligatio sigilli sacramentalis.*

Nota. Extra confessionem nec cum ipso poenitente potest confessarius licite loqui de peccatis confessis, *nisi praehabita licentia poenitentis,* prorsus libere concessa; in ipsa autem confessione confessarius potest loqui etiam de peccatis in anterioribus confessionibus declaratis. Quando poenitens propria sponte loquitur extra confessionem de peccatis suis, eo ipso dat confessario licentiam loquendi de iisdem peccatis, non autem de aliis antea declaratis.

d) **Obligatio sigilli,** quae oritur ex triplici fonte, nempe ex iure 445
cum naturali tum divino tum ecclesiastico, est strictissima, ita ut nullam admittat parvitatem materiae neque exceptionem.

Ius naturale exigit sigillum, quia poenitens peccata sua non manifestat nisi sub condicione secreti. Intercedit igitur quasi-contractus inter poenitentem et confessarium. Deinde ex laesione sigilli saepe oriretur poenitenti magnum damnum. Ergo ius naturale exigit sigillum. Attamen ex iure naturali nequit stricte probari sigillum nullam admittere *exceptionem,* licet id sequenti argumento aliqualiter ostendi possit [2]: Confessarius, qui violat sigillum confessionis, *mentitur.* Atqui numquam licet mentiri. Ergo numquam licet violare sigillum confessionis. Confessarius, qui violat sigillum, videtur mentiri; quia is, qui affirmat aliquid, quod nescit, committit mendacium. Iamvero confessarius scit peccata non ut homo, sed ut vicarius Dei. Quando autem narrat ea, iam non agit ut vicarius Dei, cum hoc sit blasphemia, sed ut homo. Porro ut homo nescit peccata, ac proinde si loquitur de iis, dicit aliquid, quod nescit, ideoque mentitur.

[1] Cf. *S. Thom.,* Suppl. q. 11, a. 5 ad 2.
[2] Hoc argumentum impugnatur a Scoto.

Ius divinum non quidem explicitum sed implicitum exigit sigillum. Nam licet Christus nihil explicite determinaverit circa sigillum sacramentale, tamen instituens sacramentum poenitentiae *per modum iudicii,* in quo fideles tenentur accusare propria peccata, implicite instituit sigillum. Et revera, si strictissima obligatio sigilli non exsisteret, confessio saepe evaderet odiosa, scandalosa ac vere nociva. Si enim manifestarentur peccata in confessione audita, fama poenitentis periclitaretur, saepe illi oriretur magnum damnum, pax socialis et familiaris periret. Ergo Christus instituens confessionem omnium peccatorum, implicite voluit peccata in confessione accusata secreto servari. — Primis quidem saeculis in Ecclesia vigebat poenitentia publica, quae tunc temporis propter fervorum Christianorum bonos fructus produxit, sed hodie confessio publica esset periculosa.

Ius ecclesiasticum. In Decreto Gratiani[1] habetur: «Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet.... Nam si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat[2]. Concilium Lateranense IV (a. 1215) sic statuit: «Caveat autem omnino [sacerdos], ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam, qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.»[3] Codex iur. can. c. 889, § 1 statuit: «Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius, ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem.»

Obligatio sigilli sacramentalis tam stricta est, ut in illa neque dispensari neque epikeia admitti possit. Solus poenitens potest licentiam concedere, ut confessarius loquatur de materia sigilli extra confessionem. Ita sententia certa et communissima, quam iam docuit S. Thomas[4] et quam infundate negaverunt Alexander Halensis[5], Scotus[6] paucique alii, docentes ne poenitentem quidem posse concedere licentiam confessario. Iuxta praesentem disciplinam nullus prorsus datur casus, in quo liceat exterius uti scientia peccatorum habita ex sacramentali confessione. Antiquis temporibus complures auctores quosdam casus exceperunt[7], sed hodie eorum sententia non est tuta. Nam

---

[1] c. 2, dist. 6 de poenit.

[2] Istud decretum non quidem invenitur in S. Gregorio Magno, ut indicare videtur Gratianus, sed simile quid definitum est in Concilio Duziacensi II in Rhemensi Provincia a. 874. «Omnes tam clerici quam laici vel feminae confitentes secreta confessione sacerdotibus peccata sua, et ea dignae poenitentiae satisfactione deflentes, nequaquam sunt prodendi, et peccata eorum nulli a sacerdote quacumque sunt significatione manifestanda, nisi soli Domino in secreta oratione.» Cf. *Seb. Berardi,* Gratiani Canones genuini et apocryphi P. 2, t. 2, p. 179, ubi etiam alia Concilia particularia afferuntur.

[3] Habetur in c. 12, X 5, 38. [4] 4, dist. 21, q. 3, a. 2 ad 1.

[5] S. theol. P. 4, q. 19, membr. 2, a. 3. [6] In 4, dist. 21, q. 2 18.

[7] Complures veteres auctores, e. g. Huguccio, S. Raymundus de Pennaforte (Summa de poenit. et matr. l. 3, tit. 38, § 60), Alexander Halensis (S. theol. P. 4, q. 19, membr. 2, a. 2), Innocentius IV (Apparatus ad 5 libr. Decretal. c. 12, X 5, 38), Sylvester Prierias (Summa Summ., s. v. «Confessio» III°, n 5), putant sigillum sacramentale non se extendere nisi ad peccata praeterita. Si quis autem poenitens in confessione sacramentali revelaret se velle grave crimen committere, tunc confessarius posset, si nullum aliud medium cavendi crimen adesset, denuntiare poenitentem. Videtur haec doctrina orta

Clemens VIII d. 26 Maii 1593 praescripsit regularibus: «Tam superiores pro tempore exsistentes quam confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem utantur.»[1] Et S. Congr. Inquisitionis d. 18 Nov. 1682 damnavit propositionem: «Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non-usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.»[2] — Ex quibus sequitur, *ut sit prohibitum uti scientia confessionis cum gravamine poenitentis* etiam:

α) Ob maximum bonum spirituale vel temporale confessarii. 446

Hinc confessarius non potest confiteri aliquod suum peccatum, cuius accusatio involveret laesionem sigilli. Confessarius, sciens ex confessione sibi ipsi imminere mortem, potest quidem confitentem sub gravi obligare, ut sibi hoc extra confessionem manifestet, sed, si ille recusat, confessarius iam nihil potest facere nisi se committere adiutorio Dei. Sunt tamen complures auctores, qui in hoc casu permittunt, ut confessarius se liberet ex periculo imminenti vitae vel magni damni[3], dummodo id fiat sine gravamine poenitentis. Sed semper fere adest saltem aliquod gravamen poenitentis, et confessio redditur odiosa, si confessarius, *invito poenitente*, utitur scientia ex confessione hausta. Quare sententia opposita est in praxi sequenda, ac proinde pro nullo malo vitando licet laedere sigillum confessionis. — Parochus, qui scit ex sola confessione propriam ancillam esse gravidam, vel continuo committere furta, non potest illam e domo eicere. — Confessarius, sciens ex confessione aliquem non esse sacerdotem, tenetur nihilominus pergere in confitendo apud talem fictum sacerdotem, qui fuit eius confessarius ordinarius. Ita S. Alphonsus[4].

β) Ob bonum rei publicae.

Hinc confessarius cognoscens ex confessione aliquem esse proditorem patriae, non potest hoc manifestare; vel aliquem esse homicidam, non potest eum prodere ad salvandam vitam alicuius innocentis.

γ) Ob bonum religionis.

Unde confessarius, sciens ex confessione sponsi peccatum sponsae, etsi illa hoc peccatum sacrilege reticet, debet illi absolutionem dare, et deinde etiam communionem, quamvis sciat illam esse in statu peccati mortalis. Sunt quidem aliqui auctores veteres, qui dicunt, confessarium in hoc casu non tantum posse, sed debere negare communionem, si *occulte* petatur. Etenim ex una parte tunc urget praeceptum negandi sanctum canibus; ex altera vero nulla intervenit sigilli violatio, nec confessio redderetur odiosa vere poenitenti; nam confessio redderetur forsan odiosa solis hominibus nequissimis, qui et ipsi deberent fateri sacerdotem recte egisse. Iidem auctores docent, episcopum debere negare ordines indigno ex confessione cognito et parochum debere recusare assistentiam matrimonio, in quo ex confessione noverit dirimens adesse impedimentum. Sed merito S. Alphonsus[5] vocat sententiam oppositam veram et hodie omnino tenendam, quia Innocentius XI

esse ex textu decreti Gratiani (c. 8, C. 22, q. 5) nimis universaliter accepto et ad confessionem sacramentalem indebite extento. Cf. *Kurtscheid*, Das Beichtsiegel 71 sqq.

[1] Cf. quoque Cod. iur. can. c. 890. [2] *Denz.* n. 1220.

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 659.

[4] Ib. n. 660. [5] Ib. n. 658.

per decretum S. Inquisitionis supra citatum prohibuit quemcumque usum scientiae ex confessione habitae *cum gravamine poenitentis.*

Adeo stricta est obligatio servandi sigillum sacramentale, ut in hac materia non liceat sequi *opiniones mere probabiles,* quia hic iam non agitur de mere licito privato, *sed de damno spirituali totius communitatis christianae vitando.*

447 e) **Laesio sigilli** duplici modo accidere potest: directe et indirecte. *Directe* violatur sigillum, si materia sigilli et persona poenitentis revelatur, e. g. confessarius dicit: Petrus confessus est mihi peccatum homicidii. *Indirecte* laeditur sigillum, si ex iis, quae confessarius loquitur aut agit, oritur *periculum proximum* cognoscendi peccatum poenitentis vel reddendi sacramentum odiosum. Unde in indirecta violatione sigilli non requiritur, ut reapse poenitens eiusque peccatum manifestentur, sed sufficit, ut id probabiliter fieri possit.

α) *Directa violatio sigilli* non admittit parvitatem materiae et est semper grave peccatum cum contra *iustitiam,* quia confessarius laedit quasi-contractum celandi initum et haud raro famam poenitentis minuit; tum contra *religionem,* quia reddit sacramentum poenitentiae odiosum. Plectitur excommunicatione specialissime Summo Pontifici reservata[1].

β) *Indirecta sigilli violatio* admittit parvitatem materiae, quia periculum inde ortum potest esse valde exiguum ac proinde non semper constituere gravem culpam. Quodsi adfuit gravis culpa, haec violatio potest puniri gravissimis poenis, scil. iisdem poenis ac crimen sollicitationis ad turpia, e. g. suspensione a celebratione Missae et ab audiendis confessionibus, privatione beneficiorum et dignitatum etc.[2]

Aliqui modi, quibus indirecte violatur sigillum:

1. Si confessarius narrat, in aliquo collegio vel conventu vel parvo pago grassari peccata luxuriae; quod quidem non cognoscit nisi ex confessione. Nam tunc infamia in totam communitatem redundat, et sat facile suspicari licet, quinam commiserint tale peccatum. Hinc confessarius alloquens parvam communitatem non debet describere aliquod peccatum particulare, ita ut poenitentes recte putent id fieri propter confessionem. Sin autem communitas est magna, e. g. plus quam 3000 incolarum continens, et confessarius magnum numerum confessionum audivit, non laederet sigillum, si loqueretur de aliquo peccato particulari audito, sed etiam tunc imprudenter plurimum ageret.

2. Si confessarius narrando aliquid ex confessione tales circumstantias describit, ut poenitens probabiliter cognosci possit. Celebre est illud exemplum parochi, qui post 25 annos sacerdotii narrat in societate, primum poenitentem sibi confessum esse adulterium. Paulo post intrat vir et narrat omnibus audientibus: Fui primus tuus poenitens.

3. Si confessarius admonet parentes, ut specialiter in istis circumstantiis filiam invigilent; scit autem ex confessione filiam in istis circumstantiis peccavisse.

4. Si confessarius audita confessione mutat agendi rationem erga poenitentem, e. g. durioribus verbis alloquendo, claves illi auferendo vel complicem poenitentis increpando.

[1] Cod. iur. can. c. 2369, § 1. [2] Ib.

5. Si confessarius recusat «schedulam confessionis», ubi talis schedula est in usu. Exinde enim facile infertur poenitentem non esse absolutum. Tenetur igitur confessarius etiam indisposito poenitenti instanter petenti (dummodo sit vere et non ficte confessus) dare schedulam, sed in illa ne scribat: absolutionem accepit, sed: confessus est.

6. Si confessarius recusat audire confessionem alicuius poenitentis ex eo solo motivo, quia illum ex praecedenti confessione cognoscit scrupulosum vel indispositum.

Monitum. Optime in aliquibus statutis dioecesanis ad vitandam quam- 448
cumque indirectam violationem sigilli stricte iniungitur confessariis, ne in communibus colloquiis umquam intermisceant verba de rebus in confessione auditis, neve confitentium scrupulos, internas vexationes et ineptias referant, tacito etiam poenitentis nomine, sub praetextu, quod eiusmodi res non sint peccata. Uno verbo: *Confessarius ne loquatur de rebus confessionis nisi cum Deo, orando pro poenitentibus.* Consilii capessendi causa potest quidem aliquando prudenter consulere alium confessarium doctum, sed caveat omne periculum laesionis sigilli. Secus prius obtineat licentiam poenitentis. Notitia ex confessionibus hausta ne utatur nisi ad propriam salutem efficacius procurandam et ad ampliorem dexteritatem in regimine animarum exercendam.

ARTICULUS III.

De ratione agendi cum occasionariis, consuetudinariis, recidivis.

Occasionarii *vocantur illi, qui versantur in occasione peccandi.* 449
Iamvero occasio peccandi est aliquid extrinsecum (persona, res, liber, spectaculum, choreae etc.) *ad peccatum alliciens et commoditatem peccandi praebens*[1]. Ergo occasio peccandi non est passio inordinata vel fragilitas poenitentis, cum ista sint quid intrinsecum.

Divisio occasionum:

a) *Remota* occasio, quae secum non fert nisi leve periculum peccandi et in qua homo raro peccare solet. Tales occasiones remotae ubique terrarum exsistunt, neque homo illas effugere debet aut potest. b) *Proxima* occasio, quae est grave periculum externum peccandi, in quo homo frequenter revera peccat mortaliter, e. g. visitatio tabernae pro homine vitio ebrietatis valde dedito.

Occasio proxima subdividitur: α) Alia est *absoluta* seu per se, alia est *relativa* seu per accidens. Prior ea est, in qua communiter omnes homines solent graviter peccare, e. g. morose aspicere sine causa rationabili res valde turpes. Altera ea est, quae proximum peccandi periculum non inducit pro omnibus, sed pro aliquo determinato homine ob specialem eius fragilitatem vel passionem excitatam, e. g. ingressus in cauponam pro homine bibulo.

β) Alia est *voluntaria*, alia *necessaria*. Prior ea dicitur, quae facile seu cum levi incommodo auferri potest, e. g. periculosa procatio adamantium.

---

[1] Occasio peccandi et scandalum conveniunt in eo, quod utrumque ad peccatum allicit; discrepant autem, a) quia scandalum semper est actus humanus, occasio autem potest esse etiam res externa physica; b) quia occasio praebet commoditatem peccandi, non item semper scandalum.

Altera ea est, quae physice aut moraliter removeri nequit. In occasione *physice* necessaria e. g. vivunt in eadem domo filiifamilias, qui peccant inter se; homines incarcerati, qui peccant inter se. In occasione *moraliter* necessaria vivunt in eadem domo filiifamilias, qui peccant cum ancilla propriae familiae. Ancilla enim potest facilius relinquere domum quam filius familias. Occasio igitur necessaria ea est, quae sine magno damno magnaque difficultate removeri non potest. Quid autem sit revera magnum damnum, pensari oportet ex diversis circumstantiis personarum.

γ) Alia occasio est *continua* seu *in esse,* alia est *interrupta* seu *non in esse.* Prima est illa, in qua quis semper versatur, e. g. concubina vivens in domo heri; altera ea dicitur, in qua quis non semper quidem vivit, sed quam facile habere potest, e. g. caupona pro ebrioso; amasia pro homine luxurioso.

1. Absolutio occasionariorum.

450 **Regula 1.** *Non est deneganda absolutio poenitenti exsistenti in occasione remota.*

Ratio est, quia omnes nos vivimus in occasione remota peccandi, quam si deberemus vitare, oporteret exire e mundo, qui totus refertus est periculis peccandi. Ergo vitare occasiones remotas peccandi est impossibile, ac proinde non est necessarium.

Regula 2. *Non est deneganda absolutio poenitenti, qui versatur in occasione proxima necessaria, dummodo sit vere contritus et paratus adhibere media praescripta, ita ut occasio proxima evadat remota.*

Ratio est, quia confessarius nequit a poenitente exigere id, quod est physice vel moraliter impossibile. Ex altera autem parte tuto sperare licet, poenitentem, qui adhibet remedia praescripta, victurum esse tentationes, Deo iuvante, «qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis» [1]. Praecipua media, quibus occasio proxima necessaria possit reddi moraliter remota, sunt: fervens oratio, frequens confessio, fuga omnis familiaritatis et solitariae conversationis cum complice etc. — Quando autem poenitens recusat adhibere huiusmodi remedia, vel quando illa quidem promisit, sed postea neglexit ac proinde semper in eadem peccata recidit, tractandus est tamquam *recidivus* degens in occasione proxima, scil. non est absolvendus, nisi dederit *signa extraordinaria* contritionis et nisi etiam cum gravissimo incommodo occasionem proximam removerit. Etenim Christus praescripsit: «Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.» [2]

Quaeres. An possit absolvi poenitens, qui exsistens in occasione necessaria, *remediis adhibitis* eodem semper modo relabitur? Facilis nobis videtur responsio: Talis casus vix umquam possibilis est; etenim poenitens tunc revera facit, quod in se est. Porro facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam Accidere quidem potest, ut poenitens aliquoties relabatur in eadem peccata, sed, si oboedit mandatis confessarii, tandem aliquando constans erit. Ceterum si nihilominus casus occurreret, poenitens esset tractandus sicut consuetudinarius recidivus. — Casus occasionis proximae necessariae et continuae est abusus matrimonii inter coniuges. Quodsi istud peccatum semper semperque committitur a coniugibus, sine ulla emendatione, absolutio est differenda aut deneganda, cum tunc desit debita dispositio poenitentium.

---

[1] 1 Cor 10, 13. [2] Mt 18, 9.

Regula 3. *Deneganda est absolutio poenitenti, qui recusat deserere occasionem proximam voluntariam.* 451

Ratio est, quia ille, qui voluntarie in occasione proxima vult remanere, amat periculum peccandi, ac proinde non habet neque veram contritionem de peccatis praeteritis neque verum propositum de peccatis futuris vitandis. Hinc damnavit Innocentius XI d. 2 Martii 1679 propositionem 61: «Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit»; prop. 62: «Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit»; prop. 63: «Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.»[1]

Si quis versatur in occasione proxima voluntaria *et continua,* generatim absolutio *differenda est,* usquedum poenitens hanc occasionem *reapse* removerit. Hinc e. g. concubinarius non est absolvendus, antequam concubinam e domo eiecerit.

Ratio est, quia, etsi poenitens hic et nunc satis sit dispositus ad absolutionem recipiendam, tamen valde timendum est, ne postea immemor promissionis datae et victus vehementi passione occasionem non remoturus sit. Dixi autem: *generatim,* quia, si confessarius habet moralem convictionem firmi propositi a poenitente facti, et praesertim si poenitens amplius non valet redire ad eundem confessarium, potest etiam statim absolutionem concedere. Si tamen poenitens iam iterum iterumque in praecedentibus confessionibus promiserit remotionem occasionis neque promissionibus steterit, iam non est solus occasionarius, sed etiam recidivus, ac proinde non est absolvendus, nisi dederit *signa extraordinaria* contritionis et adsit *urgens necessitas* absolvendi.

Si quis autem versatur in occasione proxima *non-continua* seu interrupta, potest statim absolvi, dummodo serio promittat relinquere hanc occasionem. Sin *vero* non solum est occasionarius, sed etiam recidivus, non est absolvendus, nisi dederit signa extraordinaria contritionis, ut infra dicetur.

2. Absolutio consuetudinariorum. 452

Consuetudinarius seu habituatus dicitur ille, qui contraxit habitum alicuius peccati, in quod tamen nondum post illius confessionem relapsus est. Sin autem hoc peccatum iam semel vel pluries confessus est et nihilominus iterum commisit, vocatur recidivus[2].

Quot actus ad pravum habitum acquirendum sint necessarii, nequit absolute determinari. Hoc enim a multis dependet, scil. a debilitate voluntatis, a peccati natura et modo, a longo vel parvo intervallo, intra quod singula peccata committuntur. Sic e. g. homo debilis voluntatis facilius contrahit habitum fere invincibilem peccandi, quam homo fortis. Iuxta S. Alphonsum[3] censetur habitum contraxisse, qui quinquies in mense *peccatum externum* solet committere. Pro *peccatis* autem *internis* multo maior numerus requiritur.

Consuetudo peccandi potest oriri vel ex incitamento externo humano, i. e. ex occasione proxima, et tunc consuetudinarius est simul occasionarius; vel ex tentatione diabolica aut ex passione inordinata, et tunc est proprie consuetudinarius. De hoc ultimo valet sequens regula.

---

[1] *Denz.* n. 1211—1213. [2] Cf. infra n. 453. [3] Praxis confess. n. 70.

Regula. *Consuetudinarius potest et debet absolvi, quando est vere attritus et sincere promittit adhibere media ad pravam consuetudinem vincendam necessaria.*

Ratio est, quia prava consuetudo nullo modo arguit indispositionem poenitentis. Porro (iuxta adagium: Poenitenti credendum est cum pro se tum contra se loquenti) poenitens firmiter asserens suam attritionem et propositum serio adhibendi remedia contra pravam consuetudinem fide dignus est atque absolutionis capax. Remedia, quae a poenitente adhibenda sunt, oportet determinare iuxta qualitatem et consuetudinis pravae et hominis peccantis. Huic doctrinae non est opposita propositio (60) damnata ab Innocentio XI d. 2 Martii 1679: «Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.» [1] Etenim in hac propositione essentia erroris sita est in illis verbis: «etsi emendationis spes nulla appareat». Porro consuetudinarius, qui *prima vice* confitetur habitum peccandi et *serio* promittit emendationem, semper veram spem emendationis praebet. Sane si consuetudinarius iam saepius promisit emendationem et tamen semper eodem modo cecidit in eadem peccata, praebet parvam spem emendationis, sed tunc iam non est simplex consuetudinarius, sed consuetudinarius recidivus, qui aliter tractandus est, ut infra dicetur. Ceterum rarissimum est in praxi, ut quis sit simplex consuetudinarius et non simul recidivus. Simplex consuetudinarius esset e. g. homo, qui a decem annis non est confessus et infra hoc tempus contraxit habitum se polluendi semel in hebdomada.

453 ### 3. Absolutio recidivorum.

In aliquo sensu omnes homines sunt recidivi; nam omnes peccata iterant. De recidivis in hoc lato sensu materiali hic non loquimur. *Recidivus in sensu stricto seu formali vocatur ille, qui post confessionem ita cadit in eadem peccata mortalia, ut merito inde de eius dispositione in praeteritis confessionibus dubitare liceat.* Differt ergo recidivus a consuetudinario, quippe qui *prima vice* peccati habitum accuset. Veteres auctores haud raro confundunt consuetudinarium cum recidivo; moderni autem theologi non eodem modo describunt signa characteristica recidivi. Proinde diligenter attendendum est, quo accurato sensu singuli auctores accipiant verba consuetudinarii et recidivi. Signum quasi characteristicum recidivi videtur esse, quod ille post repetitas confessiones (tres vel quattuor) nullum serium studium cavendi peccatum aliquod grave adhibuit, ita ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit [2].

Regula. *Recidivus regulariter absolvi nequit, nisi specialibus signis prius expulerit praesumptionem indispositionis contra ipsum existentem.*

Dico: *regulariter,* nam in casu necessitatis sacramentum administrari potest etiam homini dubie disposito. — Ratio autem regulae allatae est, quia ex relapsu in eadem prorsus peccata sine ulla prorsus emendatione vehemens oritur praesumptio, quod poenitens careat sincera contritione et

[1] *Denz.* n. 1210. [2] Cf. Cod. iur. can. c. 2208, § 1.

firmo proposito, quoniam vix possibile est, ut homo, ex intimo corde dolens de peccatis commissis et firmiter proponens media necessaria ad emendationem adhibere, *prorsus eodem modo* cadat in eadem peccata. Haec igitur praesumptio destruenda est, quod profecto non fit simplici assertione poenitentis. Etenim si poenitens iam iterum iterumque promissis non steterit, sane non meretur nisi parvam fidem. Proinde debet aliunde probare veram suam contritionem et propositum.

Specialia signa contritionis et propositi sufficientis varia sunt pro varia indole poenitentium, nec potest aliquid determinari in particulari. Sic e. g. lacrimae effusae propter commissa peccata ostendunt dispositionem sufficientem in viro forti, qui rarissime lacrimatur, cum econtra non magnam fidem mere antur in quibusdam mulierculis, quae frequenter ad nutum plorare solent. Regula generalis sit: *Omnibus circumstantiis pensatis confessarius debet habere sufficientem certitudinem dispositionis poenitentis.* — Tamquam signa specialia ostendentia sufficientem dispositionem afferuntur e. g. spontanea fuga occasionis proximae; firmitas in bono proposito saltem per aliquod tempus. Unde si poenitens post praeteritam confessionem abstinuerit per mensem a peccato, in quod antea qualibet hebdomada cecidit, praebet signum speciale boni propositi habiti. Non tamen nimis fidendum est illis poenitentibus, qui propter rationes humanas accedunt ad confessionem paschalem et tunc per aliquod tempus antea abstinent a peccatis, ea intentione, ut evitent absolutionis negationem. Alia signa specialia sunt: *spontanea confessio* praesertim tempore inconsueto, peregrinatio pia ad confessionem peragendam, exercitia spiritualia peracta. Si recidivus nullum ex his similibusve signis affert, non est statim sine absolutione dimittendus, sed ad veram contritionem et sincerum propositum disponendus. Quod praesertim fieri debet, quoties agitur de peccatis ex fragilitate commissis, e. g. de pollutione saepius commissa a iuvene. Sin autem post opportunam exhortationem recidivus remanet dubie dispositus, in casu necessitatis potest sub condicione absolvi; secus autem absolutio est ad *breve* tempus differenda. Dilatio octo dierum sufficit pro recidivis, qui *ex fragilitate* peccant; recidivis vero *ex occasione* convenienter differtur absolutio per quindecim dies. Per se patet confessarium non rudibus sed humanissimis verbis alloqui debere poenitentem. Memor sit illius adagii: «Fortiter in re, suaviter in modo.» Nostris diebus absolutio raro est differenda, nisi sit prorsus necessarium. Nam propter fidei infirmitatem, qua laborant complures poenitentes, absolutio dilata saepe magis obest quam prodest.

ARTICULUS IV.

De abusu confessionis.

Praenotamen. Duobus praesertim modis committitur atrox abusus confessionis, scil. si confessarius absolvit proprium complicem, aut si occasione confessionis sollicitat poenitentem ad turpia. De tertio abusu confessionis, scil. de illicita inquisitione nominis complicis, iam supra n. 381 sermo fuit. Cum abusus confessionis sit crimen inducens suspicionem haeresis, iudicium de eo pertinet ad S. Officium vel eius delegatum, qui ex iure ipso est episcopus. Luce clarius est, confessarium, qui occasione confessionis sollicitat poenitentem ad turpia, insigniter abuti confessione. Sed et confessarius absolvens proprium complicem saltem ordinarie graviter abutitur confessione,

cum talis criminosus sacerdos vix umquam det salutaria consilia et sit aptus iudex, quoniam ipse est conreus. Tractabimus 1. de absolutione complicis; 2. de sollicitatione ad turpia.

§ 1.

De absolutione complicis.

454 **Ius vigens.** Benedictus XIV abstulit cuilibet confessario extra mortis articulum facultatem absolvendi proprium complicem. Sin autem nihilominus confessarius attentaverit absolvere proprium complicem, incurrit excommunicationem.

En verba Bullae «Sacramentum Poenitentiae» d. 1 Iunii 1741: «Singulis sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ... interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum *extra casum extremae necessitatis,* nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quoque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertiatur, *nulla atque irrita omnino sit.* ... Et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam ... ipso facto incurrat.» — Postea idem Pontifex per Constitutionem «Apostolici muneris» d. 28 Febr. 1745 hanc legem adhuc magis explicavit. — Codex iur. can. c. 2367 statuit: «Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recuset alii confiteri. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario, sive directe sive indirecte, inductus est». Ad explicanda haec statuta ecclesiastica declarare oportet, quomodo hic sumatur: 1. peccatum turpe; 2. complex; 3. absolvere.

455 1. **Peccatum turpe** est quodlibet peccatum luxuriae, dummodo sit a) grave (obiective et subiective); b) externum; c) certum; d) nondum directe remissum[1]. Ergo excluduntur:

a) Peccata *contra alias virtutes,* e. g. furtum, homicidium etc. Unde confessarius posset absolvere suum complicem in homicidio. Sed nemo non videt, quam indecens sit etiam talis absolutio.

b) Peccata *interna* contra castitatem, ut delectationes morosae, desideria.

c) Peccata *levia* luxuriae, sive ex imperfectione actus sive ex conscientia erronea. Hinc si quis puer ex conscientia erronea certo putaret, tactus a sacerdote impudice patratos non esse grave peccatum, posset absolvi ab hoc sacerdote, qui excommunicationem non incurreret.

[1] Cf. S. Offic. d. 18 Maii 1873.

Pariter oscula, licet saepe sint peccata mortalia in casu particulari, tamen in hac materia non habentur ut certo mortalia ex obiecto externo.

d) Peccata *iam antea directe remissa*. Unde e. g. si quis in iuventute cum sacerdote turpiter peccavit hocque peccatum iam rite confessus est apud alium confessarium et absolutionem validam recepit, nunc autem idem peccatum tamquam *materiam liberam* confitetur apud sacerdotem complicem, valide absolvitur, neque sacerdos ullam poenam incurrit. Sed in praxi valde consulendum est, ne umquam confessarius audiat confessionem sui complicis propter periculum tentationum et irreverentiae erga sacramentum [1].

Nota. Non requiritur, ut peccatum turpe sit commissum *sacerdotio iam suscepto*. Unde S. Poenitentiaria docuit d. 26 Ian. 1789, «confessarium non posse absolvere complicem, cum quo ante sacerdotium in puerili aetate turpiter egit, nisi moraliter certus sit ipsum iam ab alio confessario directe et valide a peccato complicitatis absolutum fuisse».

2. **Complex** (seu socius criminis, i. e. quasi implexus in eodem 456
crimine) potest esse sive vir sive mulier, sive puber sive impuber, dummodo sit capax peccati mortalis. Neque requiritur, ut peccatum istud sit patratum opere luxurioso inter sacerdotem et complicem, sed sufficit, ut *uterque interius et exterius idem grave peccatum contra castitatem commiserit*. Hinc e. g. peccatum complicitatis adest, si maritus convenit cum sacerdote de adulterio faciendo cum uxore, licet adulterium de facto non accidat propter resistentiam uxoris. In isto casu sacerdos non potest absolvere maritum, cum sit eius complex [2]. Omnino requiritur, ut complicitas sit *formalis*, et quidem aut tempore peccati aut tempore absolutionis. Hinc si sacerdos peccat cum muliere reluctante, totaliter ebria, amente, non adest complicitas formalis; vel si confessarius durante absolutione non cognoscit suum complicem, vel etiam in casu, quo serio dubitat, num poenitens sit suus complex, valide et licite absolvit. Etenim non tenetur quaerere a poenitente: Numquid commisisti istud peccatum mecum? Pariter non adest complicitas formalis, si sacerdos neque in actu peccati neque postea tamquam *sacerdos* cognitus est. Sic e. g. si sacerdos larvatus peccavit cum muliere, quae illum numquam cognoscit, et postea hanc mulierem absolvit ab hoc peccato luxuriae, non incurrit excommunicationem.

---

[1] Unde S. Officium d. 29 Maii 1867 declaravit, «liberum esse confessario absolvere personam complicem, quae a peccato complicitatis inhonesto absoluta iam fuit per alium confessarium; dandum tamen semper esse consilium confessario, de quo agitur, ut, nisi cogat necessitas, se abstineat ab excipiendis personae, licet iam a peccato complicitatis absolutae, sacris confessionibus» (apud *Bucceroni*, Comm. in Bull. Ap. Sedis n. 37).

[2] Ita sententia verior (cf. *Bucceroni*, Comm. in Const. «Sacramentum Poenitentiae» n. 69); contrarium docet *Noldin* (De sacr. n. 384) dicens: «Ad incurrendum casum complicitatis requiritur complicitas immediata in ipsa actione turpi; non sufficit cooperatio quantumvis proxima ad peccatum turpe alterius.»

Non enim tenetur in confessione huic mulieri dicere: Ego sum ille vir, quocum peccasti. Ratio autem intrinseca est, quia tunc non habetur ille sacramenti abusus, quem vult lex ecclesiastica prohibere. Ita communiter moderni auctores, e. g. Hollweck[1], Lehmkuhl[2]. Sine sufficienti ratione Gury[3] contrarium docuit.

457 3. **Absolutio** vera vel saltem ficta requiritur, ut excommunicatio incurratur. Unde haec poena non infligitur, a) si confessarius tantum audivit confessionem complicis, dummodo tamen ne simulet absolutionem, ut statim dicetur; b) si poenitens peccatum complicitatis sua sponte reticuit in confessione. Sin autem confessarius directe vel indirecte induxit poenitentem complicem ad non confitendum peccatum complicitatis, non effugit excommunicationem absolvens vel fingens absolvere complicem suum. *Directe* induceret confessarius, qui diceret poenitenti: Cave, ne confitearis istud peccatum; *indirecte* autem induceret confessarius, qui persuaderet poenitenti, talem actum luxuriosum non fuisse graviter malum, vel non esse necessario accusandum in confessione, quoniam ipsemet confessarius iam aliunde cognoscat istud factum.

Ignorantia crassa seu supina ab hac excommunicatione non excusat confessarium[4]. Quare in praxi quoties confessarius complicem suum absolvit, toties censuram hanc incurrit.

458 **Exceptiones a censura** (et validitas absolutionis) solummodo habentur in casu extremae necessitatis. Talis extrema necessitas numquam exsistit, si adest alius sacerdos *etiam non approbatus,* qui confessionem poenitentis excipere moraliter potest. Iam vero, si alius sacerdos quidem physice adest, sed non potest vocari ad audiendam confessionem sine gravi scandalo publico, vel si recusat audire confessionem, tunc idem valet, ac si nullus sacerdos adest. Casus extremae necessitatis est:

a) Articulus vel grave periculum mortis.

Cum in articulo vel periculo mortis omnis reservatio cesset, confessarius valide quidem absolvit complicem suum; sed si alius sacerdos quicumque (etiam non approbatus) sine gravi scandalo *publico* audire potest hanc confessionem, confessarius illicite agit et incurrit excommunicationem, nisi tamen complex, non obstante seria persuasione, penitus recuset confiteri apud alium confessarium. — Quamvis Benedictus XIV et Cod. iur. can. c. 884 in solo articulo vel periculo mortis concesserit absolutionem complicis, tamen per epikeiam haec facultas extenditur ad alium casum urgentissimae necessitatis, nempe si adest:

b) Gravissima necessitas, quando urget praeceptum ecclesiasticum et divinum tam confessionis quam communionis, atque complex diu non potest invenire alium confessarium.

---

[1] Die kirchl. Strafgesetze § 274. [2] Theol. mor. II, n. 1202.
[3] Cas. consc. II, n. 617.
[4] S. Offic. d. 13 Ian. 1892 ad 3.

Ita docent probabiliter complures moderni auctores, e. g. Lehmkuhl [1], Tanquerey [2], Bucceroni [3], D'Annibale [4], Noldin [5], Ios. Alberti [6], Ballerini-Palmieri [7]. Ratio autem est, quia lex positiva ecclesiastica, quae irritat absolutionem complicis, in gravissima necessitate videtur debere cedere et legi divinae summendae communionis et legi naturali vitandi scandali. Iste casus accidere potest in locis dissitis missionum, ubi alius sacerdos numquam fere advenit, et ubi poenitens non potest longum iter arripere ad inveniendum alium confessarium. Sed absolutio in hoc casu concessa non est nisi *indirecta,* ac proinde poenitens tenetur postea, quando erit possibile, peccatum complicitatis alii confessario confiteri. — Si confessarius bona fide, i. e. non advertens peccatum complicitatis, absolvit poenitentem, qui eius complex est, probabilius absolutio est valida. Directe enim absolvuntur alia peccata, indirecte autem remittitur peccatum complicitatis. Ratio est, quia iurisdictio sacerdotis videtur solummodo restricta quoad peccatum complicitatis, non autem quoad alia peccata. Sunt tamen quidam auctores, qui docent, confessarium omni prorsus iurisdictione carere in suum complicem, qui nondum est directe absolutus a peccato complicitatis.

c) Excommunicationem quidem non incurrit, sed graviter illicite agit confessarius, qui attentat absolvere suum complicem *α*) penitus tacentem de peccato complicitatis, dummodo confessarius illum ne induxerit ad tacendum (sive directe sive indirecte), ut iam dictum est; *β*) propter periculum gravis scandali non valentem alibi confiteri, dummodo confessarius expresse moneat se nolle absolvere a peccato complicitatis (quod alii confessario est postea declarandum), et se absolvere directe ab aliis peccatis.

Utrum absolutio in hoc casu indirecte data de peccato complicitatis sit valida an invalida, non concordant auctores [8], sed probabiliter est valida, dummodo alia requisita adsint [9]. Nam S. Poenitentiaria d. 16 Maii 1877 responsum dedit, «privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi et adnexam excommunicationem quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit». — Ex quibus verbis solvitur sequens casus: Petrus sacerdos commisit grave peccatum luxuriae cum Tullia. Tullia comitata a sua matre se sistit in confessionali Petri. Petrus manifeste dicit se neque posse neque velle absolvere a peccato luxuriae, quod est declarandum alteri confessario. Tullia multum insistit ad habendam absolutionem, quia, si non iret statim post confessionem cum matre ad s. communionem, oriretur gravissimum scandalum. Petrus tunc dat absolutionem ab aliis peccatis monens Tulliam de actu perfectae contritionis eliciendae et de obligatione peccatum luxuriae esse declarandum alteri confessario. Petrus non incurrit excommunicationem,

---

[1] Theol. mor. II, n. 1205. [2] De poenit. n. 579.
[3] Comm. in Bull. Ap. Sedis n. 87.
[4] Summula Theol. mor. III, n. 324 et n. 38.
[5] De sacr. n. 386 et De poenis eccl. n. 63. [6] Theol. pastor. III, n. 28.
[7] Opus theol. V (de sacr. poenit.), n 655.
[8] Cf. *Noldin,* De poenis eccl. n. 63; *Marc,* Instit. mor. I, n. 1783; *Van der Velden,* Principia Theol. mor. III 673.
[9] Ita etiam *Lehmkuhl,* Theol. mor. [11] II 1203 nota; *Ojetti,* Synopsis rer. mor. I[3], n. 1369.

quia non absolvit a peccato turpi. Sed, ait D'Annibale [1]: «Illud nemo umquam dubitavit aut dubitat, *nefas esse* absolvere poenitentem a peccatis ceteris, et pro hoc absolvendo ad alium confessarium remittere.» Videtur igitur Petrus debuisse elicere actum perfectae contritionis cum Tullia, quae tunc sine absolutione potuit accedere ad communionem.

459 **Absolutio ab excommunicatione incursa.** Confessarius, qui (praeter casus supra indicatos) absolvit complicem suum, incurrit excommunicationem specialissime Summo Pontifici reservatam, ut dictum est.

Dicitur autem haec excommunicatio specialissime reservata, quia in omnibus facultatibus delegatis etiam amplissimis semper censetur exclusa, nisi expresse nominetur [2]. Ignorantia crassa et supina non excusat ab hac excommunicatione [3], ut iam dictum est. In casibus urgentioribus potest quidem simplex confessarius absolvere ab hac censura, sed tunc absolutus infra mensem debet omnino recurrere [4] ad S. Poenitentiariam, quae solet sat duras poenitentias imponere. Immo si sacerdos *ter* suum complicem absolvit, ei mandatur, ut munus confessarii in perpetuum deponat. Cum autem id saepe moraliter impossibile sit, tam propter maximum scandalum secus oriturum quam propter penuriam sacerdotum, expedit, ut in litteris ad S. Poenitentiariam dandis supplicetur, ut confessarius possit remanere in suo officio.

§ 2.

De sollicitatione ad turpia.

460 **Praenotamen.** Benedictus XIV in eadem Constitutione «Sacramentum Poenitentiae» alium abusum sacramenti poenitentiae profligavit, scil. sollicitationem ad turpia. Iam antea Pius IV [5] et Gregorius XV [6] de hac re leges tulerunt. Hodierna disciplina explicatur in citata Constitutione Benedicti XIV, in Instructione S. Officii d. 20 Febr. 1867 [7] et in Cod. iur. can. c. 894, 904, 2363, 2368. Modus examinis faciendi contra sacerdotes sollicitantes indicatur ab Instructione S. Officii d. 20 Iuli 1890 [8]. En verba Benedicti XIV, qui mandat episcopis procedere «contra omnes et singulos sacerdotes tam saeculares quam regulares, . . . qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum iis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. . . . Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad audiendas confessiones constituti teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere . . . de obligatione denuntiandi inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis, personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad abso-

[1] Comm. in Const. Ap. Sedis n. 86. [2] S. Offic. d. 27 Iunii 1866.
[3] S. Offic. d. 13 Ian. 1892. [4] Cf. specimen huius recursus supra n. 426.
[5] Const. «Cum sicut nuper» d. 15 Apr. 1561.
[6] Bulla «Universi» d. 30 Aug. 1622. [7] Collect. de Prop. Fide n. 1282.
[8] Ib. n. 1732.

lutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.»

Pontificiae Constitutiones de absolutione complicis et de sollicitatione ad turpia obligant etiam Orientales [1].

Ad intelligentiam clariorem huius legis iuvat explicare: 1. condiciones requisitas, ut revera adsit crimen sollicitationis; 2. obligationem denuntiandi; 3. modum denuntiandi; 4. poenas, quae infligendae sunt sacerdoti sollicitanti.

1. Condiciones requisitae ad crimen sollicitationis. 461

Notio. *Crimen sollicitationis est provocatio ad grave peccatum luxuriae facta a sacerdote abutente ad hunc finem confessione sacramentali vera aut simulata.* Ergo requiritur:

a) *Ut provocatio fiat ad grave peccatum contra castitatem.*

Sollicitatio non censetur adesse, α) si provocatio facta est ad aliud peccatum, e. g. ad furtum; vel β) si facta est ad aliquid inhonestum, quod tamen non est *certe* et *obiective* peccatum mortale, e. g. si confessarius mulierem obiter osculatus est immediate post confessionem. Licet enim osculum saepe sit graviter culpabile propter periculum delectationis venereae, scandali, pravae intentionis etc., tamen *obiective* consideratum illud non est peccatum mortale et proinde non censetur adesse illa sollicitatio ad turpia, de qua hic loquimur [2]. — Non requiritur autem, ut sollicitatio sit *efficax*, seu ut persona sollicitata consentiat in peccatum. Unde e. g. sollicitationem committeret confessarius invitans coniugem ad adulterium, etsi coniux hoc peccatum prorsus recusaret. Pariter non requiritur, ut confessarius *immediate* sollicitet personam, quacum peccatum luxuriae sit faciendum, vel ut confessarius sollicitet personam ad peccandum cum ipso sollicitante [3]. Hinc ad-

---

[1] Ita S. C. de Prop. Fide d. 6 Aug. 1885 (Collect. de Prop. Fide n. 1640).

[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 683. Contrarium docet *Aem. Berardi* (De sollicit. n. 47): «In casu, de quo agimus, oscula et tactus (minus honesti) tamquam mortalia considerari debent; practice enim non ex ullo honesto motivo, et ordinarie ne quidem ex mero ioco, sed ad satisfaciendum libidini. . . . res huiusmodi fierent. . . . Vae si tamquam merae levitates et tamquam denuntiationi minime subiectae res huiusce generis aliaeque similes considerari possent!» — Sane istae res non sunt merae levitates, sed valde vituperandae. Ast inde minime sequitur, ut sint semper peccata mortalia atque inducant gravem obligationem sub poena excommunicationis denuntiandi confessarium, qui talia fecerit. Lex enim odiosa, qualis censetur obligatio denuntiandi, est strictae interpretationis.

[3] Hoc constat ex sequenti responso S. Poenitentiariae d. 2 Sept. 1904: «Tibullus excipiens confessiones mulierum, quarum viri saepe abesse solent, et quae non facile se continent, docet et suadet easdem mulieres non peccare in sequentibus casibus: 1. Si desiderando proprium virum absentem, patiantur commotionem sensualem seu pollutionem. 2. Si desiderent hanc eandem pollutionem in se experiri ex ardenti amore viri absentis. 3. Si pollutionem in se excitent tactibus secum habitis, dummodo hos actus referant ad virum absentem. — S. Poenitentiaria dilecto in X. . . scribendi subiungit: iam bis hac super re ab hoc s. Tribunali responsum fuisse, et actus huiusmodi esse graviter illicitos, et confessarium eos probantem esse denuntiandum.»

esset crimen sollicitationis, si e. g. confessarius rogaret adiutorium fratris ad peccandum cum eius sorore; vel si excitaret iuvenem ad peccandum cum aliqua puella.

462 b) *Ut sollicitatio fiat a* **sacerdote ut confessario.**

Hinc non adest illud crimen, si clericus vel laicus se fingit esse confessarium et tunc poenitentem ad turpia provocat. Aliqui auctores docent etiam *episcopum* sollicitantem ad turpia non esse denuntiandum, cum in odiosis, e. g. in poenis latis contra sacerdotes, non comprehendantur episcopi, nisi hoc sit expresse dictum. Quae quidem sententia canonistice vera est. Ergo non adesset stricta *legis ecclesiasticae* obligatio denuntiandi episcopum sollicitantem, sed plane exsisteret obligatio *iuris naturalis* ad praecavendum scandalum enorme. — Debet esse vera licet implicita *provocatio* ad turpia ex parte confessarii. Unde probabiliter docent complures auctores obligationem denuntiationis non adesse, si ipse poenitens sollicitat et confessarius tantum consentit huic sollicitationi [1]. Ad quaesitum: «An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus?» responderunt qualificatores S. Officii d. 11 Febr. 1661: «Affirmative et opinionem negativam non esse probabilem»; sed id omissum est cum in Bulla Benedictina tum in Instructione S. Officii hac de re data d. 20 Febr. 1866 [2]. Non est verisimile S. Alphonsum ignoravisse sententiam S. Officii d. 11 Febr. 1661 latam, et tamen S. Doctor habet sententiam oppositam ut probabiliorem. Unde docent Bucceroni [3] et «Vindiciae Alphonsianae», non adesse obligationem denuntiandi confessarium, qui ex metu consenserit sollicitationi poenitentis, nullo autem modo ipse sollicitaverit. Si confessarius libere consentit poenitenti sollicitanti, ordinarie adest sollicitatio mutua. Certo autem facienda est denuntiatio, si sollicitatio fuit *mutua* inter confessarium et poenitentem. In isto tamen casu poenitens non tenetur fateri se ipsum etiam sollicitavisse.

463 In quattuor casibus sacerdos censetur sollicitare ut **confessarius,** scil. si ad turpia provocet:

α) In actu sacramentalis confessionis, i. e. a tempore, quo incohatur confessio usque ad absolutionis verba inclusive, seu, uti dicitur: intra duas cruces confessarii. Sacramentalis autem confessio censetur ea, quae coepta est in ordine ad sacramentalem absolutionem, etsi ad finem non deducatur neque absolutione perficiatur.

β) Immediate ante vel post confessionem.

Id est, si inter confessionem et sollicitationem nulla alia actio externa intercedit. Ergo crimen sollicitationis adest, si e. g. confessarius loquitur immediate ante vel post confessionem ex affectu libidinoso verba manifeste obscoena; si tangit inhonesto modo poenitentem; si dat poenitenti litteras postea legendas, in quibus sollicitat ad turpia.

γ) Occasione vel praetextu confessionis.

Confessionis *occasione* sollicitare est ex confessione sumere motivum vel opportunitatem provocandi ad turpia. Hinc e. g. si confessarius cognoscens ex confessione proclivitatem alicuius mulieris ad luxuriam quaerit ex ea, ubi habitet; vel illi dicit: Venias postea ad domum meam; et si tunc postea peccatum luxuriae comittit cum illa, adest crimen sollicitationis, dummodo

[1] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 681.
[2] Collect. de Prop. Fide n. 1282. [3] Comm. in Bull. Ap. Sedis n. 29.

tamen *clare constet,* confessarium iam habuisse durante confessione intentionem peccandi cum muliere. Si autem confessarius non convenit cum ista muliere nisi post complures dies, vel si ob alium finem cum illa convenit et tunc, paulatim tentatione excitante, illam provocat ad turpia, *non certo constat* de abusu confessionis, ac proinde non est stricta obligatio denuntiandi hunc confessarium.

Sub *praetextu* confessionis sollicitare est provocare ad turpia sub specie aut velo confessionis. E. g. confessarius invitat poenitentem ad veniendum in confessionale, ea intentione, ut ibi possit illum ad turpia provocare. S. Alphonsus[1] quaerit: «An denuntiari debeat confessarius, qui convenit cum muliere, ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam, et ipsum accersat domum ad patrandum peccatum?» Licet quidam affirment, respondet tamen S. Doctor probabilius negative. Nam in hoc casu «non verificatur, quod confessarius sollicitat praetextu confessionis, sed tantum quod praetextu confessionis peccatum exsequitur; ita ut praetextus confessionis tunc non iam ordinetur ad sollicitationem, sed ad familiares decipiendos. . . . Secus vero censeo dicendum, si confessarius extra confessionem sollicitaret, et femina renueret timens diffamationem, et ideo confessarius ei suaderet, ut fingens se aegrotam eum accerseret ad peccandum. Quia tunc vere diceretur confessarius praetextu confessionis sollicitare feminam ad praestandum consensum.» Sed non videtur tantum discrimen inter utrumque casum, cum utrobique adhibeatur a complicibus confessionis praetextus tamquam medium ad decipiendos alios. Unde quidam docent praetextu confessionis tunc solummodo sollicitare confessarium, qui simulatam confessionem adhibet ut medium ad inducendum in peccatum illum poenitentem, *qui antea nihil scivit de peccato committendo.*

δ) Etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem. Essentialia verba huius clausulae videntur esse *cum simulatione confessionis.*

Recolendum est discrimen inter simulationem et dissimulationem alicuius sacramenti. Haec ultima adhibetur ad celandum coram aliis sacramentum non administratum. Prima autem est deceptio ipsius subiecti sacramentorum. Unde crimen sollicitationis non videtur adesse, quoties confessio dissimulatur *ad decipiendos alios,* ne isti percipiant peccatum cum poenitente commissum aut committendum. Adest vero istud crimen, quoties confessarius coram *poenitente ipso* simulat, quasi in aliquo loco velit audire eius confessionem, et tunc ibi exsistens provocat ad turpia.

2. Obligatio denuntiandi sollicitantes. 464

Cum confessarius nefando crimine sollicitationis maximum praebeat scandalum, iam iure naturali quilibet obligatur totis viribus niti, ut tale scandalum amoveatur. Porro id fieri vix potest, nisi confessarius suo superiori denuntietur. Ergo ex ipso iure naturali quilibet, qui certo cognoscit sollicitationem factam, tenetur et quidem *sub gravi*[2] ad denuntiandum confessarium sollicitantem, saltem si damnum enorme, quod solent huiusmodi confessarii causare religioni, secus averti nequeat. Ipse tamen confessarius sollicitans non tenetur seipsum denuntiare[3].

[1] L. c. n. 679. [2] Cf. Instr. S. Officii 1867, § 3. [3] S. Offic. d. 20 Febr. 1867.

Iure ecclesiastico plectuntur excommunicatione latae sententiae nemini reservata scienter omittentes denuntiare intra mensem confessarios seu sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia [1]. Igitur *ex iure ecclesiastico* tenetur ad denuntiationem *solus* ipse sollicitatus. Qui si culpabiliter omittit per totum mensem (computandum a die cognitae obligationis) hanc denuntiationem, incurrit excommunicationem, a qua tamen quilibet confessarius absolvere potest, *facta denuntiatione aut seria promissione denuntiandi aut legitima dispensatione obtenta.* Confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, monere poenitentem sollicitatum, ut denuntiet confessarium sollicitantem [2].

465 *Causae excusantes a denuntiatione:*

a) *Mors sacerdotis sollicitantis.*

Ita S. Poenitentiaria d. 24 Apr. 1884. Ratio est, quia tunc finis denuntiationis cessat. — Obligatio autem denuntiationis non videtur cessare, si confessarius est iam emendatus aut punitus, aut si sollicitatio sit facta iam a longo tempore. Excipiunt autem quidam theologi illum casum, quo emendatio sit ita perspicua et perdurans, ut nullus timor reincidentiae possit haberi, maxime si confessarius iam ingressus est ordinem regularem [3].

b) *Periculum grave vitae vel famae vel fortunae pro persona denuntiante per accidens cum denuntiatione coniunctum.*

E. g. confessarius denuntiandus habet tales amicos, qui vehementissime persecuturi denuntiantem praevidentur. Ratio est, quia nulla lex positiva obligat cum maximo incommodo. Non autem excusat incommodum, quod *intrinsece* coniunctum est cum denuntiatione, qualis est praecipue gravis indignatio denuntiati confessarii [4].

c) *Dispensatio S. Officii vel S. Poenitentiariae,* quae tamen non ita facile conceditur. Episcopus non potest in hac lege dispensare.

De hac dispensatione petenda habet Instructio S. Officii d. 20 Febr. 1867: «Si (persona sollicitata) nullo impedimento detenta denuntiationem omnino renuat, in hoc casu . . . laudandus est confessarius, qui . . . vel Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit.» — In supplici libello exponenda est exacte substantia casus (praesertim an agatur de confessario monialium). Insuper impedimenta declaranda sunt, quae poenitentem retrahunt a denuntiatione facienda [5].

466 3. **Modus faciendi denuntiationem.** Confessarius audiens casum sollicitationis diligenter examinare debet, a) num persona narrans sit fide digna; saepe enim mulierculae ex invidia, odio, hysteria aliisque causis sinistris de confessario narrant, quae sunt prorsus falsa; b) num omnes condiciones requisitae ad crimen sollicitationis *certo* adsint. Nam si vel minimum sed verum dubium manet, obligatio denuntiationis non exsistit. Si confessarius invenit crimen sollicitationis revera commissum esse, debet monere poenitentem de obligatione denuntiandi, neque a poenitente admonendo instruendoque eius bona fides excusat. Quodsi poenitens ob graves causas denuntiationem facere recusat, confessarius recurrat ad S. Poenitentiariam pro obtinenda dispensatione denuntiationis faciendae, ut iam dictum est.

---

[1] Cod. iur. can. c. 2368, § 2. [2] Ib. c. 904.

[3] Cf. *Berardi,* De sollic. n. 284; *Tanquerey,* De poenit. n. 592.

[4] *De Smet,* Tract. de cas. reserv. n. 165. [5] Cf. *Berardi* l. c. n. 359.

Denuntiatio facienda est S. Officio vel Ordinario loci (eoque mortuo, vicario capitulari) non autem vicario generali, nisi ille sit specialiter delegatus. Ordinarius competens est imprimis episcopus proprius sacerdotis sollicitantis, deinde etiam episcopus vel loci, ubi crimen commissum est, vel poenitentis sollicitati. Episcopus in hoc negotio agit tamquam delegatus S. Officii seu, uti dicitur, ut inquisitor natus, ac proinde denuntiatio etiam *sacerdotis regularis exempti* debet fieri episcopo et non superioribus regularibus. Persona igitur sollicitata scribat episcopo litteras (non anonymas), in quibus exponat factum sollicitationis cum circumstantiis loci, temporis, nominis sacerdotis sollicitantis. Non autem debet fateri, se consensisse sollicitanti sacerdoti [1].

Quando episcopus «aliquam de infando sollicitationis crimine denuntiationem acceperit, ilico ad diligentias (i. e. iudicialem investigationem circa famam denuntiati et denuntiantis) procedet. Ad quem finem vel per se vel per sacerdotem a se specialiter delegatum advocabit duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utcumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint cum denuntiatum tum omnes et singulos denuntiantes, eosque sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii [2] servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivae denuntiationis authenticum exemplum directe tutaque via ad hanc supremam Congregationem quam primum transmittet.» Ita Instructio S. Officii d. 6 Augusti 1897, ex qua sequitur, ut episcopus iam non possit *iudicialiter* contra denuntiatum procedere, antequam praefata documenta S. Officio transmiserit ab eoque responsum acceperit.

Donec *secunda* vel *tertia* denuntiatio eiusdem confessarii facta fuerit, episcopus potest supersedere a *processu iudiciali* contra confessarium accusatum, quem tamen interim paterne monere et invigilare debet. Immo expedit, ut episcopus salutarem poenitentiam imponat confessario, qui vel semel crimen sollicitationis certo commisit, e. g. exercitia spiritualia agenda, remotionem a loco, in quo confessarius tam enormiter defuit suo officio.

4. **Poenae sollicitationis.** Confessario, qui in processu iudiciali convictus est de crimine sollicitationis, infligendae sunt sequentes poenae (quae tamen omnes sunt *ferendae* sententiae): 467

a) suspensio a Missa celebranda;

b) suspensio ab audiendis confessionibus;

c) privatio omnis beneficii, vocis activae et passivae, dignitatis.

d) in casibus gravioribus degradatio [3].

Notandum est, ipsum peccatum sollicitationis *non esse reservatum*, saltem ex iure communi; ac proinde si miser sacerdos rite

[1] Iuxta vigentem disciplinam iam nullae denuntiationes fieri possunt a clero vel a fidelibus immediate ad S. Officium, sed faciendae sunt mediante episcopo. Ratio est, quia adest periculum eas amittendi in «posta»; quod quidem posset causare valde gravia incommoda. Quare sigillo clausae tradendae sunt Ordinario, qui, cum eas sic clausas acceperit, eas non tactas alio includat involucro (enveloppe, busta) inscriptasque mittat Cardinali Secretario, qui ipse, nulla interposita mora, eas similiter integras S. Officio transmittendas curabit (Circulare Secretariae Status d. 1 Dec. 1918).

[2] Secretum S. Officii vocatur illud secretum, quod sub iuramento observare debent omnes officiales S. Officii aliique, qui tractant aliquam rem ad S. Officium pertinentem.

[3] Cod. iur. can. c. 2368.

dispositus confitetur hoc peccatum, potest absolvi a quolibet confessario [1].

468 **Scholion. Poena inflicta calumniose denuntianti.** Cod. iur. can. 2363 statuit, ut detestabile facinus illius, qui falso denuntiat per scriptum vel per alios innoxium confessarium, incurrat excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam. Iste igitur casus est reservatus et ratione censurae et ratione peccati. Etenim can. 894 statuit: «Unicum peccatum ratione sui reservatum S. Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos.» Sequentes condiciones requiruntur, ut istud peccatum sit revera reservatum:

1. Ut sit falsa denuntiatio confessarii *ut confessarii* iuxta superius explicata. Ergo si quis calumniose denuntiat sacerdotem sine relatione ad confessionem, peccatum non est reservatum.

2. Ut denuntiatio sit *iuridica,* i. e. personaliter facta coram iudice competenti. Ergo peccatum non videtur esse reservatum, si denuntiatio facta est anonyma vel etiam per epistulam subsignatam, quae tamen tamquam mera epistula *privata* habetur [2].

Complices falsae denuntiationis, e. g. iubentes, mandantes, consilium dantes, rogantes, promittentes, comminantes etc., idem peccatum reservatum sub iisdem clausulis committunt. — De absolutione huius detestabilis peccati falsae denuntiationis statutum est, ut illud non possit remitti, nisi poenitens a) serio promiserit retractare apud episcopum et apud omnes alios, qui hoc forsan audierunt, calumniosam diffamationem innoxii confessarii; b) omnia damna ex sua calumniosa denuntiatione reparaverit; c) acceptaverit gravem et diuturnam poenitentiam.

TRACTATUS VI.

De poenis ecclesiasticis.

Praenotamen. Etsi haec disciplina de poenis ecclesiasticis proprie ad Ius canonicum pertinet, tamen in omnibus fere Manualibus modernis Theologiae moralis invenitur, quia est valde necessaria in praxi confessarii. Quare et nos hic brevissime explicamus tamquam complementum tractatus de poenitentia poenas ecclesiasticas in utilitatem confessariorum; omittimus autem poenas vindicativas (e. g. degradationem, depositionem) et poenitentias, cum quia tales poenae hodie sunt valde rarae, tum quia haec res unice pertinet ad Ius canonicum. Dividitur totus tractatus in tria capita: 1. de poenis ecclesiasticis in genere; 2. de censuris in genere; 3. de censuris in specie.

CAPUT I.

De poenis ecclesiasticis in genere.

Dividitur istud caput in duos articulos: 1. de notione et divisione poenae ecclesiasticae; 2. de eius auctore et subiecto.

---

[1] S. Offic. d. 13 Sept. 1859 (Collectan. de Prop. Fide n. 1181).

[2] Cf. *Noldin,* De sacr. n. 393.

ARTICULUS I.

De notione et divisione poenae ecclesiasticae.

Notio. Poena in genere definiri potest: *malum afflictivum contra* 469
voluntatem passi inflictum in vindictam sui peccati[1]; vel etiam: molestia a legitima auctoritate inflicta reo propter transgressionem legis seu praecepti, vel breviter: «poena est noxae vindicta»[2]. Quodsi hoc malum infligitur a legitima potestate ecclesiastica, habetur *poena ecclesiastica.*

Malum, quod in poenam infligitur ab ecclesiastica potestate, consistit in privatione alicuius boni, quod aliqualiter cadit sub iurisdictione ecclesiastica. Talia bona sunt bona non solum spiritualia, verum etiam temporalia. Hinc Ecclesia ius habet auferendi exercitium ordinis, iurisdictionis, unionis cum corpore mystico Christi, privandi reditibus beneficii, infligendi poenam carceris etc. Iuxta hodie tamen vigentem disciplinam poenae ecclesiasticae non solent (saltem pro laicis) consistere nisi in privatione bonorum spiritualium.

Causa poenae est crimen vel delictum a) *externum;* b) *grave.* 470

Licet forte Ecclesia valeat punire etiam actus malos pure internos, tamen reapse id non facit, sed relinquit punitionem horum actuum iustitiae divinae. *Leve* delictum non punitur poena ecclesiastica proprie dicta, cum secus poenae evaderent nimis numerosae. Quare statuit Cod. iur. can. c. 2218, § 2: «Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a *gravi,* excusant pariter a qualibet poena cum latae tum ferendae sententiae.»

Iuxta usum in modernis iuribus poenalibus receptum distinguuntur crimina *(Verbrechen)* a delictis *(Vergehen).* Crimen est actio mala *gravior,* quae solet puniri in iure poenali moderno *poena carceris;* delictum vero est actio externa non tam graviter mala, quae punitur mulcta pecuniae aliisve levibus poenis. In iure ecclesiastico crimen, delictum, excessus, scelus haud raro sumuntur promiscue; nomine autem delicti intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita est poenalis sanctio saltem indeterminata[3]. — Distinguuntur delicta occulta, publica, notoria. Delictum est *occultum,* quod vel soli malefactori (omnino occultum) vel paucis discretisque personis (paene occultum) notum est. Distinguitur delictum *materialiter* occultum, si latet ipsum factum delicti et *formaliter* occultum, si latet non quidem factum, sed eius imputabilitas. — Delictum est *publicum,* quod iam divulgatum est aut saltem in talibus adiunctis contigit seu versatur, ut prudenter iudicari possit immo et debeat, facile id divulgatum iri. — Delictum non solum est publicum, sed etiam *notorium,* a) post sententiam iudicis competentis, quae in rem iudicatam transiit, aut post confessionem iudicialem delinquentis (notorietas iuris); b) si est tam publice notum, ut neque factum ipsum neque eius imputabilitas iam nequeat celari[4] (notorietas facti).

Finis poenae ecclesiasticae est duplex, scil. *bonum societatis* vel *bonum delinquentis obtinendum.*

Primo igitur et principaliter poena ecclesiastica intendit *bonum societatis.* Per crimen enim ordo publicus laeditur, et saepe etiam scandalum datur;

[1] Cf. *S. Thomas,* S. theol. 1, q. 48, a. 5; *Billuart,* De peccat. diss. 7, a. 4. Non vacat hic tractare de multis theoriis excogitatis ab auctoribus circa naturam poenae Videsis *Cathrein,* Moralphil. II 663 sqq. [2] L. 131, D. 50, 16.

[3] Cf. Cod. iur. can. c. 2195. [4] Cf. Cod. iur. can. c. 2197.

per poenas autem ordo laesus et scandalum forte datum reparantur. Hinc dicit S. Bonaventura: «Deordinatum in culpa optime ordinatur in poena.»[1] Finis quoque poenae est comminando deterrere a crimine perpetrando. — Praeter hunc finem ordinis publici servandi poena saepe intendit *emendationem rei,* et sic fit quasi medicina, ad sanitatem spiritualem recuperandam. Talem characterem medicinalem habent e. g. omnes censurae proprie dictae.

471 **Divisio poenarum.** Inter multiplices divisiones poenarum ecclesiasticarum sequentes magis videntur ad nostrum scopum conducere.

1. Ratione **finis** distinguuntur poenae *vindicativae* et *medicinales.*

Poena *vindicativa* (quae etiam vocatur punitiva) principaliter intendit reparationem ordinis laesi et horrorem iniciendum. Tales poenae sunt degradatio, depositio, privatio beneficii etc. Aliquando infliguntur pro crimine mere *praeterito,* etiam si reus iam resipuerit, et remittuntur per *dispensationem.* — Poena *medicinalis* primario intendit emendationem rei et proinde numquam infligitur propter crimen mere praeteritum, cuius delinquentem iam sufficienter poenituit. Remittitur talis poena per *absolutionem.*

2. Ratione **auctoris** distinguuntur poenae latae *a iure* et *ab homine.*

Poenae a iure eae sunt, quae per legem ipsam statuuntur contra determinata crimina. Poenae ab homine eae sunt, quas iudex legitimus vel superior pro arbitrio suo iuste infligit delinquenti.

3. Ratione **obiecti** distinguuntur poenae *spirituales,* quae privant bono spirituali, e. g. suffragiis Ecclesiae, et poenae *temporales,* quae delinquentem afficiunt malo temporali, e. g. carcere, mulcta pecuniaria.

Dubitari nequit, quin Ecclesia valeat infligere etiam poenas temporales[2]. Etenim aliquando accidere potest, ut ordo publicus servari nequeat sine huiusmodi poenis. Iamvero Ecclesiae potestas se extendit ad ea omnia, quae necessaria sunt pro suo ordine publico servando. Antiquis temporibus Ecclesia haud raro tales poenas temporales inflixit, hodie autem illas iam solet non adhibere nisi in clericos religiososque delinquentes. — Disputatur, utrum Ecclesia valeat infligere etiam *punitionem cruentam,* e. g. mutilationem membrorum aut poenam capitis, quoniam iuxta commune adagium «Ecclesia abhorret a sanguine». Reapse Ecclesia numquam adhibuit punitionem cruentam, sed eius potestas infligendi tales poenas — si sint revera necessariae pro ordine publico servando — vix negari potest[3].

4. Ratione **formae** distinguuntur poenae *latae* et *ferendae* sententiae.

Priores illae sunt, quae incurruntur ipso facto transgressionis seu criminis, quin sit necessaria aliqua sententia iudicis saltem *condemna-*

---

[1] 4, dist. 15, P. 2, a. 1, q. 3. — Cum detur triplex ordo laesus a delinquente, scil. ordo *rationis propriae,* ordo *gubernationis temporalis,* ordo *regiminis divini,* delinquens incurrit triplicem poenam, «unam a se ipso, quae est conscientiae remorsus; aliam vero ab homine (i. e. a superiore legitimo humano); tertiam vero a Deo». S. Thomas, S. theol. 1, 2, q. 87, a. 1.

[2] Hinc damnavit Pius IX propositionem: «Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi» (*Denz.* n. 1697; cf. Syllab. prop. 24; *Denz.* n. 1724; Cod. iur. can. c. 2214, § 1). Minus recte hac in re locutus est nostris temporibus *Vacandard,* L'Inquisition 304 sqq.

[3] Cf. *Tarquini,* Inst. iur. eccl. n. 47.

toria. Posteriores non incurruntur nisi *post* et *per* sententiam iudicis condemnatoriam.

Poenae codicum civilium solent esse ferendae sententiae; in iure autem ecclesiastico exsistunt complures poenae latae sententiae, e. g. multae censurae, de quibus infra sermo erit. Ad dignoscendum, utrum poena sit latae an ferendae sententiae, attendenda sunt verba legis vel praecepti. Sic e. g. censentur poenae latae sententiae, si adhibita sunt verba haec vel similia ipso iure, ipso facto, absque alia sententia incurrat talem vel talem poenam. Ferendae vero sententiae censentur poenae expressae his vel similibus verbis: excommunicetur, praecipimus sub poena excommunicationis, interdicti, privationis officiorum etc.[1]

Nota. Quamvis poenae latae sententiae nullam sententiam condemnatoriam iudicis requirant, tamen nonnullae huiusmodi poenae exigunt adhuc sententiam iudicis *declaratoriam* criminis commissi. Sic e. g. poenae privationis beneficii aut vocis activae et passivae ipso facto incurrendae solent exigere, ut iudex legitimus declaret, reum revera commisisse crimen, ob quod poenae istae sint a lege impositae.

Elenchus poenarum ecclesiasticarum hodie exsistentium. 472
Omnes poenae, quas Ecclesia infligit, possunt ad tria genera revocari; nempe sunt:

1. *Censurae* seu poenae medicinales: a) excommunicatio; b) suspensio; c) interdictum.

2. *Poenae vindicativae,* quae infliguntur ad reparationem ordinis publici laesi, ad punitionem rei, et ad deterrendos alios ab eodem crimine. Tales autem poenae vindicativae aliae solis clericis, aliae etiam laicis infliguntur.

a) Poenae vindicativae in solos clericos vel religiosos, e. g. privatio beneficii vel officii ecclesiastici, privatio vocis activae et passivae, depositio, degradatio. Enumerantur in Cod. iur. can. c. 2298 duodecim tales poenae.

b) Poenae vindicativae, quae possunt imponi sive clericis sive laicis; e. g. privatio sepulturae ecclesiasticae, infamia ecclesiastica, irregularitas ex delicto, poenae temporales, quales sunt poena pecuniaria, correctio publica etc. Item duodecim enumerantur in Cod. iur. can. c. 2291.

3. *Poenitentiae et remedia poenalia,* quae infliguntur tamquam poenae partim vindicativae partim medicinales; sunt autem quaedam opera poenitentiae ab Ecclesia eo potissimum fine iniuncta, ut reparetur publicum scandalum et delinquens corrigatur[2]. Iuxta vigentem disciplinam huiusmodi poenitentiae aliquando adhibentur contra clericos religiososque delinquentes, et consistunt e. g. in exercitiis spiritualibus, in correptione, in ieiunio aliisque operibus laboriosis quidem sed non ita duris[3].

---

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 2217, § 2.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 8 de reform., et *Noldin,* De poenis eccl. n. 6.

[3] Cf. Cod. iur. can. c. 2306—2313.

ARTICULUS II.

De auctore et subiecto poenae ecclesiasticae.

473 **Auctor** poenae ecclesiasticae est Ecclesia, cui competere nativum et proprium ius (independens a qualibet humana auctoritate) infligendi poenas est certum [1].

Etenim Christus Dominus vera potestate legislativa et coercitiva instruxit Ecclesiam, quae illam etiam ab initio in praxim deduxit. Quare Pius VI proscripsit tamquam haereticam propositionem asserentem, «Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi.» [2] Quae quidem Ecclesiae potestas coactiva se extendit ad poenas non solum spirituales, sed etiam temporales, ut iam supra dictum est.

Exercitium potestatis punitivae in Ecclesia competit omnibus superioribus habentibus in *foro externo* iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam, dummodo haec iurisdictio sit expedita. Qua de re statuit Cod. iur. can. c. 2220: «Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui iudiciali tantum (potestate pollent), possunt solummodo poenas legitime statutas ad normam iuris applicare.»

Hinc poenas ecclesiasticas ferre possunt: a) Summus Pontifex pro tota Ecclesia; b) episcopi et praelati regulares pro suis subditis; c) aliique omnes habentes iurisdictionem expeditam in foro externo. Aliquando tamen requiritur speciale mandatum, e. g. in Vicario generali [3].

Iurisdictio quantum ad ius puniendi impeditur:

1. Pro *episcopo* excommunicato, suspenso, haeretico, schismatico, qui semper illicite, immo invalide — si est excommunicatus vitandus — fert censuras in subditos suos [4].

2. Pro *iudice,* qui extra proprium territorium vult sententiam ferre in foro contentioso. Hinc illud commune adagium: «Extra territorium ius dicenti non paretur impune.» [5] Aliquando tamen iudex etiam extra proprium territorium ius dicere valet, ut docent canonistae [6].

474 **Subiectum** poenae ecclesiasticae sunt (seu poenis ecclesiasticis plecti possunt) omnes baptizati rationis capaces viventes delinquentes et subditi.

Ergo non subiciuntur poenis ecclesiasticis:

1. *Non baptizati.*

Nam Ecclesia de iis, qui foris sunt, non iudicat [7].

---

[1] Cod. iur. can. c. 2214, § 1.

[2] *Denz.* n. 1505; cf. Bened. XIV Breve «Ad assiduas» a. 1755; Leonis XIII Const. «Immortale Dei» d. 1 Nov. 1885.

[3] Cod. iur. can. c. 2220, § 2.

[4] Cf. c. 12, X 2, 25; c. 1, I 7 in VI°.

[5] Cf. c. 2, I 2 in VI° et c. unic. II 2 in Clem.

[6] Cf. *Bargilliat,* Prael. iur. can. n. 1551.

[7] Cf. 1 Cor 5, 12; Conc. Trid. sess. 14, c. 2 de poenit. (*Denz.* n. 895).

2. *Actu carentes usu rationis* [1].

Cum enim homo usu rationis actu carens nequeat perpetrare delictum formale, etiam non potest puniri poena ecclesiastica. Quare non solum amentes, sed etiam infantes, qui septimum annum non attigerunt, ordinariis poenis ecclesiasticis non ligantur. Immo pia mater Ecclesia eximit a poenis latae sententiae omnes *impuberes*, licet sint usus rationis capaces; puberes vero, qui eos ad legem violandam induxerint vel cum iis in delictum concurrerint, poenam lege statutam incurrunt [2]. Hinc e. g. puer 10 annorum illegitime ingressus in clausuram monialium non est excommunicatus. Ille vero, qui eum introduxit, censuram non effugit. Minorennes post pubertatem adeptam subiciuntur poenis ecclesiasticis [3].

3. *Peregrini.*

Non tenentur peregrini legibus mere territorialibus sui domicilii aut quasi-domicilii, extra quod versantur [4]. Quare Bonifatius VIII statuit, ut «statuto episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur: subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes minime ligati noscantur» [5]. Num idem dicendum sit de *praecepto* seu statuto, quod episcopus pro suis dioecesanis tulit sub poena ipso facto incurrenda, an scil. hanc poenam incurrant dioecesani violantes tale praeceptum extra dioecesim, disputant auctores. Episcopum quidem *posse* huiusmodi praecepta etiam *extra dioecesim* suos subditos obligantia ferre, docet communis sententia [6]. Utrum autem reapse aliquod praeceptum episcopale obliget transgressores extra dioecesim, inquirendum est ex mente legislatoris. Quae mens, si dubia est, poena lata non censetur incursa.

Poenis *civilibus*, quae latae sunt in locis, *per quae transit*, peregrinus solet ligari. Unde e. g. Gallus in Helvetia laedens ius poenale Helvetiae, punitur iuxta leges poenales Helvetiae. In iure ecclesiastico non potest regula generalis dari, sed inspicienda sunt singula delicta singulaeque poenae infligendae.

Scholion. *Quomodo religiosi exempti* subiaceant potestati punitivae episcopi loci, videndum est in tractatu de iure religiosorum [7].

CAPUT II.

De censuris ecclesiasticis in genere.

Caput istud dividitur in sex articulos: 1. de notione et divisione censurae; 2. de eius auctore; 3. de eius subiecto; 4. de eius obiecto; 5. de causis excusantibus; 6. de absolutione a censuris.

ARTICULUS I.

De notione et divisione censurae.

Notio. Censura est poena ecclesiastica medicinalis, qua homo baptizatus delinquens et contumax privatur usu quorundam bonorum praecipue spiritualium. 475

[1] Cod. iur. can. c. 2201. [2] Ib. c. 2230.
[3] Cf. Bened. XIV Const. «Ab Augustissimo» d. 5 Martii 1744 et c. 1, 2, X 5, 23.
[4] Cf. supra I, n. 194. [5] c. 2, I 2 in VI°.
[6] Cf. *Bened. XIV*, De syn. dioec. l. 13, c. 4, n. 9.
[7] Cf. nostrum Man. iur. can. 9.

Explicatur: Nomen censurae significabat in vetere iure Romano *munus censoris,* qui censum, i. e. descriptionem personarum et bonorum, in tabulas censorias retulit et delicta contra honestatem publicam patrata perstrinxit nota censoria[1]. In iure autem ecclesiastico censura habet triplicem significationem; nempe: 1. primis Ecclesiae saeculis censura significat *quamlibet poenam ecclesiasticam* (sive vindicativam, sive medicinalem), e. g. poenitentias publicas, excommunicationem, depositionem; 2. a temporibus Innocentii III[2] (saec. XIII) censura restricta est ad excommunicationis, suspensionis et interdicti poenas vel sententias; 3. censura significat examen et approbationem libri edendi[3]. Quae quidem censura proprie vocatur censura *praeventiva,* et in hoc sensu sapientissimas leges tulit Leo XIII «de censura librorum»[4]. — Definitio data valet de sola censura in secundo sensu accepta.

Dicitur 1°: «*poena*», ideoque supponit culpam atque distinguitur ab irregularitatibus, quae sunt vel unice vel saltem principalius *inhabilitates.*

Dicitur 2°: «*ecclesiastica medicinalis*», quia infligitur censura a potestate ecclesiastica in medicinam, i. e. in emendationem delinquentis. Quare 1. si emendatio delinquentis revera est obtenta, absolutio a censuris non solum potest, sed *debet dari*[5]; 2. censura nequit ferri propter delictum mere praeteritum, quod non habet — uti dicunt — *tractum successivum,* aut quod iam emendatum est; 3. censura nequit ferri ad determinatum tempus, neque etiam simpliciter in perpetuum; etenim quando emendatio delinquentis advenit, tunc censura est auferenda, ut iam dictum est; 4. censura ferri potest etiam in eos, quorum emendatio fere est desperata; nam censura non solum fertur in emendationem delinquentis, sed etiam (licet secundario et accidentaliter) in poenam delicti commissi et ad terrorem aliis *iniciendum;* ceterum de emendatione nullius hominis viventis est penitus desperandum. In *mortuos* autem nulla censura proprie dicta ferenda est[6].

Dicitur 3°: «*qua homo baptizatus delinquens et contumax*». Quibus verbis indicantur condiciones ad censuram requisitae ex parte subiecti et obiecti. De quibus infra n. 481 sqq. specialiter agetur.

Dicitur 4°: «*privatur usu quorundam bonorum praecipue spiritualium*». Quibus verbis indicatur *effectus* censurae. Censura utpote poena ecclesiastica non privat nisi usu bonorum eorum, *de quibus Ecclesia libere disponit,* e. g. administratione et susceptione sacramentorum, officiis, beneficiis etc. Hinc censura a) non privat bonis spiritualibus, quae immediate *a Christo* procedunt, ut sunt character, potestas ordinis, gratia habitualis vel actualis, virtutes etc.; haec enim bona non dependent ab Ecclesia; b) non privat iis bonis spiritualibus, quae *producuntur a singulis hominibus,* ut sunt opera bona et orationes fidelium; ratio est, quia ne haec quidem bona dependent ab

---

[1] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. V 144. [2] Cf. c. 20, X 5, 40.

[3] Censura in hoc sensu aliquando sumitur latius pro iudicio, utrum aliqua res sit laude an vituperio digna.

[4] Const. «Officiorum et munerum» d. 25 Ian. 1896, tit. 2.

[5] Cod. iur. can. c. 2248, § 2.

[6] *Nota.* Suspensio et interdictum aliquando infliguntur non ut censurae, sed ut poenae vindicativae; excommunicatio autem semper infligitur ut vera censura. Hinc dicit Innocentius III: «Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis» (c. 1, V 11 in VI°).

Ecclesia, quippe quae non valeat impedire communionem sanctorum; hinc licet privatim orare pro excommunicato etiam vitando; c) non privat ipsis bonis spiritualibus, sed solummodo *usu* eorum; nam censura debet esse poena medicinalis ideoque infligi per modum vinculi facile solubilis, ut primum reus a contumacia recessit [1].

Bona, quorum usu privat censura ecclesiastica, sunt *praecipue* spiritualia; per accidens tamen et secundario aufertur usus etiam bonorum temporalium, e. g. communionis civilis cum aliis fidelibus, redituum beneficii etc.

Divisio censurarum. Principaliores divisiones videntur esse se- 476
quentes:

1. Ratione **speciei** censurae dividuntur in excommunicationem, suspensionem, interdictum [2].

Nulla alia species poenarum ecclesiasticarum sub genere censurae continetur. Proinde e. g. non sunt censurae: depositio, degradatio, irregularitates etc.

2. Ratione **causae efficientis** distinguuntur censurae latae a iure et ab homine.

Censurae feruntur a lege, si contra peccata futura per legem stabilem infliguntur; feruntur autem ab homine vel per modum *sententiae particularis*, ut si episcopus aliquem clericum determinatum suspendit ab officio propter crimen patratum; vel per modum *statuti generalis*, e. g. si episcopus statuit, ut quilibet clericus frequentans tabernas sit suspensus [3].

3. Ratione **modi** distinguuntur censurae latae et ferendae sententiae.

Censurae latae sententiae incurruntur ipso facto patrati criminis absque sententia condemnatoria. In foro *externo* solet quidem saepe requiri adhuc sententia declaratoria criminis, sed in foro interno ne haec quidem sententia declaratoria requiritur, ut talis censura sit reapse incursa eo ipso, quod crimen est commissum [4]. Censurae ferendae sententiae in neutro foro incurruntur nisi post sententiam iudicis condemnatoriam.

4. Ratione **potestatis absolvendi** distinguuntur censurae reservatae et non reservatae, prout auferri possunt vel a solo ferente (eiusve superiore, successore aut specialiter delegato), vel etiam a ministris inferioribus.

Censurae reservatae hodie exsistentes sunt reservatae: 1. Summo Pontifici, et quidem a) specialissimo modo; b) speciali modo; c) simpliciter [5]. 2. Episcopis. 3. Superioribus religiosis pro eorum subditis [6].

---

[1] Cf. *Laymann*, Tract. de cens. eccl. P. 1, c. 1, n. 2.

[2] Cf. c. 20, X 5, 40.

[3] Cf. supra de poenis in genere n. 471; sunt tamen complures auctores, e. g. *Wernz* (Ius Decretal. V 146), qui censuram latam per statutum generale inter censuras latas a lege enumerant. Quae quidem controversia non est tanti momenti practici, nisi pro duratione et absolutione talis censurae. Censurae enim latae ab homine solent esse reservatae et etiam cessare post mortem auctoris censurantis. Cum res sit dubia, iudicandum est in singulis casibus iuxta mentem superioris. Cf. *Billuart*, De cens. diss. I, a. 1, dico 3.

[4] Cf. *Wernz* l. c. [5] Cod. iur. can. c. 2245, § 3.

[6] Cf. tamen decretum S. C. de Relig. d. 5 Aug. 1913 supra n. 417 relatum.

ARTICULUS II.

De auctore censurae.

Subdividitur iste articulus in duas paragraphos: 1. de potestate ferendi censuras; 2. de condicionibus requisitis in censuris ferendis.

§ 1.

De potestate ferendi censuras.

477 **Principium 1.** *Est in Ecclesia potestas ferendi censuras.*

Prob. 1. Ex Concilio Constantiensi, quod damnavit propositionem (30) Ioannis Wicleff: «Excommunicatio Papae vel cuiuscumque praelati non est timenda, quia est censura antichristi.»[1] Si quis autem Wicleffitarum et Hussitarum voluit redire in gremium Ecclesiae, debuit respondere ad quaestionem: «Utrum credat, quod Papa vel alius praelatus . . . possint suum subditum ecclesiasticum sive saecularem propter inoboedientiam sive contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.»[2]

Prob. 2. Ex S. Scriptura. Legitur enim S. Paulum tradidisse aliquem satanae, «ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi»[3]. Quod quidem communiter intelligunt exegetae de excommunicatione a S. Paulo lata contra peccatorem. Potestas excommunicationem ferendi innuitur etiam in verbis Christi: «Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.»[4]

Ceterum si Ecclesia habet potestatem coercitivam, ut supra n. 473 probatum est, oportet habeat etiam potestatem ferendi censuras, ut per se patet.

478 **Principium 2.** *Potestas ordinaria ferendi censuras est penes omnes et solos praelatos ecclesiasticos habentes iurisdictionem non impeditam fori externi.*

Ratio est, quia valde convenienter facultas puniendi tam gravi poena, qualis censura est, reservatur praelatis habentibus iurisdictionem in foro externo.

Huiusmodi potestate pollent:

1. *Summus Pontifex et concilium oecumenicum pro tota Ecclesia*[5].

2. *Legati a latere* in territorio legationis suae[6].

3. *Episcopi* in suos subditos[7] (non autem vicarius generalis sine speciali mandato).

4. *Capitulum ecclesiae cathedralis* (nondum electo vicario capitulari, quo electo potestas capituli transit in illum) *et vicarius capitularis sede episcopali vacante*[8].

---

[1] *Denz.* n. 610; cf. etiam propositionem (19) Ioannis Huss (*Denz.* n. 645).

[2] *Denz.* n. 681. [3] 1 Cor 5, 3—5. [4] Mt 18, 17.

[5] Cf. c. 1, I 8 Extrav. comm.

[6] c. 7, X 1, 30 et c. 2, I 15 in VI°.

[7] Si censura Sedi Apostolicae reservata est, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre (Cod. iur. can. c. 2247, § 1). Tempore visitationis canonicae Metropolita potest censuras ferre in dioecesibus suffraganeorum (ib. c. 274, n. 5). Vicarius generalis episcopi sine speciali mandato non habet potestatem infligendi censuras aliasque poenas ecclesiasticas (ib. c. 2220, § 2).

[8] Conc. Trid. sess. 24, c. 10 de reform.

5. *Praelati nullius et similes praelati, qui iurisdictionem in foro externo habent*[1].

6. *Concilia provincialia, item capitula ordinum religiosorum.*

Quantum ad capitula ista et generatim quantum ad superiores religiosos, attendenda sunt statuta particularia legitime approbata.

Nota. Parochi nullam habent potestatem ordinariam ferendi censuras. Ita saltem iuxta vigentem disciplinam[2]. Cardinales videntur habere facultatem ordinariam ferendi censuras in ecclesiis sui tituli[3].

Principium 3. *Potestas delegata ferendi censuras est penes solos* 479
clericos, quibus legitime commissa est ab habente potestatem ordinariam.

Ita saltem iuxta disciplinam vigentem. Vir laicus potest quidem a Summo Pontifice delegari ad exercendam iurisdictionem ecclesiasticam in foro externo, et hoc videtur esse reapse factum in famosa «Monarchia Sicula»[4]. Femina autem non videtur posse ne ex facultate delegata quidem ferre censuras. Hinc S. Thomas[5] dicit: «Mulier non potest habere aliquam iurisdictionem spiritualem, . . . unde non habet neque clavem ordinis neque clavem iurisdictionis.» Quando vero in Decretalibus[6] abbatissa dicitur posse suspendere clericos sibi subiectos ab officio aut beneficio, non conceditur illi facultas ferendi censuram proprie dictam, cuius laesio induceret irregularitatem, sed talis suspensio sumitur in lato sensu pro praecepto, quo abbatissa clerico sibi quodammodo subiecto prohibet celebrationem Missae, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus interea[7]. — Omnis clericus prima tonsura clericali initiatus est capax iurisdictionis ecclesiasticae, ac proinde illi demandari potest facultas ferendi censuras.

§ 2.

De condicionibus requisitis in censuris ferendis.

Ad censuras ferendas requiritur ex parte ferentis: 480

1. Ut sit *baptizatus*; quia, qui ipse non est membrum Ecclesiae, non est capax iurisdictionis ecclesiasticae[8].

2. Ut sit *compos rationis et habeat voluntatem ferendi veram censuram.* Per se patet.

3. Ut *libere et non coacte agat.* Non constat, num censura lata ex gravi metu sit invalida[9].

4. Ut *habeat iurisdictionem expeditam quoad usum*[10].

---

[1] c. 10, X 1, 33; c. 8, X 3, 35.

[2] Cf. *S. Thom.* 4, dist. 18, q. 2, a 2, sol. 1; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 11.

[3] Cf. Cod. iur. can. c. 240, § 2.

[4] Cf. *Sentis*, Die «Monarchia Sicula», Freiburg 1869, 2 sqq.

[5] 4, dist. 19, q. 1, a. 1, sol. 3 ad 4. [6] c. 12, X 1, 33.

[7] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 7, n. 11 sq. S. Doctor putat esse probabiliorem sententiam illam, quae docet, ne ex plenitudine potestatis quidem Papam posse mulieri delegare potestatem ferendi censuras. Contrarium docet *Ballerini* (in notis ad *Gury* II, n. 943) et cum illo quam plurimi auctores. Cum haec controversia sit mere theoretica sine ulla utilitate practica, eam hic brevitatis causa omittimus. — Exemplum curiosum iurisdictionis Abbatissae Monasterii S. Mariae de las Huelgas, quae adhuc anno 1868 contendit se habere iurisdictionem quasi-episcopalem, videsis in Anal. eccl. VI (1898) 257.

[8] Cf. *S. Alph.* l. c. [9] Cf. ib. n. 12.

[10] Cf. quae supra n. 473 dicta sunt de auctore poenarum ecclesiasticarum.

5. Ut *praecedat monitio.*

Censura enim est poena medicinalis, quae non fertur nisi in contumaces. Iamvero nemo censetur esse contumax, nisi prius sit monitus de poena incurrenda in casu transgressionis legis aut praecepti. Circa hanc monitionem sequentia breviter notentur: Distinguitur duplex monitio, altera *legalis* seu sollemnis, altera *canonica.* Monitio legalis fit ab ipsa *lege,* et locum habet in omnibus censuris latis a lege. Lex enim cognita, quae comminatur transgressoribus censuram, censetur continuo monere subditos eosque deterrere a transgressione. Quodsi nihilominus subditus transgreditur talem legem, merito censetur esse contumax. — Monitio canonica fit ab *homine,* et locum habet in censuris poenisve ferendis ab homine; e. g. talis monitio necessaria est, antequam episcopus possit suspendere clericum inoboedientem et delinquentem. Valde consulitur, ut superior ecclesiasticus, antequam perveniat ad monitionem canonicam (quae iam est initium processus iudicialis), subditum conetur emendare per sic dictam monitionem *paternam.* Convenit enim, ut superior imitans exemplum Christi mansueti, prius et potius amore paterno quam stricta iustitia corrigat delicta subditorum. Quia autem omnes monitiones importunae potius obsunt quam prosunt, hinc ne monitionem paternam quidem faciat superior, nisi prius moraliter certo cognoverit exsistentiam delicti. Quodsi monitio paterna infructuosa permanserit, procedendum est ad monitionem canonicam, quae debet sequentes qualitates habere:

1. debet fieri *personaliter* delinquenti vel saltem per edictum;

2. debet esse *trina* cum intervallo tridui vel saltem bidui, aut una peremptoria, si est periculum in mora;

3. debet *registrari in cancellaria episcopi vel superioris*[1].

Nota. Animadvertit S. Officium[2]: «Cauti omnino sint (Ordinarii) et quam maxime parci quod ad poenales sanctiones, excommunicationes praesertim; nam, ut sapienter admonet Sacrosancta Synodus Trid. (sess. 25 de ref. c. 3): ‚Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis eam contemni quam formidari et perniciem potius parere quam salutem.»

ARTICULUS III.

De subiecto censurae.

481 **Notio.** Subiectum (passivum) censurae vocatur ea persona, quae censuris ecclesiasticis plecti potest. Tale autem subiectum est solus homo 1. baptizatus; 2. viator; 3. rationis compos dolique capax; 4. subditus ei, qui censuram fert. — Singula sunt breviter explicanda:

1. *Homo baptizatus.*

Ratio est duplex: a) quia Ecclesia non habet iurisdictionem nisi in baptizatos; b) quia non-baptizati non fruuntur bonis spiritualibus ecclesiasticis, quibus privari possint per censuras. — Hinc censura plecti non possunt: 1. creaturae irrationales; quodsi aliquando Ecclesia in creaturas irrationales

[1] Cf. de his omnibus Cod. iur. can. c. 2233, § 2; 2309.

[2] Instruct. d. 13 Iul. 1916 (Act. Ap. Sed. VIII 314).

(e. g. in locustas) anathema dixit, id non fuit propria censura, sed manifestatio exsecrationis et detestationis; 2. pagani, Iudaei, catechumeni. Minime autem a censuris exempti sunt haeretici, schismatici, apostatae, dummodo sint valide baptizati.

2. *Viator.*

Quodsi antiquis temporibus mortui censuris plectebantur aut a censuris absolvebantur [1], hoc fiebat ad salutarem horrorem fidelibus iniciendum vel ad mortuos sepultura ecclesiastica et suffragiis privandos vel iterum donandos. Manifestum est autem mortuos non posse plecti propria censura, quia cadaver eorum nequit ligari, anima vero separata iam non est subdita iurisdictioni ecclesiasticae.

3. *Rationis compos dolique capax.*

Ratio est, quia censura, utpote gravis poena medicinalis supponit gravem culpam eamque cum contumacia coniunctam. Iamvero ante usum perfectum rationis nemo potest gravem culpam committere. Hinc censura non plectuntur infantes, amentes aliique usu rationis omnino carentes. Quamvis autem *impuberes,* cum sint usus rationis et gravis delicti capaces, possint censuris puniri, tamen iuxta vigentem disciplinam eas non incurrunt, ut iam supra n. 474 dictum est. Censuris *ferendae sententiae* impuberes per se plecti possunt, sed communiter hoc non convenit; ideoque lepide dicunt Salmanticenses [2]: «Impuberes potius virgis quam censuris corrigi debent.»

4. *Subditus.*

Ferre censuras est actus iurisdictionis, ut supra dictum est. Iamvero nemo exercere potest valide et licite iurisdictionem nisi in subditos suos. Quae cum ita sint, sequentia inferuntur corollaria:

Corollaria. 1. Nullus superior ecclesiasticus incurrit censuram a se ipso 482
latam. Nemo enim iurisdictionem exercere potest in se ipsum. Quare Summus Pontifex, cum non habeat superiorem ecclesiasticum, non ligatur ulla censura. Similiter ex privilegio (nisi expresse nominentur) Cardinales sub nulla lege poenali comprehenduntur, nec episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti [3]. Supremi autem populorum gubernatores eorumque filii ac filiae, ii, quibus ius est proxime succedendi in principatum, a nemine iudicari aut puniri possunt nisi a Summo Pontifice [4]. Proinde isti non subiacent poenis censurisve episcopalibus aut episcopo reservatis.

2. Peregrini et alieni subditi non incurrunt censuras *territoriales* ipso facto incurrendas. Ratio est eadem. Sin autem peregrini deliquerint in alieno territorio, possunt a superiore istius territorii censuris plecti per sententiam *particularem.* Iuxta vigentem autem disciplinam talis peregrinus delinquens solet denuntiari proprio superiori, ut ab eo puniatur. Per se patet peregrinum, qui in aliquo loco quasi-domicilium obtinuit, subiacere censuris in hoc loco vigentibus.

3. Delinquentes extra dioecesim non incurrunt censuras in propria dioecesi per statutum *generale* et *locale* latas. Ratio est, quia lex territorialis non obligat extra territorium. Sin vero censura lata est per speciale praeceptum personale, tunc incurritur etiam a delinquente extra territorium.

---

[1] Cf. c. 6, C. 24, q. 2; c. 5, X 5, 7; Rit. Rom. tit. 3, c. 4.

[2] Tract. 10, de cens. c. 1, n. 168.

[3] Cod. iur. can. c. 2227. [4] Ib. c 1557, § 1; c. 2227.

Hinc e. g. si episcopus per legem generalem prohibet omnibus suis clericis sub poena suspensionis frequentationem tabernae aut theatri, talem poenam non incurrunt clerici extra dioecesim huiusmodi freqentationem perpetrantes; sin autem alicui determinato clerico per particulare praeceptum prohibuit frequentationem tabernae sub poena suspensionis, talis clericus hanc poenam incurrit, etiamsi extra propriam dioecesim tabernas frequentat. Ita sententia probabilior [1].

4. Religiosi exempti, cum subiaceant iurisdictioni *personali* suorum praelatorum, quocumque in loco exsistunt, subiacent censuris latis a propriis superioribus.

5. Religiosi exempti non subiacent censuris episcopalibus, nisi in casibus a iure expresse determinatis [2].

483 **Scholion. De censuris latis in personas morales seu in communitates.** Iuxta vigentem disciplinam sequentia obtinent:

1. *Interdictum et suspensio* ferri possunt in totam communitatem, licet in ea sint plures innocentes. Ratio est, quia istae poenae solent infligi, ut tota communitas in meliorem frugem redigatur. Ceterum istae poenae non sunt ita durae pro innocentibus.

2. *Excommunicatio* nequit ferri in totam communitatem, in qua revera inveniuntur innocentes [3]. Ratio est, quia bona, quibus privat excommunicatio, sunt praecipue *personalia*, et iniustum est punire personaliter aliquem innocentem.

ARTICULUS IV.

De obiecto censurae.

484 Obiectum, quod etiam aliquando vocatur materia vel causa censurae, est crimen, propter quod haec poena ecclesiastica infligitur. Tale autem crimen non potest censura puniri, nisi sit: 1. grave (cum subiective tum obiective); 2. externum; 3. consummatum in suo genere; 4. coniunctum cum contumacia [4].

1. *Grave.*

Censura enim censetur gravis poena. Iamvero gravis poena nequit licite imponi nisi propter gravem culpam. Aliquando tamen suspensio et interdictum infliguntur communitati culpabili, in qua forte personae innocentes exsistunt, et tunc debent quidem ab omnibus etiam innocentibus patienter tolerari, sed non ita constat, num sint censurae stricte dictae. — Quando crimen evadit leve ob aliquam rationem, e. g. parvitatem materiae, imperfectionem actus, impotentiam legem implendi etc., iam non incurritur censura neque alia poena ecclesiastica [5].

2. *Externum.*

Crimen enim mere internum nequit puniri censura ecclesiastica, quia Ecclesia non iudicat de actibus mere internis. Notari oportet aliud esse crimen internum, aliud crimen occultum, quod paucis vel soli delinquenti notum est. Nihil obstat, quominus *crimen occultum*, e. g. haeresis occulte prolata, puniatur censura.

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 7, n. 23. [2] Cf. nostrum Man. iur. can. q. 240 sqq.
[3] Cf. c. 5, V 11 in VI°; Cod. iur. can. c. 2255.
[4] Cod. iur. can. c. 2242. [5] Ib. c. 2218, § 2.

3. *Consummatum* sive completum (et non solum attentatum) oportet esse crimen censura plectendum, seu aliis verbis: censura non adest, nisi crimen habeat omnes condiciones in ipsa prolatione censurae positas.

Censurae enim sunt strictae interpretationis. Hinc e. g. censuram latam in violatores clericorum non incurrit is, qui sclopetum quidem explodit in clericum, sed illum non ferit, pariter excommunicationem non incurrit ille, qui legit librum, quem falso putavit esse prohibitum sub excommunicatione. Econtra videtur incurrere excommunicationem latam contra procurantes abortum ille, qui pharmacum causans abortum propinavit, sed quem poenitet ante effectum secutum. Ratio est, quia talis effectus secutus voluntarius fuit graviterque peccaminosus et habuit omnes condiciones ad excommunicationem requisitas [1]. Sententiam tamen contrariam vocat S. Alphonsus [2] in simili casu probabiliorem, quin tamen aliam sententiam reprobet.

Resolves: Caius propinavit pharmacum, quod post tres dies causabit Tulliae gravidae abortum. Statim poenitentia perculsus confitetur peccatum perpetratum. Etiam simplex confessarius potest absolutionem concedere, cum abortus nondum sit secutus. Post tres dies revera sequitur abortus, et tunc excommunicatio incurritur, a qua Caius in sequenti confessione debet absolvi per confessarium competentem. Neque quis dicat nullam excommunicationem incurri sine peccato gravi. Iamvero in casu proposito peccatum deletum est per sinceram poenitentiam. Respondetur nullam profecto excommunicationem incurri sine peccato *causante*, sed minime requiritur, ut illud peccatum causans perseveret toto tempore, quo excommunicatio exsistit. Etenim nihil obstat, quominus aliquis sit excommunicatus et tamen in statu gratiae, e. g. per contritionem perfectam. Cf. de hac re controversiam inter Ballerini et Vindicias Alphonsianas [3].

4. *Coniunctum cum contumacia,* i. e. cum contemptu saltem *virtuali* censurae.

Ad incurrendam censuram non requiritur quidem contemptus expressus et formalis, sed sufficit contemptus virtualis seu etiam interpretativus consistens in hoc, quod quis sciat, aliquid per legem aut legitimum superiorem ecclesiasticum sub censura esse prohibitum, et tamen illud facere praesumat [4]. Ideoque ad incurrendam censuram requiritur in peccante scientia cum *legis prohibentis* tum *poenae specialis* transgressoribus infligendae, ac proinde excusat ignorantia, de qua sermo redibit in articulo sequenti.

Nota. Contumacia saltem virtualis omnino requiritur pro incurrendis 485
censuris *in foro interno,* in foro autem *externo* aliquando sufficit contumacia *praesumpta.* Quando enim lex aliqua ecclesiastica sufficienter est promulgata, eius notitia praesumitur in omnibus subditis, qui, si hanc legem transgrediuntur, debent luere poenas et censuras sancitas. Hinc e. g. catholicus, qui coram ministro acatholico matrimonium contrahit, incurrit excommunicationem latam, quamvis ignoret exsistentiam huius censurae [5]. Talis igitur catholicus reapse ignorans excommunicationem potest absolvi in foro interno a quocumque confessario, sed indiget adhuc in foro externo absolutione, quae danda est

[1] Cf. *Lugo,* De poenit. disp. 16, sect. 9, n. 453.
[2] L. c. n. 40; cf. etiam ib. n. 280 et 368.
[3] *Ballerini-Palmieri,* Opus theol. VII, n. 143, et Vindic. Alphons. n. 841—848.
[4] Cf. *Reiffenstuel,* Ius. can. l. 5, tit. 39, n. 14.
[5] Cf. S. Offic. d. 11 Maii 1892 (Collect. d. Prop. Fide n. 1793).

iuxta formam in singulis dioecesibus praescriptam. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum veri delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit; iudicare autem, utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur [1].

Corollarium. Actus vestitus qualitatibus supra recensitis potest igitur censura plecti. Secundum diversitatem autem et multiplicationem actuum diversificantur et multiplicantur quoque censurae; ideoque unus idemque homo potest innodari multis censuris. Hinc e. g. qui a) iniit matrimonium coram ministro acatholico, b) stipulavit prolem educatum iri in haeresi, c) scienter praesumpsit offerre prolem ministro acatholico baptizandam, d) septem diversis vicibus scienter legit libros haereticos, incurrit 10 censuras [2].

ARTICULUS V.

De causis a censuris excusantibus.

Aliae causae excusant ab *incursu,* aliae ab *effectibus* censurae.

§ 1.

De causis excusantibus ab incursu censurae.

Solent enumerari quinque causae excusantes:

486 1. **Nullitas censurae,** quae tamen nequit esse causa excusans nisi in censuris latis ab *homine.*

Ita saltem iuxta modernam disciplinam. Censurae enim latae a lege pontificia semper sunt validae; aliae autem censurae latae a lege solent esse iustae et validae. — Censura lata ab homine est nulla: a) ex defectu *iurisdictionis* in ferente censuram, e. g. si episcopus illegitime ferret censuram in regularem exemptum; b) ex defectu *substantialis ordinis iudicii;* sic e. g. invalide ferret superior censuram, si praemissa non fuerit monitio canonica [3]; c) ex defectu *iustae causae.* Deest autem iusta causa non solum quando reapse non exsistit, sed etiam, quando non est legitime probata. Sic e. g. invalida est excommunicatio lata propter falsum aut etiam leve crimen.

2. **Defectus ex parte peccati.**

Quare si peccatum non est interne et externe grave, consummatum et cum contumacia coniunctum, censura non incurritur, ut dictum est in articulo praecedenti.

3. **Impotentia** physica vel moralis.

Censurae enim feruntur a lege ecclesiastica. Porro lex ecclesiastica cessat suborta impotentia. Hinc e. g. ille, qui bona fide usurpavit ecclesiastica bona eaque postea amisit, non tenetur sub censura haec bona restituere, si id est moraliter impossibile. Ita saltem in foro interno.

487 4. **Metus** gravis a censura excusat, quoties ab observanda lege ecclesiastica excusat.

Ratio est, quia ille, qui ex gravi metu legem transgreditur, non agit ex contemptu aut contumacia, ut patet. Sine contumacia autem non datur cen-

[1] Cod. iur. can. c. 2242, § 3. [2] Ib. c. 2244 et 2319.
[3] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 7, n. 53; Cod. iur. can. c. 2233, § 2.

sura proprie dicta. Si tamen delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, metus gravis nullatenus eximit a censuris (aliisque poenis latae sententiae)[1]. — Metus etiam *levis* excusat a censura, quae fertur contra «temere, ausu temerario, sponte» etc. facientes. In his enim casibus requiritur, ut actio prohibita fiat plane *motu proprio*, ita ut quaelibet imminutio imputabilitatis excuset.

5. **Ignorantia.** a) A censuris (aliisve ecclesiasticis poenis latae sen- 488
tentiae), quae feruntur in «*scienter, studiose, consulto, temere, temerario ausu, praesumptione*» aliquid facientes, excusat ignorantia *crassa et graviter culpabilis* (non autem ignorantia affectata)[2]; b) a ceteris censuris non excusat nisi ignorantia inculpabilis aut leviter culpabilis[3].

Supra in articulo praecedenti dictum est censuram non incurri, nisi adsit contumacia seu contemptus in peccante. Iamvero contemptus legis est impossibilis in illo, qui ignorat legem. Requiritur igitur ad incurrendam censuram, ut peccans cognoscat non solum generalem prohibitionem, sed etiam specialem legem ecclesiasticam prohibentem (saltem substantialiter). Non autem necessarium est, ut peccans cognoscat omnes *accidentales determinationes* legis prohibentis, e. g. reservationem censurae. Ita sententia longe communior et verior.

Ignorantiam crassam et graviter culpabilem excusare in casibus sub litt. a) enumeratis, patet ex eo, quod tunc in rigore non adest temerarius ausus neque praesumptio graviter culpabilis.

Ignorantiam inculpabilem vel leviter culpabilem excusare in ceteris censuris, manifeste sequitur ex dictis de contumacia vel contemptu necessario ad censuras incurrendas.

§ 2.

De causis excusantibus ab effectu censurae.

Cum effectus censurae nihil sint nisi statuta iuris mere ecclesiastici, 489
omnia ea, quae excusant ab observatione statutorum ecclesiasticorum, eximunt quoque ab effectibus censurae observandis. Quodlibet autem grave incommodum excusat ab huiusmodi statutis. Hinc excusat ab effectibus censurae observandis:

1. *Gravis infamia.*

Sic e. g. laicus occulte excommunicatus potest esse patrinus in baptismo, si secus suum crimen cum infamia deberet manifestare.

2. *Scandalum.*

Ideo sacerdos occulte suspensus potest divina officia obire, si secus scandalum fidelium oriretur.

3. *Gravis metus,* dummodo tamen ne sit incussus in odium religionis.

Hinc e. g. uxor, quae illegitime possidens cum marito bona ecclesiastica est excommunicata, non tenetur a susceptione sacramentorum abstinere, si ex restitutione statim facta timet gravissima mala a suo marito infligenda.

[1] Cod. iur. can. c. 2229, § 3, n 3. [2] Ib. § 1 et 2.

[3] A poenis vindicativis latae sententiae non excusat nisi ignorantia inculpabilis (Cod. iur. can. c. 2202 et 2229, § 3, n. 1). Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusat (Cod. iur. can. ib.).

Nota. Iuxta vigentem disciplinam quilibet confessarius valet in huiusmodi casibus urgentioribus absolvere ab omnibus censuris, ut in articulo sequenti dicetur.

ARTICULUS VI.

De absolutione a censuris.

Quattuor sunt expendenda in hoc articulo: 1. quomodo censurae auferantur; 2. quisnam absolvere possit; 3. quaenam sint condiciones requisitae; 4. quo ritu absolutio danda sit.

§ 1.

Quomodo censurae auferantur.

490 **Principium.** *Censura (stricte dicta) semel incursa non tollitur nisi per absolutionem legitimam*[1].

Cum nonnulli auctores docuerint, saltem in foro interno censuram cessare per emendationem rei, damnata est ab Alexandro VII propositio (44): «Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censurae.»[2] Hinc censurae non tolluntur:

a) morte auctoris ferentis[3];

b) morte rei censura puniti[4];

c) emendatione aut satisfactione rei[5].

Dicitur autem: censura *stricte dicta;* nam nonnumquam interdictum et suspensio feruntur pro determinato tempore; tunc autem non sunt censurae stricte dictae, sed potius poenae vindicativae aut poenitentiae.

Deinde dicitur censura auferri per *absolutionem.* Etenim non aufertur per dispensationem, cum dispensatio sit *actus gratiae,* quae (absolute loquendo) potest: a) negari etiam rite disposito; b) semel concessa revocari; c) numquam licite, aliquando autem nec valide quidem concedi sine ratione sufficienti[6]. Absolutio vero est *actus iustitiae,* quae nequit a) reo rite disposito et emendato negari; b) semel concessa revocari.

491 **Scholion. De diversis modis, quibus solet concedi absolutio censurae.** Quinque praecipue sunt modi, quibus solet concedi absolutio censurae:

1. pro *foro interno dumtaxat* aut pro *utroque foro,* nempe interno et externo. Absolutio data pro foro externo valet quoque pro foro interno, sed non vice versa. Hinc e. g. si haereticus rediens in gremium Ecclesiae absolutus est *in foro externo* (ab episcopo eiusve delegato), potest a peccato et censura haereseos absolvi in tribunali poenitentiae per quemcumque confessarium. Econtra si quis matrimonium mixtum iniit coram ministro acatholico et a censura propter tale crimen incursa a competenti confessario absolutus est *in tribunali poenitentiae,* nihilominus in foro externo potest tractari tamquam excommunicatus. Potest tamen iudex (si vult) absolutionem in foro interno datam etiam pro foro externo acceptare[7]. — Ordinarie non licet dare absolutionem in foro interno, antequam obtenta est absolutio in foro externo.

---

[1] Cf. c. 15, X 5, 39; Cod. iur. can. c. 2248, § 1. [2] *Denz.* n. 1144.

[3] c. 11, X 1, 31. [4] c. 28, X 5, 39.

[5] c. 15, X 5, 39. Absolutio autem denegari nequit, cum primum delinquens a contumacia recesserit (Cod. iur. can. c. 2248, § 2).

[6] Cf. supra I, n. 251 sqq. de causis dispensationis.

[7] Cf. Cod. iur. can. c. 2251.

2. *Absolute* vel *condicionate.* Absolutio condicionata effectum suum non nanciscitur nisi verificata condicione apposita.

3. *Ad reincidentiam.* Iuxta vigentem disciplinam talis absolutio solet dari in casibus urgentioribus, quando absolvitur ab omnibus censuris reservatis sub poena reincidentiae, si poenitens absolutus non recurrat infra mensem ad legitimum superiorem [1].

4. *Ad cautelam* solet dari absolutio a censuris (quas homo *forte* incurrit), ne collatio beneficii, dispensationis etc. sit irrita. Frivolas animadversiones contra hunc absolvendi modum factas a Synodo Pistoriensi damnavit Pius VI [2]. In qualibet absolutione sacramentali datur prius ad cautelam absolutio a censuris forte contractis. Notatu dignum est, quod inde a d. 3 Nov. 1908 omnes gratiae et dispensationes a S. Sede concessae etiam pro censura irretitis ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur, qui *nominatim* excommunicati sunt aut a S. Sede nominatim pariter suspensione a divinis sunt puniti [3].

5. *Ad certum effectum* aliquando datur absolutio a censuris, ne determinatus aliquis effectus, e. g. collatio officii etc., impediatur.

Nota. Si agitur de censura, quae non impedit sacramentorum receptionem, e. g. de suspensione, censuratus rite dispositus et a contumacia recedens potest a peccatis absolvi, firma remanente censura; sin autem agitur de aliis censuris, e. g. de excommunicatione, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit [4].

§ 2.

Quis possit absolvere a censuris.

Principium 1. *A censura non reservata in foro sacramentali* 492
quilibet confessarius, extra forum sacramentale quicumque iurisdictionem in foro externo habet in reum absolvere potest.

Ita ex c. 29, X 38 et ex Cod. iur. can. c. 2253. Confessarius talem absolutionem concedere valet tam intra quam extra confessionem. Plerumque autem decet, ut absolutio non detur a confessario nisi in tribunali poenitentiae [5]. Aliter est de illis, qui habent iurisdictionem in foro externo; isti enim dare possunt absolutionem ubique, immo et absenti.

Principium 2. *A censura lata ab homine* **per sententiam particularem** *nemo valet absolvere nisi ille, qui eam tulit, aut eius superior, aut eius successor in officio, aut eius specialiter delegatus* [6].

Dicitur: per sententiam particularem; nam censurae (etiam ab homine) latae per statutum generale non censentur esse reservatae, nisi id expressis verbis sit statutum.

Principium 3. *Ab omni censura reservata nemo potest ab-* 493
solvere nisi ille, qui habet debitam iurisdictionem ordinariam vel delegatam.

---

[1] Cf. infra n. 494. [2] Prop. 48 (*Denz.* n. 1548).
[3] Cf. Normae peculiares c. 3, a. 1, n. 6 (Acta Ap. Sedis I, 64).
[4] Cod. iur can. c. 2250.
[5] Cf. *Ferraris,* Prompta Bibl., s. v. «Excommunicatio» a. 7, n. 11.
[6] Cod. iur. can. c. 2245, § 2.

1. Iurisdictionem *ordinariam* absolvendi a censuris reservatis habent: a) qui illam tulit; b) eius successor in officio; c) eius superior ecclesiasticus.

2. Iurisdictio *delegata* conceditur vel ab ipso iure vel ab homine competenti. In iurisdictione, quae delegata est *ab homine* (e. g. ab episcopo, a S. Poenitentiaria), observandae sunt omnes limitationes et clausulae appositae.

494 Iurisdictio ad absolvendum a censuris reservatis delegatur *ab ipso iure* in quattuor casibus[1], nempe:

a) *In periculo mortis* quilibet sacerdos (etiam non approbatus aut suspensus) potest licite et valide absolvere ab omnibus censuris sine ulla exceptione. Quam quidem facultatem exercere potest, etiamsi adest alius confessarius approbatus et necessariis facultatibus instructus. Ita manifeste eruitur ex Concilio Tridentino[2] et ex Cod. iur. can. c. 882. Quodsi talis moribundus postea convalescat, in duobus casibus debet se sistere superiori legitimo et quidem sub poena reincidentiae, nempe primo, si fuit censuratus ab homine *per sententiam particularem,* quo in casu debet se sistere huic homini; secundo, si fuit innodatus censura *specialissimo modo* Summo Pontifici reservata. In hoc casu debet sive per se sive per confessarium recurrere infra mensem ad Summum Pontificem (i. e. ad S. Poenitentiariam) vel novam absolutionem petere ab habente legitimam facultatem[3].

b) *In casibus urgentioribus*[4] quilibet confessarius potest directe[5] absolvere in foro sacramentali ab omnibus censuris et peccatis reservatis, ea tamen lege, ut sic absolutus teneatur sub poena reincidentiae recurrere *infra mensem* ad S. Poenitentiariam vel novam absolutionem petere ab habente facultatem[6]. Nihil impedit, quominus poenitens non solum statim, sed etiam post acceptam absolutionem, in isto casu urgenti, immo facto quoque recursu ad superiorem legitimum, alium adeat confessarium facultate praeditum. Tunc autem poenitens tenetur huic confessario declarare delictum cum censura, ut per se patet, et mandata eius acceptare. Absolutione accepta iam non tenetur postea stare aliis mandatis ex parte superioris (ad quem recursus factus est) supervenientibus.

Quodsi in casu aliquo extraordinario hic recursus est moraliter impossibilis, tunc quilibet confessarius (excepto casu absolutionis complicis) potest absolutionem concedere sine onere recursus aut confessionis faciendae apud confessarium privilegiatum. Debet autem tunc confessarius α) iniungere de iure iniungenda, e. g. remotionem scandali, occasionis proximae etc.; β) imponere congruam poenitentiam et satisfactionem pro censura determinato tempore peragendam. Si poenitens hanc poenitentiam et satisfactionem infra

---

[1] Supra n. 424 sqq. latius egimus de absolutione casuum reservatorum.

[2] Sess. 14, c. 7 de poenit. (*Denz.* n. 903).

[3] S. Offic. d. 19 Aug. 1891 ad 2 (Collect. de Prop. Fide n. 1764); Cod. iur. can. c. 2252.

[4] Casus urgentiores illi sunt, in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, vel si durum est poenitenti permanere in statu peccati mortalis, usquedum absolutio a legitimo superiore obtenta fuerit. Cf. S. Offic. d. 16 Iunii 1897 (Collect. de Prop. Fide n. 1971).

[5] S. Offic. d. 19 Aug. 1891 ad 3 (ib.).

[6] S. Offic. d. 23 Iuni 1886 (ib. n. 1658); Cod. iur. can. c. 2254, § 1.

tempus a confessario determinatum non perfecerit, recidit in eandem censuram[1]. In istis casibus urgentioribus quilibet confessarius potest quoque dispensare ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario) provenientibus, sed ad hoc dumtaxat, ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat[2].

c) *Cardinales* absolvere possunt ubique terrarum quoslibet poenitentes (etiam religiosos exemptos) a quibuslibet peccatis et censuris, exceptis tantum censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii[3].

d) Ordinarii (i. e. episcopi, superiores maiores religiosi) possunt suos subditos absolvere *in casibus occultis* ab omnibus censuris iure communi latis, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis[4].

§ 3.

Quaenam sint condiciones requisitae ad absolvendum.

1. Ex parte **absolventis** requiritur: 495

a) *Potestas legitima*, de qua iam dictum est sufficienter in paragrapho praecedenti.

b) *Voluntas libera.*

Absolutio enim vi aut metu gravi iniuste incusso extorta non valet[5]; immo ille, qui sic absolutionem extorsit, (novam) excommunicationem incurrebat[6], quae tamen hodie non videtur amplius vigere.

2. Ex parte **absolvendi** requiritur:

a) Ut sit *subditus.*

Iuxta disciplinam vigentem *peregrini* absolvi possunt a censuris a iure latis sicut indigenae, quia non solum consensus proprii episcopi peregrinorum merito praesumitur, sed etiam quia ius ita expresse statuit[7].

b) Ut *absolutionem petat.*

Ita saltem ordinarie, cum secus contumacia peccatoris non ita efficaciter frangatur[8]. Petens autem absolutionem debet fideliter confiteri delictum cum circumstantiis speciem mutantibus, et praesertim debet omnes casus declarare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; si tamen absolutio fuit *generalis* — ut solet esse —, valet quoque pro reticitis *bona fide*, excepta censura specialissimo modo S. Sedi reservata; non autem pro reticitis mala fide[9].

c) Ut *parti laesae satisfaciat*, si quae laesio in fortuna, honore, fama etc. facta sit.

Quodsi conveniens satisfactio est moraliter impossibilis, oportet, ut absolvendus serio promittat se petiturum condonationem aut postea pro viribus satisfacturum esse[10].

---

[1] Cod. iur. can. ib. § 2 et 3. [2] Ib. c. 990.
[3] Ib. c. 239, § 1, n. 1. [4] Ib. c. 2237. [5] Ib. c. 2238.
[6] c. unic., I 20 in VI°; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 7, n. 119; cf. supra I, n. 71.
[7] Cod. iur. can. c. 2253, n. 3.
[8] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 24, a. 2.
[9] Cod. iur. can. c. 2249, § 2.
[10] Cf. c. 8, X 1, 36; Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.

d) Ut *scandalum forte ortum reparet.*

Modus istius reparationis iuxta prudens iudicium confessarii aut superioris determinandus est.

e) Ut *firmiter promittat se velle exsequi mandata Ecclesiae,* quae forte praescribit specialia media ad satisfactionem vel emendationem.

f) Ut *imponatur et recipiatur salutaris poenitentia,* et quidem praeter poenitentiam *sacramentalem.*

Quae quidem poenitentia aliquando determinatur ab episcopo aut a S. Sede; secus confessarius eam determinare potest habito respectu ad condicionem poenitentis et delicti commissi.

496 **Quaeres.** *Quid sibi velit clausula addi solita in facultatibus concessis: «iniunctis de iure iniungendis»?* Haec clausula nihil aliud exigit, nisi ut absolvendus a) recedat a contumacia; b) praestet vel saltem serio promittat parti laesae satisfactionem debitam; c) reparet scandalum publicum, si quod adfuit; d) recurrat per litteras ad superiorem, si quando datur facultas absolvendi cum illo onere.

Non constat quidem absolutionem esse validam, quae data est, quin omnes clausulae insertae indulto absolvendi observatae fuerint; tamen sententia solide probabilis affirmat absolutionem esse validam, dummodo neglecta non fuerit clausula *certo essentialis* [1].

§ 4.

Quo ritu absolutio danda sit.

497 Oportet distinguere inter forum externum et internum.

In foro *externo* observanda est vel forma specialiter determinata a superiore competenti, vel forma, quae habetur in Rituali Romano [2].

In foro *interno* adhibeatur forma communis, quae in qualibet absolutione sacramentali usuvenit [3]. Proinde iam non sunt observanda quaedam Ritualia particularia, quae habent speciales formulas absolvendi pro specialibus censuris certo incursis.

Nota. Absolutio censurarum potest concedi etiam absenti.

CAPUT III.

De censuris in specie.

Praenotamen. Brevissime hanc materiam tractamus, tam quia principaliter pertinet ad Ius ecclesiasticum, quam quia de censuris frequentioribus, e. g. contra procurantes abortum, perpetrantes duellum, haereticos etc., iam sermo fuit in propriis locis, quam quia adhuc exsistunt complures censurae, quae rarissime occurrunt in praxi confessarii. — Cum sint tres species censurarum, dividimus hoc caput in tres articulos: 1. de excommunicatione; 2. de suspensione; 3. de interdicto.

---

[1] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 121. [2] Tit. 3, c. 3.
[3] Cod. iur. can. c. 2250, § 3.

ARTICULUS I.

De excommunicatione.

Agemus 1. de notione et divisione excommunicationis; 2. de effectibus excommunicationis; 3. de excommunicationibus hodie vigentibus.

§ 1.

De notione et divisione excommunicationis.

Notio. *Excommunicatio (ἀφορισμός, ἀνάθεμα) est censura, qua* 498
quis (persona physica) privatur ecclesiastica communione fidelium.

Dicitur: *ecclesiastica communione*, quia excommunicatio privat participatione eorum bonorum, quae pendent ab Ecclesiae potestate et voluntate. Quaenam sint ista bona, dicetur in paragrapho sequenti, ubi de effectibus excommunicationis sermo erit. Cum Ecclesia habeat potestatem indirectam in res civiles, potest etiam, necessitate exsistente, privare excommunicatum iuribus civilibus, ut infra dicetur. Minime autem valet Ecclesia privare hominem interna unione consistente in gratia sanctificante, qua homo coniungitur cum Deo. Proinde saltem *non repugnat,* ut excommunicatus sit in statu gratiae sanctificantis et post mortem in regno coelorum.

Excommunicatio est inter omnes censuras ecclesiasticas gravissima, quia neque suspensio neque interdictum tot bonis privat, quot ipsa. Proinde iuxta vigentem disciplinam Ecclesiae excommunicatio nequit infligi nisi propter *grave* crimen commisssum.

Divisio. 1. Olim distinguebantur excommunicatio maior et minor. At 499
excommunicatio minor, quae non privabat nisi receptione sacramentorum et electione passiva ad beneficia [1], iam amplius non exsistit, saltem tamquam censura a iure ipso inflicta [2].

2. Excommunicatio maior aut relinquit hominem (ligatum hac censura) *toleratum* aut reddit *vitandum.*

Ante Martinum V in Concilio Constantiensi (a. 1418) omnes excommunicati fuerunt vitandi. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam non sunt vitandi nisi:

1. qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit.

2. qui nominatim est excommunicatus a Sede Apostolica et tamquam vitandus est publice denuntiatus [3].

Scholion. De anathemate maranatha. Antiquis temporibus exsistebat adhuc alia species excommunicationis, quae vocabatur anathema maranatha (a verbo syriaco, quod significat «Dominus venit» [4]), et quae ordinarie non absolvebatur nisi in articulo mortis, immo aliquando non absolvebatur omnino; cf. quae Benedictus XIV dicit de hac re hodie obsoleta [5].

---

[1] Cf. c. 10, X 5, 27.

[2] S. Offic. d. 5 Dec. 1883 (Collect. de Prop. Fide n. 1608).

[3] Cod. iur. can. c. 2258, § 2. Excommunicati vitandi hodie sunt rarissimi.

[4] Cf. 1 Cor 16, 22.

[5] De syn. dioec. l. 10, c. 1, n. 7.

§ 2.

De effectibus excommunicationis.

Effectus excommunicationis sunt vel immediati (directi) vel mediati (indirecti). Prius agimus a) de *immediatis* et deinde b) de *mediatis* effectibus.

500 a) **Effectus immediati** comprehenduntur in versiculis sequentibus:

Res sacrae, ritus, communio, crypta, potestas,
Praedia sacra, forum, civilia iura vetantur.

1. **Res sacrae** sunt sacramenta, quorum administratio (usus activus) et receptio (usus passivus) excommunicatis aliqualiter interdicuntur.

Circa *administrationem* sacramentorum sequentia breviter notentur:

α) Excommunicatus *vitandus* (atque alius quoque excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam) invalide et illicite administrat sacramenta, ad quae requiritur *iurisdictio* [1]. Excipitur solus articulus mortis, quo quilibet sacerdos requisitus potest valide et licite absolvere ab omnibus censuris et peccatis, ut supra dictum est. — Sacramenta, ad quorum administrationem validam non requiritur iurisdictio (nempe baptismus, confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo) valide administrari possunt etiam ab excommunicato vitando, dummodo cetera essentialia adsint.

β) Excommunicatus *toleratus* (dummodo ne sit excommunicatus per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam) semper valide administrat sacramenta, immo et *licite,* si est a fidelibus explicite aut implicite rogatus [2]. Hinc e. g. parochus, qui est occulte excommunicatus propter lectionem libri haeretici, potest non obstante excommunicatione se sistere in confessionali ad audiendas confessiones fidelium, quando est rogatus. Debet tamen tunc saltem elicere actum perfectae contritionis, ut statum gratiae sanctificantis recuperet.

Circa *susceptionem* sacramentorum sint haec dicta:

α) Excommunicatus *valide* recipere potest omnia sacramenta, dummodo cetera essentialiter requisita adsint. Hinc nullum sacramentum est invalidum ob *solam* excommunicationem suscipientis. Sic e. g. poenitens excommunicatione reservata innodatus valide absolvitur a *peccatis,* si confessarius simplex ex ignorantia non attendit ad excommunicationem.

β) Excommunicatus *licite* recipere nequit ullum sacramentum [3], nisi ignorantia vel metus gravis damni excuset. Hinc etiam graviter prohibitum est, ne quis sacramenta administret excommunicato, extra articulum mortis; immo qui sponte et scienter admittit ad sacramenta suscipienda excommunicatum vitandum, incurrit excommunicationem Summo Pontifici simpliciter reservatam [4]. Qui vero admittit ad celebranda divina officia clericos excommunicatos, suspensos, interdictos post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, incurrit interdictum ab ingressu in ecclesiam, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserit, competenter satisfecerit [5].

Nota. Usus *sacramentalium* non prohibetur excommunicatis (nisi tamen post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam); hinc e. g. nihil obstat (praeciso periculo profanationis), quominus Protestantibus dentur aqua benedicta, numismata benedicta etc.

[1] Cod. iur. can. c. 2264. [2] Ib. c. 2261, § 2.
[3] Ib. c. 2260. [4] Ib. c. 2338, § 2. [5] Ib. § 3.

2. **Ritus** hic intelliguntur *divina officia liturgica* seu functiones potestatis 501
ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt [1], ut sacrificium Missae, processiones liturgicae, exsequiae defunctorum, benedictiones cum ss. sacramento etc.

Iuxta vigentem Ecclesiae praxim excommunicati *tolerati* (omnes haeretici) carent quidem *iure* assistendi divinis officiis (non praedicationi verbi Dei), sed iam amplius non stricte arcentur a divinis officiis liturgicis [2]. Experientia enim constat, haereticos ex devota hac assistentia multos percipere fructus et paulatim in gremium Ecclesiae reduci.

Excommunicati *vitandi* graviter prohibentur, ne divinis officiis assistant. Hinc si nihilominus assistunt, monendi sunt, ut recedant; quodsi hoc recusant, expellendi sunt; quodsi etiam hoc impossibile est, clerici tenentur abrumpere officia divina iam coepta, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo [3].

3. **Communio** hic intelliguntur *communia suffragia* Ecclesiae. Sub his 502
suffragiis comprehenduntur:

α) Omnes orationes publicae, quae *nomine Ecclesiae* a publicis Ecclesiae ministris peraguntur, e. g. officium divinum clericorum et religiosorum, sacrificium Missae etc.

β) Ea suffragia, quae sine speciali intentione orantium etiam per privatas orationes et opera bona in totum corpus Ecclesiae redundant propter «communionem Sanctorum».

γ) Omnes indulgentiae [4].

Nihil obstat, ne quis privatas orationes fundat pro excommunicatis etiam vitandis. Hodie iam non ita stricte excluduntur excommunicati *tolerati* a communibus suffragiis, quare etiam licet Missam privatim applicare pro haereticis, ut supra n. 250 dictum est [5].

4. **Crypta**, i. e. *sepultura ecclesiastica*, interdicitur omnibus excommuni- 503
catis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [6]; qui, si nihilominus in loco sacro sunt sepulti, exhumari debent, si hoc est moraliter possibile; immo per talem sepulturam locus sacer est violatus atque eget reconciliatione [7].

---

[1] Ib. c. 2256, n. 1.

[2] Cf. Cod. iur. can. c. 2259; *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 1136; *D'Annibale,* Summula Theol. mor. I, n. 362; *Noldin,* De poenis eccl. n. 40.

[3] Cod. iur. can. c. 2259, § 2; cf. quae supra I, 524 diximus de communicatione religiosa cum acatholicis.

[4] Cod. iur. can. c. 925, § 1.

[5] Cf. *Bened. XIV* Const. «Ex quo primum» d. 1 Martii 1756, § 23 sqq.; Cod. iur. can. c. 2262.

[6] Cod. iur. can. c. 1240, § 1, n. 2.

[7] Ib. c. 1172, § 1, n. 4. Praeter excommunicatos privantur sepultura ecclesiastica, *nisi ante mortem dederint aliqua signa poenitentiae:* 1. Notorii apostatae a christiana fide; illi, qui notorie addicti sunt sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus. 2. Suicidae, nisi sibi mortem intulerunt ex insana mente. 3. Mortui in duello aut ex vulnere inde relato. 4. Qui mandaverunt suum corpus cremationi tradi. Licet enim crematio cadaveris humani ex se non sit mala, tamen est contra mores et liturgiam christianorum. Quare ea merito proscripta est ab Ecclesia (Cod. iur. can. c. 1203). Si quis, clare cognoscens gravem prohibitionem Ecclesiae, nihilominus exigit cremationem sui cadaveris, graviter peccat ac proinde stante hac voluntate non est absolutione sacramentali dignus. Aliquando tamen fideles exigentes istam cremationem

Nota. Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, sponte vero sepulturam iisdem dantes interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatam [1].

504 5. **Potestas** significat a) iurisdictionem ecclesiasticam; b) ius eligendi, praesentandi, nominandi; c) facultatem consequendi munera ecclesiastica aut ordines; d) facultatem exercendi actus legitimos.

Ad a) Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est generatim *illicitus,* immo et invalidus si est positus a vitando aut ab eo, qui est excommunicatus per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam. In primo casu actus evadit licitus, quando fideles talem actum petunt ab excommunicato; in altero vero casu actus evadit validus et licitus, si a fidelibus in *articulo mortis* petitur [2].

Ad b) Ita statuit Cod. iur. can. c. 2265. Hinc e. g. quilibet excommunicatus nequit exercere ius patronatus in praesentatione parochi.

Ad c) Ita statuit Cod. iur. can. ib.

Ad d) Quinam sint actus legitimi, supra n. 147 dictum est. Excommunicatus insuper prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi atque frui privilegiis antea ab Ecclesia concessis [3].

6. **Praedia sacra,** i. e. fructus ecclesiastici. Etenim post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; immo vitandus non solum fructibus sed ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere.

7. **Forum,** i. e. communicatio in iudicio tam civili quam ecclesiastico. Verum in foro civili haec communicatio non videtur amplius esse prohibita [4]. In foro autem ecclesiastico excommunicatus aut vitandus aut post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam nequit esse iudex, advocatus, actor, procurator, testis etc. Sin autem citatur ut *reus,* profecto potest ea omnia facere, quae ad suam defensionem sunt necessaria, cum id ab ipso iure naturali concedatur. — Excommunicatus *toleratus* ipso facto non privatur communicatione forensi, potest tamen repelli.

8. **Civilia iura,** i. e. communicatio civilis, olim strictissime interdicebantur excommunicatis, sed hodie haec communicatio quoad excommunicatos toleratos iam amplius non est prohibita, immo et quoad excommunicatos *vitandos* iam non in toto rigore observatur, ita ut, exsistente rationabili causa, sit licita [5].

---

sunt in bona fide, in qua ad maiora mala vitanda relinqui possunt, dummodo caveatur scandalum (S. Offic. d. 27 Iul. 1892). Si crematio fiat non ex voluntate ipsius mortui sed ex alieno praecepto, ritus ecclesiastici adhiberi possunt cum in domo mortui tum in ecclesia, non autem usque ad crematorii locum. Semper autem removeatur oportet scandalum fidelium. 5. Publici et manifesti peccatores alii, e. g. coniuges, qui contraxerunt matrimonium coram ministro acatholico, aut qui consenserunt acatholicae educationi prolis (cf. S. Offic. d. 8 Maii 1908). Occurrente autem in praedictis casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinit, Ordinarius; permanente dubio cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum (Cod. iur. can. c. 1240).

[1] Cod. iur. can. c. 2339.

[2] Ib. c. 2264. [3] Ib. c. 2263.

[4] S. Poenitentiaria d. 5 Iulii 1867. [5] Cod. iur. can. c. 2267.

b) **Effectus mediati** excommunicationis vocantur illi, qui ex parvi- 505
pensione censurae contractae oriuntur. Enumerantur duo:

1. *Irregularitas.* Clericus excommunicatus (vel alia poena canonica irretitus), qui culpabiliter exercet actum *sacri* ordinis, fit irregularis [1].

2. *Suspicio haeresis.* Insordescentes *per annum* in excommunicatione fiunt suspecti de haeresi [2].

§ 3.

De excommunicationibus hodie exsistentibus.

Brevissime hic subnectimus elenchum excommunicationum *iuris communis*, quae hodie in vigore sunt, et quae distinguuntur in quinque categorias, secundum quod earum absolutio reservata est 1. specialissimo modo S. Sedi; 2. speciali modo S. Sedi; 3. simplici modo S. Sedi; 4. Ordinario; 5. nemini.

I. Excommunicationes specialissimo modo reservatae Sedi Apostolicae. 506

Quattuor sunt huiusmodi excommunicationes latae sententiae. Nempe excommunicantur:

1. Qui species consecratas abiecerit aut ad malum finem abduxerit aut retinuerit, e. g. effractor sacrilegus tabernaculi. Huius criminis reus insuper est a) suspectus de haeresi; b) infamis ipso facto; c) deponendus, si est clericus [3].

2. Qui violentas manus iniecerit in personam Romani Pontificis. Huius criminis reus insuper est a) infamis ipso iure; b) degradandus, si est clericus [4].

3. Qui absolverit vel finxerit absolvere complicem in peccato turpi, idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo potuerit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recusaverit alii confiteri. — Eandem excommunicationem non effugit, qui absolverit vel finxerit absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est directe absolutus, non confessus est, sed ideo tacuit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus fuit [5].

4. Confessarius, qui sigillum sacramentale *directe* violare praesumpserit [6]. Quid sit directe violatio sigilli sacramentalis, vide supra n. 447.

II. Excommunicationes speciali modo reservatae Sedi Apostolicae. 507

Sunt *undecim* praeter eas, quae incurruntur propter abusus commissos in electione Summi Pontificis. De his ultimis, quae continentur in Const. Vacanti Sede Apostolica d. 25 Dec. 1904, non vacat hic loqui, cum rarissime occurrant.

---

[1] Ib. c. 985, n. 7.
[2] Conc. Trid. sess. 25, c. 3 de reform.; Cod. iur. can. c. 2340, § 1.
[3] Cod. iur. can. c. 2320. [4] Ib. c. 2343.
[5] Ib. c. 2367. [6] Ib. c. 2369.

1. «Omnes a christiana fide apostatae et omnes ac singuli haeretici aut schismatici»[1].

Quid sint haeretici et apostatae, supra I, n. 512 sqq. dictum est. Schismatici non solum sunt Graeci non-uniti, Veteres Catholici, sed etiam illi, qui pertinaciter recusant oboedientiam Romano Pontifici, in quantum est caput Ecclesiae, ut Mariavitae et forte etiam sic dictae *associationes cultuales*. Suspectus de haeresi, qui intra sex menses a contracta poena sese non emendaverit, habetur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius[2].

Si delictum haeresis, apostasiae vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo (etiam per voluntariam confessionem) deductum fuerit, idem Ordinarius loci (non vero Vicarius generalis sine speciali mandato) resipiscentem potest auctoritate sua ordinaria in foro externo absolvere, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio autem habetur iuridice peracta, cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus[3]. — Hoc statutum habet valde practicum valorem in receptione neo-conversorum in gremium Ecclesiae.

508 2. «Editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per Apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes»[4].

Haec censura iam continebatur in Bulla «Apostolicae Sedis», sed paulo mutata est. Ad eam explicandam, breviter indicamus: a) quinam sint libri; b) quaenam sint actiones prohibitae sub poena excommunicationis.

a) **Quinam libri sub excommunicatione prohibiti sunt?**

α) Omnes libri haereticorum, apostatarum, schismaticorum haeresim, apostasiam, schisma propugnantes. — Sub nomine libri non venit manuscriptum, neque libellus parvae molis, neque ephemeris. Attamen ex declaratione S. Officii d. 13 Ian. 1892[5] excommunicationem incurrunt «scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes».

β) Libri cuiusvis auctoris *per Apostolicas Litteras nominatim prohibiti*. Hinc requiritur, ut talis liber sit prohibitus per Litteras Apostolicas, quales sunt bullae, brevia etc., non autem decreta S. Congregationis Officii vel alterius Congregationis. Perpauci sunt huiusmodi libri, qui in novo Indice librorum prohibitorum sunt † notati. — Deinde requiritur, ut talis liber sit prohibitus *nominatim*, i. e. cum indicatione proprii tituli. Ergo non sufficit prohibitio in globo seu in genere, sicuti quando opera omnia alicuius auctoris proscribuntur. — Demum requiritur (saltem probabiliter), ut talis liber sit prohibitus sub excommunicatione Romano Pontifici reservata.

Nota. Nonnulli auctores censent duas categorias librorum (quamvis haeresim propugnent) non prohiberi sub hac censura:

[1] Cod. iur. can. c. 2314, § 1. [2] Ib. c. 2315.
[3] Ib. c. 2314, § 2. [4] Ib. c. 2318, § 1.
[5] Collect. de Prop. Fide n. 1777.

1) Libri haereticorum ex primis aerae christianae saeculis, ut nonnulla scripta Tertulliani, Origenis, Pelagii etc. Ita Lehmkuhl [1] citans pro hac sententia Lacroix, Pennacchi, D'Annibale et Lugo.

2) Libri haeresim propugnantes, qui non ab haereticis sed ab ethnicis, iudaeis etc. sunt conscripti. Ita Noldin [2].

b) **Quaenam actiones prohibitae sunt sub excommunicatione?** Sunt quattuor: α) editio, β) defensio, γ) lectio, δ) retentio. Pro duabus ultimis actionibus requiritur perfecta scientia censurae, ac proinde excusat ignorantia crassa et supina; non item pro duabus prioribus actionibus.

α) **Editio.** Hoc titulo incurrunt excommunicationem: 1. auctor libri; 2. typographus; 3. editor. Num etiam omnes, qui proxime cooperantur ad impressionem, ut typos collocantes, correctores etc., hac censura plectantur, non ita constat. Videtur autem negandum, cum isti nequeant proprie vocari editores libri.

β) **Defensio.** Ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut liber pravus defendatur non propter elegantiam stili aliasque bonas qualitates, sed non obstantibus erroribus in eo manifeste contentis.

γ) **Lectio.** Aliquis dicitur formaliter legere aliquem librum, si ipse propriis oculis perlustrat et aliqualiter intelligit ea, quae in libro continentur. Hinc censuram non incurrit, qui alium legentem audit [3]; qui ea, quae legit, prorsus non intelligit. Pariter censura non adest, si ea, quae lecta sunt, non constituunt nisi *materiam levem.* Quid autem sit materia levis, non concordant auctores. Tamquam regula generalis sit: Id est materia gravis, quod *per se* et *ordinarie inducit* legenti grave periculum perversionis. Itaque aliquando paucae paginae sunt materia gravis, aliquando vero nec 30 paginae non ita periculosae constituunt materiam gravem.

δ) **Retentio.** Ad hoc, ut exinde incurratur excommunicatio, requiritur: 1. ut adsit gravitas ex parte *temporis;* unus dies est certe tempus parvum; ultra autem *mensem* talem librum retinere est materia gravis; 2. ut retentor nomine proprio agat, non autem tamquam mandatarius alterius. Hinc non excommunicantur, qui sunt custodes in bibliothecis alienis, qui compingunt libros [4] etc.

Nota. Praeter excommunicationem modo explicatam exsistit alia *(nemini tamen reservata)* contra eos, qui sine debita licentia S. Scripturarum libros vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt [5].

3. «Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu condicionis 509
etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes» [6].

Haec excommunicatio medio aevo aliquando occurrens hodie rarissima erit; ferit autem omnes quascumque personas *physicas*, quae appellant ad Concilium Universale. Si personae *iuridicae,* ut universitates, collegia, capitula, talem appellationem faciunt, incurrunt interdictum speciali modo reservatum Romano Pontifici [7].

---

[1] Theol. mor. II, n. 1183. [2] De poenis eccl. n. 52.
[3] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 7, n. 292. [4] Vulgo *relieur, Buchbinder.*
[5] Cod. iur. can. c. 2318, § 2; cf. infra n. 526. [6] Ib. c. 2332.
[7] Ib.; cf. infra n. 530.

4. «Qui violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis, Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis»[1].

Hac excommunicatione plectuntur ii, qui aliquod sacrilegium personale committunt in *principes* Ecclesiae. Quid sit istud sacrilegium personale ex violatione privilegii canonis, vide supra II, n. 541. Qui huiusmodi violentias committit in Cardinales aut Legatos Rom. Pontificis, insuper fit ipso iure infamis et privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat[2].

510 5. «Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem»[3].

Haec censura, quae iam continebatur in Bulla Apostolicae Sedis n. 6 et 7, esset nostris diebus frequentissima, nisi excusaret ignorantia aut metus gravis. Sic e. g. talem censuram obiective incurrunt ii, qui impediunt parochum, ne scholas visitet; qui obstant, ne episcopus libere administret dioecesim; qui impediunt exsecutionem decretorum Summi Pontificis etc.

Iurisdictio ecclesiastica hic sumitur in stricto sensu, prout distinguitur a) a potestate ordinis, b) ab officio ecclesiastico, c) a iurisdictione *superiorum regularium*. In hoc sensu accepta iurisdictio ecclesiastica est potestas gubernandi fideles in ordine ad vitam aeternam. Ad eam pertinet e. g. leges et mandata ferre, punire, absolvere, dispensare, instruere etc.

Impedientes huiusmodi iurisdictionem sunt omnes illi, qui *iniuste*, e. g. minis, iussione, coactione etc., efficax obstaculum causant, ne iurisdictio exerceatur.

6. «Qui sine venia S. Sedis ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae vel Officialibus maioribus Rom. Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium»[4].

Hac excommunicatione puniuntur violatores privilegii fori, quod competit istis personis praecellentibus. Violatio eiusdem privilegii, quod competit aliis personis ecclesiasticis, punitur aliis quoque poenis, nempe a) excommunicatione *simpliciter* Sedi Apostolicae reservata, si quis sine venia S. Sedis ad iudicem laicum trahere ausus fuerit alium episcopum, aut Abbatem vel Praelatum nullius vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii superioribus. b) *suspensione ab officio reservata Ordinario*, si clericus, non obtenta venia Ordinarii loci, aliam personam privilegio fori fruentem ad iudicem laicum trahere ausus fuerit. Laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur[5].

511 7. «Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos, ad quos pertinent litterae, sive alios laedentes vel perterrefacientes»[6].

---

[1] Cod. iur. can. c. 2343, § 2 et 3. [2] Ib. § 2.
[3] Ib. c. 2334. [4] Ib. c. 2341.
[5] Cf. quae supra II, n. 542 de privilegio fori dicta sunt.
[6] Cod. iur. can. c. 2333.

Haec censura olim saepe locum habuit, praesertim in illis locis, ubi viguit «Regium placet»; hodie autem rarius acta Sedis Apostolicae impediuntur (saltem efficaciter) ab hominibus privatis.

8. «Omnes fabricatores vel falsarii Litterarum, Decretorum vel Rescriptorum Sedis Apostolicae, vel iisdem Litteris, Decretis vel Rescriptis scienter utentes.» [1]

Crimen hoc hodie rarissime committitur, praesertim a laicis. Clerici autem id committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus officiis, quae in religione habent, et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas [2].

9. «Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad ecclesiam Romanam pertinentia.» 512

Quinque fuerunt latae excommunicationes contra [3] eos, qui violaverunt bona ecclesiastica, nempe duae speciali modo, duae simplici modo reservatae S. Sedi, una nemini reservata. Nunc autem non exsistunt nisi duae excommunicationes latae sententiae, nempe haec et alia simpliciter reservata, de qua infra n. 518. Haec excommunicatio lata ad protegenda bona et iura ecclesiae Romanae ferit usurpantes et detinentes. *Usurpantes* vocantur illi, qui *auctoritative* surripiunt, nempe gubernatores, qui bona et iura ecclesiae Romanae saecularizaverunt; fures igitur ordinarii et latrones hac censura non puniuntur. *Detinentes* sunt illi, qui pro se talia bona emerunt aut locaverunt; non autem civitatis officiales, qui illa bona administrant aut ea non pro se sed pro communi usu reipublicae acquisiverunt et detinent.

10. «Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit.» [4]

Haec excommunicatio noviter introducta est. Laicus tale crimen perpetrans insuper privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur. Si quis non-sacerdos alia munia sacerdotalia usurpaverit, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur.

11. «Si quis per se ipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia.» [5] 513

Haec excommunicatio noviter introducta est. Calumniosa denuntiatio confessarii inducit non solum censuram reservatam, sed etiam peccatum ratione sui reservatum [6]. Proinde quamvis censura non incurratur e. g. propter ignorantiam, nihilominus remanet peccatum reservatum.

Absolutio huius censurae nequit concedi nisi sub duplici condicione: 1. poenitens debet prius falsam denuntiationem *formaliter* retractare; non sufficit igitur retractatio implicita; 2. poenitens debet damna, si qua ex sua

[1] Ib. c. 2360, § 1. [2] Ib. § 2. [3] Ib. c. 2345.
[4] Ib. c. 2322. [5] Ib. c. 2363. [6] Ib. c. 894.

calumnia secuta sunt, pro viribus reparare. Praestitis istis condicionibus et praehabita facultate absolvendi confessarius potest poenitentem absolvere, sed debet ei imponere gravem et diuturnam poenitentiam.

III. Excommunicationes simpliciter reservatae Sedi Apostolicae.

Iuxta vigentem disciplinam sunt undecim huiusmodi excommunicationes. Excommunicantur:

514 1. «Quaestum facientes ex indulgentiis.» [1]

Iam in Constitutione S. Pii V «Quam plenum» d. 2 Ian. 1569 haec excommunicatio lata est, quae tamen nunc restricta est ad solas indulgentias et non ad alias gratias spirituales. Quaestum faciunt ex indulgentiis omnes illi, qui inde lucrantur pretium temporale; neque requiritur, ut istud pretium sibimetipsis acquirant. Ergo etiam illi, qui ex indulgentiis obtinent lucrum temporale *pro causis piis,* hac censura puniuntur.

2. «Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis.» [2]

Simoniaci insuper diversis aliis poenis plectuntur [3]. Excommunicatio haec videtur esse fere sola [4], quae fertur propter crimen simoniae; proindeque simonia propter ingressum in religionem, propter lucrum captatum ex stipendiis Missarum collectis videtur iam non puniri excommunicatione, cum de istis poenis sileat Cod. iur. can., et omnes poenae, quarum in Codice non fit mentio, tamquam abrogatae habeantur.

515 3. «Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes.» [5]

Haec excommunicatio in Bulla «Apostolicae Sedis» reservata fuit Ordinario. Si clerici aliaeque personae indicatae nihil intendunt nisi concubinatum, excommunicationem non incurrunt. Clerici attentantes matrimonium, si, moniti ab Ordinario tempore pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur [6], simul autem ac matrimonium contraxerint, eo ipso amittunt omnia officia ecclesiastica [7].

4. «Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint.» [8]

De hac censura iam supra II, n. 126 sufficienter dictum est.

516 5 «Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur.» [9]

Ad hanc excommunicationem explicandam iuvat exponere: a) quaenam sectae sub censura sint prohibitae; b) quaenam personae sint excommunicatae.

---

[1] Cod. iur. can. c. 2327. [2] Ib. 2392.
[3] Ib. et c. 729; cf. supra II, n. 565. [4] Cf. tamen infra n. 534 (4).
[5] Ib. c. 2388, § 1. [6] Ib. [7] Ib. c. 188, n. 5.
[8] Ib. c. 2351. [9] Ib. c. 2335.

a) **Quoad sectas prohibitas.** S. Officium d. 10 Maii 1884 distinxit inter societates *simpliciter* et *sub censura* prohibitas.

Sunt *simpliciter* prohibitae omnes societates, quae pravum finem prosequuntur, vel quae prava media adhibent, vel «quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et *omnimodam* oboedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt». Tale enim secretum talisque oboedientia, quae se extendunt ad omnes res, etiam illicitas, grave peccatum constituunt. Huiusmodi societates simpliciter prohibitae sunt, e. g. plures societates Americanae (Odd Fellows, Sons of temperance, Knights of Pythias[1], Independent Order of Good Templars[2]; deinde societates ad promovendam cremationem cadaverum[3].

Sub censura sunt prohibitae:

α) societas *massonica*[4];

β) omnes societates, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur. Tales societates sunt Carbonariorum[5], veterum Fenianorum[6], omnes societates anarchisticae et nihilisticae. Utrum autem societates *socialisticae* modernae hanc censuram incurrant, disputatur inter auctores, ac proinde dubium est. In praxi socialistae diversarum regionum nequeunt eodem modo iudicari. Etenim in aliquibus regionibus nihil fere quaerunt nisi meliorationem condicionis plebeiae; in aliis autem regionibus palam machinantur contra Ecclesiam et legitimam potestatem. Quo in casu videntur censurae subiacere, immo haud raro incurrunt quoque censuram latam contra fautores haereseos.

b) **Personae, quae propter has sectas excommunicantur,** sunt solummodo

nomen dantes, nempe ii, qui membra fiunt talis sectae. Antiquitus etiam favorem praebentes et occultos coryphaeos non denuntiantes sub hac censura comprehendebantur, sed novus Cod. iur. can. silet de illis, qui proinde iam non sunt excommunicati, quamvis graviter peccent, si revera fovent has societates pessimas.

Clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque associationibus similibus denuntiari debent S. Officio atque insuper plectantur privatione beneficii, officii, dignitatis, pensionis, muneris, vocis activae et passivae[7].

Modus agendi in confessione cum membris sectae vetitae. α) Raro accidit, ut huiusmodi membrum sit in bona fide, quia tam saepe et tam aperte istae sectae ab Ecclesia proclamantur ut illicitae. Nihilominus si tale membrum sit *in bona fide* neque causet scandalum neque incurrat perversionis periculum proximum, non debet cogi ad relinquendam sectam cum gravissimo incommodo. Etenim tunc forte non oboediret et peccatum eius materiale verteretur in formale.

β) Membrum talis sectae vetitae (quod non est in bona fide) nequit absolvi, nisi communicationem cum secta abrumpat eamque saltem penes con-

[1] S. Offic. d. 20 Aug. 1894. [2] S. Offic. d. 9 Aug. 1893.

[3] S. Offic. d. 19 Maii 1886.

[4] Clemens XII, Const. «In eminenti» d. 28 Apr. 1738; Bened. XIV, Const. «Providas» d. 18 Maii 1751, pluresque alii Summi Pontifices, inter quos Leo XIII, Encycl. «Humanum genus» d. 20 Apr. 1884.

[5] Pius VII, Const. «Ecclesiam» d. 13 Sept. 1821; Leo XII, Const. «Quo graviora» d. 13 Martii 1825. Membra huius societatis se appellabant *carbonari, Köhler, fendeurs, buoni cugini.* Cf. *Wetzer et Welte,* Kirchenlex., s. v. «Carbonari».

[6] S. Offic. d. 12 Ian. 1870. [7] Cod. iur. can. c. 2336.

fessarium abiuret [1]. Quodsi absque valde gravi incommodo *externa* communicatio cum secta abrumpi nequit, tunc excluso scandalo et periculo perversionis proximo potest poenitens per aliquod tempus perseverare in solvenda taxa, in frequentandis sectariorum coetibus, donec gravis damni periculum cessaverit [2].

c) Poenitens debet sectae libros, manuscripta, insignia etc. (si quae habet) tradere confessario, qui ea quam primum ad episcopum transmittat, vel, si id sit impossibile, comburat.

517 6. «Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut condicionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes.»

«Mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes.»

«Moniales e clausura illegitime exeuntes.» [3]

Clausura, de qua hic agitur, est sola clausura *papalis,* quae de iure communi non habetur nisi in ordinibus religiosis cum votis sollemnibus. Laedentes igitur clausuram aliam hac censura non tanguntur. Clausura monialium strictior est quam virorum. — Clausuram monialium ingredi possunt sub quibusdam condicionibus a) Visitator canonicus; b) confessarius; c) Cardinales, supremi gubernatores populi eorumque uxores cum comitatu; d) medicus, operarii, si necessitas exigit [4]. — E clausura moniales egredi possunt a) cum speciali licentia S. Sedis; b) si imminet periculum vel mortis vel alius gravissimi mali. Etiam *mulieres* prohibentur sub poena excommunicationis ingredi clausuram monialium; item infantes et impuberes, sed isti iam non videntur excommunicationem incurrere ingrediendo; etenim in textu supra allato iam non legitur, sicut antiquitus: «cuiuscumque generis aut condicionis sexus vel aetatis fuerint», sed omittitur: «aetatis». Iamvero impuberes generatim nullas censuras incurrunt [5], ut supra n. 481 dictum est. Econtra superiorissa et quicumque adultus illegitime introducens vel admittens impuberes in clausuram monialium excommunicationem non effugiunt. Idem valet de puellis impuberibus ingredientibus clausuram regularium et de adultis, qui eas introducunt aut admittunt. — In clausuram regularium possunt ingredi uxores eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu [6].

518 7. «Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire, ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tam diu subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit.» [7]

Haec excommunicatio iam lata fuit a Concilio Tridentino sess. 22, c. 11 de reform. (licet verbis paulo aliis). Bona ecclesiastica hic sumuntur in la-

[1] S. Offic. d. 5 Aug. 1898 (Anal. eccl. VI [1898] 387).

[2] Ita *Noldin,* De poenis eccl. n. 76, citans pro hac sententia decisionem S. Officii d. 18 Ian. 1896.

[3] Cod. iur. can. c. 2342. [4] Ib. c. 600.

[5] Ib. c. 2230. [6] Ib. c. 598, § 2. [7] Ib. c. 2346.

tissimo sensu; sunt nempe bona temporalia, quae pertinent ad aliquam personam *moralem* in Ecclesia [1], e. g. ad paroeciam, ad monasterium etc., non autem quae pertinent ad personas ecclesiasticas physicas. Tres actiones puniuntur: in proprios usus convertere, usurpare, impedire. Videtur unaquaeque ex istis actionibus censuram inducere et usurpatio non solum auctoritativa sed etiam privata includi [2]. Fures autem et latrones bonorum ecclesiasticorum hanc censuram non incurrunt [3]. Pariter illam non incurrunt civitatis consiliarii et maior [4], qui bona ecclesiastica non in proprios sed in communes usus urbis acquisiverunt [5]; qui libere susceperunt munus administrandi bona ecclesiastica sic erepta [6]. Illi vero, qui ista bona erepta sibi emerunt vel locaverunt, incurrunt excommunicationem [7]. Pariter parochi aliique beneficiarii intrusi. Absolutio huius censurae dari nequit nisi post restitutionem bonorum. In Gallia autem et in Italia episcopi pollent speciali facultate dandi vel facilitandi hanc absolutionem [8].

519 8. «Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes.» [9]

Hac censura puniuntur duo delicta, quae in Bulla «Apostolicae Sedis» duabus distinctis excommunicationibus plectebantur. Primum delictum consistit in auxilio vel favore praestito excommunicato vitando, idque non quomodocumque, sed in delicto, propter quod excommunicatus fuit, seu in crimine criminoso, ut solebat dici. Hinc e. g. si quis est declaratus excommunicatus vitandus propter rebellionem, omnes, qui illi auxilium vel favorem praebent in hac ipsa rebellione, incurrunt excommunicationem simpliciter S. Sedi reservatam. Quinam sit excommunicatus vitandus, supra n. 499 dictum est.

Alterum delictum consistit non in quacumque communicatione cum excommunicato vitando, sed in communicatione in divinis. Hanc excommunicationem incurrunt clerici, quo nomine non veniunt neque episcopi neque regulares neque a fortiori laici. Requiritur, ut tales clerici

a) *scienter et sponte* agant; ergo excusat metus et quaelibet ignorantia.

b) *communicent in divinis*, i. e. recipiant auctoritative ad officia proprie liturgica (e. g. Missam, sepulturam ecclesiasticam etc.) nominatim a Romano Pontifice excommunicatum.

520 9. «Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata.» [10]

Hanc excommunicationem incurrunt confessarii, qui *scienter* absolvere praesumunt (absque facultate) poenitentem ab excommunicatione specialissimo vel speciali modo Papae reservata. Sin autem confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, neque peccat neque

---

[1] Ib. c. 1497, § 1.
[2] Cf. *Hollweck*, Die kirchl. Strafgesetze § 156, n. 18.
[3] S. Offic. d. 9 Mart. 1870. [4] Vulgo *maire*, Bürgermeister.
[5] S. Poenit. d. 3 Ian. et 8 Mart. 1906 (Anal. eccl. XV [1907] 128 sq.).
[6] S. Poenit. d. 17 Sept. 1906.
[7] S. Poenit. d. 5 Aug. 1907 (Anal. eccl. XVI [1908] 445).
[8] Cf. Litt. Secr. Stat. d. 24 Sept. 1907 (Anal. eccl. XVI [1908] 48 sqq.).
[9] Cod. iur. can. c. 2338, § 2. [10] Ib. § 1.

ullam poenam incurrit; immo absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata [1]. Supra n. 494 dictum est, quomodo simplex confessarius ab huiusmodi casibus valeat absolvere in articulo mortis et in casibus urgentioribus.

10. «Si quis ausus fuerit (sine praevia legitima venia) ad iudicem laicum trahere episcopum etiam mere titularem (non proprium Ordinarium) aut Abbatem vel Praelatum nullius vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii superioribus.» [2]

Hac excommunicatione puniuntur ii, qui laedunt privilegium fori respectu nonnullorum praelatorum. Alias poenas inflictas propter laesionem eiusdem privilegii respectu altissimorum praelatorum vide supra n. 510 et respectu aliarum personarum ecclesiasticarum vide infra n. 535.

11. «Vicarius capitularis aliive omnes tam de Capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter mutaverint.» [3]

Haec excommunicatio noviter introducta est. Nomine documenti videtur significari non quidem epistula privata, sed quaelibet scriptura ad regimen dioecesis pertinens, e. g. computationes receptorum et expensarum, relationes de visitatione canonica etc.

IV. Excommunicationes Ordinariis reservatae.

521 **Praenotamen.** a) Nomine Ordinarii intelliguntur non solum episcopi residentiales, sed etiam omnes, qui iurisdictionem quasi-episcopalem obtinent. Pro regularibus et religiosis exemptis Ordinarius est proprius superior maior, nisi expresse dicatur Ordinarius *loci*.

b) Censurae Ordinario reservatae *ex iure* absolvi possunt a simplici confessario: 1. *in articulo mortis*, quin adsit obligatio recursus post convalescentiam forte habitam [4]; 2. *in casibus urgentioribus* [5]; 3. in nonnullis aliis casibus, ut supra n. 427 dictum est; 4. a confessariis habentibus privilegia Mendicantium. Ita sententia communior et tuta in praxi.

Excommunicationes, quarum absolutio reservata est Ordinariis, sunt sex vel novem; nempe excommunicantur:

522 1. a) «Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico.

b) Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam.

c) Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt.

d) Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.» [6]

Omnia ista delicta constituunt favorem haeresis et puniebantur ante novum Codicem iur. can. excommunicatione speciali modo reservata S. Sedi. Cum autem ista delicta soleant esse publica et ad externum forum Ordinarii de-

[1] Cod. iur. can. c. 2247, § 3. [2] Ib. c. 2341. [3] Ib. c. 2405.
[4] Cf. supra n. 494. [5] Cf. ib. [6] Cod. iur. can. c. 2319, § 1.

duci, idem Ordinarius valet ab illis absolvere; immo censura inflicta nunc est de iure communi reservata Ordinario loci. In aliquibus regionibus minister acatholicus institutus est officialis gubernii civilis, coram quo omnia matrimonia celebrari iubentur. Tunc profecto contrahentes matrimonium coram tali ministro tamquam officiali civili censuram non incurrunt [1].

Qui matrimonio uniuntur cum pacto, ut proles educetur extra catholicam Ecclesiam et postea hoc pactum reapse exsequuntur tradendo prolem educandam in religione acatholica, duplicem excommunicationem contrahunt; immo praeterea sunt suspecti de haeresi proindeque, si intra sex menses a contracta poena completos sese non emendaverint, contrahunt excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam [2]. Catholici, qui mixtum matrimonium, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint [3].

2. «Qui falsas reliquias conficit aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit.» [4]

Haec excommunicatio noviter introducta non eget explicatione, utpote in se clara.

3. «Qui violentas manus iniecerit in personam vel clericorum non 523
fulgentium dignitate cardinalitia aut episcopali vel utriusque sexus religiosorum.» [5]

Haec excommunicatio tuetur privilegium canonis cum in clericis infra episcopos constitutos tum in religiosis.

4. «Procurantes abortum effectu secuto, matre non excepta.» [6]

Controversia igitur de exemptione matris a censura nunc finita est. Clerici procurantes abortum praeterea deponantur. De procuratione abortus latius dictum est supra II, n. 137 sqq.

5. «Religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam.» [7]

Apostasia a religione habetur, quando religiosus illegitime relinquit religionem, in qua professus est. In religionibus clericalibus exemptis haec apostasia inducit excommunicationem superiori maiori religiosi [8] reservatam; in aliis vero religionibus excommunicatio reservatur Ordinario loci, ubi apostata commoratur, non autem ubi eius monasterium vel conventus situs est. Tales apostatae insuper sunt exclusi ab actibus legitimis ecclesiasticis, sunt privati privilegiis omnibus suae religionis et, si redierint, perpetuo carent voce activa et passiva ac praeterea aliis poenis puniri debent a superioribus ad normam constitutionum.

6. «Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, itemque omnes cum aliqua ex

---

[1] Ib. c. 1063, § 3. [2] Ib. c. 2319, § 2 et c. 2315. [3] Ib. c. 2375.
[4] Ib. c. 2326. [5] Ib. c. 2343, § 4.
[6] Ib. c. 2350. [7] Ib. c. 2385.
[8] Superiores maiores sunt Abbas Primas, Abbas superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, supremus religionis moderator, superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes (Cod. iur. can. c. 488, n. 8).

praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes»[1].

Si isti Professi sunt clerici in sacris constituti, contrahunt excommunicationem simpliciter reservatam S. Sedi[2].

V. Excommunicationes nemini reservatae.

524 In hac serie enumerantur quinque excommunicationes:

1. «Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos.»[3]

Hac excommunicatione puniuntur ii, qui *publica auctoritate praediti libere cogunt,* ut notorii haeretici, infideles, excommunicati vel interdicti in loco sacro sepeliantur. In plerisque regionibus, e. g. in Germania, Austria etc., lex civilis iubet et ordinat sepulturam incolarum. Proinde si e. g. praefectus alicuius loci tenetur vi legis civilis mandare, ut aliquis haereticus notorius sepeliatur in coemeterio catholico benedicto aut consecrato, non videtur incurrere hanc censuram. Etenim non praefectus, sed lex civilis iniqua mandat hanc sepulturam[4]. — Nec etiam ipsi sepelientes aut sepulturae assistentes incurrunt hanc censuram. Non enim mandant aut cogunt. — Clerici autem peragentes sepulturam nominatim excommunicati incurrunt et excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam[5] et interdictum[6].

525 2. «Omnes quovis modo reos (in illegitima alienatione bonorum ecclesiasticorum pretiosorum vel excedentium 30000 frc. pretium; si nempe beneplacitum apostolicum scienter praetermissum fuerit) sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo manet (praeter alias poenas) excommunicatio latae sententiae nemini reservata.»[7]

Haec excommunicatio iam a saeculis exsistebat quoad substantiam, nunc autem quoad accidentia satis mutata est. Etenim primo non ita clarum est, num haec censura sit latae vel ferendae sententiae; non enim incurritur eo ipso, sed «manet reos». Deinde beneplacitum apostolicum non requiritur, nisi agitur de alienandis rebus ecclesiasticis *pretiosis,* quarum valor est notabilis ratione artis vel historiae vel materiae. Est autem valor notabilis ratione materiae, si excedit 30000 francorum[8]. Pro alienandis aliis rebus ecclesiasticis requiruntur et sufficiunt aliae licentiae. — Illegitime alienantes puniuntur quoque diversis aliis poenis[9].

3. «Fidelis, qui scienter omiserit eum (confessarium), a quo sollicitatus fuerit, infra mensem denuntiare, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit.»[10]

Cf. quae supra n. 460 sqq. de materia huius censurae dicta sunt. Insuper nota: *Denuntiare* tenentur sub gravi non solum ipsa persona sollicitata, sed etiam omnes testes sive immediati sive mediati, qui certo sciunt crimen sollicitationis esse commissum; econtra praesentem excommunicationem non incurrit

[1] Cod. iur. can. c. 2388, § 2. [2] Cf. supra n. 515.
[3] Cod. iur. can. c. 2339. [4] Ita etiam *Noldin,* De poenis eccl. n. 97.
[5] Cf. supra n. 519. [6] Cf. infra n. 536. [7] Cod. iur. can. c. 2347, n. 3.
[8] Ib. c. 1532, § 1; c. 1497, § 2. [9] Ib. c. 2347, n. 1 et 2.
[10] Ib. c. 2368, § 2.

nisi ipsa persona sollicitata, quae per mensem culpabiliter negligit denuntiationem debitam. Si persona sollicitata serio promisit, se infra mensem esse denuntiaturam, potest absolvi, etiamsi censuram propter neglectam denuntiationem iam incurrit. Quodsi mutata voluntate postea non denuntiet, videtur censura denuo oriri, quia secus lex eluderetur. Ita sententia communissima [1].

4. «Auctores et editores, qui sine debita licentia sacrarum Scrip- 526
turarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant.» [2]

Haec excommunicatio iam invenitur in Const. «Officiorum et munerum» d. 25 Ian. 1897 (n. 48). Debitam licentiam ad imprimendos huiusmodi libros concedere possunt tres Ordinarii loci: a) loci Ordinarius proprius auctoris; b) Ordinarius loci, in quo imprimuntur [3]; c) Ordinarius loci, in quo publici iuris fiunt [4]. Si unus ex tribus his Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequit, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia. Religiosi debent insuper consequi licentiam sui superioris maioris [5].

5. «Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem religiosam tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.» [6]

Hac excommunicatione protegitur libertas in eligendo statu clericali vel religioso. Status religiosus comprehendit non solum ordines sed etiam congregationes religiosas.

ARTICULUS II.

De interdicto.

Agemus 1. de interdicto in genere; 2. de interdictis in specie seu hodie vigentibus.

§ 1.

De interdicto in genere.

Notio. *Interdictum est censura, qua fideles, in communione Ec-* 527
clesiae permanentes, prohibentur quibusdam sacramentis aliisque sacris.

Explicatur. Dicitur: *Interdictum est censura* seu poena medicinalis. Haud raro tamen interdictum (praesertim locale et generale) est poena vindicativa vel mera prohibitio, cum inde etiam innocentes pati debeant. Dicitur: *qua fideles in communione Ecclesiae permanentes prohibentur quibusdam sacramentis aliisque sacris.* Interdictum enim non aufert communionem Ecclesiae proindeque differt a) ab *excommunicatione,* quippe quae sit gravior poena et privet communione fidelium, neque tamen umquam sit localis; b) a *suspensione,* quae *solos clericos* afficit, interdictum vero fertur cum in clericos tum in laicos. — Quaenam sacramenta et sacra prohibeantur, dicetur infra, ubi effectus interdicti enumerantur.

---

[1] Cf. *De Smet,* Tract. de cas. reserv. n. 167. — Contrarium docet Noldin dicens: «Quodsi postea mutata voluntate non denuntiet, censura non reviviscit, quia de reincidentia nihil habetur.» Haec sententia vix est probabilis.

[2] Cod. iur. can. c. 2318, § 2. [3] Druckort. [4] Verlagsort.

[5] Cod. iur. can. c. 1385, § 2 et 3. [6] Ib. c. 2352.

Divisiones. 1. Interdictum est vel *locale,* quod immediate afficit locum, mediate autem omnes personas ibi degentes etiam exteros et exemptos; vel *personale,* quod solam personam afficit illamque ubique sequitur [1].

Interdictum locale *est vel generale,* quod afficit integrum territorium vel universum populum, e. g. totam civitatem; vel *particulare,* quod afficit determinatam partem alicuius loci vel populi, e. g. conventum, ecclesiam. — Generale interdictum in totam rem publicam aut etiam dioecesim vel eius populum ferri tantum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato; alia interdicta etiam episcopus ferre potest [2].

2. Interdictum aliud est *totale,* quod prohibet usum omnium rerum sacrarum, seu quod causat omnes effectus interdicto proprios; aliud est *partiale,* quod non prohibet nisi quasdam res sacras.

528 **Effectus interdicti.** In praxi solet a superiore legitimo particulariter determinari, quaenam praecise sint prohibita aut licita durante interdicto [3], praesertim si infligitur interdictum particulare aut partiale. Generatim dici potest:

a) Interdictum locale afficit *personaliter* eos, qui eius causam dederunt; reliqui vero versantes in loco interdicti debent quidem illud observare, sed possunt sacramenta suscipere et extra hunc locum prorsus liberi sunt [4].

b) Interdictum *locale generale* prohibet in loco interdicto quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, et etiam, si in nonnullis casibus (de quibus infra) permittuntur divina officia, prohibentur cantus et pompa in sacra supellectili, sonitus campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium [5].

Exceptiones. a) In quinque festis (nempe Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, B. Mariae Virginis in coelum assumptae) interdictum locale suspenditur, ita ut omnia divina officia et ritus permittantur, exceptis collatione ordinum et sollemni nuptiarum benedictione [6].

b) Clerici non *personaliter* interdicti possunt *privatim* (i. e. ianuis clausis, voce submissa, campanis non pulsatis) obire omnia officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio [7].

c) In ecclesia cathedrali, in omnibus ecclesiis paroecialibus, in ecclesia, quae est unica in oppido, permittuntur α) unius Missae celebratio; β) asservatio SS. Sacramenti; γ) administratio baptismatis, eucharistiae, poenitentiae; δ) assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali; ε) mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate; ζ) benedictio baptismalis et sacrorum oleorum; η) praedicatio verbi Dei. S. Viaticum ad infirmos privatim deferatur [8].

---

[1] Cod. iur. can. c. 2269, § 2. [2] Ib. § 1.
[3] Cf. interdicta inflicta civitati Adria d. 30 Sept. 1909 et Galatina d. 10 Dec. 1913.
[4] Cf. Cod. iur. can. c. 2269, § 2 et c. 2276. [5] Ib. c. 2271.
[6] Ib. c. 2270, § 2. [7] Ib. c. 2271, n. 1. [8] Ib. c. 2271, n. 2.

d) Interdictum *personale* prohibet personis interdictis, ne: α) divina officia celebrent neve iis *active* assistant, excepta praedicatione verbi Dei. *Passiva* tamen assistentia non videtur esse graviter prohibita; β) sacramenta et sacramentalia ministrent, conficiant et recipiant. In hoc puncto valent tamen eaedem exceptiones, quae supra n. 500 pro excommunicatis indicatae sunt; γ) sepultura ecclesiastica donetur. Quantum ad ius eligendi, praesentandi, nominandi; ad consecutionem dignitatum, officiorum, beneficiorum, pensionum, munerum in Ecclesia, gratiarum Sedis Apost.; ad ordines suscipiendos interdicti eodem modo tractantur quo excommunicati [1].

e) Illi, qui violant interdictum, peccant graviter; clerici autem illicite exercentes sacrum ordinem fiunt irregulares.

Cessatio interdicti. Interdictum latum *in vindictam* cessat ad arbitrium praelati ferentis, i. e. vel dispensatione vel lapsu temporis determinati.

Interdictum latum per modum *censurae* non cessat nisi per absolutionem praelati competentis.

Scholion. De interdicto ab ingressu ecclesiae et de cessatione a divinis. 529 Interdictum *ab ingressu ecclesiae* est interdictum personale particulare et partiale. Definitur: *poena, qua quis a participatione divinorum officiorum in ecclesia et ab ecclesiastica sepultura prohibetur.* Qui taliter interdictus est, potest igitur *extra ecclesiam,* e. g. in oratorio privato, audire et celebrare Missam, recipere alia sacramenta etc. Pariter potest privatim orare etiam in ecclesia.

Cessatio a divinis [2] est prohibitio (praesertim clericis imposita) divina officia obeundi in loco sacro et ministrandi sacramenta eucharistiae, extremae unctionis, ordinis. Haec cessatio non est censura proprie dicta, sed infligitur ab homine (numquam a iure) ob gravissimum crimen in signum afflictionis Ecclesiae de iniuria sibi illata. Illi, qui violant cessationem a divinis, graviter quidem peccant, sed non fiunt irregulares [3].

§ 2.

De interdictis in specie hodie vigentibus.

Interdicta vigentia sunt quattuor, quorum primum est speciali modo reservatum S. Sedi; secundum et tertium non sunt reservata; quartum autem est reservatum Ordinario.

1. «Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure 530 incurrunt universitates, collegia, capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale concilium appellantia.» [4]

2. «Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita

[1] Ib. c. 2275 et 2265. [2] *Einstellung des Gottesdienstes.*
[3] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. VI, n. 235 sqq.
[4] Cod. iur. can. c. 2332.

clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure contrahunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.»[1]

Hanc censuram incurrunt a) qui illicite celebrant aut celebrari faciunt (iubendo, cogendo) divina officia in locis vel ecclesiis interdictis; b) qui ad divina officia vel sacramenta vel sepulturam ecclesiasticam admittunt excommunicatum, interdictum vel suspensum post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam.

3. «Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti.»[2]

4. «Sponte dantes sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis sive interdictis contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum.»[3]

ARTICULUS III.

De suspensione.

Agemus 1. de suspensione in genere; 2. de suspensionibus hodie vigentibus.

§ 1.

De suspensione in genere.

531 **Notio.** *Suspensio est censura, qua clericus privatur exercitio seu usu quarundum functionum sacrarum, quae ipsi competunt ratione ordinis vel officii vel beneficii.*

Explicatur. Dicitur 1°: *suspensio est censura, qua clericus privatur.* Nam suspensio non fertur in laicos, sed in *solos clericos.* Dicitur 2°: *privatur exercitio seu usu;* etenim neque ipsa potestas neque ius aufertur per suspensionem, sed solus *usus.* Dicitur 3°: *quarundam functionum,* ad designandos diversos effectus suspensionis, de quibus infra sermo erit.

Nota. Suspensio haud raro non est censura proprie dicta, i. e. poena medicinalis, sed poena vindicativa aut aliqua poenitentia aut mera prohibitio exercendi officium. In dubio, utrum in aliquo casu sit censura an alia poena, praesumitur esse censura[4]. Ex sola violatione censurae proprie dictae exsurgit irregularitas, non autem ex suspensione late dicta. Celebris suspensio «ex informata conscientia» aliquando est vera censura, et aliquando non[5].

Divisiones. 1. Suspensio est vel *generalis* vel *specialis,* prout clericus privatur *omni* usu cum ordinis tum officii tum beneficii, vel solo usu alicuius ex tribus. Quae quidem suspensio specialis subdividitur in *totalem* et *partialem.* Suspensio totalis privat clericum usu *omnis* potestatis alicuius speciei, nempe totaliter vel a) usu ordinis vel b) usu officii vel c) usu beneficii. Suspensio partialis privat clericum usu non omnis sed partialis potestatis alicuius speciei; e. g. clericus punitur suspensione partiali, si illi interdicitur auditio confessionum, praedicatio etc. Suspensiones partiales sunt quoque *suspensiones*

[1] Cod. iur. can. c. 2338, § 3. [2] Ib. § 4.
[3] Ib. c. 2339. [4] Ib. c. 2255, § 2.
[5] Cf. nostrum Man. iur. can. 556.

a divinis, i. e. ab omni actu potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet; *suspensio ab ordine pontificali,* i. e. ab omni exercitio ordinis episcopalis; *suspensio a pontificalibus,* i. e. ab usu insignium pontificalium, mitrae, baculi etc.

2. Suspensio *a iure* et *ab homine,* prout lata est ab ipso iure vel ab homine.

Ceterae divisiones, ut reservata, non reservata, latae et ferendae sententiae etc., facile intelliguntur ex iis, quae supra de divisione censurarum in genere dicta sunt.

Effectus suspensionis. 532

1. Suspensus graviter peccat, si actum sibi prohibitum exercet (datur tamen parvitas materiae), nisi sint causae excusantes, quae sunt eaedem, quae supra n. 489 relatae sunt pro censuris in genere.

2. Suspensus ab ordine sacro (non item suspensus a beneficio) violans culpabiliter suspensionem exercitio sacri ordinis fit irregularis [1].

3. Suspensus toleratus exercet valide iurisdictionem; sin vero intervenit sententia condemnatoria aut declaratoria superioris, invalide [2].

4. Suspensus *ab officio* (absolute et simpliciter) privatur non solum usu officii, sed etiam ordinis; seu aliis verbis: *suspensio ab officio includit suspensionem ab ordine.*

5. Suspensus a beneficio, qui nihilominus usurpat fructus beneficiales, tenetur ad restitutionem et quidem etiam ante sententiam iudicis; potest tamen in aedibus beneficialibus habitare et bona beneficialia administrare [3].

Nota. Suspensus non prohibetur sacramenta suscipere, e. g. eucharistiae, poenitentiae, dummodo sincere doleat de peccatis commissis. Pariter non excluditur a communibus suffragiis Ecclesiae neque ab indulgentiis lucrandis.

Cessatio suspensionis. 533

1. Suspensio lata *in vindictam* aufertur *dispensatione* legitimi superioris vel lapsu temporis, si ad tempus est inflicta.

2. Suspensio lata ut *censura* non tollitur nisi legitima *absolutione.*

3. Suspensio *ex informata conscientia* cessat etiam morte praelati, qui eam tulit.

§ 2.

De suspensionibus hodie vigentibus.

Suspensiones latae sententiae hodie vigentes non sunt ita numerosae (reservatae 1. S. Sedi, 2. episcopis, 3. superioribus religiosis, 4. nemini); econtra quamplurimae suspensiones *ferendae* sententiae in Codice iur. can. inveniuntur. Brevitatis causa non agimus nisi de suspensionibus latae sententiae.

1. Suspensiones S. Sedi reservatae.

Suspenduntur: 534

1. Sine mandato apostolico consecrationem episcopalem conferentes vel recipientes.

---

[1] Cod. iur. can. c. 985, n. 7; *Hollweck,* Die kirchl. Strafgesetze § 66.

[2] Cod. iur. can. c. 2284. [3] Ib. c. 2280.

Statuitur enim: «Episcopus aliquem consecrans in episcopum, episcopi vel loco episcoporum presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit.»[1]

2. Ordines *conferentes* sine requisitis a) litteris dimissorialibus aut testimonialibus, b) titulo canonico, c) licentiis necessariis in ordinatione religiosorum.

Etenim «In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt:

1. Qui alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint;

2. Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint;

3. Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint;

4. Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem, quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverit, etiam cum litteris dimissorialibus proprii superioris, nisi legitime probatum fuerit, aut episcopum dioecesanum licentiam dedisse, aut esse diversi ritus, aut esse absentem, aut non esse habiturum ordinationem proximo legitimo tempore, aut dioecesim esse vacantem neque eius rectorem pollere charactere episcopali»[2].

3. Ordines *recipientes* a ministro specialiter indigno.

«Suspensionem a divinis Sedi Apostolicae reservatam ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero *bona fide* a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti, donec dispensetur»[3].

4. Clerici simoniace ordinationem aliaque sacramenta dantes aut recipientes.

«Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam»[4].

5. Religiosi clerici maioristae dolose emittentes professionem invalidam.

«Religiosus clericus, cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiciatur; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit»[5].

2. Suspensio reservata Ordinario.

535 Suspenduntur: clerici laedentes privilegium fori respectu personarum ecclesiasticarum inferiorum.

«Si clericus ausus fuerit ad iudicem laicum trahere, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam ecclesiasticam (quae non fulget dignitate episcopali, cardinalitia, praelatitia maiore), incurrit ipso facto in suspensionem

[1] Cod. iur. can. c. 2370. [2] Ib. c. 2373. [3] Ib. c. 2372.
[4] Ib. c. 2371. [5] Ib. c. 2387.

ab officio reservatam Ordinario.»[1] Laicus idem delictum committens iam non incurrit aliquam poenam latae sententiae, sed potius ferendae sententiae.

3. Suspensio reservata Superiori maiori religioso.

«Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si 536
quod in religione habeat, et in suspensionem proprio superiori majori reservatam, si sit in sacris; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, superior maior pro gravitate culpae poenas infligat.»[2] Fugitivus religiosus ille est, qui ex domo religiosa discedit cum intentione extra obedientiam ad tempus vivendi et postea redeundi.

4. Suspensiones nemini reservatae.

1. «Sacerdos, qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacra- 537
mentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere (praesumpserit), ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus.»[3]

2. «Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus.»[4]

3. «Clericus, qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit.»[5]

4. «Vicarius capitularis (illegitime) concedens litteras dimissorias pro ordinatione ipso facto subiacet suspensioni a divinis.»[6]

5. «Abbas vel Praelatus nullius, qui (ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debet, et nihilominus hanc) benedictionem (*intra tres menses* a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento) non recepit, est ipso facto a iurisdictione suspensus.»[7]

6. «Superiores religiosi, qui (illegitime) subditos suos ad episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a celebratione Missae.»[8]

TRACTATUS VII.
De indulgentiis.

Praenotamen. Tractatus de indulgentiis est quoddam complementum 538
tractatus de poenitentia. Etenim dogma catholicum est, remissa culpa non semper remitti totam poenam debitam. In satisfactionem istius poenae confessarius tenetur imponere salutarem poenitentiam, quam debet implere poenitens. Sed etiam impleta poenitentia salutari nondum semper remissa est omnis poena debita. Medium autem efficacissimum delendi omnem prorsus poenam, remissa culpa, sunt indulgentiae. Unde moralistae communiter

[1] Ib. c. 2341. [2] Ib. c. 2386. [3] Ib. c. 2366.
[4] Ib. c. 2374. [5] Ib. c. 2400. [6] Ib. c. 2409.
[7] Ib. c. 2402. [8] Ib. c. 2410.

agunt de indulgentiis tamquam de complemento satisfactionis sacramentalis et sacramenti poenitentiae. Cum circa indulgentias multae controversiae exsistant, quae libere inter theologos disputantur, operae pretium est hic breviter uno conspectu proponere ea, quae extra controversiam sunt et a quolibet catholico admitti debent. Haec autem omnia continentur in Concilio Tridentino [1], quod definit: «Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usu fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.» [2] Ergo duo sunt omnino tenenda de fide:

1. Potestas concedendi indulgentias est divinitus Ecclesiae tradita.

2. Usus indulgentiarum est salutaris et proinde retinendus.

Insuper certum est (propter damnationem prop. 17 Lutheri [3] et prop. 41 Synodi Pistoriensis), exsistere thesaurum satisfactionum Christi et sanctorum, ex quo Ecclesia indulgentias dispensare potest.

Dividimus hunc tractatum de indulgentiis in quinque articulos: 1. de natura et divisione indulgentiarum; 2. de auctoritate concedendi indulgentias; 3. de condicionibus requisitis ad indulgentias lucrandas; 4. de indulgentia iubilaei; 5. de quibusdam indulgentiis in particulari.

ARTICULUS I.

De natura et divisione indulgentiarum.

539 **Definitio nominalis.** Indulgentia ab «indulgere» dicta est et nihil aliud significat nisi remissionem proprii iuris in gratiam alterius, vel condonationem alicuius mulctae sumendae. — Nomen indulgentiae temporibus S. Thomae iam notum fuit; temporibus autem patristicis adhiberi solebant alia nomina, e. g. pax, condonatio, reconciliatio etc.

540 **Definitio realis.** *Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis debitae, peccato actuali remisso quoad culpam, facta extra sacramentum poenitentiae a superiore legitimo per applicationem thesauri Ecclesiae.*

Declaratur: a) *Remissio poenae temporalis,* non autem culpae, sive mortalis sive venialis. Unde est pura et putida calumnia, si quidam acatholici effutiunt, per indulgentias remitti iuxta doctrinam catholicam peccata quaelibet, etiam futura. Quae autem narrantur de Tetzel, quasi vendiderit indulgentias pro peccatis futuris, est fabula iam centies explosa et nihilo setius iterum iterumque ab hominibus malevolis aut nimis credulis refricata [4]. Nec obstat, quod in nonnullis Litteris Apostolicis concessae dicuntur indulgentiae in remissionem peccatorum. Nomen enim peccati aliquando sumitur pro poena peccato debita. Sic e. g. dicitur: «Eum [Christum], qui non noverat

---

[1] Sess. 25 de indulg. (*Denz.* n. 989).

[2] Cf. etiam propositiones damnatas 40—43 Synodi Pistoriensis (*Denz.* n. 1540—1543).

[3] *Denz.* n. 757.

[4] Cf. *N. Paulus,* Johann Tetzel, der Ablaßprediger p. 130 sqq. Idem auctor bene quoque explicat, quid fuerint sic dicta confessionalia, et indulgentiae a poena et a culpa.

peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.»[1] Ergo si indulgentiae conceduntur pro remissione peccatorum, hoc nihil aliud significat nisi pro remissione *poenae* peccatis debitae. — Poena aeterna semper remittitur cum culpa peccati, unde nec etiam pro remissione poenae *aeternae* indulgentia conceditur. Poenae, quae debentur *peccato originali*, remittuntur sacramento baptismi; ac proinde indulgentia non delet nisi temporales poenas debitas pro peccatis actualibus; quas tamen poenas revera remittit *coram Deo* et non tantum in foro Ecclesiae. Quare Leo X proscripsit propositionem (19) Lutheri: «Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam.»[2] Pius VI damnavit propositionem (40) Synodi Pistoriensis: «Propositio asserens, indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti, quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata.»[3] Iam S. Thomas[4] recte animadvertit, si indulgentiae liberarent tantum a poenis ecclesiasticis et non a poenis coram Deo et in altera vita luendis, plus nocerent quam prodessent, et Ecclesia deciperet fideles in re gravis momenti; eximendo enim a poenis levioribus huius vitae eos remitteret ad poenas longe acerbiores purgatorii, quarum relaxationem obtinuissent per poenas huius vitae[5].

b) *Facta extra sacramentum poenitentiae a superiore legitimo.* In sacramento poenitentiae non tantum remittitur culpa et poena aeterna, sed etiam poena temporalis, saltem secundum partem. Cum autem fide certum sit, remissa culpa non semper simul remitti totam poenam temporalem[6], debent adesse alia remedia contra poenam remanentem. Quae quidem remedia sunt: 1. satisfactio sacramentalis; 2. opera mortificationis libere suscepta; 3. poenalitates et miseriae huius vitae a Deo missae et ab homine patienter toleratae; 4. indulgentiae. Quodsi homo his remediis non satisfecerit poenis debitis in hac vita, debet in purgatorio pati, usquedum universa poena sit deleta. Ecclesiam autem pollere potestate conferendi indulgentias, in articulo sequenti probabitur.

c) *Per applicationem thesauri Ecclesiae.* Thesaurus Ecclesiae, prout hic 541
de illo loquimur, nihil aliud est nisi cumulus satisfactionum Christi et sanctorum, quas Ecclesia dispensare potest. Qui quidem thesaurus duo fundamenta habet, scil. communionem sanctorum et satisfactionem vicariam. In Ecclesia exsistere *communionem sanctorum* dogma fidei est; ideoque solet triplex Ecclesia distingui: Ecclesia militans, Ecclesia patiens, Ecclesia triumphans. Est autem communio sanctorum ille arctissimus nexus uniens omnia membra Ecclesiae in unum corpus. Pulchre et concinne de hac unione loquitur S. Paulus concludens in haec verba: «Vos autem estis corpus Christi et membra de membro.»[7] Unde Catechismus Romanus[8] dicit: «Quaecumque

[1] 2 Cor 5, 21. [2] *Denz.* n. 759. [3] *Denz.* n. 1540.

[4] Suppl. q. 25, a. 1.

[5] Tunc indulgentiae inutiles essent pro animabus purgatorii, quae iam non tenentur ad poenas canonicas.

[6] Conc. Trid. sess. 14, c. 8 et can. 12 et 15 (*Denz.* n. 904 922 925).

[7] 1 Cor 12, 27. [8] Pars 1, c. 10, q. 20.

pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et, ut illis prosint, caritate, quae non quaerit quae sua sunt, efficitur.» — Super istud radicale fundamentum communionis sanctorum superstruitur alterum, scil. *satisfactio vicaria*. Quia enim tam arcta unio exsistit inter singula membra Ecclesiae, unum membrum illius pro alio satisfacere potest. — Oportet autem notare, opus supernaturaliter bonum producere triplicem fructum: fructum *meritorium*, fructum *impetratorium*, fructum *satisfactorium*. Opus est meritorium, in quantum procedit ex *caritate;* est impetratorium, in quantum coniungitur cum illo *petitio* aliquid a Deo obtinendi; est demum satisfactorium, in quantum fit cum quadam *onerositate*. Fructus meritorius proprie dictus est inalienabilis, iuxta illud: «Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.»[1] Nihil autem obstat, quominus dicatur alterum pro altero posse aliquid mereri merito *de congruo*. Ideo S. Thomas docet[2]: «Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam; quia cum homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cuius aliquis sanctus iustificationem desiderat.» — Alterum pro altero aliquid a Deo *impetrare* posse per se patet, cum tot orationes in Ecclesia fiant pro conversione peccatorum, pro animabus purgatorii, pro benefactoribus, pro inimicis etc. — Fructum *satisfactorium* alteri communicari posse patet ex S. Scriptura, ex unanimi doctrina theologorum et ex exemplo veterum martyrum. — S. Paulus monet: «Alter alterius onera portate»[3], et de se ipso dicit: «Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.»[4] — Ex doctoribus Ecclesiae unum S. Thomam[5] audiamus: «Quod per amicos facimus, per nos ipsos facere videmur, quia amicitia ex duobus facit unum per affectum, et praecipue dilectio caritatis, et ideo sicut per se ipsum, ita et per alium potest aliquis satisfacere Deo, praecipue cum necessitas fuerit; nam et poenam, quam amicus propter ipsum patitur, reputat aliquis ac si ipse pateretur, et sic poena ei non deest, dum patienti amico compatitur, et tanto amplius, quanto ipse est ei causa patiendi. Et iterum affectio caritatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si pro se pateretur: hoc enim est promptae caritatis, illud autem est necessitatis. Ex quo accipitur, quod unus pro alio satisfacere potest, *dummodo uterque in caritate fuerit.*» — In antiqua Ecclesia martyres et confessores valebant remittere poenitentibus partem poenitentiae, in quantum ipsorum torturae habebantur ut satisfactiones pro poenis debitis peccatoribus[6].

Ex dictis patet, totam doctrinam de indulgentiis fundari super haec tria principia: 1. Exsistit arctissima unio inter diversa membra corporis mystici Christi. 2. Exsistit vicaria satisfactio. 3. Exsistunt superabundantes satisfactiones Christi et sanctorum, quae continentur in thesauro Ecclesiae, ex quo indulgentiae singulis membris impertiuntur.

542 **Doctrina S. Thomae de natura indulgentiarum.** Cum haud pauci auctores acatholici putent, doctrinam de indulgentiis tempore pseudo-refor-

---

[1] 1 Cor 3, 8. [2] S. theol. 1, 2, q. 114, a. 6. [3] Gal 6, 2.
[4] Col 1, 24.
[5] Summa c. gent. 3, 158; cf. etiam Quodl. 2, a. 16 et Suppl. q. 25, a. 1.
[6] Cf. *Tertull.*, Ep. ad martyres c. 1 (*Migne*, Patr. lat. 1, 621).

mationis esse inventam, pretium operae est attendere ea, quae S. Thomas de indulgentiis tradidit; in paucis enim verbis comprehendit *totam doctrinam*, et omnes theologi catholici eandem doctrinam amplexi sunt. Docet autem Angelicus Doctor[1]: «Valent [indulgentiae] et quantum ad forum Ecclesiae et quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residuae post contritionem et confessionem et absolutionem, sive sit iniuncta sive non. Ratio autem, quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multi etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt; et *praecipue propter meritum Christi*, quod, etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum autem est supra[2], quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt, sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait se adimplere ea, quae desunt passionum Christi, in corpore suo pro Ecclesia, ad quam scribit[3]. Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem, quae sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium eius, qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset, ita, si satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur.»

Scholion. De intima indole indulgentiarum. Inter modernos auc- 543
tores disputatur, utrum indulgentia sit potius *absolutio* per actum iurisdictionis concessa, an tantum solutio seu *donatio* ex thesauro Ecclesiae. Verior et communior sententia docet indulgentias *vivis* concessas esse *simul* absolutionem et solutionem[4]; *defunctis* vero applicatas non esse nisi *solutiones* oblatas ex thesauro Ecclesiae. Certum est, indulgentiam vivis concessam esse veram absolutionem factam potestate iurisdictionis. Unde Summus Pontifex concedendo indulgentias revera absolvit vivos a poenis temporalibus, sed cum in praesenti rerum ordine salutis nullus reatus sive culpae sive poenae remittatur sine satisfactione, Summus Pontifex ex thesauro Ecclesiae tantas satisfactiones sumit, quantae respondent indulgentiis concessis. Neque quis dicat, tunc Papam ipsum non posse indulgentias lucrari, cum nemo possit actum iurisdictionis exercere in se ipsum; etenim iam S. Thomas hanc difficultatem praevidit et solvit[5], dicens neminem quidem posse exercere actum iurisdictionis in se ipsum, sed superiorem posse *uti* illis, quae ipse auctoritate iurisdictionis omnibus concesserit. Unde sicut Papa non potest se ipsum absolvere a peccatis, potest autem sacerdoti concedere iurisdictionem absolvendi ipsum, ita potest pro opere pio indulgentiam omnibus concedere, et ipse hoc opus perficiens lucratur indulgentiam, sicut ceteri fideles. — Pro defunctis in purgatorio exsistentibus, quippe qui iam non sint sub iurisdictione Papae, indulgentiae non valent per modum absolutionis proprie dictae, sed per modum *solutionis* et *suffragii*. Ideo ex thesauro Ecclesiae

[1] Suppl. q. 25, a. 1. [2] Suppl. q. 13, a. 2. [3] Cf. Col 1, 24.

[4] S. Thomas dicit: «Qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito poenae, sed datur sibi, unde debitam solvat» (4, dist. 20, q. 1, a. 3, sol. 1 ad 2; cf. Cod iur. can. c. 911).

[5] Suppl. q. 27, a. 4 ad 1.

Summus Pontifex offert satisfactiones illasque per modum petitionis seu suffragii applicat animabus purgatorii [1].

Quid indulgentia non sit. Hucusque dictum est, quid sit indulgentia. Ut eius natura adhuc clarius innotescat, breviter dicendum est, quid illa *non sit.* Indulgentia non est: a) *remissio culpae* sive venialis sive mortalis; b) *remissio veterum poenarum canonicarum;* c) *liberatio a vitae emendatione* per opera futuros lapsus praecaventia; d) *liberatio ab obligatione reparandi iniurias* forsan proximo illatas. — Contra exaggeratam utilitatem indulgentiarum S. Thomas [2] scite scribit: «Quamvis indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis; quod in infinitum melius est, quam dimissio poenae temporalis.»

544 **Species indulgentiarum.** Dividuntur indulgentiae:

a) **ratione effectus** in *plenarias* et *partiales.*

Priores remittunt (ex intentione concedentis) *totam poenam* temporalem alicuius hominis adhuc residuam. Posteriores remittunt *partem* poena temporalis. Cum extensio indulgentiae dependeat ex intentione concedentis, statuit ius ecclesiasticum [3], eum, qui propter culpam venialem nondum deletam non potest lucrari indulgentiam plenariam perfecto modo, saltem partialiter eam lucrari, in quantum capax est. Ita etiam fert praxis fidelium; ideoque e. g. fideles solent pluries sibi lucrari indulgentiam «Toties quoties». Si quis revera lucratus est indulgentiam plenariam, in eodem statu est, in quo versatur adultus immediate post baptismum susceptum, ac proinde si, lucrata indulgentia, moreretur (absque transitu per purgatorium) statim ad coelum transvolaret. Indulgentia partialis remittit partem poenarum temporalium, ut supra dictum est. Sed si nunc quaeritur, *quanta* sit haec pars, nihil certi responderi potest. Communissime auctores docent, si Summus Pontifex e. g. concedat indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum, tunc tantam partem poenarum remitti, quanta remissa fuit per poenitentiam septem annorum et septem quadragenarum peractam iuxta veterem disciplinam ecclesiasticam. Poenitentiae antiquae Ecclesiae fuerunt rigidissimae; sic e. g. si quis quadragenam peragere debuit, nihil potuit manducare nisi panem et sal; pro potu autem nihil habuit nisi aquam. Aliquando quidem talis rigor paulum mitigatus est, in quantum permittebatur esus leguminum aliorumque ciborum levium, sed numquam permittebatur esus carnium, et semper praecipiebatur strictum ieiunium [4].

b) **Ratione subiecti** distinguuntur indulgentiae *pro vivis* et *pro defunctis.*

Ut ex supra dictis patet, indulgentiae conceduntur vivis per modum *iuri dicae absolutionis,* quae tamen includit solutionem debitae poenae ex thesauro Ecclesiae. Indulgentiae autem conceduntur pro defunctis per modum *suffragii,* in quantum Summus Pontifex ex thesauro Ecclesiae offert Deo

---

[1] Cf. *Billot,* De Eccl. sacr. II, 221 sqq; *Chr. Pesch,* Prael. theol. VII, n. 474 sqq.; *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe [14] P. 1, § 4 (p. 35).

[2] Suppl. q. 25, a. 2 ad 2. [3] Cod. iur. can. c. 926.

[4] Cf. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe [14] P. 1, § 4. Revocatae sunt omnes indulgentiae partiales mille vel plurium milium annorum. S. C. Indulg. d. 26 Maii 1898 et de 10 Aug. 1899.

satisfactiones pro poenis ab animabus purgatorii adhuc luendis. Omnes indulgentiae concessae a Summo Pontifice sunt applicabiles animabus purgatorii, nisi aliud certo constet, ut e. g. accidit de indulgentia lucranda in articulo mortis [1].

c) **Ratione modi** indulgentiae distinguuntur in *personales, reales, locales.*

Indulgentiae *personales* in stricto sensu dicuntur eae, quae immediate determinatis personis sive physicis sive moralibus conceduntur, e. g. membris alicuius confraternitatis, religiosi instituti etc. In latiore autem sensu vocantur indulgentiae personales eae, quae independenter ab aliquo loco aut aliqua re conceduntur omnibus fidelibus aliquod pium opus perficientibus; e. g. recitantibus quasdam preces iaculatorias conceditur indulgentia 300 dierum. — Indulgentiae *reales* eae sunt, quae immediate alicui rei portatili adnectuntur, e. g. rosario, numismati etc. Indulgentiae reales non possunt applicari nisi rebus *solidis*, quae non sunt facile fragiles et lacerabiles, ut vitrum, papyrus etc. Indulgentiae reales solummodo cessant: a) si res prorsus desinunt esse, e. g. si crucifixi imago in duas partes frangitur. Indulgentia vero non perit, si mutatio est *levis*, e. g. si pauca grana alicuius rosarii amittuntur et nova substituuntur; nec etiam si alius ac possessor his rebus utitur *cum intentione indulgentias lucrandi.* b) si res indulgentiis dotata *venditur* [2]. Ad evitandam etiam speciem simoniae Ecclesia graviter prohibuit sub poena amissionis indulgentiarum, ne res indulgentiis ditatae vendantur aut emantur, etiamsi inde nullum lucrum percipitur. Nihil autem obstat, quominus aliquis sibi comparet plures res indulgentiis ditatas easque postea *ante usum* aliis dono det. Eidem rei plures indulgentiae applicari possunt. Sic e. g. idem rosarium potest recipere indulgentias Dominicanorum, Crucigerorum et S. Birgittae. — Indulgentiae *locales* eae sunt, quae immediate pio loco affixae sunt, ut ecclesiae, altari, imagini miraculosae etc. Attendendae sunt clausulae, sub quibus indulgentiae alicui loco concessae fuerint. Sic e. g. si indulgentia concessa fuerit omnibus, qui faciunt piam *peregrinationem* ad aliquam ecclesiam, incolae illius loci, ubi ecclesia sita est, non possunt hanc indulgentiam lucrari, quia non censentur peregrinantes [3]. Si ecclesia vel altare, quibus indulgentia concessa est, diruitur, indulgentia cessat, ut per se patet. Si tamen eadem ecclesia aut idem altare in eodem fere loco (i. e. intra spatium 30 passuum) postea, (i. e. saltem intra 50 annos) reconstruitur, idque sub eodem titulo, indulgentia reviviscit [4].

Nota. Indulgentiae concessae alicui *ecclesiae regularium* cessant, si istae 545
ecclesiae transeunt in possessionem episcopi aut alterius ordinis religiosi [5]. Ratio est, quia indulgentiae conceduntur istis ecclesiis, praecipue quia sunt administratae a tali ordine religioso. Proinde si talis ordo postea (etiam post longum tempus) iterum eandem ecclesiam recuperat, indulgentiae quoque reviviscunt. Tamquam ecclesiae regularium censentur non solum illae, quae ab illis possidentur, verum etiam omnes illae, quae ipsis solummodo (permanenter) demandatae sunt, licet episcopus vel aliquis alius sit possessor [6]. Sin autem aliqua ecclesia administratur a *sacerdote regulari,* licet modo per-

---

[1] Cod. iur. can. c. 930.
[2] S. C. Indulg. d. 16 Iulii 1887; Cod. iur. can. c. 924, § 2.
[3] Decr. auth. Indulg. n. 202. [4] Cod. iur. can. c. 924, § 1.
[5] Decr. auth. Indulg. n. 246. [6] Cf. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe [14] P. 1, § 22.

manente, nondum censetur ecclesia regularis, sed est saecularis, nec habet indulgentias ecclesiarum regularium [1].

ARTICULUS II.
De auctoritate indulgentias concedendi.

546 **Errores.** Potestatem indulgentias concedendi Ecclesiae denegarunt: a) Waldenses vel sic dicti Pauperes Lugdunenses, Wicleffitae, Hussitae, Petrus de Osma. Errores Ioannis Wicleff damnati sunt a Concilio Constantiensi in sessione 8 et 19 [2]; errores autem Petri Oxomensis damnavit Sixtus IV per Bullam «Licet ea» d. 9 Aug. 1479 [3]. b) Protestantes. Luther primum voluit solos abusus quaestorum indulgentiarum carpere, ipsam autem indulgentiam admisit, sicut etiam agnovit potestatem Summi Pontificis concedendi indulgentias [4]; postea autem ipsas indulgentias impugnavit, quas appellabat pias fraudes [5]. Moderni Protestantes idem solent asserere, immo complures audent affirmare, indulgentias nihil aliud esse nisi libertatem liberius peccandi solutione pecuniae comparatam.

547 **Prop. 1.** *Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias.*

Est de fide et definitum in Concilio Tridentino (sess. 25, decretum de indulgentiis) [6]. Proinde in Professione fidei a Pio IV praescripta habetur: «Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse . . . affirmo.» [7]

Prob. 1. Ex S. Scriptura. Potestas indulgentias concedendi deducitur ex tribus dogmatibus fidei: 1. ex superabundantia satisfactionis Christi; 2. ex communione sanctorum; 3. ex potestate clavium. — De duobus prioribus iam supra sufficienter dictum est. Potestas autem clavium, quae Ecclesiae a Christo tradita est, indicatur per verba: «Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.» [8] Traditur igitur S. Petro potestas solvendi omnia, quae excludunt a regno coelorum. Iam vero non solum peccata excludunt a regno coelorum, sed etiam *poenae* post remissam culpam residuae. Ergo S. Petrus eiusque successores debent habere potestatem remittendi istas poenas residuas; quod quidem fit per concessionem indulgentiarum. Ergo ex S. Scriptura constat Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias.

Prob. 2. Ex ratione theologica. Potestas indulgentias conferendi intime connexa est cum potestate clavium Ecclesiae tradita atque maxime conducit ad bonum religionis et exercitium virtutum. Ergo talis potestas admittenda est. — Etenim si Ecclesiae concessa est potestas absolvendi a culpa et a poena aeterna, sicut fit in sacramento poenitentiae, non potest illi convenienter negari facultas absolvendi etiam a poena temporali, quippe quae

---

[1] Cf. Decr. auth. Indulg. n. 47 et 395. [2] Cf. *Denz.* n. 622.

[3] Cf. *Denz.* n. 729.

[4] Luther in prima sua thesi d. 31 Oct. 1517 Wittembergae proposita dicit: «Wer wider die Wahrheit des päpstlichen Ablasses redet, der sei ein Fluch und vermaledeit»

[5] Leo X damnavit propositionem Lutheri: «Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt» (*Denz.* n. 758).

[6] *Denz.* n. 989. Cf. supra n. 538. [7] *Denz.* n. 998.

[8] Mt 16, 19; cf. Io 20, 23.

pariter excludat a regno coelorum. — Indulgentiarum lucrationem ad omne genus virtutum et ad bonum religionis conducere, quotidiana experientia comprobat. Etenim inculcantur varia capita doctrinae christianae de iustitia Dei exigentis satisfactionem pro culpis commissis, de misericordia Christi tam abundanter satisfacientis pro nobis, Ecclesiae tam misericorditer nobis largientis auxilia ac tam secure ducentis ad coelum. Insuper indulgentias nequit homo lucrari nisi exercitio bonorum operum, ut sunt susceptio sacramentorum poenitentiae et communionis, orationes, peregrinationes, eleemosynae etc. Unde mirum non est, quod S. Ignatius de Loyola scribit: «Dei amorem et coelum quaerentibus indulgentiae sunt ingens thesaurus et gemmae pretiosae.»[1] Voltaire autem dixisse fertur de iubilaeo anni 1775: «Encore un jubilé pareil, et c'en est fait de la philosophie.»[2]

Prob. 3. Ex traditione et continua praxi Ecclesiae. Ipse S. Paulus iam concessit indulgentiam Corinthio incestuoso, cui remisit partem poenae temporalis, quam ei imposuerat[3]. Neque quis dicat S. Paulum solummodo remisisse poenitentiam canonicam, non autem ipsas poenas temporales in foro Dei debitas. Etenim S. Apostolus dicit: «Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.»[4] Ergo S. Paulus in persona Christi condonavit has poenas, ac proinde etiam in foro Dei.

Historicus progressus indulgentiarum cum evolutione disciplinae 548
poenitentialis intime connexus est. In eo possunt tria spatia distingui, i. e. primum spatium usque ad saeculum VIII; secundum usque ad saeculum XII; tertium spatium usque ad nostros dies. In primo spatio indulgentiae apparent sub forma mitigationis *poenae canonicae publicae*, quae praecipue concedebatur per sic dictos *libellos martyrum*. De his testatur S. Cyprianus[5]: «Qui libellos a martyribus acceperint, praerogativa eorum apud Deum adiuvari posse.» Idem docet Tertullianus (quod tamen postea in haeresim Montanistarum lapsus reprobavit)[6]. — Similia habentur in Concilio Nicaeno I[7]. Moribundis etiam tunc temporis relaxabantur poenae, ut citius coelum ingredi valerent. Porro in his casibus Ecclesia voluit non solas poenitentias canonicas relaxare, quia exinde nullum commodum ortum fuisset pro ipsis animabus, sed potius damnum; quia tunc poena residua debuisset solvi in purgatorio; quod sane adhuc durius fuisset quam rigidae poenitentiae impositae a disciplina canonica. Ex quibus omnibus patet, iam primis saeculis aerae christianae veras remissiones poenarum temporalium validas in foro Dei seu indulgentias esse concessas.

In secundo spatio res adhuc clarius apparet. Narrat S. Thomas[8]: «Papa dat indulgentiam, quod, qui vadit ad unam ecclesiam, habeat septem annos de indulgentia; cuiusmodi etiam *indulgentiae a Beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt.*» Idem narrat Guilelmus Antisiodorensis[9]. Ergo iam Gregorius Magnus concessit indulgentias, quae adhuc nostris temporibus vigent. Etsi a quibusdam auctoribus, e. g. a Morino, hoc factum negatur, tamen iam Bonifatius VIII, pro anno 1300 concedens indulgentiam plenariam visitantibus basilicam S. Petri, testatus est: «*Antiquorum habet fida relatio*, quod

---

[1] Apud *Chr. Pesch*, Prael. dogm. VII, n. 505. [2] Ib. [3] 1 Cor 5, 1 sqq.
[4] 2 Cor 2, 10. [5] Ep. 18; cf. Ep. 21 33 36.
[6] Ad mart. c. 1 (*Migne*, Patr. lat. 1, 621) et De pudic. c. 22 (ib. 2, 1026).
[7] Can. 12. [8] In 4, dist. 20, q. 1, a. 3, sol. 2.
[9] Summa l. 2, tr. 6, c. 9.

accedentibus ad honorabilem basilicam principis apostolorum de Urbe concessae sunt magnae remissiones et indulgentiae peccatorum. Nos igitur . . . huiusmodi remissiones et indulgentias omnes et singulas ratas et gratas habentes confirmamus.»[1] — Praecipue autem concessae sunt indulgentiae a Summis Pontificibus, quando factae sunt expeditiones in Terram Sanctam ad pugnandum contra Turcas. Sic e. g. Urbanus II a. 1095 statuit: «Nos de misericordia Dei et de beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi fidelibus christianis, qui contra eos [infideles] arma susceperint, iniunctas sibi pro delictis poenitentias relaxamus.» Etiam indulgentiae pro defunctis iam saeculis IX et X occurrunt. Sic Paschalis I concessit, ut, qui in quodam sacello S. Zenonis certum numerum Missarum pro defuncto diceret, hunc defunctum e purgatorio liberaret. Ioannes IX indulgentiam concessit pro Arnulpho imperatore defuncto[2].

In tertio spatio indulgentiae evadunt frequentiores et faciliores. S. Thomas vivens saeculo XIII completam doctrinam de indulgentiis tradit, quae non est mutata usque ad nostros dies. Bonifatius VIII concessit a. 1300 primum iubilaeum. Ceterum ipsi Protestantes tenentur concedere, praxim indulgentiarum viguisse in Ecclesia catholica inde a saeculo XII.

549 **Prop. 2.** *Indulgentias concedere potest Papa principaliter; alii vero, in quantum potestatem ab eo accipiunt vel ordinariam vel commissam seu delegatam.* Ita S. Thomas[3].

Ratio huius propositionis est, quia ille solus potest indulgentias concedere, qui habet dispensationem thesauri Ecclesiae. Iam vero Papa istam dispensationem principaliter habet; alii vero, in quantum a Summo Pontifice delegantur. Utrum haec potestas in episcopis sit dicenda ordinaria an delegata, est potius quaestio de nomine quam de re. Quousque potestas aliorum extendatur, dicetur infra.

Ad validitatem concessionis indulgentiarum requiritur *iusta et rationabilis causa.* Summus Pontifex enim non est nisi *administrator* thesauri Ecclesiae, quem non pro libitu, sed rationabiliter nomine Dei erogare valet. Unde si pro levissimo opere concederet maximam indulgentiam, non solum illicite, sed etiam invalide ageret. Tamquam causae indulgentiarum concedendarum constanter a S. Thoma assignantur *honor Dei* et *proximi utilitas*[4]. In taxanda autem proportione causae non tantum difficultas obiectiva operis iniuncti consideranda est, verum etiam utilitas religionis, Ecclesiae, fidelium. Hinc e. g. indulgentia plenaria annexa oratiunculae: «En ego, o bone Iesu», dicendae post communionem susceptam, non est dicenda exaggerata, quia inde fideles incitantur ad eucharistiam frequentius et devotius suscipiendam.

Vigens Ecclesiae praxis. Indulgentias concedere possunt:

a) *Summus Pontifex* pro tota Ecclesia. Aliquando Papa concedit indulgentias oraculo vivae vocis, sed ordinarie iuxta vigentem disciplinam conceduntur indulgentiae mediante S. Poenitentiaria[5]; immo omnes generales concessiones indulgentiarum factae universis christifidelibus sunt invalidae, nisi sint recognitae a S. Poenitentiaria[6]. At

[1] Extrav. comm. l. 5, tit. 9, c. 1.

[2] Cf. *Schoofs,* Die Lehre v. kirchl. Ablaß 46, apud *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VII, n. 503.

[3] Quodl. 2, a. 16. [4] Suppl. q. 25, a. 2; Quodl. 2, a. 16.

[5] Cod. iur. can. c. 258, § 2. [6] Ib. c. 920.

tali recognitione non indigent: *α*) indulgentiae, quae conceduntur ab ordinibus religiosis iuxta privilegia ipsis concessa[1]; *β*) indulgentiae concessae a S. Congr. de Prop. Fide[2]; *γ*) omnes indulgentiae particulares; *δ*) facultates benedicendi pia obiecta iisque indulgentias et privilegia adnectendi[3].

b) *Episcopi* valebant usque ad Concilium Lateranense IV (1215) in propria dioecesi concedere omnes indulgentias. Tunc autem eorum potestas limitata est, et nunc valent concedere in consecratione alicuius ecclesiae unum annum, aliis autem occasionibus 50 dies indulgentiarum. Archiepiscopi valent concedere 100 dies; Cardinales autem 200 dies[4].

Sed oportet animadvertere, omnes inferiores Rom. Pontifice non posse:

1. facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id iis est specialiter indultum;

2. indulgentias concedere defunctis applicabiles;

3. eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a S. Sede vel ab alio indulgentiae concessae sunt, alias adiungere, nisi novae condiciones adimplendae praescribantur[5].

Nuntii, legati a latere, poenitentiarius maior Romae possunt item aliquas indulgentias concedere[6]. Ex delegatione pontificia speciali alii quoque sacerdotes, ut praelati regulares, visitatores, confessarii etc., nonnumquam indulgentias largiri possunt, e. g. benedictionem papalem.

ARTICULUS III.

De condicionibus requisitis ad lucrandas indulgentias.

Pro consecutione indulgentiae requiruntur tria: 1. debita intentio; 2. status gratiae et verae communionis sanctorum; 3. impletio operum praescriptorum. — De singulis singillatim agendum est.

1. **De intentione necessaria.** Cum indulgentia sit beneficium, 550
quod praesumitur quilibet acceptare, qui non positive contradixerit, sufficit vel minima intentio vera ad eam lucrandam, saltem si agitur de indulgentia pro se ipso lucranda. Licet igitur sit melius et consultius saepe elicere intentionem actualem lucrandi omnes indulgentias, tamen haec intentio actualis non est necessaria. Sufficit quaelibet intentio virtualis, immo et habitualis, i. e. ea, quae semel habita et numquam retractata est. Neque requiritur, ut quis cognoscat cum aliquo opere aut oratione esse coniunctam indulgentiam. Sufficit, ut opus rite praestetur et adsit saltem intentio habitualis lucrandi omnes indulgentias. Si agitur de indulgentiis applicandis *animabus purgatorii*, requiritur saltem intentio virtualis, quae semel actu elicita numquam

---

[1] S. Offic. d. 15 Iunii 1910. [2] S. Offic. d. 13 Iulii 1910.

[3] *Benedict. XV,* Motu proprio d. 16 Sept. 1915.

[4] S. C. Indulg. d. 26 Maii 1898; cf. Cod. iur. can. c. 239, § 1, n. 24; c. 274; c. 349, § 2, n. 2; c. 1166, § 3. Episcopi titulares, etsi sint vicarii apostolici, nequeunt indulgentias concedere. S. C. de Prop. Fide d. 23 Aug. 1852.

[5] Cod. iur. can. c. 913. [6] Cf. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe[14] P. 1, § 16.

retractata est. Si quis vult applicare animae determinatae aliquam indulgentiam, profecto requiritur intentio actualis explicita. Secus sufficit intentio generalis, e. g. applicandi defunctis in purgatorio detentis omnes indulgentias, vel applicare illi animae, quae magis derelicta est.

551 2. **De statu gratiae et perfecta unione sanctorum.** Indulgentias nequeunt lucrari: a) *non-baptizati et excommunicati*[1]; quia isti non sunt in perfecta communione sanctorum, neque participes bonorum, quae adveniunt vivis membris Ecclesiae; b) illi, qui sunt *in statu peccati mortalis*. De hac re docet S. Thomas[2]; «Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis. Sed ille, qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum.» Deinde indulgentia ex natura sua est remissio poenae temporalis. Quomodo autem temporalis poena remitti potest, si propter peccatum mortale adhuc remanet poena aeterna? — Immo etiam peccatum *veniale* nondum remissum impedit, ne tota poena temporalis condonetur. Aliorum quidem iam deletorum peccatorum poenae residuae per indulgentias tunc deleri possunt, sed non poena peccati venialis nondum remissi. Haec doctrina valet etiam pro indulgentiis applicandis animabus purgatorii. Ita saltem sententia probabilior. S. Thomas[3] simpliciter dicit: «Indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et *ex parte recipientis caritas*, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.» Ratio autem intrinseca est, quia indulgentiae applicandae animabus purgatorii debent prius possideri ab homine vivo, qui deinde illas applicat animabus purgatorii. Iam vero homo peccator non valet aliquam indulgentiam sibi acquirere et possidere[4]. Contrariam autem sententiam tenent Busenbaum, Suarez, Escobar aliique[5]. S. Congregatio saepius interrogata, num status gratiae sit necessarius ad lucrandam aliquam indulgentiam pro defunctis, noluit dare responsum. Die 20 Aug. 1822 respondit: «Dilata»; die autem 22 Febr. 1847 ad eandem quaestionem respondit: «Consulantur probati auctores.» Certo autem nequit peccator aliquam indulgentiam applicare defunctis, si in concessione habetur haec vel similis clausula: «Qui corde contrito devote hoc fecerit». Nam peccator non est contritus. — Si ad lucrandam indulgentiam plura opera praescribuntur, sufficit, ut *ultimum opus* in statu gratiae sanctificantis perficiatur; tunc enim indulgentia reapse conceditur[6].

---

[1] Cod. iur. can. c. 925, § 1. [2] Suppl. q. 27, a. 1. [3] Ib. q. 25, a. 2.

[4] *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 534) vocat hanc sententiam veriorem.

[5] Apud *S. Alph.* l. c. Videtur esse certum, Missam in altari privilegiato (sive locali sive personali) a sacerdote peccatore celebratam nihilominus producere indulgentiam plenariam. Ratio est, quia tota efficacia sacrificii Missae principaliter provenit ex opere operato et non ex opere operantis.

[6] Ita S. Antoninus, Benedictus XIV, Theodorus a Spiritu Sancto, et concordant Raccolta (p. VII) et Cod. iur. can. c. 925, § 1.

3. **De praescriptis operibus implendis.** Regula generalis est: 552
Opera praescripta fideliter implenda sunt iuxta intentionem illius, qui concessit indulgentiam, ita ut *substantialis* mutatio irritet indulgentiam lucrandam. Leves autem mutationes aut omissiones non obstant lucrationi indulgentiae. In particulari notandum est:

a) Opera praescripta implenda sunt *personaliter*.

Excipitur solum eleemosyna danda, quae etiam ab alio rogato dari potest. Sic e. g. parentes possunt pro filiis dare eleemosynam praescriptam. Cum opera praescripta sint implenda personaliter, nemo potest indulgentiam applicare alii *vivo* [1]. Ita saltem iuxta disciplinam vigentem. Per se nihil obstat, quominus Papa concedat indulgentias, quae etiam aliis vivis (dummodo sint in statu gratiae) applicentur, sed talis concessio nondum habetur. Alter pro altero satisfacere valet, ac proinde saepe homines pii satisfactiones suas offerunt Deo pro culpis aliorum; quas satisfactiones Deus acceptat [2]. Sed cum indulgentiarum applicatio ex voluntate Papae, qui est solus dispensator thesauri Ecclesiae, pendeat et ille hucusque nondum permiserit, ut alter impleat opera praescripta et alter *vivus* recipiat indulgentiam atque sic indulgentiae applicentur aliis vivis, hinc talis applicatio est invalida [3]. Insuper ex ista applicatione vix aliquod bonum sperare fas est; quia non apparet, quomodo exercitium virtutum promoveretur in illis, quibus ita indulgentiae applicarentur.

b) Opera praescripta implenda sunt secundum quantitatem, qualitatem, modum, tempus, locum etc., sicut in concessione indulgentiae exigitur. Quapropter quaelibet *notabilis* mutatio vel omissio (sive culpabilis sive non) indulgentiae lucrationem irritat [4].

c) Opera debent esse *supererogatoria*, i. e. non aliunde iam praescripta *sub peccato*, nisi tamen is, qui concedit indulgentiam, expresse contrarium statuerit [5].

Hinc si ad aliquam indulgentiam lucrandam ieiunium praescribitur, talis indulgentia nequit acquiri per ieiunium quadragesimale aliudve ieiunium sub peccato praescriptum. Ratio est, quia una actione nequit satisfieri pluribus obligationibus, quarum singulae singulares actiones postulant. Deinde alia ratio est, quia secus indulgentiae, quae tenent locum satisfactionum debitarum, nimis faciles evaderent. Exsistunt autem nonnullae exceptiones: Sic communione paschali aliquis indulgentiam lucrari potest, ad quam necessaria est communio [6]. Precibus aliisque piis operibus, quae a confessario pro salutari poenitentia imponuntur, possunt indulgentiae acquiri, si sint indulgentiis ditata [7]. Cum ieiunia, preces, aliaque pia opera praescripta in ordinibus religiosis non soleant obligare *sub peccato*, iisdem operibus et precibus indulgentias lucrari possunt religiosi.

---

[1] Cf. *Lugo*, De poenit. disp. 27, n. 77. [2] *S. Thom.*, Suppl. q. 71, a. 1 et 4.
[3] Cod. iur. can. c. 930; optime de hac re disserit *Palmieri* in Analecta eccl. III (1895) 89 et *Gennari*, Consult. mor. I 90.
[4] Raccolta p. VIII; cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 534.
[5] Cod. iur. can. c. 932.
[6] Decr. auth. Indulg. n. 327 ad 1.
[7] S. C. Indulg. d. 11 Iunii 1901; Cod. iur. can. c. 932.

Particularia opera, quae solent imponi ad indulgentias lucrandas, sunt: a) *confessio,* b) *communio,* c) *visitatio alicuius ecclesiae,* d) *certae preces.* De singulis pauca dicenda sunt:

553 a) **De confessione.**

Quando confessio expresse iniungitur in concessione indulgentiae, necessaria est etiam pro illis, qui non habent nisi peccata venialia [1]. Confessio sacramentalis peracta *octiduo* ante vel post diem pro lucranda indulgentia designatum sufficit ad quaslibet lucrandas indulgentias [2]. Immo pro aliquibus dioecesibus ob penuriam sacerdotum concessum est indultum, ut quis possit omnes indulgentias lucrari, dummodo confessionem peragat *de quindena in quindenam.* Sic e. g. est in tota Borussia, in archidioecesi Friburgensi. Christifideles, qui *solent,* nisi legitime impediuntur, saltem bis in mense confiteri aut qui quotidie s. eucharistiam sumunt (quamvis semel aut iterum per hebdomadam a s. communione abstineant), valent absque hebdomadaria confessione lucrari omnes indulgentias, quae ceteroquin sine confessione acquiri non possent (excepta indulgentia iubilaei) [3]. Ergo e. g. sacerdos, qui quotidie aut fere quotidie Missam dicit, potest lucrari omnes indulgentias, etsi non valet confiteri nisi semel in tribus hebdomadibus.

554 b) **De communione.**

1. Una eademque communio sacramentalis sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro *eadem die* concessas, quarum singulae exigunt communionem, dummodo tamen reliqua opera praescripta toties peragantur, quoties indulgentia acquirenda est [4]. Ratio est, quia non licet simplicibus fidelibus pluries eodem die sumere communionem; ex alia autem parte durum esset privare illos multiplici indulgentia concessa pro tali die. Ergo si Ecclesia vult concedere plures indulgentias eodem die, debet etiam permittere, ut una communio sufficiat ad illas lucrandas.

2. Si indulgentia concessa est pro determinato die, semper iam *pridie* vel durante Octava sequente licet communionem praescriptam peragere [5]. Aliquando autem adhuc maior libertas conceditur, e. g. pro indulgentiis «Toties Quoties» Portiunculae et Rosarii. Pro indulgentia iubilaei speciales regulae sunt attendendae.

3. Si pro lucranda aliqua indulgentia praescribuntur communio et visitatio alicuius ecclesiae, communione peracta in hac ecclesia et precibus recitatis utrumque praeceptum simul impletur; potest tamen communio sumi in quacumque ecclesia et deinde in ecclesia specialiter praescripta visitatio peragi [6].

4. Qui propter infirmitatem diuturnam aut aliud impedimentum *physicum permanens* (e. g. inclusi in carcere, navigantes in mari etc.) nequeunt communionem suscipere et visitationem ecclesiae praescriptam

---

[1] Decr. auth. Indulg. n. 214, 253 ad 2, 359 ad 4. [2] Cod. iur. can. c. 931.
[3] Ib. § 3. [4] Decr. auth. Indulg. n. 291 ad 1, et Cod. iur. can. c. 933.
[5] Cod. iur. can. c. 931. [6] Raccolta p. XIII et XVIII.

peragere, possunt sacramentali confessione peracta a confessario obtinere mutationem communionis et visitationis in aliud pium opus[1].

5. Membra complurium confraternitatum, sodalitatum etc. adhuc facilius possunt obtinere mutationem communionis et visitationis, prout in privilegiis cuiuscumque confraternitatis videndum est.

6. Non potest (excepto iubilaeo) obligatio suscipiendi communionem mutari in aliud opus *pueris,* qui nondum ad s. eucharistiam accesserunt.

c) De visitatione ecclesiae. 555

1. Visitatio ecclesiae, quae est nihil aliud nisi ingressus in aliquam ecclesiam ad actum religionis exercendum (ad colendum Deum, ad venerandos sanctos etc.), non requiritur ad indulgentiam lucrandam, nisi hoc sit expresse in concessione statutum. Si praescribitur ecclesiae determinatae visitatio, e. g. ecclesiae alicuius confraternitatis, alicuius ordinis religiosi etc., haec sane visitanda est; sin autem in genere praescribitur visitatio alicuius ecclesiae, tunc sufficit et requiritur, ut visitetur quaecumque ecclesia proprie dicta aut saltem oratorium publicum. Visitatio autem alicuius oratorii semipublici non sufficeret excluso indulto, quale concessum est fidelibus in communitate viventibus, ut infra n. 5 dicetur. Licet igitur omnes in oratorio semipublico valeant satisfacere praecepto dominicali, audiendo Missam, tamen non omnes satisfaciunt obligationi visitandi ecclesiam alicui indulgentiae lucrandae annexam[2].

2. Ad lucrandas plures indulgentias, pro quarum qualibet praescripta est visitatio, non sufficit peragere unam longiorem visitationem, sed requiruntur tot visitationes distinctae, quot indulgentiae acquirendae sunt. Ergo necesse est, ut post quamlibet visitationem egressus ex ecclesia fiat.

3. Si visitatio requiritur stato die, ea potest fieri *a meridie* diei praecedentis usque ad mediam noctem, quae statutum diem claudit[3].

4. Controvertitur inter auctores, num quis audiendo Missam dominicalem possit simul lucrari indulgentiam, pro qua visitatio ecclesiae praescripta est. Affirmativa sententia tenetur ab auctoribus magni nominis e. g. a Reiffenstuel, Minderer etc.; negativa sententia autem est verior, cum opera ad indulgentias lucrandas debeant esse supererogatoria, ut supra dictum est[4]. Si quis tamen ante vel post Missam remanet in ecclesia, videtur satisfacere visitationi praescriptae.

5. Fideles utriusque sexus, qui institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu vero Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, necnon personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribitur visitatio alicuius *ecclesiae in genere,* i. e. non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare

---

[1] S. C. Indulg. d. 18 Sept. 1862 et 16 Ian. 1886.

[2] Decr. auth. Indulg. n. 310; Raccolta p. XV. Cf. tamen infra sub n. 4.

[3] Cod. iur. can. c. 923.

[4] Cf. *Beringer-Hilgers,* Die Ablässe [14] P. 1, § 19 (p. 118).

valent propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi sacrum iure satisfacere possunt[1]. Illi, qui in perpetua clausura vivunt, solent habere privilegium lucrandi omnes indulgentias, pro quibus etiam praescripta est visitatio ecclesiae determinatae, si visitant propriam ecclesiam[2].

556 d) **De precibus recitandis.**

1. Si ad lucrandam indulgentiam quaedam preces determinatae sunt, requiritur, ut recitentur *oraliter* et non tantum mentaliter, nisi tamen quis assistat publicis precibus ditatis indulgentiis[3].

2. Preces recitandae ad intentionem Summi Pontificis relinquuntur liberae determinationi orantis. Unde quaelibet oratio *supererogatoria* (ergo non recitatio breviarii alias praescripti) sufficit. Communiter admittunt auctores, quinque Pater noster et Ave Maria sufficere; sed nonnulli auctores (Suarez, Theodorus a Spiritu Sancto etc.) recte docent etiam breviorem orationem sufficere[4]. Intentio Summi Pontificis, iuxta quam preces recitandae sunt, est: exaltatio S. Matris Ecclesiae, exstirpatio haeresum, propagatio fidei, peccatorum conversio et pax inter principes christianos. Sed non requiritur, ut quis explicite omnes istas singulas intentiones in mente habeat; sufficit, ut oret in genere iuxta intentionem Summi Pontificis[5].

3. Licet *alternatim* cum socio recitare preces praescriptas, e. g. rosarium, Pater noster etc., sed quaelibet additio vel detractio vel interpolatio impedit indulgentiam lucrandam[6].

4. Pro mutis concessum est: α) si publicae preces praescriptae sunt, debent populo se adiungere et mente orare; β) si preces privatae praescriptae sunt, possunt eas mente recolere signisve effundere vel tantummodo oculis percurrere[7]; γ) si praescripta est visitatio ecclesiae, sufficit, ut hanc ecclesiam visitent et ibi mentaliter orent.

557 **Scholion. De collectionibus ad rem indulgentiariam pertinentibus.** Iam supra dictum est, rem indulgentiariam devolutam esse ad S. Officium quoad doctrinam dogmaticam et ad S. Poenitentiariam quoad usum et concessionem. Congregatio Indulgentiarum suppressa est a Pio X per Constitutionem «Sapienti consilio» d. 29 Iuni 1908. Exsistunt duae collectiones authenticae in re indulgentiaria. Prima est «Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le ss. indulgenze» (edita a canonico Telesphoro Galli 1807). Nova et magis completa editio huius operis apparuit anno 1898. Omnes indulgentiae contentae in hac collectione sunt certo authenticae; ast inde nondum libet concludere omnes alias indul-

---

[1] S. Offic. d. 14 Ian. 1909 (Acta Ap. Sedis I 210); Cod. iur. can. c. 929.

[2] S. C. Indulg. d. 8 Iulii 1896.

[3] S. C. Indulg. d. 13 Sept. 1888. Controversia olim de hac re exsistens iam cessavit propter decisionem S. Congregationis et Cod. iur. can. c. 934 936.

[4] Cf. *Beringer-Hilgers* l. c. [5] Decr. auth. Indulg. n. 344 ad 3.

[6] Decr. auth. Indulg. n. 249 ad 4; Cod. iur. can. c. 934, § 2. In recitatione autem rosarii licet etiam post quodlibet Ave Maria addere mysterium meditandum. S. Poenit. d. 22 Ian. 1921 (Act. Ap. Sed. XIII 164).

[7] Cod. iur. can. c. 736.

gentias esse apocryphas, praesertim si sunt determinatis locis aut confraternitatibus concessae. Omnes indulgentiae, quas affert Raccolta, sunt applicabiles animabus purgatorii. — Secunda collectio authentica sunt «Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1882 edita iussu et auctoritate Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII. Ratisbonae 1883.» Haec collectio continet decreta authentica S. Congr. Indulgentiarum, sed inde ab anno 1883 quam plurima nova decreta in re indulgentiaria prolata sunt, quae non habentur in hac collectione. Valde desideratur nova editio authentica.

ARTICULUS IV.

De indulgentia iubilaei.

Notae historicae. Primum iubilaeum concessum est a Bonifatio VIII 558
anno 1300. Vetere tamen Testamento iam habebatur annus iubilaeus, scil. quilibet annus quinquagesimus, quo servi dimittebantur liberi et debita contracta remittebantur [1]. Nomen iubilaei desumptum est a verbo «iobel», quod significat clangens cornu seu buccina; quia sacerdotes debuerunt clangere buccina quadragesimo nono anno ad initiandum iubilaeum. Bonifatius VIII statuit, ut quolibet centesimo anno iubilaeum haberetur, sed iam Clemens VI (1343) praecepit, ut quolibet anno quinquagesimo iubilaeum celebraretur. Paulus II (1470) demum ordinavit, ut quolibet anno vigesimo quinto haberetur annus iubilaeus, et revera ab anno 1475 quolibet anno vigesimo quinto iubilaeum celebratum est usque ad nostros dies. Praeter istud iubilaeum ordinarium *iubilaea extraordinaria* saepius concessa fuere. Sic e. g. quilibet Papa initio sui pontificatus solet concedere iubilaeum extraordinarium; aliquando etiam conceduntur iubilaea non pro mundo universo, sed pro loco particulari. Ex historia multorum saeculorum apparet, fructus iubilaei esse uberrimos pro religione catholica et bono spirituali fidelium. Quare annus iubilaei non immerito vocatur annus sanctus.

Notio. Iubilaeum nihil aliud est nisi annus sanctus, quo fideles 559
sub certis condicionibus possunt lucrari indulgentiam plenariam, et omnis fere reservatio iurisdictionis in sacramento poenitentiae cessat. Iubilaeum igitur duo includit: indulgentiam plenariam et ampliationem iurisdictionis concessam confessariis. Condiciones, quae praescribi solent *in iubilaeo ordinario*, sunt confessio, communio, visitatio ecclesiarum; *pro iubilaeo extraordinario* solent insuper requiri ieiunium et eleemosyna.

Condiciones ad lucrandum iubilaeum requisitae. Valde pauca de 560
hac re dicenda sunt, quia istae condiciones solent in qualibet Bulla iubilaei accurate determinari, et dubio remanente, S. Officium vel S. Poenitentiaria elucidationes dabit. Insuper non eaedem condiciones pro quolibet iubilaeo exiguntur. Breviter sequentia notare iuvat:

1. Regulae in iubilaeo ordinario vel extraordinario servandae solent esse eaedem fere, quas Benedictus XIV statuit pro iubilaeo 1750 et 1751 [2]. Quare

[1] Lv 25, 8 sqq.

[2] Istae regulae continentur in sequentibus Bullis: «Peregrinantes» d. 5 Maii 1749; «Cum nos semper» d. 17 Maii 1749; «Convocatis» d. 25 Nov. 1749; «Inter praeteritas» d. 3 Dec. 1749; «Paterna caritas» d. 17 Dec. 1749; «Benedictus Deus» d. 25 Dec. 1750.

S. Congr. Indulgentiarum d. 15 Martii 1852 respondit omnes regulas a Benedicto XIV statutas adhuc valere, nisi sint expresse revocatae.

2. Ad lucrandum iubilaeum non sufficiunt opera aliunde debita; unde confessio annualis et communio paschalis non possunt simul inservire ad lucrandam indulgentiam iubilaei. Viaticum autem ad lucrandum iubilaeum sufficit [1].

3. Qui post peractam confessionem in peccatum mortale lapsus est, antequam ultimum opus praescriptum peregit, confessionem iterare debet, neque sufficit elicere contritionem perfectam. Confessio generalis pro lucrando iubilaeo non requiritur, saepe tamen est consulenda.

4. De visitationibus ecclesiarum faciendis in quolibet iubilaeo particularia statuta dari solent; id tantum generaliter notandum est: si semel in die plures ecclesiae sunt visitandae, dies computari potest vel *more civili*, i. e. a media nocte ad mediam noctem sequentem, vel *more ecclesiastico*, i. e. pridie a meridie usque ad crepusculum diei sequentis [2].

5. Ieiunium, quod solet praescribi in iubilaeo extraordinario, est *ieiunium strictum*, i. e. cum abstinentia a carne, ovis, lacticiniis. Haud raro tamen mitior praxis permittitur. Ieiunium iubilaei servare debent, quotquot volunt indulgentiam iubilaei lucrari; ergo etiam senes, pueri etc.; nisi tamen dispensatio specialis concessa fuerit [3].

6. Eleemosyna aliquando praescripta in iubilaeo ab omnibus danda est, etiam a pauperibus, nisi obtinuerint commutationem in aliud opus. Iuxta modernam disciplinam solent episcopi uniuscuiusque regni ex auctoritate Summi Pontificis determinare quantitatem eleemosynae dandae.

561 **Facultates speciales durante iubilaeo confessariis concessae sunt:**

1. Facultas absolvendi ab omnibus fere peccatis et censuris reservatis, dummodo tamen iniungantur poenitentia salutaris aliaque de iure iniungenda. De iure autem iniungenda sunt e. g. obligatio restitutionis, si ius proximi laesum fuerit, abiuratio haeresis, reparatio scandali etc. Solent tamen a facultate absolvendi excludi quidam casus, e. g. absolutio proprii complicis; absolutio illius sacerdotis, qui ex absolutione proprii complicis incurrit excommunicationem speciali modo Summo Pontifici reservatam, saltem si ter aut amplius hoc crimen commissum est; absolutio eorum, qui nominatim a Summo Pontifice sunt excommunicati etc. Videnda est Bulla uniuscuiusque iubilaei.

2. Facultas absolvendi etiam regulares et moniales a casibus reservatis.

3. Facultas commutandi vota etiam iurata, non excepto voto non petendi commutationem. Excipi autem solent: a) votum perfectae castitatis; b) votum ingrediendi in religionem stricte dictam; c) vota facta in favorem tertii et ab eo acceptata (nisi tamen iste iuri suo renuntiaverit); d) vota poenalia emissa ad removendum periculum peccati, nisi tamen commutatio fiat in opus, quod aeque efficaciter periculum peccandi removet. Commutatio non est idem quod dispensatio, ac proinde confessarius debet loco obiecti voti imponere aliud opus, quod quidem levius esse potest, non tamen notabiliter levius.

4. Facultas dispensandi a nonnullis irregularitatibus occultis.

---

[1] Cf. S. Poenit. d. 28 Martii 1900. [2] Ib. d. 20 Febr. 1900.
[3] Decr. auth. Indulg. n. 425 ad 8.

5. Facultas dispensandi super quibusdam impedimentis matrimonii pro foro interno, e. g. super impedimento criminis (neutro tamen machinante).

6. Facultas commutandi opera praescripta pro lucranda indulgentia iubilaei in aliud opus eiusdem fere valoris. Generatim quidem communio, confessio et preces iuxta intentionem Summi Pontificis commutari nequeunt; sed attendendum est ad clausulas Bullae concedentis iubilaeum. Quae enim auctores veteres docebant de facultatibus concessis, in recentibus iubilaeis haud raro sunt magnopere mutata. Si in ista Bulla conceditur, ut fideles valeant pluries iubilaeum lucrari, etiam conceditur facultas saepius mutandi opera iniuncta.

7. Confessarius nequit his facultatibus uti nisi cum his, qui habent sinceram voluntatem implendi omnia necessaria ad lucrandum iubilaeum. Nihilominus si poenitens prius habens hanc sinceram voluntatem postea opera praescripta neglexerit, potest frui dispensatione obtenta; peccat tamen venialiter [1]. Per *sacrilegam* confessionem reservationes et censurae non auferuntur, quia tunc poenitens evidenter non habet sinceram voluntatem lucrandi iubilaeum [2].

Suspensio gratiarum. Unus ex principalibus finibus iubilaei est in- 562
ducere fideles ad faciendam peregrinationem tempore iubilaei ad sepulcra apostolorum Petri et Pauli Romae exsistentia. Quapropter durante anno sancto suspenduntur extra Urbem (paucis exceptis locis) multa privilegia et gratiae. In Urbe privilegia et gratiae non suspenduntur. Anno autem sancto elapso omnia privilegia et gratiae reviviscunt. Suspendi igitur solent:

1. omnes indulgentiae tam plenariae quam partiales a Romano Pontifice concessae (non autem a praelato inferiore datae), exceptis sequentibus:

a) indulgentiae defunctis applicabiles; immo omnes indulgentiae, quae aliis temporibus a vivis tantum acquiri possunt, durante anno sancto non quidem vivis, sed tamen defunctis applicari possunt.

b) indulgentia in articulo mortis.

c) indulgentiae concessae pro oratione «Angelus Domini».

d) indulgentia Portiunculae Assisii lucranda. Extra Assisium autem indulgentia Portiunculae sicut et omnes aliae indulgentiae «Toties Quoties» acquiri possunt pro solis defunctis. Sunt etiam quaedam aliae indulgentiae, quae tempore iubilaei non suspenduntur [3].

2. Complures facultates concessae a S. Sede, e. g. facultates absolvendi a casibus et censuris Romano Pontifici reservatis, commutandi vota, dispensandi in irregularitatibus, dispensandi in impedimentis matrimonialibus. Ceterum nihil fere certi de his rebus dici potest, cum iuxta vigentem disciplinam veteres consuetudines non semper observentur. Unica igitur certa regula est ipsa Bulla indicans iubilaeum et determinans singulas praescriptiones.

ARTICULUS V.

De quibusdam indulgentiis in particulari.

Praenotamen. Numerus indulgentiarum est tam magnus et regulae observandae in singulis lucrandis sunt tam multiplices, ut sit prorsus impossibile illas in Manuali Theologiae moralis adducere. Consulenda igitur sunt opera,

---

[1] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 537.

[2] *Bened. XIV*, «Inter praeteritos» § 24.

[3] *Beringer-Hilgers*, Die Ablässe [14] P. 2, n. 501 (S. 587).

quae ex professo tractant de indulgentiis, ut sunt e. g. Beringer-Hilgers, Lepicier, Mocchegiani etc. Nos hic breviter indicamus duas indulgentias, quae in sacerdotali praxi saepe occurrunt, scil. indulgentiam in articulo mortis et altaris privilegiati indulgentiam.

563 a) **Indulgentia seu benedictio in articulo mortis.**

Natura. Complures confraternitates concedunt membris suis indulgentiam plenariam in articulo mortis. Similiter in articulo mortis possunt lucrari indulgentiam plenariam complures alii, e. g. qui tenent quaedam rosaria, cruces, numismata benedicta. De illis indulgentiis hic non loquimur, sed de benedictione (papali) in articulo mortis, quam cum indulgentia plenaria Romanus Pontifex concedit. Iuxta vigentem disciplinam quilibet sacerdos, qui infirmis assistit, hanc benedictionem impertire potest[1]. Circa hanc benedictionem sequentia notanda sunt:

1. Ea dari nequit induratis excommunicatis et publicis peccatoribus; dari autem potest et debet omnibus illis, qui sunt capaces suscipiendi absolutionem sacramentalem[2].

2. Condiciones requisitae, ut quis valide eam recipiat, sunt: a) Status gratiae; ideoque saltem actus contritionis a peccatore elici debet; communiter autem post confessionem et viaticum haec benedictio impertitur. b) Moribundus debet saltem mentaliter invocare SS. Nomen Iesu[3] et ex manu Dei mortem accipere aequo et libenti animo[4]. c) Formula a Benedicto XIV praescripta est sub poena nullitatis adhibenda. Unde etiam illi sacerdotes, e. g. regulares, qui sequuntur ritum particularem, debent adhibere formulam in Rituali Romano praescriptam; possunt tamen regulares in «Confiteor» addere nomen proprii fundatoris[5]. Si benedictio papalis datur post viaticum et extremam unctionem, «Confiteor» debet repeti, ita ut tunc tribus vicibus «Confiteor» recitandum sit[6]. «Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem impertiatur ei», incipiens a verbis: «Dominus noster» etc.[7]

3. Indulgentia benedictioni papali annexa acquiritur in eo momento, quo mors reapse accidit, ac proinde durante *eadem infirmitate* benedictio haec non potest dari nisi semel, etsi pluries viaticum et extrema unctio dentur. Sin autem infirmus convaluerit ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum incidat, *licet* quidem benedictionem papalem iterare[8], sed hoc non est necessarium, quia indulgentia plenaria non acquiritur tempore benedictionis impertitae, sed tempore mortis reapse secutae, ut dictum est.

---

[1] Cod. iur. can. c. 468, § 2.

[2] Cf. Rit. Rom. Etiam pueris dolo capacibus haec benedictio dari potest, licet nondum ad primam communionem admissi fuerint.

[3] Est condicio sine qua non; cf. Decr. auth. Indulg. n. 237 ad 7.

[4] Ita Bulla «Pia mater». [5] S. C. Indulg. d. 7 Maii 1882.

[6] Decr. auth. Indulg. n. 286 ad 6.

[7] Cf. *Beringer-Hilgers*, Die Ablässe[14] P. 2, n. 502 (S. 600).

[8] Ita expresse S. C. Indulg. (Decr. auth. Indulg. n. 263 et 300).

b) Indulgentia altaris privilegiati. 564

Notio et species. Altare privilegiatum, prout hic de illo loquimur, nihil aliud est nisi indulgentia plenaria annexa Missae dictae in certo altari vel a sacerdote privilegiato.

Distinguitur 1.: altare privilegiatum *pro vivis et defunctis,* et altare privilegiatum *pro defunctis tantum.* Hodie rarissime conceditur privilegiatum altare pro vivis et defunctis. Quodsi in aliquo altari invenitur inscriptio: «altare privilegiatum pro vivis et defunctis», interpretanda est ita, ut concessa sit indulgentia plenaria tam pro vivis (ad modum iurisdictionis), si in isto altari Missae sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis (ad modum suffragii), si pro his applicetur [1]. Altare privilegiatum *pro defunctis* est indulgentia plenaria annexa Missae applicatae pro aliquo defuncto. Haec altaria privilegiata nunc sunt frequentissima [2].

Distinguitur 2.: altare privilegiatum locale, personale, mixtum. *Locale* determinato altari fixo annectitur, ita ut omnes in eo celebrantes hoc privilegio frui possint. *Personale* non alicui determinato altari, sed ipsi sacerdoti conceditur, ita ut ille in quocumque altari Missam celebrans valeat indulgentiam plenariam applicare pro defuncto, cui Missam applicat. Huiusmodi privilegio fruuntur e. g. omnes sacerdotes, qui fecerunt «actum heroicum caritatis» [3]. *Mixtum* altare privilegiatum vocatur illud, quod est partim locale et partim personale, e. g. conceditur indultum, ut indulgentia plenaria annexa sit Missis, quae in hac ecclesia celebrantur pro defunctis membris talis confraternitatis [4].

Condiciones requisitae ad altare privilegiatum. 565

1. Altare privilegiatum *locale* debet esse fixum et non portatile. In *re indulgentiaria* autem non requiruntur pro altari fixo omnes illae condiciones, quae necessariae sunt pro altari fixo *in sensu liturgico.* Sufficit pro altari privilegiato, ut sit aliquo modo stabile et dedicatum alicui sancto, continens in medio consecratum altare portatile. Ergo non requiritur, ut sit consecratum et consistat eius mensa ex uno lapide integro [5]. — Aliquando per speciale indultum conceditur, ut etiam altare portatile sit privilegiatum [6]. Nihil obstat, quominus altare privilegiatum *personale* sit portatile.

2. Indulgentia plenaria non acquiritur, a) nisi Missa et indulgentia applicentur pro eodem defuncto. Ergo applicatio Missae et indulgentia plenaria non possunt ab invicem separari, ita ut Missa applicetur pro A et indulgentia tribuatur B. [7] b) nisi applicetur *uni* animae, licet Missa applicetur pro multis [8]. Hoc etiam valet, si sacerdos in Commemoratione omnium defunctorum Missam applicat pro omnibus animabus purgatorii; ideoque consulendum est, ut tunc sacerdos cele-

---

[1] S. C. Indulg. d. 25 Aug. 1897. [2] Cf. Cod. iur. can. c. 916 917.

[3] S. C. Indulg. d. 30 Sept. 1852.

[4] Aliquando conceduntur altaria ad instar altaris S. Gregorii, quae etiam habent quasdam gratias. De istis hic non loquimur. Cf. *Beringer-Hilgers* l. c. n. 499.

[5] S. C. Indulg. d. 18 Iulii 1902. [6] S. C. Indulg. d. 13 Ian. 1841.

[7] S. C. Indulg. d. 25 Aug. 1897 et 23 Ian. 1901.

[8] S. C. Indulg. d. 19 Dec. 1885; S. Poenit. d. 6 Iulii 1917.

brans aliquo modo designet animam, cui vult indulgentiam applicare, e. g. animae maxime derelictae, vel animae, quam Deus prius vult liberare etc. c) nisi cum sacerdos celebrans tum fidelis offerens stipendium elicuerint intentionem saltem virtualem lucrandi pro defuncto indulgentiam hanc[1].

3. Sacerdos nequit maius stipendium accipere eo praeciso motivo, quia Missam in altari privilegiato dicturus est[2]. Si sacerdos obligatus ad dicendam Missam in altari privilegiato hoc oblitus est aut neglexit, *per se* quidem non satisfecit obligationi iustitiae, neque potest satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat[3]. Ratio est, quia ceterae indulgentiae plenariae non videntur tam infallibiles et efficaces pro defunctis quam ea, quae coniuncta est cum sacrificio Missae. In praxi aliquando non praestat acceptare stipendia Missarum cum stricta obligatione eas celebrandi in altari privilegiato, quia facile accidere potest, ut propter unam alteramve rationem istae Missae non celebrentur in altari privilegiato. Tunc autem orirentur haud parvae difficultates. — Indulta altaris privilegiati non sunt semper eiusdem amplitudinis; ideoque imprimis attendendae sunt clausulae adiectae.

566 **Nota.** Ad altaris privilegiati indulgentiam lucrandam non amplius sub poena nullitatis requiritur Missa de Requiem, aut de feria vel vigilia cum oratione defuncti propria (id tamen laudabiliter fit, cum licet ac decet pietatis gratia erga defunctum). Ita S. Officium d. 20 Febr. 1913[4]. Ergo abolita sunt statuta anteriora contrarium statuentia, et quacumqae Missa (positis ceteris condicionibus) indulgentia altaris privilegiati acquiri potest.

567 **Scholion. Regulae ad dignoscendas veras indulgentias ab apocryphis.** Licet Summi Pontifices omni tempore maxima vigilantia totam rem indulgentiariam tractaverint, nihilominus aliquando indulgentiae apocryphae circumferuntur cum damno fidelium et cum derisione hostium Ecclesiae. Quapropter Leo XIII d. 10 Aug. 1899 approbavit novem regulas prudenter a S. Congr. Indulgentiarum elaboratas ad dignoscendas veras indulgentias ab apocryphis[5]:

Regula I. «Authenticae sunt omnes indulgentiae, quae in novissima collectione a S. Congr. Indulgentiarum edita continentur.» Haec regula respicit collectionem vulgo «Raccolta»[6].

---

[1] S. Offic. d. 16 Iunii 1915 (Act. Ap. Sed. VII 410).

[2] Decr. auth. Indulg. n. 228; Cod. iur. can. c. 918, § 2.

[3] «Utrum, qui ... quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat? — Negative.» Ita S. C. Indulg. d. 2 Maii 1852 (Decr. auth. Indulg. n. 357 ad 2). Haec declaratio servanda est, quidquid alias d. 22 Febr. 1847 respondit eadem Congregatio pro casu particulari, uti explicuit ipsa d. 24 Iulii 1885. Unde opposita sententia iam non videtur esse satis tuta in praxi. Cf. *S. Alphonsum* (Theol. mor. l. 6, n. 329 notandum II° et notam a Gaudé adiectam).

[4] Acta Ap. Sedis V 122.

[5] Cf. Analecta eccl. VII (1891) 494 sqq et Commentarii ibi adiecti.

[6] Cf. supra n. 557.

Regula II. «Indulgentiae generales, quae in supradicta collectione non exhibentur, vel quae concessae feruntur post editam collectionem, tunc solummodo habendae sunt ut authenticae, cum earundem concessionis autographum monumentum recognitum fuerit a S. Congr. Indulgentiarum, cui sub nullitatis poena exhibendum erit, antequam publicentur.» Haec regula nunc per Cod. iur. con. c. 920 paululum mutata est; etenim omnes indulgentiae sive generales sive particulares (dummodo ne respiciant ipsas personas petentium tantum) recognoscendae sunt a S. Poenitentiaria idque sub poena nullitatis. Non autem indigent tali recognitione indulgentiae et facultates concessae a S. Congr. de Prop. Fide [1], ut iam supra n. 549 dictum est.

Regula III. «Authenticae habeantur indulgentiae concessae ordinibus et congregationibus religiosis, archiconfraternitatibus, confraternitatibus, archisodalitiis, sodalitiis, piis unionibus, piis societatibus, nonnullis ecclesiis celebrioribus, locis piis et obiectis devotionis, quae continentur in summariis recognitis et approbatis a S. Congr. Indulgentiarum, eiusque auctoritate vel venia typis editis.»

Regula IV. «Non habeantur ut authenticae indulgentiae sive generales sive particulares, quae continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quae approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem, et distincte exprimenda.»

Auctoritas competens in genere est S. Poenitentiaria, exceptis tamen casibus sequentibus, in quibus etiam approbatio Ordinarii sufficit:

1. Si agitur de edenda concessione alicuius indulgentiae particularis, vel de edendo summario indulgentiarum, quod *ex uno tantum* rescripto apostolico desumptum est.

2. Si agitur de nova editione alicuius summarii ex auctoritate S. Poenitentiariae iam vulgati, exceptis tamen a) elencho indulgentiarum apostolicarum; b) versione quavis *integrae collectionis* «Raccolta». In istis duobus casibus semper requiritur licentia S. Poenitentiariae.

3. Si agitur de editione summarii illarum confraternitatum, quae vel commissae sunt alicui instituto religioso, vel ab Archiconfraternitate aggregantur; tunc enim sufficit recognitio et approbatio illius episcopi, in cuius dioecesi instituta vel archiconfraternitates sedem principalem habent [2].

Regula V. «Apocryphae vel nunc prorsus revocatae sunt omnes indulgentiae mille vel plurium milium annorum, quocumque tempore concessae dicantur.»

Regula VI. «Suspectae habeantur indulgentiae plenariae, quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba, exceptis indulgentiis in articulo mortis.»

Christifidelibus in articulo mortis constitutis Summi Pontifices magna liberalitate indulgentiam plenariam concedere consueverunt, quia tunc homo maxime indiget indulgentiis, et ordinarie desunt tempus et vires ad maiora opera perficienda.

Regula VII. «Reiciendae sunt ut apocryphae indulgentiae, quae circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam ex superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis condicionibus promittuntur indulgentiae et gratiae usum et modum excedentes.»

---

[1] S. Offic. d. 13 Iulii 1910 (Acta Ap. Sedis II 575). [2] Decr. auth. Indulg. n. 388.

Exemplum talis orationis superstitiosae et falsae est illa oratio, quae dicitur esse inventa in sepulcro Domini nostri Iesu Christi et olim revelata SS. Elisabeth, Mechtildi, Birgittae et quae a S. Congr. Indulgentiarum d. 26 Maii 1898 ut apocrypha reiecta est.

Regula VIII. «Ut commenticia reicienda sunt folia et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a purgatorio; et indulgentiae, quae dictae promissioni adici solent, ut apocryphae habendae sunt.»

Etsi Summi Pontifices praeteritis saeculis aliquando concesserunt indulgentiam pro liberatione certae animae, tamen hoc nihil aliud significat nisi indulgentiam plenariam esse concessam. Numquam autem Summi Pontifices concesserunt indulgentias ad liberandas simul plures animas e purgatorio; et hoc vel eo minus pro paucis parvisque precibus.

Regula IX. «Apocryphae vel saltem ut graviter suspectae habeantur indulgentiae recentioris assertae concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producuntur.»

Ecclesia ex multo iam tempore indulgentias partiales concessit, e. g. 30 vel 100 vel 300 dierum, vel unius, 2, 3, 7 annorum etc., sed a praxi S. Sedis est omnino alienum concedere e. g. indulgentiam 1080 dierum, quemadmodum legebantur annexae cuidam numismati. Ideo S. Congr. Indulgentiarum hanc indulgentiam apocrypham declaravit d. 23 Febr. 1856[1]. Nostris temporibus quidam malo zelo ducti computant insimul omnes indulgentias alicui orationi vel confraternitati concessas, ita ut calculo isto facto statim mille vel plura milia dierum et annorum indulgentiae prodierint. Iste agendi modus est reprobandus; oritur enim saepe ex malesana aemulatione volente sic ostendere indulgentias alicui confraternitati concessas esse maiores illis, quae similibus confraternitatibus concessae sunt. Desiderandum est, ut episcopi eiusmodi schedas vel libellos minime imprimi permittant, licet calculus veritati undequaque respondere videatur[2].

TRACTATUS VIII.

De sacramento extremae unctionis.

568 **Praenotanda.** Sicut confirmatio est quoddam complementum baptismi, ita extrema unctio est quasi consummatio poenitentiae. In confirmatione homo baptizatus roboratur ad fidem strenue defendendam; in extrema autem unctione homo iamiam exiturus ex hoc mundo roboratur ad ultimum certamen victoriose peragendum. Pulchre et concinne instituit S. Bonaventura[3] comparationem inter confirmationem et extremam unctionem dicens: «Ex variatione finis in confirmatione et unctione extrema oritur diversitas . . . *in efficacia,* quia illud sacramentum disponit ad melius agonizandum, hoc ad celerius evolandum; *in materia,* quia illud in oleo permixto balsamo, hoc vero in oleo puro; *in forma,* quia illud in indicativa, hoc vero in deprecativa; *in loco,* quia illud in fronte, hoc vero in multiplici parte; *in tempore,*

[1] Decr. auth. Indulg. n. 370.

[2] Ita recte dicit *Beringer-Hilgers* (Die Ablässe[14] P. 1, § 25 in fine, explicans hanc regulam nonam).

[3] Breviloqu. 6, 11.

quia illud in sanitate, hoc vero in aegritudine; *in suscipiente*, quia illud non solum adultis, verum etiam parvulis, hoc vero tantum adultis; *in dante*, quia illud ab episcopis, hoc autem a sacerdotibus quibuscumque.»

Cf. praeter auctores supra in tractatu primo citatos: Ign. Schmitz, De effectibus sacramenti extremae unctionis, Friburgi Brisg. 1893; I. Kern, De sacramento extremae unctionis, Ratisbonae 1907; M. Heimbucher, Die heilige Ölung, Regensburg 1888.

Agemus 1. de notione et exsistentia extremae unctionis; 2. de eius materia et forma; 3. de eius effectibus; 4. de eius subiecto; 5. de eius ministro.

ARTICULUS I.

De notione et exsistentia sacramenti extremae unctionis.

Nomen. Sacramentum extremae unctionis multis nominibus appellatum 569
est, e. g. sanctum oleum, oleum benedictionis, oleum unctionis, sacramentum exeuntium etc. A Graecis autem vocatur: ἅγιον ἔλαιον, εὐχέλαιον, ὑστεραχρῖσις, θεῖον μύρον etc.

Definitio. Extrema unctio est sacramentum Novae Legis, quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis confertur homini doli capaci et graviter infirmo salus animae et quandoque corporis.

Haec definitio magis clarescet ex infra dicendis de materia, forma effectibus, subiecto huius sacramenti.

Errores. Waldenses et Wicleffitae, etsi forsan non totaliter negaverint exsistentiam huius sacramenti, tamen satis irreverentiose de illo locuti sunt [1]. Luther in sermone de Novo Testamento (a. 1520) n. 24 adhuc enumerat extremam unctionem inter sacramenta, sed in libro de captivitate babylonica (eodem a. 1520) hoc sacramentum reicit, licet illud ut aliquod sacramentale admittat. Calvin [2] vero vocat extremam unctionem «histrionicam hypocrisim».

Thesis. *Extrema unctio est verum Novi Testamenti sacramentum.* 570

Est de fide definitum. Concilium Florentinum [3] dicit: «Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius materia est oleum olivae per episcopum benedictum.» Concilium Tridentinum [4] definit: «S. q. d. extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino Nostro institutum et a beato Iacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, A. S.»

Prob. 1. Ex S. Scriptura. «Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.» [5] — Protestantes omnes fere inde a Martino Chemnitz usque ad Hase explicant hunc textum de gratia sanitatum, quae significabatur unctione olei. Sed haec explicatio est contorta et falsa. Etenim: a) si ageretur hic de sanatione corporali, non est cur S. Iacobus iubeat vocari presbyteros. Tunc enim melius vocandi essent medici vel illi, qui habent gratiam

[1] Cf. *Billuart*, De extr. unct. diss. unic., a. 1. [2] Instit. l. 4, c. 19, § 18.
[3] *Denz.* n. 700. [4] Sess. 14, can. 1 de extr. unct. (*Denz.* n. 926).
[5] Iac 5, 14 sq.

curationum, quali non semper utebantur presbyteri. b) Gratia curationum non solum data est pro infirmis decumbentibus, sed etiam pro claudis, caecis, surdis etc. Quare igitur S. Iacobus loquitur de solis infirmis? c) S. Iacobus addit: «et si in peccatis sit [infirmus], remittentur ei»[1]. Impossibile autem est aliqua unctione naturali aut oratione peccata infallibiliter remitti. Putant quidem Protestantes peccata remitti neque per unctionem neque per orationem, sed per *fidem* hominis uncti, sed haec fides gratis asseritur, cum Apostolus loquatur de oratione fidei presbyterorum et non hominis uncti.

Quae cum ita sint, sic construitur argumentum ex citato textu S. Iacobi: Sacramentum est signum sensibile efficax gratiae a Christo permanenter institutum. Atqui tale signum est extrema unctio. Ergo extrema unctio est verum sacramentum. Prob. Min.: Extrema unctio est: a) signum sensibile; adhibentur enim unctio sensibilis et verba sacerdotis; b) efficit gratiam, quia remittit peccata, si quae adsunt; c) est permanenter a Christo institutum; quod constat a priori, quia nemo potest annectere gratiam signo sensibili nisi solus Deus. Deinde S. Iacobus loquitur non ad unam ecclesiam neque pro uno tempore, sed simpliciter sine ulla limitatione. Porro id facere non potuit nisi ex auctoritate Dei.

Si autem ulterius quaeritur, *quandonam* Christus instituerit hoc sacramentum, non concordant theologi. Quidam (Maldonatus, Sainte-Beuve etc.) putant Christum instituisse hoc sacramentum iam ante passionem, cum apud Marcum 6, 13 de apostolis dicatur: «Ungebant oleo multos aegros et sanabant»; sed haec sententia merito reicitur, cum tunc apostoli nondum fuerint sacerdotes ac proinde non potuerint hoc sacramentum administrare. Ideo melior et communior sententia docet extremam unctionem a Christo esse institutam simul cum sacramento poenitentiae post resurrectionem et deinde a S. Iacobo promulgatam.

Prob. 2. Ex traditione. Origenes[2] (saec. III) affert extremam unctionem tamquam complementum sacramenti poenitentiae. Innocentius I (402—417) interrogatus a Decentio Eugubino episcopo de quibusdam dubiis circa hoc sacramentum respondet: 1. verba S. Iacobi esse intelligenda de *fidelibus* aegrotantibus; 2. hanc unctionem fieri posse et ab episcopis et a presbyteris; 3. hanc unctionem administrandam non esse publicis poenitentibus, «quia *genus est sacramenti.* Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?»[3] — S. Gregorius Magnus (saec. VI) non solum hoc sacramentum cognoscit, sed in suo Sacramentario modum administrandi praescribit[4]. Alia testimonia veterum videsis apud Drouven[5]. Scholastici XII et XIII saeculi et deinceps omnes auctores catholici extremam unctionem verum sacramentum putant, licet quidam (Hugo de S. Victore, Magister Sententiarum, S. Bonaventura) doceant illam non esse a Christo, sed ab apostolo S. Iacobo instinctu Spiritus Sancti institutam. Quae quidem sententia hodie iam nequit sustineri propter canonem Concilii Tridentini[6].

---

[1] *Κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ.*

[2] Hom. 2 in Lev. n. 4 (*Migne,* Patr. lat. 12, 419). Cf. pro explicatione huius textus *Kern,* De sacr. extr. unct. 53.

[3] Ep. 25, n. 8 ad Decentium (*Denz.* n. 99).

[4] Apud *Migne,* Patr. lat. 78, 233.

[5] De re sacr. l. 7, q. 1, c. 1.

[6] Sess. 14, can. 1 de extr. unct. (*Denz.* n. 926).

Prob. 3. Ex praescriptione, i. e. consensu Ecclesiarum orientalium, in quarum Euchologiis antiquissimis ritus huius sacramenti invenitur [1].

Prob. 4. Ex ratione convenientiae. Extrema unctio valde convenienter homini subvenit in extremo periculo mortis. Nam potest administrari etiam sensibus destitutis, quibus aliud sacramentum vix aut ne vix quidem conferri valet. Deinde in agonia homo maxime indiget auxilio. Sane iam per eucharistiam et poenitentiam forte auxilium praestatur, sed forsan remanent reliquiae peccatorum. Insuper non semper eucharistia dari potest moribundo. Ergo convenientissimum est, ut misericordia divina instituerit extremam unctionem tamquam optimum auxilium pro felici transitu in vitam aeternam.

ARTICULUS II.

De materia et forma extremae unctionis.

571 1. **Materia remota valida** est: a) oleum olivarum, idque b) ab episcopo benedictum. Prima pars huius propositionis est certa, altera probabilissima.

Etenim S. Iacobus dixit: «ungentes eum oleo», et usu Ecclesiae sub nomine olei intelligitur oleum olivarum.

Ex verbis Concilii Florentini supra allatis patet oleum esse per episcopum benedicendum. Quae quidem benedictio episcopalis videtur esse ad validitatem sacramenti necessaria. Ideo Ecclesia contrariam sententiam *temerariam* et *errori proximam* declaravit [2] et S. Officium d. 15 Maii 1878 respondit, oleum a presbytero benedictum esse materiam ineptam sacramento extremae unctionis conficiendo. Quapropter ne in necessitate quidem parochus valet hoc sacramentum administrare cum oleo a se ipso benenedicto. Simile responsum datum est d. 12 Ian. 1850 etiam, quando agitur de moribundo sensibus destituto, qui antea nullum doloris signum dedit ac proinde valde dubie absolvi potuit.

Nihilominus *ex delegatione Summi Pontificis* (sive expressa sive tacita) etiam simplex sacerdos oleum benedicere valet [3]. Delegationem expressam Summi Pontificis obtinent quidam missionarii in regionibus longinquis; delegationem vero tacitam habent omnes *sacerdotes graeci ritus uniti,* qui ex veterrima disciplina solent benedicere oleum pro extrema unctione administranda.

Oleum non solum benedicendum est ab episcopo, sed etiam *specialiter in ordine ad hoc sacramentum.* Ita sententia communior et verior [4]. Unde extra casum urgentis necessitatis hoc sacramentum non potest licite administrari cum oleo catechumenorum vel cum chrismate, utpote quae sint materia dubia.

572 2. **Materia remota licita** in casibus ordinariis est oleum benedictum a) eodem anno, b) ab episcopo dioecesis.

Quolibet anno feria V in Coena Domini oleum infirmorum benedicendum est ab episcopo. Vetus oleum comburere in lampade coram ss. sacramento

---

[1] Cf. *Goar,* Euchol. 408 sqq, et *Drouven* l. c.

[2] S. Offic. d. 13 Ian. 1611 sub Paulo V et d. 14 Sept. 1842 (Collectan. de Prop. Fide n. 956).

[3] Benedict. XIV, Bulla «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742 et De syn. dioec. l. 8, c. 1, n. 4.

[4] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 709.

ardente, et novum oleum benedictum comparare sibi debent singulae ecclesiae; quod quidem praeceptum videtur esse grave [1]. — Si durante anno oleum deficere incipit aliudque oleum benedictum haberi nequit, licet oleum non benedictum admiscere, idque saepius, sed semper in minore quantitate quam id quod supererat [2]. — Ab episcopo dioecesis (et sede vacante ab episcopo vicino) oleum infirmorum benedicendum est. Omnes autem sacerdotes (etiam regulares exempti) debent uti oleo benedicto ab *episcopo loci;* quod quidem praeceptum nonnullis auctoribus videtur esse grave [3].

Convenientiam huius materiae ita describit Catechismus Romanus [4]: «Aptissime haec materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima perficitur; nam, ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert et lumini tamquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per huius sacramenti administrationem efficiatur, declarant.»

Oleum infirmorum loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stanneo diligenter custodiatur, nec domi retineatur nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia [5].

573 3. **Materia proxima** huius sacramenti est applicatio materiae remotae, i. e. unctio infirmi cum oleo benedicto.

Utrum ad valorem sacramenti plures unctiones requirantur an vero unica (in fronte) sufficiat, controvertebatur. Veteres theologi, ut S. Thomas [6], S. Bonaventura [7] et plures alii citati a S. Alphonso [8], affirmant plures unctiones esse necessarias, quia, licet in verbis S. Iacobi non fiat mentio plurium unctionum, tamen sic colligitur ex constanti usu Ecclesiae. Moderni auctores omnes fere negant necessitatem plurium unctionum, quia etiam in unica unctione habetur tota significatio sacramenti, et deinde quia diversissima praxis hac in re semper exsistit in Ecclesia. Sic ex diversis Ritualibus denuo editis et collectis a Martène [9] constat unctiones factas fuisse in collo, in gutture, inter scapulas, in vertice, in fronte, in genis, in temporibus, in pectore, in umbilico, in solo capite, in mento etc. — In casu necessitatis sufficit quidem una unctio in fronte cum forma: «Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen.» Sed cessante periculo singulae unctiones supplendae sunt [10].

Iuxta vigentem disciplinam unctio renum semper omittatur, unctio vero pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest [11].

574 **Modus faciendi unctiones**: Unctiones faciendae sunt a) pollice dextero: b) per modum crucis; c) in utroque organo (si adest) incipiendo a dextero; d) servato ordine sensuum in Rituali praescripto aliisque rubricis servatis.

Ad a). Extra casum gravis necessitatis unctiones non sunt faciendae cum alio digito vel cum instrumento [12]. Necessitas utendi instrumento adesse

---

[1] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 708.
[2] Rit. Rom. tit. 5, c. 1, n. 3. [3] Cf. S. Offic. d. 10 Ian. 1850.
[4] P. 2, c. 6, q. 5. [5] Cod. iur. can. c. 735 et 946.
[6] Suppl. q. 32, a. 6. [7] In 4, dist. 23, a. 2, q. 3.
[8] L. c. n. 710. [9] De antiq. Eccl. rit. l. 1, c. 7.
[10] Cod. iur. can. c. 947, § 1. [11] Ib. §§ 2 et 3.
[12] S. C. R. d. 9 Maii 1857, 31 Aug. 1872, 12 Iulii 1901; Cod. iur. can. c. 947, § 4.

potest, e. g. si infirmus laborat peste vel alia infirmitate valde contagiosa. Instrumentum comburendum est post usum.

Ad b). Ita de praecepto Ritualis, quod tamen non videtur obligare sub gravi. Proinde si difficile sit, formare crucem, sufficit simplici tactu unctionem peragere.

Ad c). Videtur exsistere grave Ecclesiae praeceptum ungendi utrumque organum sensuum, nisi aliqua necessitas excuset, e. g. magna difficultas vertendi aegrotum [1].

Ad d). Non est quidem de necessitate sacramenti servare ordinem inter unctiones partium, sed communiter docent theologi inversionem ordinis esse graviter illicitam, si fiat sine gravi causa [2]. — Si quis caret aliquo organo, ungendus est in parte vicina; sin autem caret aliquo sensu, ut e. g. caeci a nativitate, nihilominus organum istius sensus ungendum est. In Rituali Romano praescribuntur septem unctiones et quidem, ut ait Concilium Florentinum sequens expositionem S. Thomae [3]: «In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem.» Sed septima unctio hodie semper omittatur; sexta autem potest omitti, ut iam dictum est.

Preces in Rituali praescriptae tam post quam ante unctionem per se sub gravi obligant (nisi excuset necessitas); litaniae vero et psalmi poenitentiales non praescribuntur, sed commendantur.

Antiquitus extrema unctio *ante* sacrum viaticum administrabatur, et sic adhuc fit in ritu Fratrum Praedicatorum; iuxta ritum autem romanum vigentem hoc sacramentum confertur *post* viaticum.

4. **Forma extremae unctionis** in Ecclesia latina est: «Per 575
istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid (per visum auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum) deliquisti. Amen.» Si sacerdos dubitat, num ungendus adhuc vivat, dicat: «si vivis, per istam sanctam unctionem» etc. [4]

Forma graeca est haec: «Pater sancte, animarum et corporum medice, qui Filium tuum Unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, omnem morbum curantem et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate et vivifica illum per Christi tui gratiam, intercessionibus (recitantur sanctorum nomina) et omnium sanctorum. Amen.» [5]

In forma extremae unctionis essentialia sunt ea tantum verba, quae enuntiant actum unctionis et effectum sacramenti, scil. sanitatem animae et corporis. Ideo in forma Ecclesiae latinae sola verba essentialia sunt: «Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.» [6] Iuxta vigentem dis-

---

[1] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 720.

[2] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 710. [3] Suppl. q. 32, a. 6.

[4] Rit. Rom. tit. 5, c. 1, n. 12. Si sacerdos dubitat, num ungendus (sensibus destitutus) sit baptizatus vel num habeat intentionem suscipiendi sacramentum, *mentaliter* addat condicionem: «si es capax»; numquam autem addat condicionem: «si es rite dispositus.»

[5] *Goar*, Euchol. 417. Multas alias formas antiquas recenset *Martène*, De antiq. Eccl. rit. l. 1, c. 7, a. 4. [6] Cf. *Billuart*, De extr. unct. a. 3, petes: 1.

ciplinam in casu necessitatis adhibenda est forma a S. Officio praescripta: «Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.» Quando autem unica unctione sub hac forma sacramentum collatum est, postea, cessante periculo, singulae unctiones supplendae sunt, idque non condicionate, sed absolute [1].

Valde disputant theologi, utrum forma extremae unctionis necessario debeat esse *deprecatoria* an possit esse indicatoria. Indicativam formam esse validam multi docuerunt, e. g. Durandus, Tournely, Juénin et ex modernis Christ. Pesch [2], qui confidenter dicit: «His igitur tribus sacramentis [eucharistia, poenitentia, matrimonio] exceptis, in omnibus aliis sacramentis forma est eodem modo secundum sensum deprecatoria atque in extrema unctione; neque ullum solidum argumentum proferri potest, cur in extrema unctione forma debeat esse magis deprecatoria quam in aliis sacramentis.» Ergo iuxta hunc auctorem forma extremae unctionis non est magis deprecatoria secundum sensum quam e. g. forma baptismi. Quam quidem sententiam merito reiciunt S. Thomas [3], B. Albertus [4], S. Bonaventura [5], Catechismus Romanus [6] et quam plurimi theologi primae notae citati a S. Alphonso [7], qui et ipse sententiam S. Thomae veriorem et communiorem vocat. Ratio autem habetur ex ipsis verbis S. Iacobi: «Et orent super eum ungentes eum oleo . . . et oratio fidei salvabit infirmum.» Neque obstant variae formae antiquae, quae videntur modo indicativo prolatae, quia a) minime constat omnes formas antiquas fuisse validas; b) in verbis illis, quae habentur in omnibus allatis formis (legitimis), «ut possis», cum sint optativa, includitur oratio seu votum, ita ut sensus sit: Ungo te, orans Deum, ut possis etc. [8]

ARTICULUS III.
De effectibus extremae unctionis.

Extremae unctionis effectus hoc modo Concilium Tridentinum [9] recenset: «Res porro et effectus huius sacramenti illis verbis explicantur: et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.» — Ex quibus verbis licet deducere sequentes conclusiones:

576 **Prop. 1.** *Primarius effectus extremae unctionis non est remissio peccatorum (sive mortalium sive venialium), sed est augmentum gratiae habitualis destruentis per se reliquias peccati et per consequens ipsa peccata.*

De hac re docet Catechismus Romanus [10]: «Neque enim hoc sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed bap-

[1] S. Offic. d. 9 Mart. 1917 (Act. Ap. Sed. IX 178).
[2] Prael. dogm. VII, n. 533.
[3] Suppl. q. 29, a. 8.
[4] In 4, dist. 23, a. 4, q. 2.
[5] In 4, dist. 23, a. 1, q. 4.
[6] P. 2, c. 6, q. 6 et 7.
[7] Theol. mor. l. 6, n. 711.
[8] Cf. *S. Alph.* l. c. et *Bened. XIV*, De syn. dioec. l. 8, c. 2 versus finem.
[9] Sess. 14, c. 2 de extr. unct. (*Denz.* n. 909).
[10] L. c. q. 14.

tismus tantum et poenitentia vi sua hoc efficiunt.» Ideo revera sacramentum vivorum et non mortuorum est extrema unctio. Quapropter suscipiens extremam unctionem iam debet esse in statu gratiae sanctificantis, quae a peccatore ordinarie obtinenda est per sacramentum poenitentiae; in casu autem necessitatis sufficit, ut eliciat ante susceptionem extremae unctionis actum contritionis putative saltem perfectae (etsi revera est imperfecta). Licet autem iuxta communem theologorum sententiam cetera quoque sacramenta vivorum in casu necessitatis post contritionem (saltem imperfectam) elicitam producant gratiam primam, hanc tamen multo certius producit extrema unctio, quia a) S. Iacobus de illa dicit: «Et si in peccatis sit, remittentur ei»; b) in forma huius sacramenti habetur: «Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.» c) Concilium Tridentinum[1] definit: «S. q. d. sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata, . . . A. S.» Ergo extrema unctio non producit solum *per accidens*, sicut confirmatio et eucharistia, primam gratiam, sed a Christo directe instituta est, *ut animam proxime disponat ad introitum in coelum* ac proinde remittat peccata omnia forsan obstantia. Ideo extrema unctio primario quidem est sacramentum vivorum, consequenter autem (et quidem ex sua specifica ratione) est sacramentum mortuorum.

Licet autem extrema unctio remittat peccata mortalia homini versanti in impossibilitate confitendi, tamen *cessante hac impossibilitate* oritur obligatio integre confitendi peccata sic remissa.

Nota. Pro moribundis destitutis sensibus extrema unctio est pretiosissi- 577
mum sacramentum. Etenim quamvis pie credatur illis etiam posse valide dari absolutionem sacramentalem, si sint saltem attriti, attamen hoc non est omnino certum. Nam contritio et confessio sunt materia proxima sacramenti poenitentiae, ut supra n. 326 dictum est. Iam vero materia proxima utpote pars essentialis signi sensibilis sacramentorum debet exterius manifestari. Difficulter autem intelligitur, quomodo moribundus sensibus destitutus possit exterius manifestare contritionem et confessionem, ac proinde absolutio illi concessa non est omnino certe efficax. Econtra extrema unctio collata, dummodo aegrotus sit saltem interius vere attritus, est certe efficax. Quae cum ita sint, parochus aliique circumstantes omnino nitantur, ut moribundo sensibus destituto conferatur sacramentum extremae unctionis.

Prop. 2. *Gratia sacramentalis extremae unctionis producit a) robur* 578
animae; b) abstersionem peccati venialis et reliquiarum peccati; c) aliquando sanitatem corporalem.

a) *Robur animae* est effectus extremae unctionis.

Dicit enim S. Iacobus: «Et alleviabit eum Dominus.» Languor autem animae potissimum ex triplici causa, i. e. ex malis praeteritis, praesentibus, futuris producitur: 1. ex *diffidentia* de peccatis praeteritae vitae; scit enim certo peccator se saepe ac graviter peccasse, sed non ita certo scit Deum condonasse omnia ista peccata; 2. ex *pusillanimitate* ob aerumnas praesentes, quae quidem oriuntur tum ex infirmitate corporis, quod aggravat animam, tum ex impugnationibus diabolicis, quae praesertim hominem iamiam moriturum invehunt; 3. ex *trepidatione* propter incertam sortem in aeternitate. — Contra omnes istos languores extrema unctio confert validissimum robur.

[1] Sess. 14, can. 2 de extr. unct. (*Denz.* n. 927).

b) *Abstersio peccati venialis et reliquiarum peccati* est secundus effectus.

Cum extrema unctio sit immediata praeparatio ad coelum, debet amovere ea omnia, quae obstant introitui in coelum. Quae quidem sunt peccata nondum deleta et poenae peccatorum nondum solutae. Ideo extrema unctio ex opere operato delet peccata peccatorumque reliquias, si homo est rite dispositus, i. e. si sincere dolet de omnibus et singulis peccatis etiam minimis. Cum autem talis dispositio non semper adsit, aliquando extrema unctio non valet abstergere omnia peccata omnesque eorum reliquias.

c) *Sanitas corporalis* aliquando producitur ab hoc sacramento, si ita est expediens pro salute animae[1].

Quod quidem sequitur ex verbis S. Iacobi: «Oratio fidei salvabit infirmum.» Sane iste effectus non producitur subito, nec etiam si vires corporis iam sunt prorsus exhaustae. Unde vel etiam ratione sanitatis corporalis recuperandae consulendum est, ut extrema unctio infirmo quantocius conferatur, neve differatur usque ad extremum finem vitae.

579 **Scholion. De momento, quo extrema unctio producit effectus.** Theologi in varias sententias abeunt disputantes de momento, quando extrema unctio effectus suos producat. Sunt enim plures unctiones successivae. De hac quaestione (quae est pure speculativa, cum post decisionem S. Officii supra citatam sit certum, in casu necessitatis sufficere unicam unctionem et unam formam) scribit S. Thomas[2]: «Quando sunt multae actiones ordinatae ad eundem effectum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium et agit in virtute earum; et ideo in ultima actione gratia infunditur, quae effectum sacramento praebet.»

ARTICULUS IV.

De subiecto extremae unctionis.

580 **Principium.** *Subiectum extremae unctionis est omnis homo baptizatus, doli capax et versans in probabili periculo mortis, idque non aliunde, sed ob infirmitatem vel senium.*

Ita sequitur ex verbis Ritualis Romani[3] dicentis: «Debet hoc sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.»

Dicitur 1°: homo *baptizatus,* quia baptismus est ianua omnium sacramentorum. Requiritur autem baptismus *fluminis,* nec sufficit baptismus *flaminis,* qui gratiam sanctificantem quidem confert, sed non est sacramentum. Ergo neque pagani neque catechumeni hoc sacramentum recipere possunt; sin autem adultus paganus graviter aegrotus baptizatur, potest statim post baptismum extremam unctionem recipere, quia est capax augmenti gratiae

[1] Ita Concilium Trid. l. c. Scholastici subtiles quidem sed practice inutiles disputationes instituerunt de accuratis condicionibus, sub quibus aegroti per extremam unctionem obtineant sanitatem corporalem. Videsis *Kern,* De extr. unct. l. 3, c. 2.

[2] Suppl. q. 30, a. 1 ad 3.

[3] Tit. 5, c. 1, n. 5; cf. etiam Cod. iur. can. c. 940.

et adhuc indiget roboratione contra tentationes diabolicas. Ita videntur determinavisse S. Congr. de Prop. Fide d. 29 Sept. 1821 et S. Officium d. 10 Mai 1703 [1]. Neque est contrarius huic doctrinae S. Thomas dicens: «[Extrema unctio] non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae. Unde *principaliter* contra actualia peccata datur, quae non sunt in pueris.» [2] Nam Angelicus Doctor a) non loquitur nisi de pueris incapacibus peccati actualis; b) docet extremam unctionem *principaliter* esse contra reliquias peccati actualis. In adulto baptizato autem possunt adesse reliquiae peccatorum actualium ante baptismum commissorum, e. g. si forte eius attritio non se extendit ad omnia peccata.

Probabilius autem B. Virgo nec recepit nec fuit capax recipiendi extremam unctionem, quia sine omni peccato et fomite peccati fuit neque indiguit corroboratione contra tentationes diabolicas.

Dicitur 2°: *doli capax,* i. e. capax peccatorum personalium. Nam pueri ante usum rationis, sicut et perpetuo amentes non possunt sensibus suis peccare, ideoque in iis non verificatur forma: Quidquid deliquisti per auditum, visum etc. Cum primum autem pueri capaces sint peccati, ungendi sunt versantes in periculoso morbo, quamvis necdum ad primam confessionem accesserint neque septennium expleverint. Amentes, qui habent vel habuerunt lucida intervalla, sunt capaces peccati ac proinde etiam extremae unctionis.

Dicitur 3°: *versans in probabili periculo mortis, idque non aliunde, sed ex contracto morbo.* Requiritur igitur probabile periculum mortis proveniens ex gravi morbo. Proinde si periculum mortis aliunde atque ex morbo provenit, non licet hoc sacramentum administrare; e. g. militibus proficiscentibus ad pugnam, mulieribus ante partum periculosum, plectendis mox capite non potest neque valide neque licite extrema unctio conferri. Ratio est, quia S. Iacobus expresse dicit: «Infirmatur quis in vobis» (ἀσθενεῖ), et: «salvabit infirmum» (τὸν κάμνοντα). Ergo quamdiu quis sanus est, est incapax extremae unctionis. — Cum senectus ipsa sit morbus, decrepito seni in periculo probabili mortis versanti extrema unctio administranda est, ut patet ex allatis verbis Ritualis.

Nota. Hoc sacramentum non est conferendum iis, qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant [3]. Quodsi haec impoenitentia non est omnino certa sed dubia, extrema unctio conferatur sub condicione. Similiiter sub condicione ea conferenda est, quando dubitatur, a) num infirmus usum rationis attigerit, b) num in periculo mortis reipsa versetur, c) num mortuus sit [4]. Condicio apposita debet esse: «si es capax», non autem, «si es dispositus». Nam secus in casu, quo infirmus esset quidem indispositus, sed capax, sacramentum postea (obice remoto) non revivisceret.

Ante partum mulieri sanae hoc sacramentum administrari nequit, sicut nec etiam viaticum. Sin autem durante partu periculum vitae oritur, licet utrumque sacramentum conferre, quia revera tunc etiam morbus adest.

Non requiritur, ut periculum mortis sit prorsus imminens et certum. Immo consulitur, ne extrema unctio differatur usque ad extremum finem vitae, quia tunc effectus sanitatis recuperandae semper frustratur. Cum extrema unctio sit sacramentum vivorum, aegrotus debet praemittere confessionem, si sit in statu peccati mortalis. Quodsi confessio est impossi-

[1] Collect. de Prop. Fide n. 768 et 256. [2] Suppl. q. 32, a. 4 ad 2.
[3] Cod. iur. can. c. 942. [4] Ib. c. 941.

bilis, praemitti oportet: a) actus doloris supernaturalis ex parte aegroti, et b) absolutio sacramentalis saltem condicionata.

581 **Obligatio suscipiendi extremam unctionem** *non censetur gravis, praeciso scandalo vel contemptu.* Ratio est, a) quia nullum certum praeceptum de hac re invenitur neque in S. Scriptura neque in traditione neque in iure ecclesiastico; b) quia hoc sacramentum ordinarie non est tantae necessitatis ad salutem; ideoque tempore interdicti extrema unctio non potuit administrari iis, qui alia sacramenta, e. g. poenitentiae et eucharistiae, suscipere valebant[1]. Cum autem Ecclesia etiam tempore interdicti permittat, ut sacramenta necessaria ad salutem administrentur, inde sequitur extremam unctionem non esse omnino necessariam[2]. Per se patet illum, qui cum gravi scandalo (e. g. episcopus, sacerdos) recusat susceptionem extremae unctionis, vel qui contemnit hoc sacramentum, graviter peccare. — Licet autem ordinarie non adsit nisi levis obligatio suscipiendi extremam unctionem, tamen fideles strenue adhortandi sunt, ne se privent tam optimo auxilio in periculo mortis. Quare statuit Codex iur. can. c. 944: «Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum, ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant.»

Parochus omnesque, qui ex officio suscepto curam animarum habent, tenentur *sub gravi* administrare hoc sacramentum infirmis rationabiliter petentibus. Ratio est, quia parochus non solum tenetur praestare suis ovibus ea, quae sunt stricte necessaria ad salutem, sed etiam ea, quae sunt valde utilia. In casu necessitatis quilibet sacerdos tenetur ex caritate hoc sacramentum administrare.

582 **Iteratio extremae unctionis** non potest fieri (valide et licite)[3] in eadem infirmitate et in eodem mortis periculo, quia efficacia huius sacramenti tam diu durat, quamdiu remanet idem mortis periculum, pro quo fuit collatum. Quae quidem iteratio prohibita remanet etiam tunc, quando hoc sacramentum (valide collatum) sacrilege susceptum erat. Tale enim sacramentum sacrilegum postea reviviscit, obice sublato per poenitentiam.

De hac re definivit Concilium Tridentinum[4]: «Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint»; et Cod. iur. can. c. 940, § 2 statuit: «In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit.» Regula generalis est haec: Quoties abit periculum imminens

---

[1] Cf. c. 11, X 5, 38. Iuxta vigentem disciplinam licitum est tempore interdicti administrare morientibus sacramenta et sacramentalia (Cod. iur. can. c. 2270, § 1).

[2] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 29, a. 2 ad 1; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 733.

[3] Pauci theologi (e. g. *Kern*, De extr. unct. l. 5, prop. XIII) docent, extr. unctionem valide conferri in eadem infirmitate et in eodem periculo mortis.

[4] Sess. 14, c. 3 de extr. unct. (*Denz.* n. 910).

mortis et *novum succedit* etiam durante eodem morbo diuturno, toties hoc sacramentum iterari licet [1]. In praxi haud raro est difficile, immo impossibile decernere, utrum idem mortis periculum permanserit necne. Si infirmus per aliquod tempus, e. g. per mensem hebdomadam aut etiam per hebdomadam notabiliter melius se habuit, et tunc iterum recidit in mortis periculum, licet extremam unctionem iterare; sin autem mutatio in melius est valde dubia, idem mortis periculum censetur perdurare.

ARTICULUS V.
De ministro extremae unctionis.

Principium. *Valide administrat hoc sacramentum solus sacerdos,* 583
licite autem solus pastor animarum eiusve vicesgerens aut delegatus.

1. Solum sacerdotem esse ministrum validae extremae unctionis patet: a) ex verbis S. Iacobi dicentis: «Inducat presbyteros Ecclesiae.» Porro nomine presbyteri hic intelliguntur sacerdotes et non seniores laici; nam in Novo Testamento presbyteri Ecclesiae semper intelliguntur sacerdotes [2]. b) Ex definitionibus Concilii Florentini et Tridentini [3]: «S. q. d. presbyteros Ecclesiae, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, A. S.» c) Ex ipsa natura huius sacramenti, quod est quasi complementum poenitentiae. Ergo idem debet esse minister poenitentiae et extremae unctionis. — Solus igitur sacerdos valide administrare potest hoc sacramentum et in nullo casu diaconus aut laicus [4]. Cum autem administratio huius sacramenti sit exercitium ordinis et non iurisdictionis, quilibet sacerdos (licet sit excommunicatus, suspensus, interdictus) valide confert extremam unctionem, sicuti etiam valide conficit eucharistiam.

Unum sacerdotem sufficere ad administrandam extremam unctionem, constans est doctrina Ecclesiae [5]. Neque obstant verba S. Iacobi «inducat presbyteros»; nam in S. Scriptura saepe adhibetur pluralis pro singulari [6]. Antiquitus autem etiam in Ecclesia latina adhibiti sunt plures sacerdotes in administranda extrema unctione [7]. In Ecclesia graeca adhuc nostris temporibus hoc sacramentum conferri solet a septem aut saltem a tribus sacerdotibus [8]. Si plures sacerdotes hoc sacramentum administrant taliter, ut alii faciant unctiones et alii pronuntient formam, sacramentum videtur esse invalidum, quia requiritur, ut idem minister applicet materiam et pronuntiet formam; sin autem unus faciat unam unctionem cum sua forma,

[1] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 33, a. 2. B. Albertus (IV, d 23, a. 21) aliique veteres scholastici putaverunt non nisi semel quotannis posse reiterari extremam unctionem in eadem infirmitate.

[2] Cf. Act. 14, 12; 15, 2; 1 Tim 5, 17; 1 Petr 5, 4. Cf. etiam *Billuart,* De extr. unct. a. 5.

[3] Sess. 14, can. 4 de extr. unct. (*Denz.* n. 929).

[4] Difficultates orientes ex quibusdam textibus Innocentii I et Venerabilis Bedae videsis solutas apud *Billuart* l. c.

[5] Cf. c. 14, X 5, 40 et *Bened. XIV,* Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742.

[6] Cf. Mt 27, 44 latrones, pro uno ex latronibus.

[7] Cf. Summa c. gent. l. 4, c. 73; Sacramentar. S. Gregorii apud *Martène,* De antiq. Ecl. rit. l. 1, c. 7, a. 3.

[8] *Papp-Szilagyi,* Enchir. iur. eccl. orient. p. 2, § 81.

alius aliam cum sua forma [1], vel si plures insimul faciant unctiones et pronuntient formas, tunc sacramentum est validum.

2. *Solus pastor animarum* vel eius delegatus ordinarie potest *licite* hoc sacramentum administrare. Ita ex iure positivo ecclesiastico [2]. Tamquam pastor animarum habetur quilibet, qui exercet iurisdictionem ordinariam in subditos. Unde superiores in religione clericali censentur pastores animarum valentes extremam unctionem legitime administrare omnibus suis subditis (nempe professis, novitiis, familiaribus et continue commensalibus) [3]. Ceterum regula generalis est: Quicumque sacerdos licite administrat viaticum, licite quoque administrat extremam unctionem. — In casu necessitatis vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta parochi vel Ordinarii loci quilibet sacerdos valide et licite administrat extremam unctionem, cum ius paroeciale cedere debeat saluti animarum.

584 **Rubricae** in Rituali praescriptae observandae sunt in administratione huius sacramenti. Sub quanam autem culpa singulae rubricae obligent, non ita certo constat. Sic e. g. extra casum necessitatis omnem vestem sacram omittere censetur peccatum grave; omittere autem lumen vel ministrum servientem putatur levis culpa; psalmi poenitentiales et litaniae non ex stricto praecepto, sed de consilio recitantur [4], ut iam supra n. 574 dictum est.

TRACTATUS IX.

De sacramento ordinis.

Literatura. Praeter auctores supra citatos, qui tractant de omnibus sacramentis, consuli possunt Gasparri, De sacra ordinatione, 2 vol., Parisiis 1883; Many, De sacra ordinatione, Parisiis 1904; Wernz, Ius Decretal. II, Romae 1906; Card. van Rossum, De essentia sacramenti ordinis disquisitio historico-theologica, Friburgi Brisgoviae 1914.

Praenotamen. Cum tractatus de sacramento ordinis secundum maiorem partem pertineat vel ad Dogmaticam vel ad Ius ecclesiasticum, brevissime tantum hic loquimur: 1. de natura huius sacramenti; 2. de eius ministro; 3. de eius subiecto.

CAPUT I.

De natura sacramenti ordinis.

Dividimus istud caput in tres articulos; 1. de notione et distinctione ordinis; 2. de effectibus ordinis; 3. de materia et forma ordinis.

ARTICULUS I.

De notione et distinctione ordinis.

585 **Notio.** In sensu generali definitur a S. Thoma [5] praeeunte Magistro Sententiarum: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiri-*

[1] Cf. Suppl. q. 20, a. 2 ad 3. [2] c. 1, l. 5, tit. 7 in Clem. Cod. iur. can. c. 938.

[3] Cod. iur. can. c. 514, § 1. Cf. quae supra n. 219 dicta sunt de administratione viatici, et nostrum Man. iur. can. q. 243.

[4] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 726 sq. [5] Suppl. q. 34, a. 2.

tualis potestas traditur ordinato. Quae quidem definitio competit omnibus ordinibus (etiam minoribus), qui iuxta sententiam complurium auctorum non sunt sacramenta stricte dicta. Quaenam sit illa potestas, quae in singulis ordinibus conferatur, dicetur in articulo sequenti, ubi tractabitur de effectibus ordinis. — Ordo, prout est sacramentum stricte dictum, definiri potest: **Sacramentum Novae Legis, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad debite obeunda munia ecclesiastica**[1].

Ordo sumitur: vel *active,* et tunc melius clariusque vocatur ordinatio, cum sit illa actio, qua spiritualis potestas confertur; vel *passive,* et tunc significat potestatem collatam in ipsa ordinatione.

Ordinem seu ordinationem esse verum sacramentum Novae Legis, definitum est contra haereticos a Concilio Tridentino sess. 23, can. 3 de sacr. ord.: «S. q. d. ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum. . . . A. S.»[2] Quod quidem dogma catholicum demonstrari potest ex S. Scriptura, ex consensu Patrum, ex consensu Ecclesiae orientalis[3].

Christus sacramentum ordinis videtur instituisse partim in ultima Coena, quando dedit apostolis potestatem conficiendi eucharistiam, partim post resurrectionem, quando eos instruxit de regimine Ecclesiae.

Distinctio. Fide certum est in Ecclesia esse plures ordines[4]. 586
Numerus autem istorum ordinum est septenarius in Ecclesia latina, nempe: ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus[5]. In ecclesia orientali non solent *expresse* enumerari nisi quattuor ordines, nempe lectoratus, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus, sed inde non licet concludere: ergo tres ordines omissi non exstant in Ecclesia orientali. Etenim isti ordines omissi conferuntur cum subdiaconatu (acolythatus et ostiariatus) et lectoratu aut diaconatu (exorcistatus)[6].

Quattuor ordines priores solent vocari *minores,* tres ulteriores vero *maiores* et *sacri.*

Controversias tres iuvat hic brevissime tangere: 1. num quattuor minores 587
ordines habeant characterem veri sacramenti? Affirmativam sententiam satis communiter docuerunt veteres Scholastici, inter quos citantur B. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Paludanus, Scotus etc. Negativam autem sententiam docent omnes fere moderni auctores[7]. Neutra sententia est certa, et in hac quaestione sicut in pluribus aliis pertinentibus ad s. ordinationem oportet sapere ad sobrietatem. Unde non recte agunt illi, qui citius ex-

---

[1] Cf. *Billuart,* De ordine diss. 1, a. 1.

[2] *Denz.* n. 963. [3] Cf. *Billuart* l. c.

[4] Conc. Trid. sess. 23, can. 2 de sacr. ord. (*Denz.* n. 962).

[5] Cf. ib. c. 2 (*Denz.* n. 958).

[6] Cf. *Papp-Szilagyi,* Enchir. iur. eccl. orient. cath. p. 2, § 83; Bened. XIV Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742, § 7.

[7] Cf. pro hac controversia *Billuart,* De ordine diss. 1, a. 3; *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VII, n. 577.

clamant: Haec sententia est certa; opposita autem iam omnem probabilitatem amisit.

2. Utrum *episcopatus* sit ordo essentialiter distinctus a presbyteratu, an tantum eius complementum? Veteres Scholastici (inter quos S. Thomas) plurimi id negant et Card. Raymundus Capisuchius O. Pr. [1] affert 80 auctores, (quos ipse profitetur omnes fere legisse) qui negant episcopatum esse sacramentum complete distinctum. Omnes fere moderni theologi et complures veteres docent episcopatum esse ordinem et sacramentum complete distinctum.

3. Num episcopatus sit valide collatus ei, qui invalide suscepit presbyteratum? Negativa sententia videtur praeferenda. Quare in praxi sub condicione repetenda esset cum ordinatio episcopalis tum aliae ordinationes a tali episcopo forte peractae [2].

Licet autem certe sint plures ordines habentes characterem sacramenti, tamen omnes ordines constituunt *unum totum potestativum,* «cuius est haec natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in alio autem est aliqua participatio ipsius» [3]. Insuper omnes ordines constituunt unum sacramentum *ex unitate finis,* ad quem ordinantur, nempe omnes ordinantur ad eucharistiam.

Prima tonsura clericalis, qua laicus adscribitur statui clericali, non est ordo neque sacramentum, sed aliquod sacramentale. Ita sententia communissima et certa [4]. Contrarium docuerunt sine solido fundamento Fagnanus [5], Reiffenstuel [6], nonnulli alii canonistae.

ARTICULUS II.

De effectibus ordinis.

Primo agemus de effectibus huius sacramenti in genere et deinde de effectibus et officiis a singulis ordinibus collatis.

§ 1.

De effectibus ordinis in genere.

588 Sacramentum ordinis producit quattuor effectus, quorum tres respiciunt ipsum ordinatum et quartus attingit Ecclesiam.

1. Ordo producit *augmentum gratiae sanctificantis* et *gratiam sacramentalem.* Nam ordo est sacramentum vivorum et causat peculiares gratias, sicut omne aliud sacramentum.

2. Ordo imprimit *characterem* indelebilem, ideoque nullus ordo iterari potest [7].

3. Ordo confert *potestatem spiritualem* exercendi functiones respectivi ordinis suscepti. Quae quidem potestas maiorem minoremve connexionem habet cum eucharistia.

---

[1] Controversiae Theol. select. (Romae 1670) controv. 28, § 2.
[2] Cf. *Gasparri,* De s. ord. I, n. 26.
[3] *S. Thom.,* Suppl. q. 37, a. 1 ad 2.
[4] Ib. q. 40, a. 2; *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 734.
[5] Comm. in l. 1, tit. 14, c. 11, n. 45. [6] Ius can. l. 1, tit. 11, n. 16.
[7] Cf. Conc. Trid. sess. 23, can. 4 de sacr. ord. (*Denz.* n. 964).

4. Ordo causat *permanentiam* hierarchiae ecclesiasticae, quae sine hoc sacramento subsistere nequit. Quare hoc sacramentum maxime spectat ad utilitatem et pulchritudinem Ecclesiae.

§ 2.

De effectibus et officiis singulorum ordinum.

589 1. **De ordinibus minoribus.** Ordines minores in Ecclesia latina sunt quattuor, ut supra dictum est:

a) *Ostiariatus* tradit potestatem *ex officio* aperiendi et claudendi ianuas ecclesiae, admittendi dignos et excludendi indignos. Quanti momenti fuerit iste ordo primis Ecclesiae saeculis, cum christiani tam diris persecutionibus vexabantur, constat ex historia ecclesiastica.

b) *Lectoratus* tradit potestatem *ex officio* legendi in pulpito ecclesiae psalmos et lectiones, catechizandi sive instruendi populum in rudimentis fidei, benedicendi panem et novos fructus.

c) *Exorcistatus* tradit potestatem specialem expellendi daemones ab obsessis, ne eos impediant a communione. Quae quidem potestas iuxta vigentem disciplinam nequit exerceri (saltem publice), nisi adsit praevia et expressa licentia Ordinarii[1].

d) *Acolythatus* tradit potestatem *ex officio* inserviendi subdiacono in Missa sollemni, ferendi urceolos ad altare et lumina in eo accendendi. Acolythus aliquando vocatur ceroferarius.

Functiones quattuor ordinum minorum (excepto exorcistatu) iuxta modernam disciplinam saepe exercentur a laicis.

590 2. **De ordinibus maioribus.** Ordines maiores in Ecclesia latina sunt tres, ut dictum est:

a) *Subdiaconatus* confert potestatem praeparandi materiam consecrandam in vasis sacris, inserviendi diacono in Missa sollemni, cantandi epistolam, lavandi corporalia, purificatoria et pallas.

b) *Diaconatus* confert potestatem immediate assistendi sacerdoti in Missa sollemni, canendi evangelium et (ex commissione Ordinarii) praedicandi. Sub quibus condicionibus diaconus valeat sollemniter baptizare et distribuere s. communionem, dictum est supra n. 121 et 217.

c) *Presbyteratus* confert potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi, remittendi peccata, pascendi subditos opere et doctrina et administrandi reliqua sacramenta, quae non necessario requirunt characterem episcopalem.

d) *Episcopatus* (quamvis forte nihil aliud sit nisi complementum ordinis presbyteratus[2]), tamen, sicut est specialis gradus hierarchiae, ita etiam speciales confert potestates, nempe administrandi sacramenta confirmationis et ordinis, conficiendi complura sacramentalia (ut consecrationes et benedictiones), regendi populum sibi legitime concreditum.

---

[1] Cod. iur. can. c. 1151. [2] Cf. supra n. 587.

591 **Scholion. De effectibus tonsurae clericalis.** Quamvis prima tonsura clericalis ipsa non sit ordo, ut dictum est, disponit tamen ad ordines suscipiendos et complures effectus producit, nempe:

a) transfert in statum clericalem et incardinat in dioecesi [1];

b) confert sic dicta privilegia clericalia, scil. canonis, fori, immunitatis [2];

c) confert aptitudinem suscipiendi ordines, exercendi iurisdictionem, recipiendi beneficia et pensiones ecclesiasticas [3].

ARTICULUS III.

De materia et forma ordinis.

Praenotamen. Brevissime tractamus hanc materiam, quae potius ad Dogmaticam pertinet, notantes tamen in praxi sequendam esse partem *tutiorem* in multis controversiis, quae agitantur de materia et forma ordinis; idque certum est, si agitur de *ordine sacro*.

592 **Materia et forma ordinum minorum.**

Materia remota ordinum minorum sunt instrumenta singulis ordinibus propria.

Materia proxima ordinum minorum est traditio horum instrumentorum.

Forma ordinum minorum sunt verba episcopi in traditione instrumentorum prolata.

1. In *ostiariatu* materia proxima est traditio clavium ecclesiae, quas singuli ordinandi tangere debent manu dextera, dum pontifex pronuntiat verba: «Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.»

Circa ordinationem ostiarii oportet notare sequentes decisiones romanas: a) Licet uti clavi qualicumque [4]. Attamen S. Congr. Rituum d. 20 Iunii 1899 respondit ad dubium: «Pro clavibus, quae ostiariis in eorum ordinatione sunt tradendae, sufficitne, ut una tantum tradatur? — Servetur *in praxi* Pontificale romanum.» [5] Iam vero Pontificale praescribit, ut duae claves ecclesiae tradantur. b) Non est necessarium, ut ostiarius trahat funem ad pulsandas campanas ecclesiae, sed sufficit, ut quasset tintinnabula altaris ad fores ecclesiae [6].

2. In *lectoratu* materia proxima est traditio libri lectionum, quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum pontifex dicit: «Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.»

Liber tradendus potest esse Missale vel Breviarium vel volumen S. Scripturae [7].

3. In *exorcistatu* materia proxima est traditio libri exorcismorum, quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, pontifice dicente: «Accipite

---

[1] Cod. iur. can. c. 108 et 111, § 2.

[2] Cf. nostrum Man. iur. can. q. 63. [3] Cod. iur. can. c. 118.

[4] Ita S. C. de Prop. Fide d. 27 Sept. 1843 (Collect. de Prop. Fide n. 984). Nihilominus videtur necessaria esse clavis loci sacri; quia forma huius ordinis applicata ad clavem loci profani posset esse valde irreligiosa.

[5] Decr. auth. n. 4035 ad 5.

[6] S. C. R. d. 27 Sept. 1873 (Decr. auth. n. 3315 ad 3).

[7] S. C. R. d. 27 Sept. 1873 (ib. ad 5).

et commendate memoriae et habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos.»

Tamquam liber exorcismorum porrigi potest Rituale vel Pontificale vel Missale.

4. In *acolythatu* materia proxima constituitur duplici traditione, nempe: 1. candelabri cum candela exstincta, quod singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dicente pontifice: «Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini. ℟. Amen»; 2. urceoli vacui, quem similiter tangere debent ordinandi manu dextera, dum pontifex dicit: «Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam sanguinis Christi. ℟. Amen.» — Responsio «Amen» ab ordinando (et non ab astantibus) facienda est[1].

Materia et forma ordinum maiorum. 593

In *subdiaconatu* materia proxima constituitur duplici traditione, nempe: 1. *calicis vacui cum patena vacua superposita,* quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum pontifex dicit: «Videte, cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis»; 2. *libri epistolarum* (Missalis, Bibliae), quem similiter singuli ordinandi tangunt manu dextera, pontifice dicente: «Accipite librum epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis; in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.» ℟. Amen.

In *diaconatu* materia proxima pariter duplex est, nempe: 1. *impositio manus episcopi,* durante qua pontifex dicit: «Accipite Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius: in nomine Domini»; 2. *traditio libri evangeliorum* (Missalis, Bibliae), quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, pontifice dicente: «Accipite potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis: in nomine Domini.» ℟. Amen.

In *presbyteratu* quid sit materia proxima essentialis et forma essen- 594
tialis, theologi in sex diversas sententias abierunt, quas hic breviter afferimus ad ostendendum, nihil in hac re esse certum, et neminem debere nimis fidere iudicio suo in hac materia.

1ª *sententia:* Materia proxima presbyteratus est traditio instrumentorum, forma vero sunt verba episcopi: «Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.»[2]

Huic sententiae manifeste favet Decretum Eugenii IV pro Armenis, ubi «sacro hoc approbante Florentino Concilio» dicitur: «Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem.... Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi» etc.[3]

2ª *sententia:* Materia proxima presbyteratus est duplex: 1. traditio calicis cum vino et patenae cum hostia; 2. impositio manus *tertia.*

[1] S. C. R. d. 12 Nov. 1831 (Decr. auth. n. 2682 ad 6).

[2] Card. *van Rossum* (De essentia sacr. ord. n. 12) citat pro hac sententia circiter 90 auctores. [3] *Denz.* n. 791.

Forma vero sunt 1. verba: «Accipe potestatem offerre sacrificium» etc. et 2.: «Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris» etc. Quamvis haec sententia a compluribus auctoribus teneatur[1], tamen est parum probabilis, cum quia neopresbyteri certe iam receperunt sacramentum ordinis *ante consecrationem* (panis et vini), quam faciunt insimul cum episcopo ordinante, tum quia haec tertia manuum impositio (quae fit post communionem) non videtur fuisse in usu ante saeculum XII[2].

3ª *sententia* convenit cum secunda sententia in assignanda duplici materia et forma, sed non tertiam, sed *primam* impositionem manuum tamquam essentialem assignat.

Haec sententia videtur esse ignota ante saeculum XVIII, propugnatur tamen a compluribus auctoribus modernis, e. g. Billot, Tanquerey[3].

4ª *sententia* docet, ad essentiam sacramenti ordinis pertinere: 1. primam impositionem manus, 2. porrectionem instrumentorum, 3. ultimam impositionem manuum. Ita Lugo, Gotti, Amort, nonnulli alii.

5ª *sententia* docet, sacerdotem posse valide ordinari *vel* sola prima impositione manuum *vel* sola traditione instrumentorum. Ita Diana, Esparza, Clericatus, pauci alii.

6ª *sententia* docet, *totam essentiam* sacramenti ordinis consistere in prima manus impositione et in oratione, quae cum ea a pontifice funditur; cetera omnia nihil esse nisi caeremonias accidentales et non omnino necessarias[4].

In *episcopatu* materia proxima est impositio manuum consecrantis, et forma est oratio, quae hanc impositionem comitatur. Ceterum deest certitudo hac in re, cum plures theologi doceant episcopatum non esse ordinem stricte dictum sed solum complementum sacerdotii.

595 **Scholion. De supplendis defectibus in ordinatione commissis.** Si ordines minores et subdiaconatus non essent sacramenta, nec ipsi haberent materiam et formam ex iure divino, ut patet. Proinde Ecclesia posset facile supplere omnes defectus occurrentes in his ordinibus atque in illis dispensare. In praxi tamen numquam talis dispensatio conceditur, sed si dubium fundatum de valore talium ordinum subortum est, praescribitur nova ordinatio (saltem condicionata). — Quantum ad defectus commissos in ordinatione diaconi et presbyteri haec notentur:

1. Defectus *accidentales leves* non sunt postea supplendi. Sic e. g. si in unctione manuum non adhibita est oleum catechumenorum, sed chrisma, nihil postea repetendum est.

[1] Cf. *van Rossum* l. c. n. 47. [2] Cf. ib. n. 54 sqq. [3] Ib. n. 79.

[4] *Van Rossum* (l. c. n. 100 sqq) citat pro hac sententia plus quam centum auctores et concludit: «Vix ullus superest, qui hanc sententiam non sequatur», immo in fine totius libri asserit, «in hac sola manus impositione et oratione signum sacramentale ordinis . . . certissime inveniri; reliqua vero omnia Ecclesiae auctoritate ad maiorem sollemnitatem esse introducta». — Quae quidem videntur esse nimis confidenter dicta propter auctoritatem Eugenii IV, Concilii Florentini et innumerorum auctorum magni nominis *certe oppositam*. Deinde si sententia Card. van Rossum est *certissima*, quare S. Officium identidem decrevit, ut sub condicione reiteretur *tota* ordinatio, in qua defuit aliquid in traditione instrumentorum, e. g. hostia super patenam, vinum in calice? Cf. S Offic. d. 6 Iuli 1898, 11 Ian. 1899, 17 Ian. 1900.

2. Defectus *accidentales graves* postea supplendi sunt, e. g. si unctio manuum totaliter sit omissa, vel si defuit tertia impositio manuum episcopi.

3. Defectus, qui probabiliter attingunt ipsam *essentiam* ordinationis, non solum supplendi sunt, sed *tota ordinatio* est sub condicione reiteranda. Tales autem defectus censentur: a) si manus episcopi non *physice* tetigit caput ordinandi [1]. Sufficit autem tactus mediatus. b) si manus sacerdotis ordinandi non tetigit *physice* calicem, patenam et hostiam. Sufficit tactus mediatus; e. g. si ordinandus tetigit quidem hostiam et patenam, non item calicem, censetur mediate tetigisse etiam calicem [2]. c) si defuit in ordinatione sacerdotis aut vinum in calice aut hostia super patena [3].

CAPUT II.

De ministro sacramenti ordinis.

Dividimus istud caput in duos articulos: 1. de ministro validae ordinationis; 2. de ministro licitae ordinationis.

ARTICULUS I.

De ministro validae ordinationis.

Praeter intentionem et debitam applicationem materiae ad formam 596
requiritur in ministro ordinationis potestas, de qua haec sint dicta:

1. *Minister ordinarius validae ordinationis est omnis et solus episcopus consecratus.*

Est de fide et constat ex definitionibus Concilii Florentini [4] et Tridentini [5]. — Dicitur: *omnis* episcopus, ergo etiam schismaticus, irregularis, degradatus etc., dummodo tamen ipse sit valide consecratus. Si enim ipse episcopus non est valide consecratus (ut accidit in episcopis anglicanis), nec ipsae eius ordinationes possunt esse validae, ut per se patet. Episcopus electus et confirmatus, sed nondum consecratus, potest quidem concedere litteras dimissoriales suis subditis ordinandis, sed nequit eos ordinare.

2. *Minister extraordinarius validae ordinationis (quoad ordines minores et subdiaconatum) est sacerdos a Summo Pontifice delegatus.*

Ita constat ex variis Conciliis [6] et praxi constanti Ecclesiae [7]. Talem delegationem *habitualem* quoad primam tonsuram et ordines minores habent Cardinales, Vicarius et Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus «nullius» pro propriis clericis vel pro aliis «legitime» dimissis [8]. Abbates regulares sic dicti «de regimine» suos quidem subditos (vi saltem professionis simplicis)

---

[1] S. Offic. d. 4 Iulii 1900. [2] Cf. S. Offic. 8 Maii 1895; 17 Martii 1897.

[3] Cf. S. Offic. d. 6 Iulii 1898; 11 Ian. 1899; 17 Ian. 1900.

[4] Decr. ad Armenos (*Denz.* n. 701).

[5] Sess. 23, can. 7 de sacr. ord. (*Denz.* n. 967). Nonnulli erraverunt de validitate ordinationis factae ab haereticis; cf *Saltet,* Les réordinations.

[6] Conc. Nicaen. II (a. 787), c. 14 = c. 1 D. 69; Conc. Trid. sess. 23, c. 10 de reform.

[7] Cf. *S. Thom.,* Suppl. q. 38, a. 2; *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 762; Cod. iur. can. c. 957, § 2.

[8] Cod. iur. can. c. 239 et 957, § 2.

licite promovent ad tonsuram et ordines minores [1], sed nec valide nec licite possunt ordines minores conferre saecularibus sive subditis sive non subditis [2]. De poenis, quae infliguntur abbatibus illicite ordinantibus, vide supra n. 531.

Ex speciali indulto Summi Pontificis sacerdos potest etiam conferre ordinem subdiaconatus [3]. Nec huic sententiae contradicit S. Thomas [4]. Omnino autem dubium est, num Summus Pontifex possit delegare sacerdotem ad conferendum ordinem diaconatus. Narratur quidem Innocentium VIII Constitutione «Exposcit» d. 9 Aprilis 1489 talem delegationem concessisse nonnullis abbatibus Cisterciensibus [5], sed authenticitas huius Constitutionis nondum vere est probata. — Omnes concedunt sacerdotem non posse conferre ordinem presbyteratus.

ARTICULUS II.

De ministro licitae ordinationis.

Ad licitam ordinationem requiruntur ex parte ministri (praeter statum gratiae atque immunitatem a censuris et irregularitatibus): 1. iurisdictio, 2. examen et exercitia spiritualia ordinandorum, 3. debitus ritus, e. g. quantum ad interstitia, statuta tempora, debitum locum etc.

597 1. **Iurisdictionem** ordinariam vel delegatam in ordinandum minister habere debet. Iurisdictionem *ordinariam* habet *proprius episcopus*. Quare simpliciter statuit Concilium Tridentinum [6]: «Unusquisque a proprio episcopo ordinetur.»

Episcopus est **proprius** ex duplici ratione seu *titulo competentiae* iuxta vigentem disciplinam [7]:

a) Titulus *domicilii una cum origine*. Debet igitur ordinandus habere tam originem quam domicilium in dioecesi episcopi ordinantis.

b) Titulus *simplicis domicilii sine origine*. In hoc casu ordinandus debet animum in dioecesi perpetuo manendi confirmare iureiurando. Quod quidem iusiurandum omittitur, si agitur de religioso professo, de clerico destinato pro alia dioecesi, de clerico iam incardinato per primam tonsuram [8]. Episcopus proprius religiosi professi ordinandi est episcopus, in cuius dioecesis sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus [9].

---

[1] Cod. iur. can. c. 967.

[2] S. Offic. d. 15 Iulii 1903 (Collect. de Prop. Fide n. 2172). *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 763 et 766) putat abbates illicite quidem, sed non invalide conferre ordines minores non subditis; at hodie standum est decisioni S. Officii modo allatae.

[3] S. Cf. *S. Alph.* l. c. n. 762. [4] Suppl. q. 38, a. 1 ad 3.

[5] Cf. Anal. eccl. IX (1901) 311 sqq.

[6] Sess. 23, c. 8 de reform.; cf. Cod. iur. can. c. 955, § 1 et c. 957. Statuitur: «Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus ‚nullius', si charactere episcopali polleant, episcopo dioecesano aequiparantur, quod pertinet ad ordinationem; si episcopali charactere careant, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere conferre primam tonsuram et ordines minores tum propriis subditis saecularibus, tum aliis qui litteras dimissorias exhibeant; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est.»

[7] Cod. iur. can. c. 956. Antiquitus fuerunt alii quoque tituli competentiae, e. g. beneficii, familiaritatis etc.

[8] Cod. iur. can. c. 956. [9] Ib. c. 965.

Minister habet iurisdictionem *delegatam,* si a proprio ordinandorum Ordinario accepit licentiam conferendi ordines rite dimissis subditis. In hoc casu requiruntur litterae cum *dimissoriales* tum *testimoniales,* quae sunt gratis concedendae, nisi adsit speciale Indultum [1].

Dimissoriales vocantur illae litterae, quibus proprius praelatus ordinandi rogat episcopum (sive specialiter sive generaliter) determinatum, ut subdito suo conferat ordines. Quae quidem litterae dimissoriales prorsus necessariae sunt, ut subditus alienus ab aliquo episcopo licite ordinari possit [2]. Qui secus egerint, gravibus poenis puniuntur [3]. Quinam litteras dimissorias concedere valeant, videsis apud canonistas, e. g. in nostro Man. iur. can. q. 318. His litteris dimissorialibus addendae sunt litterae *testimoniales,* quae praebent testimonium authenticum a competenti Ordinario datum de aptitudine ordinandi. Quod quidem testimonium de aptitudine ordinandi vel saltem de eius bonis moribus (et scientia) exigere debet quoque episcopus ordinarius, si ordinandus post pubertatem per *semestre continuum* extra dioecesim versatus est, vel si per trimestre continuum servitio militari addictus erat [4].

2. **Examen ordinandorum** episcopus ordinans semper instituere 598
debet memor illius: «Manus cito nemini imposueris.» [5] Quare episcopus immediate ante ordinationem quaerit ab archidiacono: «Scis illos dignos esse?» Insuper triplex alia investigatio facienda est de dignitate ordinandorum:

a) Promovendi saeculares (aut religiosi, qui, quod pertinet ad ordinationem, saecularium iure reguntur) afferant quattuor testimonia, sc.

1. testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis;

2. testimonium de peractis studiis pro singulis ordinibus requisitis;

3. testimonium rectoris seminarii, aut sacerdotis, cui candidatus extra seminarium commendatus fuit, de bonis eiusdem candidati moribus;

4. testimoniales litteras Ordinarii loci, in quo promovendus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit. Tale tempus censetur pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem, nisi episcopus ordinans prudenter etiam brevius tempus in casu particulari determinet [6]. Si promovendus per tot dioeceses vagatus sit, ut impossibile vel minis difficile evadat, omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum [7]. — Ordinandi religiosi exempti debent afferre litteras testimoniales sui superioris maioris [8].

---

[1] Cf. Conc. Trid. sess. 21, c. 1 de reform.; *Gasparri,* De ordinatione n. 1121. Solent distingui: litterae *dimissoriae* seu «Exeat», quibus conceditur excardinatio; litterae *dimissoriales,* de quibus supra; litterae *formatae,* quibus exhibetur authenticum testimonium de ordinibus susceptis.

[2] Cf. Con. Trid. sess. 14, c. 2 de reform.; sess. 23, c. 8 de reform.

[3] Cf. supra n. 531.

[4] S. C. C. d. 25 Iunii 1904. Cf. nostrum Man. iur. can. q. 318 (6).

[5] 1 Tim. 5, 22. [6] Cod. iur. can. c. 994.

[7] Ib. § 2. [8] Ib. c. 995.

b) Nomina promovendorum ad singulos *sacros* ordines (exceptis religiosis a votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus) publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest ab hac publicatione dispensare. Publicatio fiat die festo de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut alia die et hora, quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur[1].

c) Examen proprie dictum circa ordinem suscipiendum et — si agitur de ordine sacro suscipiendo — etiam circa aliquam tractationem theologicam debent subire omnes ordinandi (sive saeculares sive religiosi) iuxta methodum ab episcopo statutam[2].

599 **Exercitia spiritualia** debent ab ordinandis peragi, et quidem a) per 3 dies integros ante primam tonsuram et ordines minores; b) per 6 dies integros ante quemlibet ordinem maiorem; sed si qui intra semestre ad plures ordines maiores promovendi sunt, Ordinarius (i. e. episcopus aut superior religiosus) potest exercitiorum tempus reducere pro ordinatione *ad diaconatum,* non tamen infra 3 dies integros. Haec exercitia spiritualia peragenda sunt in religiosa aut pia domo ab Ordinario designanda, et de peractis exercitiis testimonium afferendum est episcopo ordinanti. Si expletis exercitiis s. ordinatio qualibet de causa ultra *semestre* differatur, exercitia iterentur; secus iudicet Ordinarius, utrum iteranda sint necne[3].

Scholion. Etiam ante consecrationem episcopalem fit processus informativus; immo aliquando aliquod verum examen de theologia aut iure canonico[4].

600 3. **Debitus ritus** in ordinatione observandus complura includit, nempe:

a) *Ne ordinatio fiat per saltum,* i. e. ne ordo superior conferatur nondum collato inferiore, e. g. ne presbyteratus conferatur illi, qui nondum est diaconus[5]. Ordo per saltum collatus videtur esse validus, excepto episcopatu, qui non potest valide conferri illi, qui nondum est sacerdos. Ordinationes per saltum semper graviter illicitae sunt atque gravibus poenis obnoxiae[6].

b) *Ne duo ordines sacri eodem die conferantur,* neve subdiaconatus cum ordinibus minoribus. Immo nec primam tonsuram conferre licet (nisi de peculiari licentia Romani Pontificis aut ex consuetudine legitima) cum aliquo ex ordinibus minoribus, neve omnes ordines minores una simul[7].

c) *Ut serventur interstitia.* Interstitia sunt intervalla, quae inter collationes singulorum ordinum intercedere necesse est. Codex iur. can. mutans veterem disciplinam statuit[8]: *α*) Interstitia inter primam tonsuram et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti episcopi iudicio committuntur. *β*) Interstitia inter acolythatum et subdiaconatum sunt unus annus. *γ*) Interstitia inter singulos ordines maiores

[1] Cod. iur. can. c. 998. [2] Ib. c. 996. [3] Ib. c. 1001.
[4] Cf. Pius X, Motu proprio «Romanis Pontificibus» d. 17 Dec. 1903.
[5] Cod. iur. can. c. 977. [6] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. II, n. 73.
[7] Cod. iur. can. c. 978, § 3. [8] Ib. § 2.

sunt tres menses. Ab interstitiis potest episcopus dispensare, si id necessitas aut utilitas Ecclesiae exposcat.

d) *Ut ordines conferantur debito tempore*, nempe: α) Prima tonsura conferri potest qualibet die et hora et etiam extra Missam [1]. β) Ordines minores conferri possunt singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen [2]. γ) Ordines maiores conferri possunt inter Missarum sollemnia sex sabbatis, sc. sabbatis Quattuor Temporum, sabbatis ante dominicam Passionis et Resurrectionis. δ) Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum sollemnia die dominico vel natalitio Apostolorum.

Gravi causa interveniente episcopus potest ordines maiores conferre quolibet die dominico aut festo de praecepto, idque non solum suis sed etiam alienis (rite dimissis) subditis.

e) *Ut ordines conferantur debito loco.* Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis [3]. Ordines sacri conferri debent in ecclesia cathedrali vel digniore, si agatur de ordinationibus generalibus [4]. Ex legitima autem consuetudine ordinationes non solum particulares, sed etiam generales fieri possunt in aliquo oratorio.

f) *Ut observentur statuta Pontificalis* [5].

Scholion. Ordinatis subdiaconis et diaconis episcopus imponit Noc- 601
turnum recitandum, quem libere determinare potest. Quodsi sola verba Pontificalis adhibuit, pro Nocturno talis diei intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus festi aut dominicae in Psalterio, prout ordinatio in feria, festo aut dominica habita est. Non autem necessario addere oportet Invitatorium, Hymnum et Lectiones [6].

CAPUT III.

De subiecto ordinis.

Praenotamen. Hic agimus de illis condicionibus, quae ad validam et licitam ordinationem ex parte subiecti requiruntur. Ad *validam* ordinationem requiruntur tria, nempe ut ordinandus: 1. sit masculus; 2. sit baptizatus; 3. habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi ordinem, si est adultus. Per se nihil obstat, ne etiam infantes valide suscipiant ordines, sed talis ordinatio multis incommodis est obnoxia ideoque hodie obsoleta. — Condiciones ad validam ordinationem requisitae non egent speciali explicatione, ideoque non tractamus nisi de qualitatibus, quae requiruntur ad *dignam et licitam* ordinationem. Quae quidem qualitates omnes in duas categorias possunt distribui, nempe: 1. illae qualitates, quae potius ad animam ordinandi spectant et iam *ex iure divino* sunt praescriptae; 2. illae qualitates, quae sunt potius extraneae et *ex iure ecclesiastico* sunt statutae. Inter has qualitates a iure ecclesiastico stabilitas eminet immunitas ab irregularitatibus

---

[1] Cf. Pontificale Rom. P. 1 de clericis faciendis.
[2] Cod. iur. can. c. 1006, § 4. [3] Ib. c. 1009, § 3.
[4] Conc. Trid. sess. 23, c. 8 de reform. [5] Cod. iur. can. c. 1002.
[6] S. R. C. d. 27 Iun. 1899, 10 Iul. 1903.

et impedimentis, de quibus specialiter agendum est. Unde dividimus hoc caput in tres articulos: 1. de qualitatibus requisitis ex iure divino; 2. de qualitatibus requisitis ex iure ecclesiastico; 3. de irregularitatibus et impedimentis.

ARTICULUS I.

De qualitatibus ordinandi requisitis ex iure divino.

Ex iure divino et ex ipsa natura sacramenti ordinis requiruntur in ordinando: 1. vocatio divina; 2. recta intentio; 3. status gratiae et vitae probitas.

602 1. **Vocatio divina**[1] prorsus necessaria est ad ordines suscipiendos.

Ideo dicit S. Paulus de sacerdotio: «Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.»[2] Quapropter apostoli cogitantes aliquem in locum Iudae Iscariotes subrogare sic Deum deprecati sunt: «Tu, Domine, ... ostende, quem elegeris.»[3] Christus dixit apostolis: «Non vos me elegistis, sed ego elegi vos»[4], et alibi: «Qui non intrat per ostium in ovile ovium ... fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.»[5] — Vel ipsa ratio manifeste ostendit necessitatem vocationis divinae. Etenim sacerdos est a) mediator inter Deum et homines[6], b) dispensator mysteriorum Dei[7]. Iam vero nemo potest sibi arrogare mediatoris officium inter duos, nisi vocetur vel saltem admittatur a partibus, quarum interest. Pariter nemo potest licite dispensare res alterius, nisi sit legitime deputatus. — Ex dictis sequitur, ut ad statum clericalem sit necessaria maior et specialior vocatio quam ad statum religiosum. Nam in statu religioso nulla maior potestas confertur, sed tantum praebentur optima media ad exercendas virtutes et ad obtinendam perfectionem christianam.

Signa vocationis clericalis sunt: a) *recta intentio,* qua quis non quaerit otium aut propriam utilitatem temporalem, sed honorem Dei ad salutem spiritualem tam sui quam proximi[8]; b) *aptitudo* ad subeunda munera status clericalis, e. g. scientia et valetudo sufficiens; c) *virtus probata et animi constantia;* hinc omnes docent non sufficere, ut ordinandus post sinceram contritionem sit absolutus a gravibus peccatis commissis, sed etiam ut per diuturnum exercitium virtutum praebuerit moralem certitudinem de constanti vita virtuosa[9]; d) *vocatio a legitimo superiore ecclesiastico;* quare Catechismus Romanus[10] concinne dicit: «Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur.» Ergo ad vocationem sacerdotalem minime requiritur specialis quaedam *interna attractio.* — Notandae sunt tres propositiones iussu Pii X

---

[1] Vocatio divina recte definitur: dispositio divinae providentiae, qua, pro suo beneplacito, quosdam homines seligit et segregat ad opus ministerii sui ipsisque qualitates et gratias ad id necessarias elargitur. Ita *Abelly,* Sacerdos christ. p. 9.

[2] Hebr 5, 4. [3] Act 1, 24.

[4] Io 15, 16. [5] Io 10, 1.

[6] Cf. *S. Thom.,* S. theol. 3, q. 22, a. 1.

[7] Cf. 1 Cor 4, 1.

[8] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 802.

[9] Cf. Conc. Trid. sess. 23, c. 14. [10] P. 2, c. 7, q. 3.

a speciali commissione Cardinalium approbatae et promulgatae: 1. «Neminem habere umquam ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi [1]. 2. Condicionem, quae ex parte ordinandi debet attendi, et quae *vocatio sacerdotalis* appellatur, nequaquam consistere (saltem necessario et de lege ordinaria) in interna quadam adspiratione subiecti, seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum. 3. Sed econtra nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab episcopo, requiri, quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, quae spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat.» [2]

603 2. **Recta intentio** item necessaria est in ordinando, cum sit gravis deordinatio intendere res sanctissimas (quales sunt ordines) tamquam instrumenta ad obtinendas res viles, quales sunt omnes res terrestres.

Debet igitur ordinandus intendere prae ceteris gloriam Dei aliaque bona spiritualia. Sin autem tamquam finem *principalem* intendit otium, bona temporalia, honores etc., peccat graviter; unde merito dicit Caietanus [3]: «Si laicus ordinaret clericatum ad bona temporalia ut ad finem clericatus, procul dubio peccaret mortaliter.» Nihil autem obstat, ne ordinandus primario intendens bona spiritualia secundario quaerat bona temporalia, saltem quantum ad vitam honeste et convenienter sustentandam necessaria sunt: «Qui [enim] altari deserviunt, cum altari participant.» [4]

3. **Status gratiae et vitae probitas** sub gravi exiguntur in ordinando.

604 Sacramentum enim ordinis est sacramentum vivorum ac proinde supponit in suscipiente gratiae statum, qui insuper est necessarius, quia ordinandi debent eucharistiam sumere die ordinationis suae. De probitate vitae monet Concilium Tridentinum: «Sciant episcopi non singulos . . . debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit» [5], et de promovendis ad presbyteratum inculcatur: «Ita pietate ac castis moribus [sint] conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab iis possint exspectari.» [6]

Praeter statum gratiae et probitatem vitae insuper requiritur, ut ordinandi receperint sacramentum *confirmationis;* statuit enim Concilium Tridentinum [7]: «Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.» Ratio huius statuti facile patet; etenim sacramentum confirmationis valde inservit ad constantiam in exercitio virtutum obtinendam.

---

[1] Attamen inde minime sequitur, episcopum posse pro libitu arcere idoneum ab ordinibus suscipiendis, cum Cod. iur. can. c. 971 statuat: «Nefas est quemquam . . . canonice idoneum [a statu clericali] avertere.»

[2] Acta Ap. Sedis IV (1912) 485. — De vocatione sacerdotali optime scripsit *Lahitton*, La vocation sacerdotale [2], Paris 1913, cuius opus vocatur a Card. Merry del Val «une étude magistrale» (Acta Ap. Sedis V [1913] 290).

[3] Comm. in 2, 2, q. 185, a. 1.

[4] 1 Cor 9, 13.

[5] Sess. 23, c. 12 de reform.

[6] Ib. c. 14.

[7] Ib. c. 4. Idem statuit Cod. iur. can. c. 974, § 1, n. 1.

ARTICULUS II.

De qualitatibus ordinandi requisitis ex iure ecclesiastico.

Ex iure ecclesiastico requiritur: 1. ut ordinandus sit immunis a censuris et irregularitatibus [1]; 2. ut habeat litteras testimoniales et aliquando dimissoriales [2]; 3. ut habeat aetatem legitimam, 4. ut habeat sufficientem scientiam; 5. ut habeat titulum ordinationis, si suscipit sacros ordines; 6. ut ordinem susceptum iam exercuerit.

605 **Aetas legitima** ea est, quam determinant Concilium Tridentinum [3] et Pontificale.

1. Pro *prima tonsura* et pro *ordinibus minoribus* nulla determinata aetas requiritur in iure, attamen cum exigatur cursus theologicus incoeptus [4], isti ordines in praxi ordinarie nequeunt conferri ante annum duodevicesimum aetatis.

2. Pro *subdiaconatu* requiritur annus vicesimus primus completus.

3. Pro *diaconatu* requiritur annus vicesimus secundus completus.

4. Pro *presbyteratu* requiritur annus vicesimus quartus completus [5].

5. Pro *episcopatu* requiritur trigesimus annus *completus* [6].

Nota. Nonnulli episcopi habent speciales facultates dispensandi a defectu aetatis ad sacerdotium suscipiendum.

606 **Sufficiens scientia** in ordinando debet probari per examen vel ab ipso episcopo vel ab eius delegato institutum [7].

Episcopus potest examinare non solum proprios subditos ordinandos, sed etiam regulares exemptos iam a proprio praelato examinatos [8]. — Quaenam scientia requiratur pro singulis ordinibus, hoc modo statutum est?

a) Pro *prima tonsura* requiritur, ut tonsurandus inceperit cursum theologicum.

b) Pro *minoribus ordinibus* videtur requiri eadem scientia ac pro prima tonsura.

c) Pro *subdiaconatu* requiritur finis tertii anni cursus theologici; initium autem quarti anni pro *diaconatu* [9].

d) Pro *presbyteratu* requiritur, ut ordinandus perfecerit medietatem quarti anni cursus theologici, et ut sciat non solum ea, quae pertinent ad celebrationem Missae, sed etiam ea, quae ad populum docendum ac ad ministranda sacramenta necessaria sunt. Hinc omnis ordinandus ad presbyteratum debet cognoscere, quomodo in articulo mortis possit et debeat administrare sacramenta [10].

607 **Titulus ordinationis** secundum primaevam notionem significat incardinationem clerici inter clerum alicuius tituli sive certae ecclesiae, cui clericus intitulatus sacrum ministerium impendit, et quae vicissim

---

[1] De irregularitatibus sermo erit in articulo sequente; de censuris vero cf. supra n. 475 sqq. specialem tractatum. [2] De his iam supra n. 598 dictum est.
[3] Sess. 23, c. 12 de reform. [4] Cod. iur. can. c. 976.
[5] Ib. c. 975.
[6] c. 7, X 1, 6; Conc. Trid. sess. 7, c. 1 de reform.; Cod. iur. can. c. 331, § 1, n. 2.
[7] Conc. Trid. sess. 23, c. 7 de reform. [8] Cod. iur. can. c. 997.
[9] Ib. c. 976, § 2. [10] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 791.

ex suis reditibus clerico sustentationem concedit [1]. Secundum vigentem disciplinam titulus (sustentationis) est *cautio legitima de sufficienti et perpetua sustentatione clerici maioristae.* Cum enim clericus maiorista totus deditus ministerio divino nequeat curare sustentationem suam corporalem, valde congruum est, ut habeat inde ab initio suae ordinationis certam cautionem de convenienti victu.

Ex *iure communi* hodie exsistunt sequentes tituli ordinationis [2]:

1. Titulus *beneficii,* qui consistit in eo, ut promovendus ad subdiaconatum possideat pacifice beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad honestam sustentationem perpetuo sufficit. Iste titulus est proprius et ordinarius, sed hodie ob mutatas Ecclesiae condiciones satis rarus est. Propterea usuveniunt tres alii tituli *subsidiarii* sequentes:

2. Titulus *patrimonii* consistens in eo, quod promovendus ad subdiaconatum possidet certa bona propria, ex quorum reditibus congruam sustentationem percipere valet. Quantitas huius patrimonii determinatur ab Ordinario loci.

3. Titulus *pensionis* est census quidam (sive ecclesiasticus sive civilis) praebens certam, perpetuam, sufficientem sustentationem.

4. Titulus *paupertatis* (seu religiosae professionis) est ius concessum sollemniter professis habendi sufficientem sustentationem ex bonis monasterii [3].

Praeter istos quattuor titulos admissos nunc exsistunt complures alii, e. g. titulus missionis, titulus mensae episcopalis, titulus servitii dioecesani, titulus mensae communis pro religiosis votorum simplicium perpetuorum etc., de quibus omnibus videnda sunt legitima statuta particularia [4].

Ordinis suscepti exercitium praescribitur a Concilio Tridentino [5]. Sed 608
complures auctores putant hoc statutum non obligare sub gravi, cum verba Concilii sint potius exhortativa quam praeceptiva: «in unoquoque iuxta praescriptum episcopi se exerceant.» [6] Ceterum sive ex privilegio sive ex speciali dispensatione ordines sacri nonnumquam conferuntur tribus diebus continuo successivis. Tunc autem exercitium ordinis prius suscepti est fere impossibile.

ARTICULUS III.

De irregularitatibus et impedimentis.

Agemus 1. de irregularitatibus in genere, et deinde de irregularitatibus in specie, nempe 2. de irregularitatibus ex defectu, 3. de irregularitatibus ex delicto.

§ 1.

De irregularitatibus in genere.

Notio. *Irregularitas est impedimentum ex iure ecclesiastico* 609
institutum, quod prohibet primario ordinis susceptionem, et secundario exercitium ordinum susceptorum.

Explicatur. Dicitur a): *impedimentum* seu quaedam inhabilitas (non autem censura aut poena), quia irregularitas non semper culpam supponit, sed prin-

[1] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. II, n. 90. [2] Cod. iur. can. c. 979.
[3] Ib. c. 982. [4] Ib. c. 981 sq. [5] Sess. 23, c. 11 et 13 de reform.
[6] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 801.

cipaliter introducta est, ne quis indignus statum clericalem intret aut sacrum ministerium exerceat. Dicitur b): *ex iure ecclesiastico* institutum, unde tamquam axioma habetur: *nulla irregularitas incurritur, nisi in Codice iuris canonici sit expressa,* ac proinde non exsistit irregularitas ab homine [1]. Ille igitur, qui ex iure *divino* arcetur ab ordine suscipiendo aut exercendo, e. g. femina, vel qui caret vocatione divina, non est proprie irregularis, sed ineptus. Dicitur c): quod *prohibet* etc., quibus verbis significatur *effectus* irregularitatis, qui nempe est prohibere (non irritare) ordinum susceptionem et exsecutionem. Sub nomine ordinis hic intelligitur etiam *prima tonsura,* quae fere frustra daretur, si prohiberetur susceptio ordinum. — Irregularitas prohibet quidem *collationem et receptionem* beneficii, cui annexum est officium, quod irregularis exercere vetatur, sed minime impedit, ne irregularis *retineat* beneficium iam acceptum neve exerceat *iurisdictionem* iam possessam. Attamen irregularis nequit licite exercere potestatem ordinis sacri (extra casum necessitatis).

610 **Divisio.** 1. Distinguitur irregularitas *ex defectu* et *ex delicto* [2]. Prima oritur ex defectu innoxio; altera inducitur ex delicto personali, mortali, externo, opere consummato, quod est commissum post baptismum.

2. Irregularitas *totalis* et *partialis,* prout impedit susceptionem vel exsecutionem omnis ordinis, vel tantum a) ascensum ad ordinem superiorem aut b) partialem exsecutionem ordinis. Sic e. g. sacerdos carens pollice est irregularis quantum ad celebrationem Missae, minime vero quantum ad audiendas confessiones.

Sunt adhuc aliae divisiones, ut irregularitas antecedens et consequens etc., quae facile ex ipsis terminis intelliguntur.

611 **Condiciones ad incurrendam irregularitatem requisitae.** Irregularitas non adest, nisi:

1. sit *certa,* i. e. factum inducens irregularitatem debet certe exsistere.

Hinc irregularitas dubia est irregularitas nulla. Ratio est, quia irregularitas, utpote aliquid odiosi, est strictae interpretationis, atque non praesumi sed probari debet.

2. *actio,* qua contrahitur irregularitas *ex delicto,* sit peccatum personale, mortale, externum, opere consummatum, post baptismum commissum [3].

Sed sufficit peccatum *occultum.* (Irregularitas autem *ex defectu* potest incurri sine ulla culpa.) Ergo omnia illa, quae excusant actionem, ne sit mortale peccatum (e. g. parvitas materiae, defectus advertentiae, bona fides etc.), excusant quoque ab irregularitate.

Ab irregularitate sive ex delicto sive ex defectu contrahenda nulla ignorantia excusat [4]. Ita iuxta vigentem disciplinam et contra doctrinam veterem.

612 **Cessatio.** Irregularitas contracta potest cessare: 1. per cessationem causae totalis; 2. per baptismum; 3. per professionem sollemnem; 4. per dispensationem.

---

[1] c. 18, 5, 11 in VI°. [2] Cf. c. 14, X. 5, 34.

[3] Cod. iur. can. c. 986. Unum delictum inducit irregularitatem, quamvis sit commissum ante vel in baptismo, sc. si adultus baptismum sibi conferri sinit ab acatholicis. Cf. infra n. 620 (2). [4] Cod. iur. can. c. 988.

1. Per *cessationem causae totalis* cessat irregularitas *ex defectu* (non autem ex delicto). Itaque irregularitas ex defectu corporis cessat per operationem chirurgicam, quae tollit infirmitatem etc.

2. Per *baptismum*, qui omnia peccata delet, impeditur ne oriatur irregularitas *ex delicto* ante baptismum patrato. Sic e. g. paganus, qui homicidium patravit, baptismo suscepto non est irregularis ex delicto, quippe quod quoad omnes effectus deletum sit per baptismum; econtra idem paganus, qui fuit bigamus, adhuc laborat irregularitate *ex defectu* post baptismum susceptum.

3. Per *professionem sollemnem* religiosam ipso iure cessat sola irregularitas ex defectu *natalium*, sed solummodo ad suscipiendos *ordines*, non autem ad dignitates et praelaturas [1]. Nonnulla instituta religiosa hac in re habent specialia privilegia [2].

4. Per *dispensationem legitimam* quaelibet irregularitas auferri potest, quippe quae sit solius iuris ecclesiastici. Ad obtinendam hanc dispensationem debent sincere manifestari tam facta, ex quibus irregularitas (sive irregularitates) orta est, quam causa, ob quam dispensatio petitur. Determinata forma, in qua dispensatio danda est, a iure non praescribitur. Hinc si dispensatio datur in confessionali, confessarius uti potest post absolutionem a peccatis his similibusve verbis: Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter talem causam, e. g. abortum. Dispensans ab irregularitate ex delicto debet dispensato imponere salutarem poenitentiam [3].

Quis dispensare possit. a) *Summus Pontifex* in omnibus omnino irregu- 613
laritatibus dispensare potest, et quidem iuxta vigentem disciplinam per S. Congregationem de Sacramentis, si agitur de irregularitatibus publicis; per S. Poenitentiariam vero, si agitur de dispensatione in foro interno pro irregularitatibus occultis. Clerici autem religiosi debent a S. Congregatione de Religiosis petere dispensationes super irregularitates publicas.

b) Ordinarii possunt dispensare cum suis subditis: α) in omnibus irregularitatibus *dubiis* (dubio sive iuris sive facti) [4]; β) in omnibus irregularitatibus *ex delicto occulto* provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et procuratione abortus aliave deducta ad forum iudiciale [5]. Quomodo irregularitas orta ex procuratione abortus dispensari possit, dictum est supra II, 145.

c) *Superiores maiores* in religionibus clericalibus exemptis possunt dispensare cum suis subditis sicut episcopi ex iure communi [6]. Sunt enim Ordinarii. Nonnullis institutis religiosis specialia privilegia hac in re concessa sunt.

d) *Confessarii regulares* possunt dispensare omnes poenitentes super irregularitatibus, a quibus episcopi *ex iure communi* suos subditos dispensare possunt [7]. Ita ex privilegio, quod non videtur esse abolitum per Codicem iur. can.

---

[1] c. 18, X 1, 17.
[2] Cf. Gregor. XIII Const. «Ascendente» d. 25 Maii 1584 pro Societate Iesu.
[3] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 6 de reform.
[4] Cod. iur. can. c. 15; cf. *Gasparri*, De s. ordinat. n. 230.
[5] Conc. Trid. sess. 24, c. 6 de reform.; Cod. iur. can. c. 990, § 1.
[6] Cf. S. Pius V d. 21 Iulii 1571.
[7] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 7, n. 355; *Gasparri* l. c. n. 229.

e) *Confessarii* ex iure communi nequeunt dispensare in irregularitatibus, attamen in casibus occultis urgentioribus, quando Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae, possunt dispensare, sicut Ordinarii, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat [1].

Nota. *Impedimenta* ordinationis (de quibus infra n. 622) cessant aut per dispensationem S. Sedis aut per modum in unoquoque impedimento determinatum.

§ 2.

De irregularitatibus ex defectu.

Praenotamen. Quid sint irregularitates ex defectu, supra n. 610 dictum est. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam exsistunt septem irregularitates ex defectu [2].

614 1. **Defectus natalium** iam a saeculis constituit irregularitatem, quia a) filii illegitimi opprobrium portantes parentum non sunt satis digni ad excellentiam status clericalis; b) non raro imitantur incontinentiam parentum [3]. — Iuxta vigentem disciplinam ex defectu natalium irregulares sunt, *qui extra verum aut saltem putativum matrimonium nati sunt* [4].

Illegitimi ac proinde irregulares non sunt:

a) filii expositi; attamen ad cautelam solet dari dispensatio, si eorum parentes sunt prorsus ignoti;

b) filii dubie illegitimi;

c) filii nati durante matrimonio legitimo *ex adulterio*, dummodo tamen istud adulterium et illegitima origo filii ne sint iuridice probata. Valet enim adagium: Pater est, quem nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur [5].

Cessatio huius irregularitatis obtinetur:

a) per *legitimam dispensationem* (ecclesiasticam). Quinam dispensare valeant in hac irregularitate, iam supra dictum est.

b) per *legitimationem* ope subsequentis matrimonii. Hoc modo non tollitur irregularitas nisi pro filiis *naturalibus* (i. e. parentum, qui habiles exstiterunt ad matrimonium contrahendum tempore vel conceptionis vel praegnationis vel nativitatis) [6].

c) per *professionem sollemnem religiosam* [7]. Non autem per professionem simplicem, neque per susceptionem habitus religiosi, nisi adsit privilegium speciale [8].

---

[1] Cod. iur. can. c. 990, § 2. [2] Ib. c. 984.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 25, c. 15 de reform.

[4] Econtra «legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti» (Cod. iur. can. c. 1114). Quid sit matrimonium putativum, dicetur infra n. 640.

[5] Cod. iur. can. c. 1115, § 1. [6] Ib. c. 1116.

[7] Ib.; cf. infra in tractatu de matrimonio n. 893.

[8] Cf. *Gasparri*, De ordinatione I 247.

2. **Defectus animi** est defectus usus rationis proveniens ex *habituali* causa. Tali defectu laborant, qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt [1]. Quodsi post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere. 615

3. **Defectus corporis** est vitium coporale, propter quod ordines aut non secure propter debilitatem aut non decenter propter deformitatem exerceri possunt. 616

Ex defectu corporis irregulares sunt:

a) *mutilati,* e. g. carentes pede, manu, pollice, indice, vel qui non valent hostiam decenter frangere cum pollice et indice.

b) *vitiati aut ita debilitati,* ut nequeant decenter peragere officia cum ordinibus connexa, e. g. caeci (vel ita caecutientes, ut in Missali legere nequeant); surdi, qui nihil audiunt; muti aut ita balbutientes, ut verba integra nequeant pronuntiare; claudi, qui sine baculo ad altare se sistere nequeunt; paralytici, qui vasa sacra tenere aut caeremonias praescriptas peragere nequeunt.

c) *deformes,* qui tali vitio externo *facile perceptibili* laborant, ut aliis excitent horrorem aut risum, e. g. quibus abscisae sunt nares, qui sunt veri pygmaei [2] vel econtra gigantes [3], qui sunt notabiliter gibbosi.

Nota. Ad episcopum spectat iudicare, num in casu particulari defectus corporis sit tantus, ut causet irregularitatem. Quod quidem iudicium severius sit oportet *ante* ordinationem quam *postea*. Durum est enim ex infortunio amittere exercitium ordinis rite suscepti [4].

4. **Defectus bigamiae** (qui etiam defectus sacramenti vocatur) est bigamia vera, quando sc. vir plures succesive uxores ducit. 617

Iam S. Paulus statuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi sint *unius* uxoris viri [5]. Matrimonium enim significat coniunctionem unius Christi cum una Ecclesia. Ergo matrimonium, quod vir contrahit (successive) cum duabus feminis, imperfecte significat hanc coniunctionem et aliquam maculam in viro causat. Hinc orta est irregularitas sacramenti seu bigamiae.

5. **Defectus famae** oritur ex sola infamia iuris. Infamia in genere est bonae famae carentia vel notabilis diminutio. Quam necessaria sit bona fama omnibus clericis, per se patet. Unde S. Paulus dicit de episcopo: «Oportet illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli.» [6] 618

Infamia *iuris* oritur in illis solis casibus, qui iure communi statuuntur [7].

Infamia *facti* oritur (ante sententiam iudicis condemnatoriam) ex commissione alicuius criminis enormis et *notorii,* e. g. ex notoria commissione adulterii, periurii, sodomiae et generatim omnium criminum, quae a legibus civilibus puniuntur poena graviter infamante, e. g. ergastuli.

---

[1] c. 1, X 1, 17; cf. Cod. iur. can. c. 984, n. 3.
[2] *Zwerge, nains.* [3] *Riesen, géants.* [4] Cod. iur. can. c. 984, n. 2.
[5] Cf. 1 Tim 3, 2 12; Tit 1, 6. [6] 1 Tim 3, 7.
[7] Cf. Cod. iur. can. cc. 2314 2320 2328 2343 2351 2357 2359.

Infamia iam minime incurritur ex eo, quod aliquis aut eius parentes exercent artem vilem, e. g. lanionis, carnificis, histrionis. Per se autem patet, illum, qui huiusmodi artem exercet, debere eam relinquere, si vult fieri clericus.

Infamia facti non est irregularitas proprie dicta, sed illi, qui infamia facti laborant, sunt simpliciter impediti ab ordinibus, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat[1]. Haec infamia facti praesertim cessat per transmigrationem in locum, ubi factum probrosum prorsus ignoratur.

619 6. et 7. **Defectus lenitatis** est duplex, sc.: a) in iudice, qui mortis sententiam tulit[2]. Sub nomine iudicis videntur venire iudices quoque iurati[3]. b) in iis, qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae.

§ 3.

De irregularitatibus ex delicto.

Praenotamen. Quod S. Paulus dicit de episcopo: «Oportet episcopum sine crimine esse»[4], idem valet de omnibus clericis aut etiam iis, qui volunt amplecti statum clericalem. Quare iure merito arcentur criminosi ab ordinibus suscipiendis et exercendis. Itaque Ecclesia statuit nonnullas irregularitates, quae oriuntur ex septem criminibus.

620 Sunt enim irregulares ex delicto:

1. apostatae a fide, haeretici, schismatici.

2. qui, excepto casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt. Limitata est igitur irregularitas ex abusu baptismi.

3. qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet ligati vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus et temporariis, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta. Ista irregularitas nihil aliud est nisi extensio illius, quae ab antiquis auctoribus appellata est *bigamia similitudinaria*. De aliis poenis contra bigamos attentantes alterum matrimonium, stante priore matrimonio, et contra clericos et religiosos matrimonium attentantes vide supra in tractatu de poenis ecclesiasticis n. 515.

621 4. qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes.

5. qui se ipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt.

Ad recte intelligendas has duas irregularitates oportet prae oculis habere, quod nullum delictum causat irregularitatem, nisi sit grave et externum peccatum. Proinde has irregularitates non incurrit, qui alium occidit aut mutilat vel cum moderamine inculpatae tutelae, vel ex ignorantia, vel casualiter praeter intentionem et gravem culpam. Pariter hae irregularitates non incurruntur, si mors alterius hominis reapse non est secuta. Hinc ille, qui

---

[1] Ib. c. 987, n. 7. [2] *S. Thom.*, S. theol. 2, 2, q. 64, a. 7 ad 3.
[3] *Geschworener, le juré.* [4] Tit. 1, 7.

propinat venenum ad occidendum hominem, peccat quidem statim, sed non incurrit irregularitatem, si venenum non causat mortem; pariter qui propinat pharmacum ad abortum procurandum, peccat graviter, sed non est irregularis, nisi abortus revera secutus est. Si quis autem sibi ipsi vitam adimere tentat, statim est irregularis, quamvis non sequatur suicidium.

Ut mutilatio inducat irregularitatem, requiritur, ut sit graviter illicita abscisio seu separatio alicuius membri a corpore, e. g. abscisio manus, pedis, membri genitalis, non autem unius digiti, auriculae etc.

6. clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, 622
si exinde mors sequatur.

Videtur esse necessarium, ut ex clerici actione graviter peccaminosa ad medicinam pertinente mors sequatur.

7. qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti.

Iuxta vigentem praxim permittitur (sub certis limitationibus), ut simplex clericus peragat officium subdiaconi in Missa sollemni.

Scholion I. *De impedimentis ordinationis.* In novo Codice iur. can. c. 987. 623
assignantur praeter irregularitates ex defectu et ex delicto impedimenta temporanea ordinationis. Quae quidem impedimenta enumerantur septem. Simpliciter enim impediti declarantur:

1. «filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent.» Limitata est igitur vetus disciplina, quae non solum tales filios sed etiam nepotes in linea paterna irregulares declaravit. Si parentes acatholici mortui sunt, filii eorum videntur licite ordinari posse, cum infamia iuris antiquitus istis filiis inflicta iam non transferatur ad consanguineos et affines [1].

2. «viri uxorem habentes.» «Quamvis igitur uxor licentiam concedat et continentiam voveat, tamen maritus nequit ordines recipere sine praevia licentia S. Sedis.

3. «qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint.»

4. «servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem.»

5. «qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint.» Omnes, qui sub his ultimis quattuor numeris indicantur, laborant *defectu libertatis*, qui in antiquo iure considerabatur irregularitas.

6. «neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint.« Antiqui auctores hoc vocabant *defectum fidei confirmatae.*

7. «qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat.»

Scholion II. De adnotatione ac testimonio peractae ordinationis. 624
Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta (e. g. litterae dimissoriales, testimoniales etc.) accurate serventur [2].

---

[1] Cod. iur. can. c. 2293, § 4. [2] Ib. c. 1010, § 1.

Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae testimonium. Isti ordinati, si ab episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando.

Praeterea loci Ordinarius pro clericis saecularibus et Superior maior religiosus pro suis religiosis ordinatis notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro [1].

TRACTATUS X.

De matrimonio.

625 ## Praenotamen.

a) Utilitas et necessitas huius tractatus, qui sub diversis respectibus a diversis disciplinis attingitur.

Cum familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat [2], ex matrimoniis rite initis et sancte conservatis salus totius societatis dependet. Hinc omnium saeculorum et regionum historia semper comprobavit, populos, sanctitate matrimonii violata, in praecipitium immoralitatis, irreligiositatis, miseriae socialis corruisse. Unde Leo XIII initio fere sui pontificatus volens felicitati populi christiani consulere celebrem Encyclicam «Arcanum» de matrimonio misit ad omnes totius orbis episcopos. Merito scribit ille: «Haec de matrimonio christiano documenta ac praecepta, quae per has litteras nostras vobiscum, venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis non minus ad conservationem civilis communitatis quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. Faxit igitur Deus, ut, quanto plus habent illa momenti et ponderis, tanto dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscantur.» — Si autem tantae utilitatis necessitatisque sit, ut vera documenta ac praecepta de matrimonio observentur a populis, prius haec praecepta debent clare cognosci ac doceri. Iamvero docendi munus pertinet ad episcopos eorumque coadiutores sacerdotes, qui proinde apprime cognoscere tenentur omnia, quae ad matrimonium christianum attingunt. Sane quilibet sacerdos, sive sit parochus sive sit confessarius (adultorum laicorum), tenetur sub gravi cognoscere leges de matrimonio a Deo et Ecclesia latas; atque quo melius cognoscit hasce leges et quo efficacius prudentiusque eas observandas procurat, eo ampliores fructus in vinea Domini reportabit.

Quibus omnibus luculenter apparet tractatum de matrimonio esse perquam utilem et necessarium omnibus fere sacerdotibus. Qui quidem tractatus semper visus est satis difficilis, ita ut iam S. Augustinus [3] scripserit: «Quaestionem de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes sinus eius vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse, vel iam posse, si urgear explicare.» Tamen haec difficultas minime deterrere debet, idque eo vel magis, quod illa hodiernis temporibus est multum diminuta propter Ecclesiae claras leges et virorum doctorum ex-

[1] Cod. iur. can. c. 1010 et 1011.

[2] Cf. *Leo XIII* Const. «Arcanum» d. 10 Febr. 1880.

[3] De coniug. adult. l. 1, c. 25, n. 32 (*Migne*, Patr. lat. 40, 469).

planationes abundantes. Quae quidem difficultas potissimum videtur provenire ex multiplici conspectu, sub quo matrimonium considerari potest. Etenim matrimonium, prout est contractus mere naturalis, consideratur solo lumine rationis in *Ethica* naturali; prout vero pertinet ad dogma fidei, in *Theologia dogmatica;* prout eius causae iudicantur in foro ecclesiastico, consideratur in *Iure canonico;* prout vero inducit obligationes temporales, e. g. de educatione naturali filiorum, de communione bonorum inter coniuges stabilienda etc., pertinet ad *Ius civile*. Theologia autem moralis deberet quidem ex Ethica praesupponere principia naturalia, ex Dogmatica principia revelata, ex Iure canonico leges ecclesiasticas latas, ex Iure civili leges iustas, et tantum tractare de specialibus obligationibus moralibus coniugum; attamen nostris temporibus mos fere universalis invaluit, ut Manualia Theologiae moralis tractent de matrimonio ita, ut tradant totam doctrinam, cuius cognitio necessaria est sacerdoti curam animarum gerenti. Ratio huius methodi (sane non omnino scientificae) est utilitas practica. Manuale enim Theologiae moralis hodie consideratur ut fidus dux et quasi «Vademecum», quod quemlibet sacerdotem comitatur in omnibus fere quaestionibus in praxi sacerdotali occurrentibus. Hinc etiam quaestiones iuristicae, e. g. de impedimentis matrimonii, solent eadem fere amplitudine tractari in Theologia morali ac in Iure canonico.

b) Principaliores auctores, qui de matrimonio scripserunt. 626

Quoniam tractatus de matrimonio est tantae utilitatis necessitatisque, nil mirum est, quod omnibus temporibus excellentiores quique auctores de hac re scripserunt aut locuti sunt. Ipse Christus primum miraculum fecit in nuptiis Canae, matrimonium erexit ad sacramentum Novae Legis, complura statuta de obligationibus coniugum in Evangelio tulit [1]. Pariter s. apostolus Paulus saluberrima praecepta de matrimonio edidit [2]. SS. Patres scriptoresque antiqui christiani multoties habent sermonem de matrimonio. Non vacat omnes enumerare hic. Inter principaliores habentur: S. Ignatius Antiochenus [3], Hermas [4], Athenagoras [5], Clemens Alexandrinus [6], Tertullianus [7], Augustinus [8]. — Post tempora vero patristica usque ad Gratiani Decretum non ita multi tractatus de matrimonio habentur. Inter auctores istius epochae nominandi sunt Rabanus Maurus [9], Ivo Carnutensis [10]. Gratianus vero fuit primus, qui non tantum canones Conciliorum de matrimonio collegit, verum etiam quasi scientificum tractatum de matrimonio confecit in suis «dictis» et animadversionibus. Viam sic apertam per Gratianum complures alii ambulaverunt, e. g. Magister Rolandus [11] (postea Alexander III), Bernardus Papiensis [12], Tancredus [13], Petrus Lombardus [14]. Saeculo autem XIII, quo non tantum

[1] Cf. Mt 5, 31 sq; Mc 10, 11; Lc 16, 18. [2] 1 Cor 7, 12 sqq.
[3] Ep. ad Polyc. c. 5 (*Migne*, Patr. graec. 1, 723).
[4] Pastor, mand. 4, 1 (*Migne* l. c. 2, 918).
[5] Legatio pro christ. c. 33 (*Migne* l. c. 6, 9666).
[6] Strom. l. 2, c. 23 (*Migne* l. c. 8, 1086).
[7] Pluribus in locis, e. g. De monogamia (*Migne*, Patr. lat. 2, 92).
[8] In compluribus libris, e. g. De bono coniugali (*Migne* l. c. 40, 372).
[9] Tract. de consang. nuptiis (*Migne* l. c. 110, 1085).
[10] Decretum P. 8; Panormia P. 6 (*Migne* l. c. 161, 583 et 1243).
[11] Summa Magistri Rolandi, ed. *Thaner*, et Die Sentenzen Rolands, ed. *Gietl*.
[12] Summa de matrim., apud *Laspeyres*.
[13] Summa de matrim., ed. *Wunderlich*. [14] Sent. lib. IV.

scientiae theologicae et philosophicae, sed etiam scientia Iuris canonici maxime floruerunt, complures celeberrimi auctores de matrimonio scripserunt. Ante omnes nominandus est S. Raymundus de Pennaforte ex Ordine Praedicatorum, qui iussu Gregorii IX totum Ius canonicum in Decretalibus collegit ac digessit. In quarto libro Decretalium habetur completum ius matrimoniale, quod postea innumeris fere commentariis est explicatum. Ipse S. Raymundus de iure matrimoniali specialiter pro confessariis tractavit in sua Summa [1]. Post Petrum Lombardum et S. Raymundum omnes fere magni theologi et canonistae de matrimonio scripserunt, e. g. S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Ioannes Andreae etc. — Cum Concilium Tridentinum tum etiam Codex iur. can. magnas mutationes introduxit in iure matrimoniali, e. g. circa matrimonia clandestina, circa impedimenta naturalis, spiritualis, legalis cognationis, publicae honestatis, affinitatis etc. Inter auctores, qui post Concilium Tridentinum de matrimonio scripserunt, eminet Thomas Sanchez, ab aliis magnis laudibus elatus, ab aliis vehementer vituperatus, quasi nimis inverecunde de quibusdam rebus matrimonialibus locutus sit. — Nostris temporibus modo excellenti scripserunt de matrimonio: Feije [2], Gasparri [3], van de Burgt-Schaepman [4], Wernz [5], Leitner [6], Vlaming [7], Vogt [8], De Smet [9] aliique. — Quoniam in causis matrimonialibus nonnullae quaestiones incidant, quae potius a peritis in arte medica solvendae sunt, etiam sub hoc respectu complures auctores de matrimonio tractaverunt, e. g. Eschbach [10], Capellmann [11], Surbled [12], Antonelli [13], quidam alii. — Iura civilia diversarum regionum de matrimonio vigentia consideraverunt in ordine ad Theologiam moralem etiam complures scriptores, e. g. in Anglia: Stewart [14]; in America Septentrionali: Bishop [15]; in Germania: Vogt in opere iam cit.; in Austria: Rittner [16]; in Italia: Ceraolo-Pisani [17]; in Hispania: Abella [18].

c) Divisio tractatus.

Cum matrimonium sub multiplici respectu considerari possit (ut supra dictum est), nil mirum est, quod diversae divisiones a diversis auctoribus in hoc tractatu adhibentur, prout unam alteramve considerationem praeferunt. Consulere autem volentes et scientificae methodo et utilitati practicae, de matrimonio tractabimus sub respectu a) theologico (c. 1—5); b) canonistico (c. 6—8). In fine dissertatio de matrimonio civili subiungetur. Quare totus tractatus continet sequentia capita:

---

[1] Summa S. Raymundi, de poenit. et matrim. cum commentariis *Ioannis de Friburgo* O. Pr., Romae 1603.

[2] De imped. et dispens. matrim.[4], Lovanii 1893.

[3] Tract. de matrim. Novam editionem procuravit *Schaepman*.

[4] Tractatus canonicus de matrim., Ultraiecti 1908.

[5] Ius Decretal. t IV, Romae 1904. Secundam editionem procuravit *Laurentius* 1910.

[6] Lehrb. d. kirchl. Eherechtes. [7] Prael. de iure matrim. 1921 (ed. altera).

[8] Das kirchl. Eherecht[3], 1910.

[9] De sponsal. et matrim., Brugis 1921 (ed. tertia).

[10] Disputationes physiologico-theologicae[2], 1901.

[11] Pastoralmedizin, nova ed. *Bergmann*, 1922. Est opus excellens.

[12] La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène[10], Paris 1905.

[13] Medicina pastoralis in usum confessariorum[2], Romae 1906.

[14] The Law of Marriage. [15] New Commentaries on Marriage.

[16] Österreich. Eherecht. [17] Del matrim. [18] Manual del matrim. civil y can.

1. De matrimonii natura et divisione.
2. De matrimonio, prout est sacramentum.
3. De matrimonii proprietatibus.
4. De matrimonii bonis.
5. De matrimonii obligationibus.
6. De matrimonii praeparatione, scil. de sponsalibus, examine sponsorum, bannis.
7. De matrimonii celebratione.
8. De matrimonii impedimentis, et quidem a) impedientibus; b) dirimentibus; c) de dispensatione impedimentorum.
9. De matrimonio civili.

CAPUT I.

De matrimonii natura et divisione.

Istud caput dividitur in tres articulos: 1. de natura matrimonii; 2. de intima indole contractus matrimonialis; 3. de divisione matrimonii.

ARTICULUS I.

De natura matrimonii.

Definitio nominalis. Veteres auctores derivant nomen matrimonii a 627
matre et munio, quasi matrimonium sit idem ac matris munium; quoniam mulier matrimonium init, ut mater fiat. Iam vero matrimonium a matre, non autem a patre sortitum est nomen, quia finis principalis matrimonii est proles, cuius generatio matri tanta munia imponit; unde pulchre dicitur: «Matri infans est ante partum onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus.»[1] Alias adhuc explicationes huius nominis dat S. Thomas[2]. — Praeter nomen matrimonii etiam alia verba adhibentur ad eandem rem significandam, scil.:

a) *Coniugium,* quia duo coniuges quasi sub uno iugo adstringuntur[3].

b) *Consortium,* quia duo coniuges habent communem sortem et condicionem[4].

c) *Nuptiae* sive *connubium,* quia iuxta veterem ritum (qui apud quosdam populos ad hunc diem observatur) sponsae matrimonium ineuntes pudoris et subiectionis causa velo sese obtegebant[5]. Nuptiae tamen aliquando specialiter significabant sollemnitates et festivitates cum contractu matrimoniali coniunctas, vel etiam ipsam copulam coniugalem[6]. Pulchre explicat diversa haec nomina Concina[7].

Definitio realis. Complures auctores in matrimonio distinguentes 628
duo elementa, scil. contractum et sacramentum, prius dant definitionem contractus et postea subiungunt definitionem sacramenti matrimonii. Quia autem in Nova Lege Christus ipsum contractum matrimonialem elevavit ad dignitatem sacramenti, quin primigeniam naturam matrimonii mutaverit, hinc Leo XIII definit, «in matrimonio christiano contractum a sacramento *non esse dissociabilem* atque ideo non posse

[1] c. 2, X 3, 33. Cf. Cat. Rom. P. 2, c. 8, q. 2. [2] Suppl. q. 44, a. 2.
[3] Cf. Cat. Rom. l. c. [4] L. 1 D. de rit. nupt. 22, 2.
[5] Cf. Cat. Rom. l. c. [6] c. 4, X 4, 11. [7] De matrim. c. 1.

contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum»[1]. Idem iam docuit Lugo[2]: «Noluit Christus variare conditiones illius contractus, sed illum, qualis erat, elevare, ita ut, quoties validus esset in ratione contractus, inter baptizatos haberet etiam rationem sacramenti.» Quapropter videtur esse supervacaneum, in Theologia morali dare definitionem alteram de contractu, alteram de sacramento matrimonii. Ideo matrimonium unica et vera classica[3] definitione describi potest: **viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae societatem retinens.** Inter baptizatos huiusmodi coniunctio ex institutione Christi est verum sacramentum significans et causans ex opere operato gratiam supernaturalem; inter non-baptizatos autem talis coniunctio non est quidem sacramentum, sed nihilominus, «cum habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventicium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum sed natura insitum, ... et est sua vi, sua natura, sua sponte sacrum»[4].

629 **Explicatur definitio.** Dicitur 1°: *coniunctio,* quae vox, si sumitur *active,* i. e. pro ipso actu transeunte consensus interioris et exterioris, quo vir et mulier sibi fidem coniugalem promittunt, est matrimoniam *in fieri;* sin autem sumatur *quasi passive,* i. e. pro effectu producto seu pro statu vitae orto ex supradicto consensu manifestato, significat matrimonium *in facto esse;* scil. vinculum matrimonii. Christianum matrimonium in fieri habet rationem sacramenti, non autem in facto esse[5].

Dicitur 2°: *maritalis,* ut significetur proprius finis illius coniunctionis. Vir enim et mulier coniunguntur ad legitimam vitam maritalem ducendam, non autem propter luxuriam vel amicitiam vel negotia saecularia etc. De finibus secundariis nupturientium infra sermo erit.

Dicitur 3°: *viri et mulieris,* non autem virorum et mulierum, ut significetur monogamia et excludatur cum polygamia tum polyandria.

Dicitur 4°: *inter legitimas personas,* ut exprimatur quasdam personas lege (naturali vel positiva) impeditas non posse validum aut licitum matrimonium inire, seu exsistere impedimenta matrimonii.

Dicitur 5°: *individuam vitae societatem retinens,* ut indicetur indissolubilitas matrimonii. — Minus recte sub hac individua vitae consuetudine seu societate intelligebant quidam veteres Glossatores (e. g. Rolandus, Bernardus

---

[1] Encycl. «Arcanum» d. 10 Febr. 1880. Similia sequuntur ex propositionibus damnatis in Syllabo Pii IX, prop. 66: «Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile»; prop. 73: «Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur» (*Denz.* n. 1766 1773). Idem asserit Cod. iur. can. c. 1012.

[2] De iure et iust. disp. 22, n. 392.

[3] Haec definitio merito vocatur classica, nam est desumpta ad verbum fere ex iure romano (Inst. L. 1, c. 9); ex S. Augustino apud Gratianum (c. 3, C. 27, q. 2); ex Gregorio IX (c. 2, X 3, 33), ex compluribus Scholasticis saeculi XIII, inter quos eminet *S. Thomas* (Suppl. q. 44, a. 3).

[4] Encycl. «Arcanum». [5] Cf. *Billuart,* De matrim. diss. 1, a. 1.

Papiensis, Tancredus [1]) ipsam copulam carnalem, licet vere dici possit hanc societatem includere ius mutuum idque exclusivum et de se perpetuum in corpus compartis in ordine ad prolis generationem.

Hac individua consuetudine seu societate insuper postulantur (sed non nisi tamquam partes integrales) tria sequentia:

a) communio vitae domesticae, i. e. habitationis, tori, mensae;

b) unio animorum per caritatem et commune agendi studium;

c) unio saltem aliqualis bonorum temporalium.

De his latius infra.

ARTICULUS II.

De intima indole contractus matrimonialis.

Cum quaelibet bona definitio debeat adaequate describere essentiam 630
rei definitae, explicata definitione matrimonii, ab auctoribus proponitur quaestio, quid proprie sit *formale constitutivum matrimonii,* seu quid primitus et funditus constituat essentiam matrimonii. — Duae theoriae excogitatae sunt ad hanc quaestionem solvendam, scil. *theoria copulalis* et *theoria consensualis.* Prior docet essentiam matrimonii consistere in unione *corporum,* i. e. in ipsa copula carnali, ita ut matrimonium non sit verum et perfectum matrimonium ante peractam copulam carnalem. Ita docent Iulianus, discipulus Pelagii, Hincmarus Rhemensis, Gratianus, Ioannes Wicleff, complures protestantes, Ioannes Faventinus et forsitan quidam alii antiqui catholici citati a Freisen [2], qui et ipse hanc theoriam propugnavit, sed postea (1892) (saltem aliquo modo) retractavit. Secunda theoria asserit essentiam matrimonii consistere in unione *voluntatum,* i. e. in consensu contrahentium, ideoque verum et perfectum matrimonium exsistere, etiamsi copula carnalis non habetur inter coniuges. Ita docent nunc omnes fere catholici. Ad hanc rem dilucidandam ponimus tres propositiones:

Propositio 1. *Ad essentiam matrimonii non requiritur ipsa co-* 631
pula maritalis.

Prob. a) duobus exemplis biblicis. Cum inter Adam et Evam viventes adhuc in paradiso, tum inter B. Virginem Mariam et S. Ioseph fuit verum matrimonium. Atqui in neutro casu intervenit copula carnalis. Ergo copula carnalis non pertinet ad essentiam veri et perfecti matrimonii. Communissime omnes theologi docent matrimonium esse institutum in paradiso. Iam vero certum est matrimonium non esse consummatum in paradiso, quia proles in paradiso ante peccatum genita non haberet peccatum originale. Porro talis proles sine peccato originali numquam exstitit. — Inter B. Virginem et S. Ioseph verum matrimonium viguisse docent omnes fere cum antiqui tum moderni auctores [3]. Ipse Freisen hoc admittit. In evangelio enim dicitur ab angelo ad Ioseph: «Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.» [4] Fide autem certum est Mariam fuisse virginem cum ante tum

[1] Cf. *Freisen,* Gesch. d. kan. Eherechtes § 3.

[2] Ib. S. 151 ff. Iam tempore Alexandri III (1159—1181) matrimonium habebatur «verum et indissolubile» ante peractam copulam, «quamvis», ait Papa, «alii aliter sentiant et aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum» (c. 3, X 4, 4). Praesertim schola Bononiensis videtur stetisse pro theoria copulali.

[3] Cf. S. theol. 3, q. 29, a. 2.

[4] Mt 1, 20.

post partum[1]. Ergo non requiritur copula carnalis ad essentiam matrimonii.

Prob. b) ex SS. Patribus. S. Ambrosius[2] dicit: «Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis»; et S. Ioannis Chrysostomus[3] docet: «Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.» S. Thomas[4] respondet ad quaestionem: «Utrum consensus, qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam? Bene dixerunt illi, qui dixerunt, quod consentire in matrimonium est consensus in carnalem copulam implicite, non explicite.» Quod proinde non ita accipiendum est, ait Sylvius[5], quasi sit propositum saltem virtuale copulae carnalis, sed quia est consensus in potestatem illam, in qua talis copula continetur implicite, sicut actus in potentia. Praesertim B. Albertus Magnus vehementer impugnat theoriam copulalem et docet simpliciter: «Dicendum, quod matrimonium est *perfectum* per consensum.»[6]

Prob. c) ex Catechismo Romano P. II, c. 8, ubi § 8 inscribitur: «Ad verum matrimonium concubitus non requiritur.»

Prob. d) ex Codice iur. can., qui absolute dicit c. 1081: «Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus».

Oppones 1. Matrimonium christianum significat unionem realem Christi cum Ecclesia. Sed haec unio non significatur nisi per coniunctionem carnalem coniugum. Ergo coniunctio carnalis ad essentiam matrimonii pertinet. — Respondeo distinguendo maiorem: Matrimonium christianum significat realem unionem Christi cum Ecclesia per amorem et gratiarum influxum, quae significant unionem *moralem,* conc.; significat *physicam* unionem Christi cum Ecclesia, nego et nego cons.

Oppones 2. S. Paulus loquens de coniugibus dicit: «Erunt duo in carne una; sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.»[7] Ergo ad essentiam matrimonii pertinet unio carnalis. — Respondeo: Haec verba: «Erunt duo in carne una», non necessario significant unionem carnalem, sed vinculum indissolubile inter coniuges exsistens; nam S. Paulus hic evidenter alludit ad verba: «Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.»[8] Ex his autem verbis nihil concludi potest de copula carnali. — Alias obiectiones earumque solutiones videsis apud Billuart[9].

632 **Propositio 2.** *Essentia matrimonii* **in fieri** *(ac proinde etiam sacramenti matrimonii) consistit in mutuo consensu exterius manifestato seu in contractu matrimoniali.*

Matrimonium etiam christianum esse verum et proprium contractum bilateralem, licet singularem et sui generis, hodie post Encyclicam «Arcanum» supra citatam ita certum est, ut contraria assertio paucorum auctorum sit temeraria[10]. Ratio autem est, quia in matrimonio in-

[1] Ep. Siricii Papae de perpetua virginitate Mariae (*Denz.* n. 91; cf. ib. n. 256, 993).
[2] Habetur in c. 5, C. 27, q. 2. Similia habentur c. 9, C. 27, q. 2, ex *S. Augustino,* De bono coniug. l. 1, c. 2.
[3] c. 1, C. 27, q. 2. [4] Suppl. q. 48, a. 1.
[5] Comm. in h. l., scil. Suppl. q. 48, a. 1; cf. etiam Suppl. q. 44, a. 1.
[6] In. 4, dist. 26, a. 15. [7] Eph. 5, 31 sqq. [8] Gn. 2, 23 sq.
[9] De matrim. diss. 3, a. 5. [10] Cf. *Gasparri,* De matrim. n. 202 sqq.

veniuntur omnia, quae ad verum contractum sunt necessaria. Contractus solet definiri: «duorum pluriumve in idem placitum et consensus» [1]. Iam vero in matrimonio habetur duorum, scil. nupturientium, liber consensus in idem, scil. in vitam coniugalem. De qualitatibus autem istius consensus matrimonialis infra tractabitur.

Obiectum materiale huius contractus sunt ipsae personae contra 633
hentium.

Obiectum formale est vitae consuetudo. Philosophi vocant obiectum materiale rem, circa quam agitur; obiectum vero formale illud, ex diversis formalitatibus rei inexsistentibus, quod principaliter intenditur. Sic in una eademque re materiali potest esse multiplex obiectum formale; e. g. una eademque domus considerata tamquam obiectum materiale, quando *venditnr,* subest formali obiecto contractus venditionis; quando *locatur,* subest formali obiecto contractus locationis. Nam in primo casu principaliter intenditur proprietas, in altero vero solus usus domus. In matrimonio contrahendo uterque coniux debet principaliter [2] intendere (vel saltem non excludere) *ius mutuum, exclusivum et perpetuum* in corpus alterius cum ordine ad generationem. Quare tale ius est obiectum formale contractus matrimonialis; et si tale ius excluderetur, matrimonium esset inde ab initio nullum et irritum. Matrimonio autem semel contracto et tali iure vere concesso, nihil obstat, quominus istud ius *numquam in praxim reducatur,* vel etiam perpetuo suspendatur quoad reale exercitium, e. g. quando coniuges emittunt ex communi consensu votum perpetuae continentiae, vel quando post adulterium ab uno coniuge commissum pars innocens recusat reddere debitum coniugale (de quo latius infra).

Matrimonium est contractus plane singularis et sui generis, nam: 634

a) *omne verum et legitimum matrimonium est contractus sacer.*

Unde etiam matrimonium legitimum paganorum vocatur a Leone XIII in Encyclica «Arcanum»: «sua vi, sua natura, sua sponte sacrum». Ratio autem est, cum quia matrimonii auctor immediatus est Deus, tum quia matrimonium vel ab initio fuit quaedam Incarnationis adumbratio. — Populorum quoque historia aperte demonstrat nuptias semper habitas esse ut aliquid sacrum, et propterea esse celebratas cum caeremoniis religiosis, nisi tamen populi in barathrum immoralitatis illapsi erant. Ideo Leo XIII in saepe citata Encyclica «Arcanum» merito dicit: «Testantur et monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum, . . . quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut, cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt.» [3] — Ex sanctitate matrimonii

[1] L. 1, § 2 D. de pactis II, 14.

[2] Nihil obstat, quominus coniuges alias intentiones *accidentales* habeant, e. g. conservandi honorem fortunamve familiae, habendi remedium concupiscentiae etc.

[3] De historia matrimonii hic non vacat tractare. Historia matrimonii est historia moralitatis. Quo sanctiora ab aliquo populo habentur matrimonia, eo meliores sunt eius mores, et quo saepius matrimonium deturpatur adulteriis et divortiis, eo magis mores

sequitur, ut contractus matrimonialis non possit sicut alii contractus humani *arbitrariis condicionibus* vestiri neque ad nutum contrahentium solvi; quae enim a Deo ipso et a lege naturali ordinata sunt, non possunt ab hominibus arbitrarie mutari.

Nota. Sanctitas contractus matrimonialis valde inculcanda est, praesertim nostris diebus, cum ex matrimonio civili ubique fere terrarum introducto et ex divortiis frequentibus periculum ortum sit, ne populus consideret matrimonium sicut quemcumque alium contractum humanum. Tristis experientia omnium populorum omniumque saeculorum satis superque probat, divortia, immo et adulteria, in dies crescere, ex eo quod matrimonium iam non satis consideratur ut quid sacrum et a Deo immediate institutum. Hinc omnis sacerdos totis viribus conetur inculcare cordibus hominum sanctitatem matrimonii.

635 b) *Contractus matrimonialis est ex iure divino contractus bilateralis et individuus, qui non potest claudicare.*

Ad rem scribit Angelicus Doctor [1]: «Cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio, *ideo, quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero,* quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium; et ideo dicitur communiter, quod matrimonium non claudicat.» — Hoc principium: «Matrimonium non potest claudicare», in hoc *sensu negativo* intellectum in praxi sedulo attendendum est et etiam cum a celebri Decreto «Ne temere» XI, § 2 tum a Codice iur. can. c. 1036, § 3 adhibitum est in hoc sensu a S. Thoma supra explicato. Olim multum disputatum est, num hoc principium possit etiam in sensu *positivo* sumi, ita ut, si una pars contrahentium sit habilis, hanc suam habilitatem valeat communicare alteri parti. Quae quidem quaestio fuit magni momenti in impedimento clandestinitatis, in quo revera in sensu *positivo* hoc principium adhiberi potuit [2]; hodie autem post Decretum «Ne temere» illa amisit utilitatem practicam. Negativa enim responsio est certa [3]; saltem pro matrimoniis contractis post illud Decretum. Quapropter sequens conclusio practica facile deducitur:

Aliquis infidelis, licet non teneatur impedimentis matrimonialibus iuris pure ecclesiastici [4], nihilominus, etiam obtenta dispensatione super impedimento disparitatis cultus, non potest valide contrahere matrimonium cum catholico, nisi observet statuta Codicis iur. can. Ratio est, quia catholicus hisce statutis ligatur, ac proinde indirecte etiam infidelis.

636 **Propositio 3.** *Essentia matrimonii* **in facto esse** *consistit in vinculo ex se permanenti, quod oritur ex legitimo contractu matrimonii* [5].

Optime de hac re scribit Billuart [1]: «Matrimonium in facto esse non consistit essentialiter in consensu mutuo sive externo, neque in mutua traditione corporum, quia ista transeunt remanente matrimonio: neque in iure mutuo ad copulam, cum quia istud ius ad copulam est

---

pessumdantur. De historia matrimonii egit *Leitner* (Eherecht; Gesch. der nichtsakram. Ehe). *Westermark* (History of human marriage) scripsit in sensu Darwinistico.

[1] Suppl. q. 47, a. 1.

[2] Cf. S. Rota in causa Mohiloviensi d. 18 Apr. 1916 (Acta Ap. Sed. VIII 422).

[3] Cf. *Boeckenhoff,* Dissert. de individuitate matrim., Berolini 1901.

[4] Cf. infra n. 651. [5] Cf. Cat. Rom. P. 1, c. 8, q. 4.

[6] De matrim. diss. 1, a. 1.

quid consequens ad matrimonium iam constitutum, ideo enim coniuges habent ius ad copulam, quia sunt matrimonio iuncti; tum quia subsistit matrimonium absque isto iure, ut in iis, qui mutuo consensu se obligant ad servandam continentiam, nisi forte intelligas de iure radicali, quod nihil est aliud quam nexus seu coniunctio formalis et passiva.... Dixi: in vinculo formali, quia non sumitur vinculum causaliter pro re, quae vinculat; sic enim est contractus, sed pro modo et nexu formali seu *coniunctione passiva* ex vinculo causali resultante, quam S. Thomas q. 44, a. 1 reponit in relatione coniunctorum.»

637 Schólion. *De necessitate et honestate matrimonii* non est cur loquamur. Nam ex dictis manifeste sequitur, ut matrimonium sit necessarium pro genere humano et sit quid honestum in se. Deus enim in paradiso mandavit hominibus: «Crescite et multiplicamini.»[1] Porro propagatio conveniens generis humani est impossibilis sine legitimo matrimonio. Nam non solum requiritur *physica* generatio prolis, quae sane haberi potest sine matrimonio, verum etiam corporalis et spiritualis educatio prolis natae. Quae quidem educatio est moraliter impossibilis, nisi pater et mater sint legitimo matrimonio iuncti atque unitis viribus salutem prolis procurent. Praeterea vita vere familiaris et mutuus amor hominum sine matrimoniis pereunt. Unde pessimus est error quorundam Socialistarum et Mormonum, qui volunt omnia matrimonia abolere et amorem sic dictum liberum seu promiscuum proclamare. — Licet autem matrimonium sit quid honestum et necessarium pro toto genere humano, inde tamen non sequitur, ut *quilibet homo capax* debeat matrimonium contrahere. Propagatio enim generis humani tam sufficienter iam habetur, ut ex coelibatu quorundam paucorum hominum nedum ullum damnum, sed potius maxima utilitas oriatur. Per accidens tamen etiam alicui determinato homini potest incumbere obligatio ineundi matrimonii, e. g. ad reparandum damnum illatum, ad implendam promissionem factam etc. De utilitate et praestantia virginitatis hic non vacat loqui[2].

ARTICULUS III.

De divisione matrimonii.

Praenotamen. Matrimonium non eodem modo a diversis auctoribus dividitur, immo nec eadem divisio semper in eodem sensu accipitur. Quamobrem confusiones et disputationes facile oriuntur, sicut revera iam accidit circa notionem matrimonii legitimi et rati[3]. Cum autem non sit habenda lis de verbis, sequentes divisiones matrimonii explicamus, sinentes plenam libertatem omni, qui mavult alias divisiones et explicationes adducere.

Dividimus igitur matrimonium:

638 1. *in legitimum, ratum, consummatum.*

Matrimonium *legitimum* est contractus matrimonialis valide initus *a duabus personis non-baptizatis*[4]. Cum istae personae non teneantur legibus pure ec-

[1] Gn 1, 28. [2] Cf. S. theol. 2, 2, q. 152, a. 2 et 4, et supra II, n. 659.

[3] Cf. *Freisen,* Gesch. d. kan. Eherechtes § 10.

[4] Cod. iur. can. c. 1015, § 3. Olim legitimum vocabatur matrimonium etiam christianorum, si omnes formae legales observatae fuerunt (cf. c. 17, C. 28, q. 1 et *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 8, c. 12, n. 5 in fine). — Cum matrimonium validum inter baptizatum et non-baptizatum probabilius careat charactere sacramentali (cf. infra n. 649), videtur etiam tale matrimonium esse legitimum, sed non ratum.

clesiasticis (quia non sunt membra Ecclesiae), teneantur autem legibus iustis civilibus et lege naturali, hinc matrimonium legitimum potest etiam definiri: matrimonium non-baptizatorum, cui non obstat impedimentum dirimens sive iuris naturalis sive iuris civilis; vel adhuc brevius; *omne validum matrimonium, quod non est sacramentum*[1]. Hinc sequitur, ut matrimonium sic dictum civile christianorum non sit matrimonium legitimum, quia aut est validum (e. g. matrimonia Protestantium, et tunc non tantum est legitimum, sed etiam ratum, et verum sacramentum; aut est invalidum (propter aliquod impedimentum), et tunc est concubinatus.

Matrimonium *ratum* est contractus matrimonialis valide initus a *christianis*, cui tamen copula carnalis maritalis nondum supervenit. Tale matrimonium vocatur ratum, quia est a Christo et Ecclesia ratificatum sacramento; in matrimonio enim christiano contractus a sacramento non potest separari[2].

Matrimonium *consummatum* illud vocatur, in quo habita est copula carnalis. Duo tamen hic notanda sunt: a) Matrimonium non dicitur consummatum ex eo, quod copula carnalis forsan *praecesserit* validum matrimonium, sed tantum ex vera copula maritali eaque apta ad generationem. Ergo nec etiam consummatur matrimonium per copulam onanisticam aut sodomiticam[3]. b) Etiam matrimonium legitimum non-baptizatorum potest esse consummatum, sed numquam potest esse ratum, quia non est sacramentum; in casu autem, quo uterque coniux non-baptizatus baptismum recipiat, eo ipso matrimonium fit ratum et sacramentum, dummodo tamen consensus maritalis perseveret (de quo latius infra).

639 2. *In publicum, clandestinum, occultum* (secretum).

Matrimonium *publicum* censetur illud, quod in facie Ecclesiae contractum est, vel alio modo publico et ab Ecclesia ut valido agnito. Hinc e. g. sunt matrimonia publica, quae contracta sunt coram duobus testibus et parocho aliove sacerdote competenti.

Matrimonium *clandestinum*[4] est connubium initum sine praesentia parochi et duorum testium. Iuxta disciplinam vigentem non alia sunt (extra casum gravis necessitatis) matrimonia clandestina valida nisi matrimonia acatholicorum[5].

Matrimonium *occultum* (seu conscientiae)[6] illud vocatur, quod valide contrahitur coram parocho et duobus testibus, cuius celebratio tamen ex gravissima ratione occultatur coram populo. Ut ista occultatio obtineatur, omittuntur proclamationes; matrimonium celebratur in loco secreto; Ordinarius vel parochus et testes assistentes tenentur ad secretum servandum; matrimonium contractum non describitur in libro ordinario copulatorum, sed in libro peculiari servando in secreto archivo curiae episcopalis. Requiritur specialis licentia episcopi, ut huiusmodi matrimonium conscientiae celebrari

---

[1] Infra n. 649 latius de hac re agetur.

[2] Cf. prop. damn. 66 et 73 in Syllabo Pii IX supra n. 628, nota 1 allatae.

[3] Cf. *Eschbach*, Disp. physiol.-theol. disp. 2, c. 2.

[4] Iuxta nativum sensum matrimonium clandestinum significat connubium clam initum absque testibus, ita ut exinde legitima probatio non appareat. Postea matrimonia clandestina vocata sunt illa, quae celebrabantur sine consuetis sollemnitatibus (cf. *De Smet*, De sponsal. et matrim. n 93). Forsan melius esset, si tota haec terminologia nunc omitteretur, et distinguerentur matrimonia authentice celebrata in Ecclesia catholica et matrimonia valide inita extra Ecclesiam catholicam.

[5] Cf. infra n. 764. [6] *Gewissensehe.*

licite possit[1]. Ratio, ob quam episcopus tale matrimonium permittere potest, est ex una parte moralis necessitas matrimonium ineundi et ex altera parte moralis impossibilitas celebrandi matrimonium publicum; e. g. si propter leges civiles vel alias circumstantias aliquis nequit matrimonium publicum celebrare, et tamen matrimonium nihilominus necessarium est ad consulendum conscientiae contrahentium. Liberi nati vel nascendi ex matrimonio occulto post baptismum susceptum inscribendi sunt non in libro paroeciali baptizatorum, sed in aliquo libro secreto asservato in curia episcopali. Secreti servandi obligatio ex parte Ordinarii cessat, si aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria imminet, vel si parentes non curant filios susceptos baptizandos, vel christianam filiorum educationem negligunt[2].

Matrimonium conscientiae minime confundendum est cum matrimonio «*morganatico*»[3], quod est legitima coniunctio maritalis inter personam magnae nobilitatis et personam valde disparis condicionis, e. g. inter principem et actricem theatralem, eo pacto inita, ut, cum matrimonium pleni iuris sit coram Ecclesia, in foro civili uxor et filii ex ea geniti non plene succedant in honores, dignitates et bona mariti[4]. Nomen matrimonii morganatici videtur esse desumptum a verbo germanico «*Morgengabe*», quia post tale matrimonium celebratum sequenti die concedebatur uxori donum matutinum. Ceterum de condicionibus matrimonii morganatici adhuc complura obscura sunt[5]. Praxis eius multum limitata est nostris temporibus[6]. Effectus eius utpote mere civiles non tangunt ipsum matrimonium christianum. Casu occurrente parochus consulat proprium episcopum, qui pro sua prudentia decernat, quid agendum sit.

3. *In validum, invalidum, putativum.* 640

Matrimonium *validum* (verum) illud est, cui non obstat impedimentum *dirimens;* sin autem obstat impedimentum *prohibens,* matrimonium manet quidem validum, est autem illicitum.

Matrimonium *invalidum* (irritum, nullum) illud est, cui obstat impedimentum dirimens; sin autem nihilominus contrahentes mala fide connubium inierunt, vocatur illud matrimonium *attentatum*[7].

Matrimonium *putativum* appellatur illud, quod quidem reapse invalidum est ob impedimentum dirimens, quod tamen bona fide contractum est ab alterutro saltem contrahentium. Ad hoc autem, ut huiusmodi matrimonium putativum ab Ecclesia agnoscatur tamquam tale, requiritur, ut nuptiae publice

---

[1] Cf. Bened. XIV Const. «Satis vobis» d. 27 Nov. 1741; Leo XIII, Litt. ad ep. Venet. d. 8 Febr. 1893; Cod. iur. can. c. 1104.

[2] Cod. iur. can. c. 1106.

[3] Vocatur etiam matrimonium ad manum sinistram vel ad legem salicam. Cf. *Leitner,* Lehrb. d. Eherechts 76.

[4] Cf. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 13, c. 23, n. 12.

[5] Cf. Staatslexikon s. v. «Ebenbürtigkeit»; *Freisen,* Gesch. d. kan. Eherechtes § 8; *Leitner* l. c. § 11.

[6] Notissimum matrimonium morganaticum contraxit archidux Franciscus Ferdinandus (scelesta nece trucidatus, una cum uxore sua, 28 Iun. 1914), qui die 1 Iulii 1900 in matrimonium duxit Sophiam comitissam de Chotek, postquam praevie renuntiavit pro uxore dignitati imperatricis, et pro prolibus nascendis iuribus regni.

[7] Cf. excommunicationem latam in clericos maioristas et religiosos sollemniter professos, attentantes matrimonium n. 522.

et non clandestine nec contradicente Ecclesia fuerint initae [1]. Proles nata ex huiusmodi matrimonio putativo ordinarie censetur *legitima*, et quidem cum a iure canonico tum a pluribus iuribus civilibus, e. g. in Germania [2], Gallia [3], Austria [4], Hispania [5]. Si ambo coniuges putativi certi evadant de nullitate matrimonii, istud matrimonium cessat esse putativum [6].

641 **Scholion. De matrimonio praesumpto.** Olim auctores multum disserebant de matrimonio praesumpto, quod in foro externo praesumitur exsistere ex aliquo facto, donec contrarium clare sit probatum. In triplici potissimum casu tale matrimonium praesumptum habebatur, nempe si copula carnalis succedebat 1. validis sponsalibus; 2. matrimonio condicionato; 3. matrimonio in impubertate contracto. Matrimonium praesumptum *certe* abolitum est in primo casu [7] et probabiliter etiam in duobus aliis [8].

CAPUT II.

De matrimonio, ut est sacramentum.

Hoc caput dividitur in quattuor articulos: 1. de exsistentia sacramenti matrimonii; 2. de eius materia et forma; 3. de eius ministro; 4. de eius subiecto.

ARTICULUS I.

De exsistentia sacramenti matrimonii.

642 **Errores.** 1. Erraverunt circa matrimonium Gnostici et Manichaei, qui tamen potius usum matrimonii damnaverunt ut incentivum concupiscentiae et propagativum peccati originalis. Totum autem matrimonium habuerunt ut inventum a principio malo.

2. Protestantes omnes fere (exceptis paucis, e. g. Ritualistis) admittunt quidem matrimonium esse aliquid religiosum; immo dicunt illud esse melius virginitate, sed prorsus negant illud esse sacramentum proprie dictum; immo Calvin non est veritus dicere, matrimonio non magis rationem sacramenti convenire quam agriculturae aut arti tonstrinae vel sutoriae, neque ut sacramentum esse agnitum ante tempora Gregorii I (a. 590) [9].

3. Petrus Lombardus (Magister Sententiarum) adnumerat quidem matrimonium sacramentis, sed denegat illi vim causandi gratiam [10]. Idem docuit Ioannes Faventinus [11]. Durandus a S. Portiano († 1332) putat matrimonium esse sacramentum in largo quodam sensu nec producere gratiam ex opere operato [12].

---

[1] Cf. c. 2 8 11 14, X 17 et c. 3, X 4, 3; Conc. Trid. sess. 24, c. 1 de reform. matrim.

[2] Cod. civ. § 1699. [3] Cod. civ. a. 201 sq. [4] Cod. civ. § 160.

[5] Cod. civ. a. 69. [6] Cod. iur. can. c. 1015, § 4.

[7] Leonis XIII Const. «Consensus» d. 15 Febr. 1892.

[8] Cf. tamen infra n. 662.

[9] Inst. l. 4, c. 19, § 34. — Similia docuit Luther dicens: «Die Ehe ist ein äußerlich weltlich Ding, wie Kleider, Speise, Haus und Hof» (Von Ehesachen a. 1530). Prius autem admisit sacramentalitatem matrimonii.

[10] 4, dist. 1.

[11] Apud *Freisen*, Gesch. d. kan. Eherechtes p. 37.

[12] Comm. in 4, dist. 26, q. 3. Cf. *Drouven*, De re sacr. l. 9, q. 1, § 2.

Contra hos omnes sit iuxta dogma catholicum:

Thesis. *Matrimonium inter christianos legitime celebratum est verum et proprie dictum sacramentum Novae Legis a Christo Domino institutum.* 643

Probatio huius dogmatis, quod pluries definitum est[1] et praecipue a Concilio Tridentino[2] fulminante anathema contra illum, qui dixerit: «Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum», potius ad Theologiam dogmaticam vel apologeticam quam ad moralem pertinet, unde sequentia brevia tantum argumenta proponuntur. Quamvis quidam (Caietanus, Estius, Vazquez) arbitrentur dogma de sacramento matrimonii probari non posse ex S. Scriptura, sed tantum ex traditione confirmata per definitiones Conciliorum, nobis videtur textus S. Pauli mox allegandus esse stricte probativus. Probatur igitur Dogma catholicum:

1. **Ex S. Scriptura.** S. Paulus[3] tractans de coniugio dicit: «Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.... Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.... Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una; sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.»[4]

Sane ex solo verbo «sacramentum», quod in hoc textu invenitur, nondum licet deducere argumentum directum pro dogmate, cum quia in textu graeco habetur «mysterium», tum quia usque ad saeculum XII verbum sacramenti diversis sensibus adhibitum est ab ecclesiasticis scriptoribus[5]. Nihilominus in citato textu habetur solidum argumentum pro dogmate catholico. Etenim sacramentum Novae Legis est signum sensibile causans gratiam ex institutione Christi. Atqui huiusmodi signum est matrimonium christianum. Ergo matrimonium christianum est verum et proprie dictum sacramentum Novae Legis. Maior huius syllogismi est ipsa definitio sacramenti. Minor autem facile probatur: a) Matrimonium christianum est *signum;* significat enim unionem moralem Christi cum Ecclesia, ut manifeste apparet ex verbis Apostoli dicentis: «Vir caput est mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiae.» «Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.» «Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit; nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.» Matrimonium igitur christianum est signum unionis Christi cum Ecclesia. Matrimonium esse signum *sensibile* per se patet, cum contractus matrimonialis necessario debeat exterius manifestari. b) Matrimonium christianum est signum sensibile *causans gratiam;*

---

[1] Iam Concilium Lugdunense II (a. 1274) definivit: «Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scil. baptisma, . . . aliud est matrimonium» (Conf. fidei Michaelis Palaeologi; apud *Denz.* n. 465). Concilium Florentinum definivit: «Septimum est sacramentum matrimonii» (Instr. pro Armenis; apud *Denz.* n. 702).

[2] Sess. 24, can. 1 de matrim. (*Denz.* n. 1971). [3] Eph. 5, 22—32.

[4] In textu graeco habetur: *Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν.*

[5] Cf. *Freisen,* Gesch. d. kan. Eherechtes § 4 et supra III, n. 2.

nam vocatur ab Apostolo «magnum mysterium, ego autem dico in Christo et in Ecclesia». Profecto matrimonium in se spectatum, i. e. coniunctio carnalis coniugum mutuusque eorum amor et subiectio immerito vocaretur magnum mysterium, quia nihil est naturae magis obvium et consentaneum quam talis coniunctio inter virum et mulierem. Eiusmodi coniunctio etiam ante Christum exsistebat; immo habetur aliqualiter inter bruta animantia. Quare igitur talis coniunctio vocatur ab Apostolo magnum mysterium? — Sed ipse Apostolus hunc profanum sensum matrimonii statim expresse excludit; addit enim: «ego autem dico in Christo et in Ecclesia» (graece dicitur: «in Christum et in Ecclesiam»). Quapropter S. Paulus non vult omne matrimonium ut magnum mysterium haberi, sed illud tantum, quod cum respectu ad Christum et Ecclesiam initum est. Aliis verbis: solum matrimonium christianum est magnum mysterium. Quid autem distinguit matrimonium christianum ab omni alio matrimonio illudque reddit magnum mysterium? Nihil aliud nisi gratia supernaturalis cum illo coniuncta. Ergo ex verbis Apostoli haud obscure probatur, matrimonium christianum causare gratiam supernaturalem. Quod quidem eo vel magis elucet, quia unio maritalis comparatur cum unione inter Christum et Ecclesiam. Iam vero Christus uniens se cum Ecclesia causat in illa gratiam supernaturalem. c) Matrimonium ut signum causans gratiam *esse institutum a Christo,* per se patet, quia nemo nisi solus Deus valet gratiam supernaturalem annectere causis naturalibus. In praesenti autem rerum ordine omnis gratia confertur a Christo Redemptore. — Ex quibus omnibus apparet verba Apostoli solidum argumentum praebere, matrimonium christianum esse verum et proprie dictum sacramentum. Quare merito dicit Catechismus Romanus[1]: «Iam vero matrimonium sacramentum esse, Ecclesia *Apostoli auctoritate* confirmata certum et exploratum semper habuit: ita enim ad Ephesios scribit: Viri debent diligere. . . . Nam quod inquit sacramentum hoc magnum est, nemini dubium esse debet ad matrimonium referendum esse: quod scil. viri et mulieris coniunctio, cuius Deus auctor est, sanctissimi illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia coniungitur, sacramentum, id est sacrum signum sit. Atque hanc esse eorum verborum propriam et veram sententiam, veteres SS. Patres, qui eum locum interpretati sunt, ostendunt, idemque sancta Tridentina Synodus explicavit.»

2. **Ex SS. Patribus.** S. Augustinus[2] scribit: «Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes et homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate *sacramenti.* . . . Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis.» In his verbis S. Augustinus tribuit matrimonio, quod ad populum Dei pertinet, seu matrimonio christianorum, sanctitatem sacramenti, quod denegat aliis matrimoniis; insuper comparat sacramentum matrimonii cum sacramento ordinis, quod profecto est sacramentum proprie dictum. — In eodem libro c. 18 S. Doctor vocat matrimonium «signaculum et sacramentum», et sic concludit: «In nostrarum quippe [mulierum] nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas uteri.» — Sacramentum autem matrimonii non mere esse signum, sed etiam efficere gratiam, hoc modo asserit S. Augustinus[3]: «Huius procul dubio sacramenti *res* est, ut mas et

[1] P. 2, c. 8, q. 15. [2] De bono coniug. c. 24 (*Migne,* Patr. lat. 40, 394).
[3] De nup. et concup. l. 1, c. 7 (*Migne* l. c. 44, 424).

femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat excepta causa fornicationis a coniuge coniugem dirimi.» Iam vero *res sacramenti* significat gratiam, atque etiam Scholastici ita intellexerunt hanc etymologiam. Quapropter sensus citati textus est: Gratia sacramentalis matrimonii sic adiuvat coniuges, ut non obstante humana inconstantia possint et debeant permanere semper uniti. — S. Leo Magnus [1] dicit: «Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum [2], dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.» [3]

3. **Argumento praescriptionis.** Ex variis documentis et fidei formulis constat, Ecclesias orientales a Sede Romana iam a multis saeculis segregatas habere matrimonium ut verum sacramentum. Atqui hoc factum explicari nequit, nisi admittatur, iam tempore separationis (saec. V) in tota Ecclesia matrimonium habitum esse verum sacramentum. Etenim Ecclesiae orientales post schisma certe nihil admiserunt, quod noviter in Ecclesia romana introductum fuit. Ergo debet concedi iam ante saeculum V matrimonium esse ut verum sacramentum agnitum [4], eiusque institutionem convenienter referri ad ipsum Christum.

4. **Argumento congruentiae.** Cum hic agatur de re supernaturali, ratio non valet apodictice demonstrare matrimonium esse sacramentum: sed quam convenientissimam esse elevationem matrimonii ad dignitatem sacramenti manifeste ostendit. Etenim ex matrimoniis rite initis et sancte conservatis salus totius societatis humanae dependet, quia, si matrimonia sancte non conservantur, rixae et discidia exsurgunt inter coniuges, educatio prolis pessumdatur, mores magis magisque corrumpuntur. Ita constat luce clarius ex historia omnium populorum. Porro sanctitas matrimonii vix ac ne vix quidem conservari potest, nisi coniuges adiuventur speciali gratia supernaturali. Nam prolem convenienter generare et educare, per totam vitam pacifice et caritative cohabitare, alterum alterius onera patienter portare, haec omnia, inquam, tam excellentes virtutes exigunt, ut non possint haberi sine speciali gratia supernaturali. Ergo convenientissime Deus coniunxit cum matrimonio gratiam sacramentalem. Quae breviter complectens Catechismus Romanus [5] dicit: «Quare docendum est, *huius sacramenti gratia* effici, ut vir et uxor, mutuae caritatis vinculo coniuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque et illicitos amores et concubitus non quaerat, sed in omnibus sit honorabile connubium et torus immaculatus.»

---

[1] Ep. 92 ad Rustic. n. 4 (*Migne* l. c. 54, 1204). [2] Eph. 5, 32.

[3] Complures alii Patres idem docent, uti videri potest apud *Billuart* (De matrim. diss. I, a. 3) vel melius apud *Drouven* (De re sacr. l. 10, q. 1), unde prorsus immerito dicit *Freisen* (Gesch. d. kan. Eherechtes § 54) SS. Patres quaestionem de sacramento non attigisse, quodsi autem aliquando verbum sacramenti adhibuerint de matrimonio, illud non intellexisse in nostro sensu. Sane SS. Patres non tam explicite loquuntur de sacramento matrimonii quam moderni auctores ex professo tractantes de hac materia; attamen inde minime licet inferre, illos nequaquam agnovisse matrimonium esse verum sacramentum. Numquid SS. Patres clarius loquuntur de sacramentis confirmationis, extremae unctionis et de multis aliis rebus ad dogma catholicum pertinentibus? (Cf. *Schanz*, Die Lehre v. d. Sakr. § 55, et *Drouven* l. c.).

[4] Cf. *Pourrat*, La théologie sacramentaire[2] 252—267.

[5] P. 1, c. 8, q. 15. — Vide aliud argumentum congruentiae apud *S. Thomam* (S. theol. 3, q. 65, a. 1).

644 **Obiectio.** Sacramentum non minuit sed auget gratiam et perfectionem. Atqui matrimonium minuit gratiam et perfectionem, cum destruat statum virginitatis, qui praevalet matrimonio, ut definitum est in Concilio Tridentino [1]. Ergo matrimonium non est sacramentum.

Respondetur: Absque omni dubio sacramenta Novae Legis non minuunt gratiam, sed illam aut dant aut augent actualiter et modo transeunte, sed inde minime sequitur, ut ille, qui aliquod sacramentum digne recepit, sit per totam vitam *in perfectiore statu* quam alius, qui hoc idem sacramentum non recepit. Sic sacramentum matrimonii rite susceptum auget gratiam, sed minime inde sequitur, quod constituit etiam altiorem statum. Plane enim differt status a perfectione personali. Sic e. g. religiosi et episcopi sunt in statu perfectionis, sed inde nondum licet concludere illos habere semper maiorem gratiam quam quemlibet laicum. Ideo *status* matrimonii est imperfectior quam status virginitatis, sed *sacramentum* matrimonii causat gratiam ex opere operato, quod non facit status virginitatis. Econtra ille, qui ex motivo virtutis servat virginitatem, facit opus valde bonum et meretur magnam mercedem.

Ex charactere sacramentali matrimonii sequuntur complura corollaria magni momenti:

645 **Corollarium 1.** *Sacramentum matrimonii est institutum a Christo Domino.*

Supra in tractatu de sacramentis in genere probatum est omnia sacramenta esse instituta ab ipso Christo. Si autem quaeritur, *quandonam* Christus instituerit hoc sacramentum matrimonii, tres sententiae solent afferri:

1. Christus elevavit contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti, quando nuptias in Cana Galilaeae celebratas et sua praesentia et insigni miraculo honestavit. Haec sententia est communior, cui videntur favere etiam S. Cyrillus Alex. [2], S. Epiphanius [3], S. Augustinus [4].

2. Christus instituit matrimonium, quando abrogavit legem repudii et matrimonium ad pristinam indissolubilitatem revocavit dicens: «Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.» [5]

3. Christus instituit sacramentum matrimonii post resurrectionem, quando cum apostolis varia loquebatur de regno Dei.

Nihil certi dici potest de hac quaestione, quae ceterum est minoris momenti, cum etiam de quibusdam aliis sacramentis nesciatur tempus, quo Christus ea instituerit, e. g. de confirmatione, de extrema unctione. Hoc tamen videtur esse certum, sacramentum matrimonii non esse institutum in paradiso, ut docuerunt quidam theologi, e. g. Catharinus, Maldonatus, quia in Vetere Testamento non exsistebat sacramentum producens aut augens gratiam sanctificantem ex opere operato. Concedi autem potest matrimonium in paradiso institutum a Deo fuisse aliquid sacrum et conciliasse coniugibus gratiam status [6].

---

[1] Sess 24, can. 10 de matrim. (*Denz.* n. 981).

[2] In Ioan. 2, 1—4 (*Migne*, Patr. graec. 73, 223).

[3] Haer. 67 (*Migne* l. c. 42, 179).

[4] In Ioan. tr. 9, n. 2 (*Migne*, Patr. lat. 35, 1459).

[5] Mt 19, 6.

[6] Sententia Catharini et Maldonati vix sustineri potest salva fide, cum Pius IX (Ep. ad reg. Sardin. d. 19 Sept. 1852) scribat: «Dogma fidei est matrimonium a Iesu Christo Domino Nostro ad dignitatem sacramenti esse elevatum.»

Corollarium 2. *Ad Ecclesiam solam pertinet iudicare et de-* 646
terminare de omnibus, quae essentiam matrimonii christiani attingunt.

Oppositum falso docuerunt Novatores saec. XVI, quibus accedunt Marcus Antonius de Dominis, Launoy, Regalistae, Iansenistae, qui interfuerunt Synodo Pistoriensi (a. 1787), et inter catholicos Carrière [1], qui tamquam opinionem probabilem et in praxi tutam docuit potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonii christiani non Ecclesiae soli, sed etiam principibus laicis convenire [2]. Contra hos omnes probatur thesis in hoc corollario enuntiata:

1. *ex Concilio Tridentino.* «S. q. d. causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, A. S.»[3] Hunc canonem autem esse intelligendum ita, ut ad *solam* Ecclesiam pertineat iudicare de rebus ad essentiam matrimonii pertinentibus, patet ex compluribus propositionibus damnatis [4]. Quare Pius VI in epistula ad episcopum Motulensem (d. 16 Sept. 1788) canonem citatum Concilii Tridentini declarans scribit: «Dogma est fidei, ut matrimonium post Christi adventum evaserit unum ex septem sacramentis Legis evangelicae. . . . Hinc fit, ut ad *solam Ecclesiam,* cui tota de sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam assignandi formam ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre.» Similia habet Leo XIII [5]: «Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.» Probat autem idem Pontifex [6] hanc Ecclesiae potestatem semper viguisse: «[Ecclesia] potestatem in coniugia christianorum omni cum tempore tum loco exercuit atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareat, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. . . . Nemo ignorat, quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II aliisque fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis iure imperatorio sancitis longe saepe distarent. Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam quanta est penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus [7] fateri non dubitarunt, in iis rebus, quae nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi licere. Et de connubiorum impedimentis, si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex permissu atque auctoritate.»

2. *ex ratione.* Contractus et sacramentum sunt in matrimonio christiano res inseparabiles [8]. Iam vero Ecclesia sola determinare et iudicare debet de sacramentis, minime autem potestas civilis. Ergo Ecclesia sola iudicat de

---

[1] De matrim. I 596.

[2] Carrière postea (a. 1857) hanc suam opinionem retractavit (cf. *Feije,* De imped. et dispens. matrim. n. 56).

[3] Sess. 24, can. 12 de matrim. (*Denz.* n. 982).

[4] Prop. 59 et 60 Syn. Pistor. (*Denz.* n. 1559 sq); Prop. 68—71 et 74 Syllabi Pii IX (*Denz.* n. 1768 sqq 1774); cf. Cod. iur. can. c. 1960.

[5] Const. «Arcanum». [6] Ib.

[7] Novell. 137. [8] Cf. supra n. 628.

omnibus ad essentiam sacramenti matrimonii pertinentibus. — Hoc argumentum tam evidens est, ut ipsum Calvinum perculerit, qui proinde negavit matrimonium esse sacramentum. Scribit enim: «Ubi enim semel obtinuere Catholici matrimonium esse sacramentum, coniugalium causarum cognitionem ad se contraxerunt, quippe res spiritualis erat profanis iudiciis non attrectanda.»[1]

647 **Corollarium 3.** *Potestas civilis nequit pro matrimoniis christianis statuere impedimenta dirimentia aut prohibentia; pariter nequit divortium quoad vinculum matrimoniale pronuntiare, neque permittere, ut christiani, qui divortium fecerunt, ad novas nuptias convolent.*

Haec omnia non sunt nisi practicae conclusiones deductae ex corollario praecedente. Etenim haec omnia pertinent ad essentiam sacramenti matrimonii. Porro potestas civilis nihil valet circa ea, quae sacramentum matrimonii attingunt. — Equidem institutum matrimoniale spectat quoque ad conservationem et bonum societatis civilis, cuius regimen competit gubernio civili, ac proinde gubernium civile habet verum ius recte regendi matrimonium subditorum. Ast cum matrimonium christianum sit sacramentum, gubernium civile iam nihil valet circa omnia, quae eius *characterem sacramentalem* attingunt; debet etenim cedere Ecclesiae, cuius ius est altius. Impossibile est enim, ut idem matrimonium christianum regatur a duabus potestatibus, civili nempe et ecclesiastica, independentibus. Secus accidere posset, ut idem matrimonium esset validum iuxta legem ecclesiasticam et invalidum iuxta legem civilem. — Ex hac tamen ratiocinatione non licet inferre, potestatem in matrimonium christianum competere Ecclesiae ex benigna concessione potestatis civilis, quod expresse damnatum est a Pio VI[2]. Potestas Ecclesiae hac in re unice dependet a voluntate Christi elevante contractum matrimonialem inter christianos ad dignitatem sacramenti. Quapropter Ecclesia numquam talem potestatem guberniis civilibus agnovit, sed potius leges ab imperatoribus de matrimonio latis haud semel expresse reiecit. Sic e. g. perversae sanctiones iuris Romani de adulterio et divortio reiectae fuere[3]. S. Gregorius Magnus coniugia consanguineorum a principibus permissa reprobavit[4]. Non raro Summi Pontifices contra ipsos imperatores aliasque personas praepotentes defendere ac tueri debebant Ecclesiae ius circa matrimonium. Sic e. g. Nicolaus I in celeberrima causa divortii Lotharii II competentiam soli Ecclesiae vindicavit[5]. Non minore constantia Innocentius II

---

[1] Inst. l. 4, c. 19, § 37. — Id ipsum agnovit celeberrimus iurista Protestanticus Berolinensis *Hinschius* scribens: «Einer solchen [staatlichen Ehegesetzgebung] muß die katholische Kirche entgegentreten; denn aus der von ihr angenommenen Sakramentsnatur ergeben sich als Konsequenzen die ausschließliche Gesetzgebung und Gerichtsbarkeit in Ehesachen, wenigstens soweit es sich nicht um das Vermögensrecht handelt.» *Holtzendorff*, Rechtslexikon, s. v. «Ehe».

[2] Prop. 59 Syn. Pistor.: «Doctrina synodi asserens, ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia; . . . subiungens, supposito assensu vel coniventia principum, potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare: canonum 3 4 9 12 sessionis 24 Concilii Tridentini eversiva, haeretica» (*Denz.* n. 1559).

[3] Cf. c. 4, C. 32, q. 4. [4] Cf. c. 21, C. 27, q. 2. [5] Cf. c. 4, C. 31, q. 2.

contra Philippum Augustum regem Galliae iura divina et canonica de matrimonio defendit. Et profecto mirabile est, qua constantia restiterit Pius VII potentissimo Napoleoni I in causa divortii.

Sicut potestas civilis non potest ferre impedimenta dirimentia matrimonii, ita etiam nihil valet circa impedimenta *prohibentia* matrimonii christiani. Contrarium quidem docuerunt Binder-Scheicher, Schulte, Weber, Silbernagel [1], sed eorum sententia admitti nequit, cum etiam impedimenta prohibentia sint causae matrimoniales, quae in matrimonio christiano non pertinent ad potestatem civilem, ut supra probatum est [2]. Nihil tamen obstat, quominus catholici observent statuta civilia lata de matrimonio ineundo, dummodo ne sint in se inhonesta neve ab Ecclesia expresse proscripta. Ratio est, quia secus maxima incommoda orirentur.

Per se patet potestatem civilem non valere divortium quoad vinculum pronuntiare, neque admittere ad novas nuptias illos, qui illegitime divortium peregerunt. Haec enim omnia nec ipsa Ecclesia valet, si agitur de matrimonio valido christiano. Ceterum ista omnia certo sunt causae matrimoniales ipsam essentiam sacramenti attingentes, quae proinde ad potestatem civilem nullo modo pertinent. Quomodo autem viri catholici officium iudicis aut advocati obtinentes se gerere debeant, quando agitur de divortio civili pronuntiando aut de novis nuptiis celebrandis ab iis, qui laborant impedimento dirimente, dicetur infra in capite de matrimonio civili n. 894 sqq.

Corollarium 4. *Potestas civilis potest et debet propria auctoritate* 648
ferre iusta statuta de effectibus temporalibus matrimonii [3].

Ratio patet, quia «*totius* societatis humanae in matrimonio fons et origo consistit», ut Leo XIII dicit in Encyclica «Arcanum». Ergo etiam societatis civilis maximum interest, ut omnia recte habeantur in matrimonio. Porro in contractu matrimoniali complura inveniuntur momenta materialia, e. g. unio bonorum eorumque administratio, successio, hereditas proli competens etc., quae non directe pertinent ad forum ecclesiasticum. De his omnibus potestas civilis leges iustas ferre debet, quae tunc, si revera iustae sunt, obligant subditos in conscientia. Officium est etiam potestatis civilis adiuvare Ecclesiam in regimine matrimonii christiani tuendo. Valde expedit, ut in legibus de matrimonio ferendis sit bona concordia inter Ecclesiam et potestatem civilem; ita quidem ut Ecclesia strenue admoneat fideles ad oboediendum iustis legibus civilibus, et vicissim potestas civilis efficaciter prohibeat subditos a transgressione legum, quas Ecclesia de matrimonio tulit.

Corollarium 5. *Non est sacramentum Novae Legis matrimonium* 649
inter non-baptizatos contractum neque etiam matrimonium inter partem baptizatam et alteram non-baptizatam.

Prima pars huius corollarii hodie ab omnibus admittitur, cum sine baptismo, utpote ianua omnium sacramentorum, nullum aliud sacramentum valide suscipi valeat. In latiore tamen sensu quidam veteres theologi, immo et Innocentius III et Honorius III, matrimonium quoque infidelium sacramentum vocant. Ad quod alludens Leo XIII in Encyclica «Arcanum» dicit: «Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum

[1] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 68.
[2] Cf. etiam prop. 74 damnat. in Syllabo Pii IX (*Denz.* n. 1774).
[3] Cod. iur. can. c. 1016 et c. 1961.

quiddam, non adventicium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III et Honorius III decessores nostri non iniuria nec temere affirmare potuerunt apud fideles *et infideles* exsistere sacramentum coniugii.»

Altera pars corollarii iam a saeculis controvertitur inter auctores. Baptizatum, qui legitime matrimonium init cum non-baptizato, recipere verum sacramentum docent: Ambrosius Catharinus [1], Dominicus Soto [2], Tournely [3], Ferraris [4], Perrone [5], Palmieri [6], Christ. Pesch [7], Scherer [8] aliique. Oppositum docent Petrus de Ledesma [9], Aeg. de Coninck [10], Pirhing [11], Schmier [12], Schmalzgrueber [13], Gotti [14], Billuart [15], Concina [16] et communiter Thomistae, De Smet [17], Billot [18], Wernz [19], multi alii. Hanc ultimam sententiam adoptamus praecipue propter duas rationes: a) S. Thomas simpliciter et sine ulla limitatione dicit: «*Matrimonium non potest claudicare*» [20], quod communissime explicatur in sensu negativo tantum, i. e. si contractus matrimonialis est invalidus ex una parte contrahentium, est etiam invalidus ex altera parte. Proinde si sacramentum matrimonii non adest ex una parte, nec etiam adest ex altera parte. Iam vero certum est partem infidelem esse inhabilem ad sacramentum matrimonii recipiendum. Ergo etiam pars catholica non recipit sacramentum. b) Si tale matrimonium esset sacramentum pro parte catholica, tunc, cum vinculum ex sacramento ortum sit strictius quam illud, quod oritur ex contractu tantum, obligatio partis catholicae esset strictior quam obligatio partis infidelis, quod est absonum, quia in coniugibus aequalis est vinculi obligatio. Optime animadvertit Billot [21]: «Opinio autem adversariorum hinc orta videtur, quod in sacramento nihil aliud vident praeter ritum exteriorem, quo immediate confertur gratia; nam certe quantum ad sacramentalem gratiam recipiendam quilibet coniugum est prorsus independens a comparte, et condicio unius non potest impedire gratificationem alterius. Sed si prae oculis habeas, quod gratia non confertur nisi *mediante vinculo sacramentali*, et quod ipsummet sacramentale vinculum est solus immediatus effectus exterioris sacramenti, tunc ne dubia quidem res tibi erit. Quippe vinculum est relatio quaedam inter duos, et quidem relatio aequiparantiae eiusdem rationis in utroque; si ergo unus est absolute incapax vinculi sacramentalis propter defectum baptismatis, alter, etsi baptizatus, non quidem absolute, sed respectu non-baptizati, sacramentalis nexus pariter incapax esse noscitur. Nullum igitur ibi est sacramentum, ubi nullus sacramentalis effectus aut esse aut concipi potest.»

---

[1] Comm. in 1 Cor. 7, 14. [2] Comm. in 4, dist. 27, q. 2, a. 3.
[3] Prael. theol. II, q. 2, a. 2.
[4] Prompta Bibl., s. v. «Matrimonium» n. 19, ubi auctor suam opinionem conatur defendere contra animadversionem theologi romani.
[5] De matrim. II 306. [6] De matrim. 103.
[7] Prael. dogm. VII, n. 728; Christ. Pesch probabiliorem vocat hanc sententiam.
[8] Kirchenrecht II, § 123, nota 9.
[9] De magn. matrim. sacr. (1592) in addit. ad Summam P. 3, q. 59, a. 2.
[10] De sacr. II, disp. 24, n. 24. [11] In 4, tit. 1, n. 71.
[12] In 4, a. 2, c. 1, n. 40 sq. [13] In 4, tit. 1, n. 307.
[14] Theol. dogm. II, tr. 13, dub. 2, n. 10. [15] De matrim. diss. 1, a. 5.
[16] De matrim. diss. 1, c. 4, n. 29.
[17] De sponsal. et matrim. n. 107.
[18] De eccl. sacr., de matrim. thes. 38. [19] Ius Decretal. IV, n. 44.
[20] Suppl. q. 47, a. 1. [21] L. c.

Nota. Quae modo dicta sunt de matrimonio, quod contrahit pars catho- 650
lica cum parte non-baptizata (ex dispensatione pontificia), valent etiam, si ex duobus coniugibus non-baptizatis alter postea baptizatur. Etiam tale matrimonium non evadit sacramentum pro parte sic baptizata. Haec sententia tam certa est, ut a paucis negetur. Etenim tale matrimonium, licet fuerit consummatum etiam post baptismum alterius partis, potest solvi quoad vinculum per privilegium Paulinum et probabilius etiam per dispensationem pontificiam [1]. Porro inauditum est aliquod matrimonium consummatum, quod est *sacramentum,* dissolvi quoad vinculum. — Econtra, quando *ambo* coniuges, qui matrimonium legitimum in infidelitate contraxerunt, semel christiani effecti fuerint, *ipso facto* (dummodo perseveret verus consensus maritalis), eorum matrimonium fit sacramentum. Ita sententia multo verior [2]; contradicunt tamen nonnulli, e. g. Billuart [3], Concina [4], Salmanticenses [5] aliique. Ratio autem est, quia tale matrimonium efficitur nunc legitimus contractus matrimonialis inter homines christianos. Iam vero omnis contractus matrimonialis inter christianos est verum sacramentum, ut iam pluries dictum est, et ut expresse definiverunt Pius IX [6] et Leo XIII [7].

Accedit ratio theologica: Causa efficiens matrimonii est legitimus consensus contrahentium. Atqui quando contrahentes in infidelitate adhuc exsistentes matrimonium legitimum contraxerunt, nihil aliud defuit, ut consensus maritalis produceret sacramentum matrimonii, nisi character baptismalis amborum contrahentium. Postquam autem baptismus reapse ab ambobus coniugibus susceptus est, talis obex cessat et matrimonium contractum evadit sacramentum. Satis clare huic sententiae favet S. Thomas [8] scribens: «Quamvis infidelibus non competat matrimonium, secundum quod est sacramentum, . . . competit tamen iis, in quantum est in officium naturae, et tamen etiam matrimonium tale est aliquo modo sacramentum *habitualiter, quamvis non est actualiter,* eo quod actu non contrahunt in fide Ecclesiae.» — Ex praxi Ecclesiae constat, non requiri novum consensum maritalem a neoconversis. Supponitur enim consensum prius datum virtualiter perseverare; quod sufficit ad valorem sacramenti. Sin autem consensus in infidelitate datus *expresse revocatus est,* e. g. per divortium civile, difficulter intelligitur, quomodo tunc tale matrimonium per baptismum amborum coniugum evadat sacramentum. Reciperent enim tunc isti coniuges sacramentum contra ipsorum voluntatem et intentionem. Quod quidem videtur non esse possibile. Praeterea causa efficiens sacramenti matrimonii est consensus contrahentium. Iam vero in casu revocationis talis causa efficiens deest. Ergo et desit sacramentum oportet. — Nihilominus nonnulli auctores, e. g. Billot [9], putant, etiam

---

[1] Cf. infra n. 676—680.

[2] Haec sententia, quae iam a *Benedicto XIV* (De syn. dioec. l. 8, c. 13, n. 8) vocata est communior, tenetur ab omnibus fere auctoribus modernis, e. g. a *Perrone,* De matrim. II 298; *Rosset,* De sacr. matrim. I, n. 340; *Billot,* De eccl. sacr, de matrim. thes. 38; *Tanquerey,* Synopsis Theol. mor., de matrim. n. 807; *Vlaming,* Prael. de iure matrim. [3] I 36; *van de Burgt-Schaepman,* Tract. de matrim. I 28; *Chr. Pesch,* Prael. dogm. VII, n. 727; *De Smet,* De sponsal. et matrim. n. 106.

[3] De matrim. diss. 1, a. 5, Pet. 6. [4] De matrim. diss. 1, c. 4, n. 30.

[5] De matrim. tr. 9, n. 82.

[6] In Allocutione consistoriali «Acerbissimum» d. 27 Sept. 1852: «Inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum» (*Denz.* n. 1640).

[7] Encyclica «Arcanum». [8] Suppl. q. 59, a. 2 ad 1.

[9] L. c. § 2.

consensu maritali revocato matrimonium evadere sacramentum per baptismum utriusque coniugis. — Casu occurrente in praxi adeunda est S. Sedes, si alteruter talium coniugum vult inire novum matrimonium.

651 **Corollarium 6.** *Matrimonium legitimum non-baptizatorum non subditur legibus Ecclesiae, subditur autem iustis legibus et impedimentis a potestate civili latis.*

Acerrime de hoc corollario disputaverunt et disputant auctores. His tamen temporibus illud accepit magnum robur ex Decreto «Ne temere» et ex Codice iur. can. c. 1099, § 2, quo authentice declaratum est: «Acatholici sive baptizati sive non-baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.»[1] — Sane hic agitur tantum de *forma* matrimonii, ac proinde nondum licet inferre generaliter non-baptizatos nullo modo ligari vel non posse ligari legibus ab Ecclesia circa matrimonium latis, sed ex citatis locis licet suspicari, non esse Ecclesiae mentem se intromittendi in causis matrimonialibus non-baptizatorum, cum nec haereticos velit subicere matrimonii formae servandae. Unde communissime docent auctores, Ecclesiam non ferre impedimenta matrimonii pro infidelibus, nec eorum matrimonia subesse iurisdictioni Ecclesiae. Accedit etiam praxis Curiae Romanae, quae valida reputat matrimonia infidelium, licet sint contracta cum impedimento iuris ecclesiastici, dummodo tamen ne obstet impedimentum iuris naturalis aut divini. Sic e. g. S. Officium d. 17 Ian. 1872 valida declaravit matrimonia in infidelitate contracta, licet obstaret impedimentum iuris ecclesiastici. Idem S. Officium d. 26 Aug. 1891 declaravit, «affinitatem, quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula cum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis, quae in infidelitate ineuntur», addit autem: «*evadere tamen impedimentum pro matrimoniis, quae ineuntur post baptismum, quo suscepto infideles fiunt subditi Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecti*»[2].

Indirecte aliquando subsunt infideles iurisdictioni Ecclesiae quantum ad matrimonium, et notanter quantum ad impedimenta dirimentia iuris ecclesiastici, nempe quando volunt matrimonium contrahere cum parte fideli[3]. Matrimonium

[1] *Denz.* n. 2070.

[2] Collect. de Prop. Fide n. 1766. Idem iam docuit S. Officium d. 16 Sept. 1824 (ib. n. 784). Unde affinitas in se et physice considerata, quae semel contracta est per copulam carnalem, evadit impedimentum ecclesiasticum *post baptismum susceptum*. Idem docuit de *consanguinitate* S. Congr. de Prop. Fide d. 23 Aug. 1852: «Infidelis ad fidem conversus, post mortem legitimae uxoris infidelis, possetne matrimonium contrahere cum consanguinea (usque ad 4. gradum inclusive) eiusdem defunctae uxoris, sive ista consanguinea baptismum susceperit ante sive post mortem praedictae uxoris infidelis? Resp.: Negative.» (Collect. de Prop. Fide n. 1079 ad 4.) Alia impedimenta iuris ecclesiastici nullo modo attingunt non-baptizatos. Sic e. g. illos non attingit impedimentum *publicae honestatis*, ut docuit S. Officium d. 19 Apr. 1837: «Titius paganus duxit Maeviam paganam, sed non consummavit; post mortem Maeviae Titius fit christianus: potestne ducere Bertham sororem vel consobrinam Maeviae e pagana factam christianam? idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato?» Respondit S. Congregatio: «Impedimentum non subsistere». Pariter non *impedimentum criminis* (cf. S. C. de Prop. Fide d. 23 Aug. 1852 ad 5 [Collect. de Prop. Fide n. 1079]); nec *impedimentum propter defectum aetatis* (cf. S. Offic. d. 10 Dec. 1885 et 6 Aug. 1886 [Collect. n. 1645 et 1662]).

[3] Quando autem Ecclesia dispensat super disparitate cultus, *censetur simul dispensare* super impedimentis iuris ecclesiastici, quibus pars infidelis per se non est obnoxia. Cf. infra de imped. dispar. cultus n. 825.

enim est contractus prorsus individualis, ac proinde inhabilitas, quae directe afficit unam partem, indirecte reddit inhabilem alteram partem. Sic e. g. infidelis nequit in matrimonium ducere personam baptizatam sibi in secundo gradu consanguineam aut etiam affinem. Matrimonium enim non potest claudicare, ut supra n. 635 dictum est. Sane pars infidelis non ligatur ecclesiastico impedimento, sed quia pars fidelis ligatur et laborat inhabilitate, ideo eadem inhabilitate afficitur pars infidelis.

652 De altera parte corollarii merito scribit Wernz[1]: «Antiqui theologi et canonistae communi consensu docuerunt, principes civiles pro suis subditis *infidelibus* vel ipsa impedimenta dirimentia statuere posse, et non dubitarunt, quin hanc sententiam defenderent ut certam.» Non solum autem antiqui theologi et canonistae, sed etiam omnes fere moderni sic docent, e. g. Cavagnis, Santi, De Angelis, Zitelli, Grandclaude, Gasparri, Rosset, Ballerini, D'Annibale, De Becker, De Smet, Cathrein, Hammerstein, Boeckenhoff, Vogt etc.[2] Non autem concordant isti auctores, utrum tale ius competat principi modo nativo et originario, an tantum *modo devolutivo*. Ius statuendi impedimenta dirimentia principi civili negant Liberatore, Perrone, Zigliara, Martin, Heuser[3], Billot[4], quorum sententia sat magnum pondus acquisivit ex Encyclica «Arcanum», ubi Leo XIII dicit: «Cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur *non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae,* quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evaserunt longe nobilissima.» — Leo XIII ergo negare videtur principi civili potestatem in matrimonia, quippe quae, etiam praeciso charactere sacramentali, sint quid sacrum. Sed non obstantibus his Encyclicae verbis, sententia affirmativa videtur esse verior. Etenim:

1. Si princeps civilis nihil potest circa impedimenta dirimentia matrimonii, tunc pro infidelibus nulla exsistit terrena auctoritas matrimonium regens, quia Ecclesia non habet in eos iurisdictionem, ut supra dictum est. Hoc autem videtur esse absurdum, vel saltem maxime inconveniens. Si enim potestas civilis non ferret iustas leges positivas de matrimonio infidelium, et si infideles istis legibus non obligarentur, eorum matrimonia certissime deturparentur omnigenis inordinationibus, et ipsa res publica maxima damna pateretur. Quod sane evitandum est, ac proinde principi civili concedenda est potestas ferendi leges intime attingentes matrimonia infidelium. Istud argumentum aliqualiter ab ipsis adversariis admittitur. Unde dicit Billot[5], «principem posse apud eos [infideles] regulare contractum matrimonialem et de matrimonialibus causis iudicare: non quod auctoritas ista sit pars civilis principatus, sed quia per accidens et ratione necessitatis devolveretur in supradictis circumstantiis ad eum, qui solus ibi legitime praeest, ut bonum sociale utcumque ibi conservetur. Tunc enim aliqualiter applicatur tritum axioma: Suprema lex salus populi.»

2. S. Thomas favet huic sententiae scribens[6]: «Matrimonium, in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; in quantum est sacramentum, statuitur iure divino; in quantum est in officium communitatis, statuitur

[1] Ius Decretal. IV, n. 76.

[2] Cf. *Adr. Resemans,* De competentia civili in vinculum coniugale infidelium, Romae 1887. [3] De potestate statuendi imped. dirim., Lovanii 1853.

[4] De eccl. sacr. II, thes. 47. [5] Ib. ad 5.

[6] Suppl. q. 50, a. unic. ad 4. Cf. Summa c. gent. l. 4, c. 78

lege civili. Et ideo *ex qualibet* dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima.» Admittit igitur S. Thomas potestatem civilem posse aliquando statuere impedimentia dirimentia.

3. Citantur in favorem huius sententiae nonnulla documenta S. Sedis [1], quorum praecipuum est Instructio S. Congregationis de Prop. Fide, quae dicitur edita d. 26 Iunii 1820. «Licet inter infideles verum sit matrimonium, illud tamen ad naturae et communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a iure naturali et civili plane est moderandum. Sequitur hinc, principes saeculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut scil. appositis impedimentis, quae iuri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quoad civiles effectus, sed etiam quoad coniugale vinculum penitus rescindant, ... et quod de lege principis saecularis hoc in casu dicitur, intellige etiam de legitima consuetudine, quae vim legis in subditos infideles adepta est.» Huius Instructionis *approbatio nullibi invenitur,* ideoque recte dicit Gasparri [2]: «Probabile est hanc Instructionem fuisse approbatam a S. Congregatione, sed non certum, quia approbatio haec de facto deest.»

653 **Nota pro praxi.** In hac controversia de potestate principis civilis, quae non tantum est mere speculativa, sed etiam practici momenti, quia cum apud exteros tum apud nostrates matrimonia ineuntur a non-baptizatis contra statuta legis civilis, ad hunc diem nulla definitiva et certa decisio S. Sedis exsistit; immo non habentur tot uniformes constantesque responsiones particulares Congregationum Romanarum, ut alterutra sententia ex «stylo Curiae Romanae» tamquam recepta et approbata dici queat. Quam ob rem in casu practico non est iudicium ferendum de nullitate alicuius matrimonii ab infidelibus contra statuta legis civilis initi absque praevio recursu ad S. Sedem. Et hoc vel eo magis, quia saepe difficillimum est iudicare, num in aliqua regione revera exsistant leges civiles, quae intendunt statuere *impedimenta vere dirimentia.* Nam licet fere in cuiuslibet terrae codice civili statutae sint normae, sine quibus matrimonium celebrari nequit, inde tamen nondum certo sequitur, ut sub poena *nullitatis* legislator voluerit obligare. Saepe enim huiusmodi statuta sunt leges mere poenales, non autem leges vere irritantes [3].

Quidam auctores subiungunt quaestionem, utrum matrimonium valide contractum inter partem baptizatam et partem non-baptizatam cadat sub *solo* regimine Ecclesiae, an vero propter partem non-baptizatam etiam sub potestate civili. Licet quidam, ut Van de Burgt-Schaepman [4], De Becker [5], D'Annibale [6] doceant matrimonium sic initum cadere cum sub regimine Ecclesiae tum sub regimine potestatis civilis, ita ut tale matrimonium non sit validum, nisi sit liberum ab impedimentis iuris cum ecclesiastici tum civilis,

---

[1] Instr. S. C. de Prop. Fide d. 8 Oct. 1631; Instr. S. Offic. d. 20 Sept. 1854 et 29 Oct. 1739. De omnibus declarationibus istis docte disserunt, praeter *Resemans* in opusculo cit., *Feije* (De imped. et dispens. matrim. n. 70) et *Wernz* (Ius Decretal. IV, n. 81, not. 209).

[2] De matrim. I, n. 288.

[3] In Germania (Cod. civ. § 1323—1329), Austria (Cod. civ. § 48—69) videntur esse statuta vera impedimenta dirimentia.

[4] Tract. de matrim. I, n. 48.

[5] De matrim. 44.

[6] Summula Theol mor. III 294.

tamen contraria sententia, quae tenetur a Wernz [1], Gasparri [2], Resemans [3], De Smet [4], videtur esse praeferenda. Etenim impossibile est, ut unum idemque matrimonium regatur independenter a duplici distincta potestate Posset enim tunc casus accidere, ut tale matrimonium haberetur ut validum ab Ecclesia et invalidum a potestate civili, et utrumque statutum valeret in conscientia, quod est sane absonum. Quare dicendum est talia matrimonia subdi potestati superiori, scil. *ecclesiasticae soli,* licet non sint sacramenta, ut supra dictum est.

ARTICULUS II.

De materia et forma sacramenti matrimonii.

Praenotamen. Probata exsistentia sacramenti matrimonii, nunc eius materia et forma investiganda est. Tractamus: 1. de matrimonii materia et forma in genere; 2. de consensu maritali in specie.

§ 1.

De materia et forma matrimonii in genere.

Cum sit certum in christiano matrimonio sacramentem esse inseparabile a contractu, ita ut, quoties contractus matrimonialis valide ineatur inter christianos, toties adsit sacramentum matrimonii [5], hinc materia et forma sacramenti matrimonii eadem est ac materia et forma contractus matrimonialis.

Materia remota sacramenti matrimonii *sunt contrahentium per-* 654
sonae, seu, ut alii volunt, est ius mutuum in corpora in ordine ad generationem. Ratio est, quia materia remota cuiusque contractus est res, circa quam stipulatur. Iam vero in contractu matrimoniali stipulatur circa dominium mutuum in corpora in ordine ad generationem [6].

Materia proxima sunt signa vel verba, prout exprimunt *traditionem corporum,* vel, quod idem est: consensus, quatenus exprimit reciprocam traditionem. Ita sententia longe communior, quam tenent e. g. Billuart [7], Dom. Soto [8], Bellarmin [9], Suarez [10], Christ. Pesch [11], De Smet [12] aliique. Ratio est, quia in omni sacramento materia proxima vocatur illud, quod applicat materiam remotam et quod per formam supervenientem prorsus determinatur. Atqui haec traditio corporum est applicatio materiae remotae, scil. iuris mutui in corpora: determinatur autem a forma, quae est acceptatio huius traditionis (ut mox dicetur), ita ut tunc totus contractus matrimonialis sit finitus.

Forma *est mutua acceptatio huius traditionis exterius manifestata.* 655
Ita iterum sententia communis, quam tenent iidem auctores citati. — Optime de hac re scribit Billuart [13]: «Sacramentum matrimonii nihil est

[1] Ius Decretal. IV, n. 60 Scholion et n. 75.
[2] De matrim. ed. 3 n. 306 auctor mutavit sententiam suam prius propositam.
[3] L. c. p. 2. [4] De sponsal. et matrim. n. 225. [5] Cf. supra n. 628.
[6] Ita *Billuart,* De matrim. diss. 1, a. 7, et *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 880.
[7] L. c. [8] 4, dist. 25, q. 2, a. 3. [9] De matrim. c. 6.
[10] De sacr. in gen. disp. 2, sect. 1. [11] Prael. dogm. VII, 758.
[12] L. c. n. 109. [13] L. c.

aliud quam contractus civilis elevatus ad esse sacramenti, nulla mutatione facta circa materiam et formam. Ergo ea est materia et forma sacramenti, quae contractus. Subsumo: Atqui in contractibus civilibus, consequenter in matrimoniali, traditio rei seu consensus in traditionem exterius expressus est materia; acceptatio seu consensus in acceptationem exterius expressus est forma. Ergo ... Prob. subsumptum: Illud habet rationem materiae, quod est determinabile; habet autem rationem formae, quod est determinativum.... Atqui in omni contractu civili traditio est determinabilis completurque in ratione perfecti contractus per acceptationem, quae se habet ut determinativum. Ergo ...»

In aliis quidem sacramentis distinguitur materia a forma, ideoque Concilium Florentinum definivit, sacramenta perfici tribus, scil.: materia, forma, intentione ministri; ast in sacramento matrimonii haec tria non distinguuntur nisi secundum *formalem conceptum*. Nam idem consensus maritalis sub diversa tamen ratione est simul materia, forma, causa efficiens. Quod quidem provenit inde, quia solum sacramentum matrimonii est a Christo institutum *per modum contractus*. Porro in contractu haec tria possunt esse unita in eadem persona, sicut si quis se ipsum locat in servitium. In isto enim contractu ipso contrahens est simul: materia, forma, causa efficiens.

Scholion. De aliis sententiis. Praeeunte Melchiore Cano quidam docuerunt materiam sacramenti matrimonii esse verba consensum exprimentia, formam vero esse benedictionem sacerdotis, qui etiam est minister huius sacramenti. Haec sententia est falsa, ut probabimus in sequenti articulo, quando de ministro sacramenti matrimonii sermo erit. Non vacat hic loqui de aliis sententiis nunc prorsus obsoletis circa hanc materiam [1].

§ 2.

De consensu maritali in specie.

656 Ex dictis in praecedenti paragrapho patet, consensum maritalem esse simul materiam, formam, et causam efficientem sacramenti matrimonii; ideo, si iste consensus aliquo defectu essentiali, e. g. errore, vi etc., laborat, iam matrimonium exsistere nequit; obstat enim impedimentum dirimens *ob defectum consensus* de quo infra latius dicetur. Iam autem agendum est de *dotibus* consensus matrimonialis, quae sunt sequentes. Consensus debet esse:

1. *verus*, i. e. non fictus vel simulatus aut iocosus.

Uterque enim contrahens debet habere veram et sinceram intentionem tradendi alteri ius in proprium corpus in ordine ad generationem. Quam ob rem unio inter virum et mulierem facta propter alios fines, e. g. *solum* mutuum solamen et tutamen, ob solas divitias compartis obtinendas etc., non est verum matrimonium. — Fictio seu simulatio consensus matrimonialis tunc adest, quando alter contrahens externe quidem verba aliave signa consensum exprimentia serio et rite profert, interius autem prorsus aliam intentionem

[1] Videsis *Chr. Pesch*, Prael. dogm. VII, n. 754 sqq.

habet. Intentio talis simulatoris potest esse triplex: 1. omnino non contrahendi; 2. contrahendi quidem, sed non se obligandi; 3. contrahendi quidem et se obligandi, sed non implendi obligationes ortas. Haec tertia simulatio est quidem graviter peccaminosa, quia est insignis deceptio iniusta compartis, sed non irritat matrimonium contractum, quia essentia matrimonii consistit in sincero consensu contrahendi. Prima autem et secunda simulatio matrimonium prorsus irritat, quia tunc verus consensus matrimonialis non adest. — In foro *externo* tales fictiones non agnoscuntur, nisi post claram probationem, quae quidem est sat difficilis. Non enim sufficit affirmatio etiam iurata unius vel utriusque coniugis, sed requiruntur alii testes vel indicia ita certa, ut nullum rationabile dubium de fictione exsistente remaneat [1].

657 **Quaeres:** a) Num ille, qui ficte consentit in matrimonio christiano, reus sit sacrilegii proprie dicti? Plerique affirmant, e. g. Pirhing [2], Schmalzgrueber [3], Marc [4], quia ille simulat sacramentum matrimonii, quod est verum sacrilegium, a quo nec metus gravis excusat, ut patet ex propositione (29) ab Innocentio XI damnata: «Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.» [5] — Alii auctores probabilius negant, e. g. S. Alphonsus [6], D'Annibale [7], Gasparri [8] etc. Ratio est, quia simulatio sacramenti, quae est sacrilegium, non adest nisi quando quis ponit quidem materiam et formam sacramenti, sed internam intentionem verum sacramentum administrandi cohibet, ita ut totus ritus sit vanus et nullus. Iam vero ficte consentiens in matrimonio nullam apponit materiam et formam sacramenti matrimonii, quia ipsum contractum matrimonialem, quae est materia et forma huius sacramenti, destruit. Haec ratio maiorem adhuc efficaciam acquirit ex mox dicendis.

b) *Licetne aliquando fictum consensum matrimonialem praestare?* Affirmative, dummodo adsit gravis causa. Ita sententia communis [9]. Hinc e. g. licet fictum consensum praestare, si quis per metum gravem iniustum cogitur ad matrimonium ineundum, vel si quis detegit se aliquo impedimento dirimente, sed dispensabili innodari, quando iam omnia parata sunt ad nuptias neque matrimonium potest differri neque dispensatio potest hic et nunc obtineri. Sin autem in istis casibus licet fictum consensum praestare, iam per se patet non omnem fictum consensum matrimonialem esse verum sacrilegium, quia numquam licet sacrilegium patrare.

c) *Ad quid tenetur ille, qui cum gravi culpa ficte consenserit?* Imprimis non potest debitum coniugale petere aut reddere. Patet, quia talis actus esset putida fornicatio. Deinde tenetur iniustum damnum resarcire, quod comparti intulit decipiendo. Nisi ex matrimonio convalidando magna damna timentur, tenetur quantocius verum consensum praestare, ita ut matrimonium evadat legitimum. Ratio est, quia, quando duo libere contrahunt, una parte sincere procedente, tenetur altera pars pariter sincere procedere [10].

2. *liber et deliberatus.* 658

Liberum necessario esse consensum maritalem, patet ex Corpore Iuris [11]: «Matrimonium solo consensu contrahitur et, ubi de ipso quaeritur, plena

[1] Cf. infra de impedimento ob defectum consensus. [2] In 4, tit. 1, n. 97.
[3] In 4, tit. 1, n. 230. [4] Instit. mor. n. 1972. [5] *Denz.* n. 1179.
[6] Theol. mor. l. 6, n. 62. [7] Summula Theol. mor. III, § 295.
[8] De matrim. II, n. 795.
[9] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 62 et 887; *Marc* l. c. Milante videtur esse fere solus, qui hoc negat.
[10] Cf. *Billuart*, De matrim. a. 2. [11] c. 14, X 4, 1.

debet securitate illa gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire.» — S. Thomas [1] affert duas rationes, propter quas consensus maritalis debet plena libertate gaudere: a) quia matrimonium significat coniunctionem Ecclesiae cum Christo. Iam vero haec coniunctio est unio libera amoris. Ergo pariter in quolibet matrimonio debet adesse unio libera amoris. b) Vinculum matrimonii est *perpetuum*. Unde illud, quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum. Et ideo haec coactio metus, qui cadit in constantem virum, tollit matrimonium. — Iugum matrimoniale, quamvis libenter susceptum, iam est durum; evadit autem servitus crudelis, quando est coactum.

Cum contractus matrimonialis sit res gravissima, requiritur insuper praevia *deliberatio* seria cum perfecta cognitione. Quapropter si quis est amens vel ebrius vel hypnotizatus, non habet sufficientem deliberationem ad validum consensum matrimonialem praestandum, et matrimonium sic forte initum est nullum. — Libertati et deliberationi necessariis opponuntur impedimenta dirimentia: vis, metus, raptus, error; de quibus latius infra [2].

3. *de praesenti.*

Ut supra dictum est, essentia matrimonii consistit in consensu de praesenti praestitus; ideoque non sufficit consensus de futuro.

4. *mutuus et simultaneus.*

Matrimonium est contractus bilateralis, ad quem omnino requiritur, ut ambo contrahentes mutuum consensum praebeant. Ergo non sufficit, ut unus solus consensum praebeat, sed requiritur, ut ambo contrahentes consensum praestent et acceptent. Deinde opus est, ut consensuum traditio et acceptatio sint *simultaneae*. Sufficit tamen *unio moralis*. Unde e. g. si Caius dicit Semproniae: Accipio te in matrimonium, et Sempronia hic et nunc nihil respondet, sed deliberat et post horam dicit Caio exspectanti: Accipio et ego te in matrimonium, talis consensus est sufficienter simultaneus. In praxi iuxta vigentem disciplinam raro potest oriri quaestio de simultaneitate consensus. Antiquis autem temporibus, quando haud raro contrahebantur matrimonia *per procuratorem*, haec quaestio fuit maioris momenti.

659 5. *externe et legitime manifestatus.*

Concilium Florentinum declaravit in Decreto pro Armenis: «Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.» [3] — Hoc verbum «regulariter» non pertinet ad mutuum consensum, qui non tantum regulariter, sed semper adesse debet, sed ad «verba de praesenti expressus.» Etenim licet in casibus extraordinariis consensus matrimonialis possit exprimi quolibet signo externo intelligibili, e. g. litteris, nutibus, procuratore, tamen regulariter debet exprimi *per verba* clare pronuntiata. Unde parochus matrimonio assistens exigat a nupturientibus, ut non tantum nutibus aut lacrimis consensum exprimant, sed etiam claris verbis, quia secus multa incommoda oriri possunt, ut experientia testatur. Innocentius III [4] dixit: «Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum ex-

---

[1] Suppl. q. 47, a. 3.
[2] n 786 sqq.
[3] *Denz.* n. 702.
[4] c. 25, X 4, 1.

primentia de praesenti; nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis.» Exinde deducunt nonnulli, verba exprimentia consensum esse *sub gravi* ab Ecclesia praescripta. Probabilius autem hoc praeceptum ecclesiasticum non obligat nisi sub levi. Ita S. Alphonsus [1], qui addit: «Sed a tali culpa bene excusaret verecundia aut alia rationabilis causa.» Nostris quidem temporibus sola verecundia non videtur esse sufficiens causa, ut supersedeatur a verbis consensum matrimonialem exprimentibus. Statuit enim simpliciter Codex iur. can.[2]: «Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint.» — Ceterum iubetur et ipse parochus in excipiendo consensu nupturientium eam adhibere formulam verborum, quae in cuiusque dioeceseos statutis praescripta est. Nam Concilium Tridentinum [3] statuit: «Parochus viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: «Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.» — Consensus matrimonialis est *legitime* manifestatus, quando observantur ea omnia, quae a lege ecclesiastica cum quoad liceitatem tum quoad validitatem praescripta sunt. De quibus omnibus tractabitur infra, quando sermo erit de celebratione matrimonii.

Manifestatio consensus per procuratorem [4]. Pauca dicenda sunt de hac re, quippe quae hodiernis temporibus non sit ita practica. 660

Ad *validitatem* huiusmodi matrimonii requiritur:

1) ut sit *mandatum speciale* ad contrahendum cum certa persona. Quod quidem mandatum necesse est, ut sit subscriptum a) ab ipso mandante; qui si scribere nesciat, id in mandato adnotetur et alius testis addatur, qui scripturam subsignet. b) vel a parocho aut Ordinario loci, in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus testibus.

2) ut mandans, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, mandatum non revocaverit, aut in amentiam inciderit.

3) ut procurator munere suo fungatur per se ipse et non per alium subdelegatum.

Insuper praescribitur: a) ut observentur statuta dioecesana de hac re forsitan lata; b) ut adsit iusta causa; c) ut habeatur licentia Ordinarii, si tempus suppetit.

Matrimonium per *interpretem* quoque contrahi potest; non autem etiam per *litteras*, cum Codex iur. can.[5] generaliter statuat: «Ad matrimonium valide contrahendum necesse est, ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem.» Iamvero si matrimonium contrahitur per litteras, contrahentes non sunt praesentes.

6. *absolutus et non condicionatus.* 661

Auctores monent matrimonialem contractum non posse *licite* iniri sub condicione, nisi hoc episcopus ob gravissimas rationes expresse permiserit. Nostris temporibus huiusmodi permissio vix umquam invenitur [6]. Accidit autem haud ita raro, ut nupturientes propria auctoritate condiciones in matrimonio contrahendo apponant; ex quo infelici modo agendi ipsa matrimonii validitas periclitatur. Unde hic breves quaedam regulae desumptae ex Codice iur.

---

[1] Theol. mor. l. 6, n. 888.
[2] c. 1088, § 2.
[3] Sess. 24, c. 1, de reform.
[4] Cf. Cod. iur. can. 1089—1091.
[5] c. 1088, § 1.
[6] Cf. Instr. austriaca § 55.

can. c. 1092 indicantur ad discernendum, utrum matrimonium condicionate initum sit validum necne. Omittimus autem complures casus ab auctoribus veteribus adductos, qui hodie utilitatem practicam vix habent. Monemus sequentes regulas non valere nisi pro veris *condicionibus suspensivis*. Solent enim distingui condiciones suspensivae, resolutoriae, interpretativae[1]. *Condicio suspensiva* illa est, quae suspendit validitatem contractus, donec ipsa verificata fuerit; e. g. contraho tecum matrimonium, si revera hucusque virginitatem servaveris. *Condicio resolutoria* vocatur ea, quae adveniens solvit contractum initum; e. g. vendo tibi hanc domum usque ad mortem patris. Post mortem patris contractus venditionis eo ipso resolvitur. Propter indissolubilitatem matrimonii condicio resolutoria impossibilis est in contractu matrimoniali. *Condicio interpretativa* vocatur illa, quae quidem censetur implicite adfuisse, sed explicite apposita non fuit; e. g. si sponsus cognovisset paupertatem sponsae, numquam eam in matrimonium duxisset. Condiciones istae interpretativae nullum effectum producunt, nisi tamen constituunt errorem substantialem aut redundantem in personam, ut infra dicetur de impedimento erroris[2].

662 **Regula I.** *Matrimonium initum sub condicione* **de praesenti** *vel* **de praeterito** *valet aut non valet, prout condicio verificatur vel non.*

E. g. Caius contraxit matrimonium cum Tullia sub expressa condicione, quod Tullia virginitatem illibatam custodiverit. Si res est ita, matrimonium valet; secus est nullum[3].

Regula II. *Matrimonium contractum sub condicione* **de futuro contingente honesto** *suspenditur, usquedum condicio verificata fuerit; verificata autem condicione matrimonium fit eo ipso validum, nec necessaria est (per se) renovatio consensus.*

Ita sententia communis auctorum, quae nititur super c. 5, X 4, 5[4]; e. g. Caius contrahit matrimonium cum Laetitia sub ea condicione, quod pater consensum praestiturus sit. Hoc matrimonium suspenditur, usque dum pater revera consensum praestiterit; quo praestito matrimonium fit validum sine renovatione consensus. Porro ea, quae valent de adimpletione condicionis, pariter valent *de renuntiatione* condicionis appositae. Si Caius in exemplo allato diceret Laetitiae: Renuntio condicioni appositae, matrimonium ilico evaderet validum, dummodo consensus matrimonialis prius praestitus perseveraverit. Immo non requiritur renuntiatio expressa, sed sufficit renuntiatio *implicita*, qualis habetur per copulam carnalem libere exercitam inter contrahentes. Unde docent quidam auctores, in hoc casu haberi adhuc nostris diebus matrimonium sic dictum *praesumptum*, quod secus a Leone XIII Const. «Consensus mutuus» (1892) abolitum est[5]. Si matrimonium contractum est sub condicione: «*si Papa dispensaverit*», tunc, obtenta dispensatione Pontificia, consensus renovandus est in forma a legibus praescripta. Ita omnes auctores moderni[6]. Ratio est, quia ante obtentam dispensationem pontificiam contrahentes fuerunt *inhabiles* ad efficacem consensum praestandum. — Ceterum in praxi multo melius est, ut renovatio consensus *semper* exigatur,

[1] Cf. supra II, n. 261. [2] n. 788.
[3] Cf. Causa Versaliens. Acta Ap. Sed. X (1918) 388 sqq.
[4] Cf. *Gasparri* l. c. n. 849; *De Smet* l. c. n. 87.
[5] Cf. *De Smet*, De sponsal. et matrim. n. 87; *Vogt*, Das kirchliche Eherecht § 31.
[6] Cf. *Gasparri* l. c. II, 851; *Feije*, De imped. et dispens. matrim. n. 648; *Wernz* l. c. IV, n. 297; *De Smet* l. c.

quando agitur de matrimonio prius sub condicione contracto, quod verificata condicione absolutum evasit. Si matrimonium sub condicione contractum est, ante impletionem condicionis uterque contrahens valide quidem resilire potest a contractu inito; illicite tamen solet agere, nisi compars libere consentit in dissolutionem contractus. Patet per se, quia talis resiliens frangit fidem datam.

Regula III. *Matrimonium contractum sub condicione* **de futuro contingenti turpi vel necessario vel impossibili, quod tamen non est contra substantiam matrimonii,** *est validum.* 663

Talis enim condicio censetur ut non adiecta[1]. Hinc e. g. validum est matrimonium, quod contractum est sub condicione, quod mulier debeat a patre auferre magnam summam pecuniae. Aliud idque celebre exemplum talis condicionis inhonestae est stipulatio de educanda prole in haeresi aut infidelitate. Licet quidam auctores[2] hanc condicionem ut directe *contra substantiam matrimonii* positam velint (saltem si est in pactum deducta), cum sit contra spirituale bonum prolis, tamen communior sententia docet illos, qui hoc modo paciscuntur, peccare quidem gravissime, sed valide contrahere, nisi aliud impedimentum dirimens obstet. Ratio est, quia haec condicio communiter non habetur ut condicio sine qua non, sed ut purus *modus* contractui matrimoniali adiectus. Deinde etsi vere et expresse stipulata est educatio prolis in haeresi, haec condicio violat quidem gravissime bonum spirituale prolis, non autem eius bonum naturale. Iam vero solae condiciones destruentes *bonum naturale* prolis videntur irritare matrimonium contrahendum[3]. Quae quidem sententia confirmatur ex constanti praxi Ecclesiae, quae ista pacta de totali vel partiali educatione prolis in haeresi vel infidelitate semper quidem reprobavit, at nullibi statuit matrimonia inde irrita evadere.

Regula IV. *Matrimonium contractum cum condicione,* **quae est contra substantiam matrimonii,** *est nullum*[4]. 664

Ratio est, quia huiusmodi consensus involvit contradictionem. Talis enim contrahens vult quidem matrimonium, sed condicione apposita statim illud destruit. Substantia autem matrimonii consistit in tribus bonis, nempe prolis, fidei, sacramenti, de quibus infra sermo erit[5]. Hinc invalida sunt e. g. matrimonia, quae contrahuntur sub condicione vitandi generationem, aut non generandi nisi duos infantes et postea abutendi matrimonio, faciendi divortium, si placuerit. Sane *certo* constare debet talem condicionem vere suspensivam esse *explicite* appositam, antequam matrimonium ob istum defectum declaretur nullum. Quamdiu enim remanet aliquod dubium, standum est pro valore matrimonii, quippe quod gaudeat favore iuris[6]. In foro externo matrimonium ob istas condiciones appositas non solet declarari invalidum, nisi constet illas esse *expresse* in pactum deductas. Hinc matrimonia haereticorum putantium licitum esse divortium, nihilominus censentur

---

[1] «Condiciones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter eius favorem pro non adiectis haberi» (c. 7, X 4, 5). Ita quoque Cod. iur. can. c. 1092, n. 1.

[2] *Weber*, Ehehindernisse § 3; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II 880 nota; *Haine*, Elem. Theol. mor. IV, q. 46.

[3] Cf. *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 302; *Noldin*, De sacr. n. 504.

[4] Ita c. 7, X 4, 5 et Cod. iur. can. c. 1092, n. 2.

[5] n. 694. [6] Cod. iur. can. c. 1014.

valida, quia condicio divortii non solet expresse in pactum deduci. S. Officium d. 2 Oct. 1860 ad quaestionem: «An sit validum matrimonium contractum inter catholicam et schismaticum haereticum, cum condicione foedandi vel solvendi matrimonium?» respondit: «*Si ista sint deducta in pactum, . . .* sunt nulla; sin aliter, sunt valida.»

Auctores solent hic etiam quaestionem movere, *num validum sit matrimonium initum sub condicione servandi continentiam aut etiam cum voto castitatis.* Sententia probabilior docet, talia matrimonia esse valida, dummodo ne excludatur *ius* ad copulam. Ratio est, quia in huiusmodi matrimoniis contrahentes sibi invicem plenum *ius* ad matrimonii usum concedunt; in tali autem consensu consistit essentia matrimonii. Quod autem deinde sibi promittunt, se numquam usuros iure concesso, est per accidens neque tollit essentiam matrimonii. Si ambo contrahentes sibi invicem promittunt inde ab initio, se numquam usuros esse iure matrimoniali, et a fortiori si emittunt perfectum votum castitatis, dicuntur inire *matrimonium Iosephinum*[1], quia inter S. Ioseph et B. Virginem tale matrimonium censetur exstitisse[2]. Tales autem coniuges matrimonio utentes peccarent quidem contra votum, sed non contra castitatem.

ARTICULUS III.

De ministro sacramenti matrimonii.

665 Recte scribit Billuart[3]: «Unanimis fuit antiquorum theologorum sententia, si forte excipias Guilelmum Parisiensem, *contrahentes esse ipsos ministros matrimonii,* non solum ratione contractus, sed et in ratione sacramenti, donec Melchior Cano lib. 8 de Loc. theol. c. 5 in solut. ad 3 novam viam ingressus docuit *sacerdotem* esse ministrum sacramenti matrimonii; verba: Ego vos coniungo, esse formam; materiam: consensum mutuum contrahentium.» Melchiorem Cano non pauci nec ignobiles theologi sunt secuti: Estius, Sylvius, Juénin, Tournely aliique, quorum sententiam valde probabilem vocat Benedictus XIV[4]. — Verum cum scholarum principibus, Magistro Sententiarum, Doctore Angelico, Scoto cumque antiquiore et nunc communissima sententia sit

thesis:

Ministri sacramenti matrimonii sunt ipsi contrahentes.

Prob. 1. *ex auctoritate S. Thomae.* Angelicus Doctor[5] dicit: «Verba, quibus exprimitur consensus matrimonialis, sunt forma huius sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam *sacramentale.*» In alio loco[6] dicit: «Sicut in aliis sacramentis quaedam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis non est sacramentum; quaedam autem ad sollemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis verum nihilominus perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas ad contrahendum matrimonium facit, quia haec duo

---

[1] *Josephsehe.*

[2] Cf. *P. Rett,* Die Josephsehe in ihrem Original und ihrer Nachahmung (Innsbrucker Zeitschrift f. kathol. Theol., 1909, 590 sqq); *Wernz* l. c. n. 302, nota 41; *De Smet* l. c. n. 89.

[3] De matrim. diss. 1, a. 6.

[4] De syn. dioec. l. 8, c. 12, n. 4.

[5] Suppl. q. 42, a. 1 ad 1.

[6] Suppl. q. 45, a. 5.

sunt de essentia sacramenti. Alia autem omnia sunt de sollemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat. Unde si omittantur, verum est matrimonium, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.» — Quod quidem argumentum videtur esse valde clarum, si advertatur temporibus S. Thomae nondum exstitisse impedimentum clandestinitatis.

Prob. 2. *rationibus theologicis.* a) Causa instrumentalis efficiens sacramenti est idem ac minister sacramenti. Iam vero causa instrumentalis efficiens sacramenti matrimonii non est sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, cum Concilium Florentinum definiverit: «Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.» Ergo ipsi contrahentes exprimentes mutuum consensum sunt ministri sacramenti matrimonii.

b) Matrimonia christianorum aliquando possunt valide et licite contrahi *absque omni interventu sacerdotis.* Ita fuit ante Concilium Tridentinum; ita est post novum Codicem iuris canonici. Atqui omne matrimonium validum christianorum est verum sacramentum, uti declaraverunt Pius IX et Leo XIII [1]. Ergo luce clarius est sacerdotem non esse ministrum sacramenti matrimonii, et nihil relinquitur, nisi ut ipsi contrahentes sint ministri huius sacramenti.

Hae duae rationes sufficiant; qui plura cupit, adeat Billuart [2], qui multis probat nostram thesim et optime solvit obiectiones contra illam prolatas. Non est cur notemus, in celebratione matrimonii mediante procuratore non procuratorem sed mandantem esse ministrum sacramenti matrimonii. Procurator enim nihil est nisi instrumentum mandantis.

Sententia Maldonati. Maldonatus et pauci alii [3] docuerunt sacerdotem 666
esse quidem ministrum *ordinarium* sacramenti matrimonii, in casibus vero extraordinariis Christum hoc munus contulisse contrahentibus; sicuti etiam in casu necessitatis laicus est minister baptismi. Quae quidem sententia conatur conciliare duas alias sententias oppositas, sed nullum fundamentum habet neque in traditione neque in magisterio infallibili Ecclesiae.

Scholion. Non est necessarium, ut nupturientes sciant se esse ministros sacramenti matrimonii, quia eo ipso quod intendunt contrahere iuxta institutionem Dei, prout fit in vera Ecclesia Christi, habent etiam intentionem faciendi id quod facit Ecclesia; et hoc sufficit pro valore sacramenti. Non solet expedire, ut simplices fideles expresse moneantur, ipsos nupturientes esse ministros sacramenti matrimonii, quia hoc difficulter intelligunt, et haec notitia potius obesse quam prodesse potest reverentiae adhibendae in susceptione sacramenti matrimonii.

ARTICULUS IV.

De subiecto sacramenti matrimonii.

1. *Subiectum capax* **validi** *sacramenti matrimonii sunt omnes* 667
baptizati non laborantes impedimento **dirimente.**

Etiam haeretici, dummodo sint valide baptizati neque ullo impedimento dirimente ligati, valide recipiunt sacramentum matrimonii. Quod quidem valet, etiamsi haeretici nesciunt vel non credunt matrimonium esse sacramentum. Sufficit enim, quod volunt inire verum contractum matrimonialem,

[1] Cf. supra n. 628. [2] De matrim. diss. 1, a. 6.
[3] Cf. *Hurter,* Theol. dogm. III, n. 596.

quin apponatur aliqua condicio expressa contra essentiam matrimonii. Huiusmodi condicio esset e. g. liceitas divortii expresse stipulati. Tunc sane matrimonium esset illicitum et invalidum. — Supra n. 649 probatum est, sacramentum matrimonii non suscipi a nupturientibus, quorum ambo aut alteruter non est baptizatus. Omnes autem infideles non-baptizati possunt validum contractum matrimonialem (matrimonium legitimum) inire, dummodo ne ligentur impedimentis dirimentibus iuris naturalis, divini aut iuris civilis [1].

668 2. *Ad digne et fructuose suscipiendum hoc magnum sacramentum matrimonii requiritur insuper, ut a) nupturientes sint immunes ab omni impedimento* **prohibente** *atque b) in statu gratiae sanctificantis versentur.*

Ratio est, quia a) etiam impedimenta prohibentia inducunt gravem obligationem in conscientia, et quia b) sacramentum matrimonii est sacramentum vivorum. Si quis sacramentum matrimonii suscipit in statu peccati mortalis, peccat graviter neque recipit gratias sacramentales matrimonio proprias. Probabilius tamen istae gratiae sacramentales postea reviviscent, quando obex status peccati mortalis ablatus fuerit [2].

Lege communi non est stricte mandatum, ut nupturientes *sacramenta poenitentiae et eucharistiae* recipiant ante matrimonium [3]. Attamen Concilium Tridentinum [4], Rituale Romanum [5], Codex iur. can. [6] admonent sponsos, ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad s. eucharistiam pie accedant. *Iure dioecesano* vel *consuetudine universali* non raro receptio praevia poenitentiae et eucharistiae a sponsis sub gravi requiritur. Unde parochus in istis locis potest exigere testimonium confessionis peractae. Cum tamen hodie ubique terrarum matrimonia mixta sint invalida, nisi contrahantur coram parocho, hinc, si forte aliquis catholicus renuit confessionem, parochus prius consulat episcopum, quid factu opus sit. Quodsi haec consultatio est impossibilis, semper fere melius est, ut parochus assistat matrimonio huiusce perversi hominis ad evitandum maius malum concubinatus. — Notatu digna est hac in re Instructio S. Officii data d. 3 Iulii 1878 ad Ordinarios Brasiliae: «Nullo modo tolerari potest, . . . ut matrimonia, quae a *Massonibus* contrahuntur, cum omni sollemnitate ritus catholici celebrentur. Quando vero parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire, res deferenda est ad Ordinarium, qui . . . permittere poterit, ut parochus matrimonio *passive* intersit, i. e. absque benedictione alioque ritu ecclesiastico, tamquam testis autorizabilis, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis.» [7]

Ad quaestionem, num liceat matrimonium inire cum publico aut occulto peccatore, respondendum videtur, hoc non licere nisi ob gravissimas rationes, cum ex huiusmodi matrimonio maxima soleant damna evenire cum pro parte catholica et prole nascitura, tum pro societate christiana.

---

[1] Cf. supra n. 651. [2] Cf. supra n. 42.

[3] Cf. *De Smet* l. c. n. 116.

[4] Sess. 24, c. 1 de reform. matrim.

[5] Tit. 1, a. 8, n. 17. [6] c. 1033.

[7] Collect. de Prop. Fide n. 1495; cf. etiam S. Offic. d. 11 Ian. 1899. Episcopus potest quidem permittere hanc passivam assistentiam, sed potest etiam illam ex iustis causis recusare. S. Offic. d. 30 Ian. 1867; cf. tamen infra n. 753.

CAPUT III.

De matrimonii proprietatibus.

Postquam de essentia matrimonii egimus, nunc de eius proprietatibus tractandum est. Duae sunt matrimonii proprietates essentiales: unitas et indissolubilitas seu firmitas. Primo tractamus de unitate, et deinde de indissolubilitate seu firmitate matrimonii.

ARTICULUS I.

De unitate matrimonii.

Unitas matrimonii seu monogamia est vinculum matrimoniale inter 669
unum virum et unam feminam. Idcirco in definitione matrimonii supra diximus in singulari et non plurali: viri et mulieris maritalis coniunctio. — Unitati matrimonii opponitur simultanea polygamia et polyandria; minime autem obstant secundae nuptiae post mortem alterutrius coniugis.

Polyandria simultanea, quae est maritalis coniunctio unius mulieris cum duobus vel pluribus viris, rarissime apud gentes exsistit[1] atque non tantum est contra praeceptum S. Scripturae: «Erunt duo in carna una», sed etiam directe contra legem naturalem. Finis enim primarius matrimonii est generatio et educatio prolis. Porro experientia comprobat mulierem, quae habitualiter pluribus viris commiscetur, esse infecundam, ut patet in meretricibus. Sed etiam si forte proles generaretur, educatio esset fere impossibilis, cum nullus esset certus pater, ac proinde corporalis et spiritualis cura prolis esset perdifficilis[2].

Polygamia simultanea, quae est maritalis coniunctio unius viri 670
cum duabus[3] vel pluribus mulieribus, viguit ante Christum non solum apud gentes, sed etiam apud Israelitas. Nostris temporibus adhuc viget apud paganos praesertim Mohametanos[4].

Polygamia simultanea contraria quidem est *primaevae* institutioni matrimonii in paradiso, permittebatur autem patriarchis in Vetere Testamento[5]. Polygamiam non fuisse primaevam matrimonii formam, est sententia certa. Nam Adam exclamavit, postquam Eva tradita illi fuit in uxorem: «Erunt duo in carne una.» Quem textum exponens Innocentius III dicit: «Non dixit tres vel plures, sed duo; nec dixit adhaerebit uxoribus; sed uxori.»[6] Etiam ex verbis Christi: «Ab initio autem non fuit sic»[7], clare eruitur polygamiam non fuisse primaevam formam matrimonii. Lamech videtur fuisse primus, qui habuit duas uxores[8]. —

---

[1] *Westermark* (History of human marriage c. 20—22) complura exempla affert polyandriae apud gentes prorsus depravatas, sed nihilominus suspicari licet ex eius narratione, non esse polyandriam simultaneam.

[2] Cf. Suppl. q. 65, a. 1 ad 7.

[3] Talis polygamia vocatur proprie bigamia simultanea.

[4] Notum est apud omnes, Lutherum assensum praebuisse, ut Philippus Hassiae Landgravius, vivente prima legitima uxore, aliam duceret, scil. Margaretam von der Sale.

[5] Cf. Suppl. q. 65, a. 2. [6] c. 8, X 4, 19.

[7] Mt 19, 5 sqq et Mc 10, 2 sqq. [8] Gn 4, 19.

Sunt qui doceant polygamiam numquam fuisse licitam ac proinde uxores patriarcharum fuisse vocatas concubinas; nihilominus patriarchas non peccasse *formaliter* habendo plures uxores, quia fuerint in bona fide. Haec explicatio non placet nec est sufficienter probata. Etenim absurdum esse videtur, homines sanctissimos ut Abraham, Iacob etc., qui habuerunt revelationes divinas miraculosas, erravisse in re tam magni momenti. Insuper David, dum vehementer vituperatur et punitur propter adulterium cum Bethsabe patratum, numquam reprehenditur propter alias uxores proprias, quas habuit. Liceitatem polygamiae videtur supponere liber Deuteronomii c. 21 v. 15 16 statuens: «Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectae facere primogenitum et praeferre filio odiosae.» — Idem confirmatur ex lege *leviratus* [1], qua uxor fratris defuncti (sine liberis) debuit assumi in matrimonium a fratre superstite (licet iste sit iam coniugatus). Quodsi autem mulieres maritaliter coniunctae cum uno viro in S. Scriptura vocantur *concubinae*, inde nondum licet concludere eas non fuisse legitimas uxores, quia saepe in S. Scriptura nomine concubinae significatur vera et legitima uxor, quae non fuit ducta cum tanta sollemnitate. Sic Agar, Cethura, Bala et Zelpha modo uxores modo concubinae Abraham vocantur in libro Genesis [2]. — Ratio autem intrinseca, quare polygamia simultanea potuerit esse licita in Vetere Testamento, consistit in hoc, quod polygamia non adversatur *primario fini* matrimonii, scil. generationi et educationi prolis. Etenim unus vir sufficit pluribus feminis fecundandis et prolibus ex iis ortis educandis [3]. Fatendum tamen est aliquos viros Veteris Testamenti in numero uxorum excessus commisisse, nam difficulter intelligitur, quomodo e. g. Salomon potuerit habere plures centenas uxores [4] sine nota intemperantiae.

Communiter docent auctores, dispensationem ad habendas plures uxores non esse concessam a Deo nisi *post diluvium* [5]. Nil certi de hac re dici potest. Num eadem dispensatio fuerit concessa non tantum Iudaeis, sed etiam *aliis populis*, non concordant auctores; sed non videtur adesse sufficiens ratio, cur severior disciplina sit statuenda pro paganis quam Iudaeis; vel eo magis, quod pagani utpote carentes lege Mosaica potuerunt difficilius observare unitatem matrimonii quam Iudaei [6]. Itaque Esther iudaea coniuncta est Assuero iam habenti plures uxores; quam unionem Mardochaeus, pater eius adoptivus et vir timens Deum, non consuluisset nec approbasset, si fuisset graviter illicita.

Polygamia simultanea *inde a temporibus Novae Legis* est illicita et irrita *pro omnibus*, ita ut neque fidelibus neque infidelibus amplius facultas sit habendi plures uxores. Christus enim reduxit matrimonium ad primaevam unitatem et vocavit adulterum illum, qui etiam dimissa prima uxore aliam duxit [7]. Ergo a fortiori est adulter ille, qui retenta prima legitima uxore aliam duxit. Ita quoque argumentatur Inno-

---

[1] Dt 25, 5 sqq. [2] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 65, a. 5 ad 2.
[3] Cf. ib. a. 1; *Billuart*, De matrim. diss. 5, a. 1.
[4] Cf. 3 Reg 11, 3.
[5] Cf. *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 359.
[6] Cf. *De Smet*, De sponsal. et matrim. n. 177.
[7] Cf. Mt 19, 3—9 et Mc 10, 1—12.

centius III in celebri capite «Gaudeamus»[1]: «Si ergo uxore dimissa duci alia de iure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia iudicentur, circa matrimonium reprobandam.» — Etsi autem in Concilio Tridentino[2] est solummodo definitum: «S. q. d. licere *christianis* plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.»; tamen inde minime fas est concludere, infidelibus adhuc esse licitum plures uxores habere; etenim pluralitas uxorum est contra primaevam institutionem matrimonii, ac dispensatio antiquis temporibus concessa revocata est expresse a Christo. Unde S. Thomas[3] docet: «Habere plures uxores est contra legem naturae, cui etiam infideles sunt adstricti: et ideo non est verum matrimonium infidelis nisi cum illa, cum qua primo contraxit.» Immo S. Officium in Instructione ad vicarium apostolicum Gallas d. 20 Mart. 1860[4] dicit: «Certissimum est polygamiam simultaneam iure evangelico esse omnino illicitam, unde, postquam Iesus Christus[5] matrimonium reduxit ad pristinam sanctitatem, unitatem et indissolubilitatem, addita pro baptizatis sacramenti dignitate, nec fidelibus *nec Iudaeis nec ulli mortalium* licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter sic divinitus restituta monogamia non nisi unam uni legitimo validoque coniugio devinciri posse, inconcussum fidei dogma habetur.» — Si autem aliqui imperatores feruntur habuisse plures uxores, ut e. g. Constantius, Valentinianus, Lotharius, recte respondet Billuart[6]: «ex inique factis nullum ius statui. Constantius fuit Arianus; Lotharium cum sua pellice excommunicavit Nicolaus Papa I (865). Valentinianus I ut averteret a se duplicis coniugii dedecus, hanc legem inique tulit.»

671 **Polygamia successiva** (quae ab antiquis auctoribus solet simpliciter vocari *bigamia*) licita est, ac proinde inter christianos constituit verum sacramentum. Idem valet de tertiis et ulterioribus nuptiis. Itaque Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis dato a. 1441[7] declarat, «non solum secundas nuptias, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse.»

Liceitas polygamiae successivae manifeste probatur ex epist. 1 Cor. 7, 39, ubi S. Paulus dicit: «Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quodsi dormierit vir eius, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino»; et ibidem v. 8 sq.: «Dico autem non nuptis et *viduis:* bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego; quodsi non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri.»[8] — Secundas nuptias esse illicitas docuerunt Montanistae et Novatiani. Nicolaus patriarcha constantinopolitanus contendit quartas nuptias esse contra ius divinum. — Cum ex secundis nuptiis haud raro damnum oriatur proli in priore matrimonio natae, cumque saepe etiam contrahentes potius propter voluptatem quam propter aliud honestum motivum

[1] c. 8, X 4, 19. [2] Sess. 24, can. 2 de matrim. (*Denz.* n. 972).
[3] Suppl. q. 59, a. 3 ad 3. [4] Collect. de Prop. Fide n. 1188.
[5] Cf. Mt 19, 5 sq. [6] L. c. diss. 5, a. 1.
[7] *Mansi,* Ampl. coll. Conc. 31, 1741.
[8] Cf. etiam Rom 7, 3; 1 Tim 5, 14.

secundas aut ulteriores nuptias celebrent, nonnulli SS. Patres, praesertim graeci, durius de secundis nuptiis locuti sunt. Sic e. g. S. Basilius vocat bigamiam «castigatam fornicationem»; tertium autem matrimonium appellat «Ecclesiae inquinamentum». Similia habet S. Gregorius Nazianzenus [1] dicens: «Primum (matrimonium) lex est; secundum venia et indulgentia; tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est.» Aliqua etiam Concilia particularia, e. g. Ancyranum, Laodicenum, poenitentias inflixerunt his, qui secundas nuptias inierunt. Adhuc nostris temporibus Orientales non permittunt secundas nuptias nisi praevia dispensatione episcopi [2].

Scholion. Illi, qui vivunt in notoria polygamia simultanea, censentur publici peccatores, ac proinde neque ad sacramenta neque ad sepulturam ecclesiasticam admitti possunt. Insuper graviter puniuntur ab omnibus fere Codicibus poenalibus in regionibus civilizatis [3].

ARTICULUS II.

De indissolubilitate matrimonii.

Altera proprietas matrimonii est indissolubilitas, cui opponitur divortium seu solutio matrimonii. Divortium duplex solet distingui: alterum *perfectum,* quod ipsum vinculum matrimonii solvit, ita ut coniugibus liceat ad alias nuptias convolare; alterum *imperfectum,* quod manente integro vinculo concedit coniugum separationem quoad torum aut habitationem. Postquam probaverimus omnimodam indissolubilitatem matrimonii christiani consummati, agemus 1. de divortio perfecto seu quoad vinculum; 2. de divortio imperfecto seu quoad torum et habitationem.

672 **Propositio.** *Certum est matrimonium christianum ratum et consummatum ex nulla causa nullave auctoritate creata (praeterquam morte) [4] solvi umquam posse, ac proinde etiam nec propter adulterium unius coniugis.*

Prob. 1. *Ex Concilio Tridentino [5]:* «S. q. d. Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, A. S.» — Ex quibus verbis sequitur, ut sit de fide, Ecclesiam *non errare,* cum docet, propter adulterium non posse dissolvi vinculum matrimoniale. Quoniam autem in canone addatur, Ecclesiam hoc docere *iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam,* certa est indissolubilitas matrimonii christiani consummati

[1] Orat. 37, 8 (*Migne,* Patr. graec. 36, 291).

[2] De hac re scribit *Papp-Szilagyi,* Enchir. iur. eccl. orient. cath. § 87: «Orientales polygamiam quoque successivam . . . reprobant; pro secundis quidem nuptiis habetur in Euchologiis praescriptus ritus, quas tamen ipsas post 45 aetatis annum reprobant; tertiae nuptiae censurae ecclesiasticae subiciebantur; quartae vero tamquam brutales damnabantur. . . . Iuxta modernam praxim episcopi dispensatione subvenitur.»

[3] Cf. Cod. poen. Germ. § 171; Cod. poen. Belgii a. 391.

[4] Cod. iur. can. c. 1118.

[5] Sess. 24, can. 7 de matrim. (*Denz.* n. 977).

ex evangelica et apostolica doctrina, ac proinde videtur ad fidem pertinere. Sunt tamen qui certitudinem quidem huic veritati vindicent, non autem certitudinem *fidei* [1]. Sed quidquid est de hac controversia, iuxta omnes catholicos ille est haereticus, qui dicit Ecclesiam *errare,* cum docuit et docet, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi. Proinde ex hoc capite Protestantes sunt haeretici. Ille autem, qui diceret vinculum matrimonii solvi posse adulterii causa, versaretur saltem in errore proximo haeresi [2]. — Contendunt Launoy et pauci alii, hunc canonem non esse dogmaticum, sed tantum diciplinarem, ac proinde mutationi esse obnoxium, sed hoc falsum est, ut patet ex eius obiecto, quod est inerrantia Ecclesiae docentis iuxta doctrinam evangelicam et apostolicam [3].

Prob. 2. *Ex S. Scriptura.* Diversis in locis Christus declarat adulterium committi ab eo, qui dimissam uxorem ducit. Ita dicit: «Dico autem vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur.» [4] Iam vero si matrimonium posset dissolvi quoad vinculum, profecto non committeret adulterium ille, qui dimissam uxorem in matrimonium duceret. Ergo iuxta Christi praeceptum non licet facere divortium quoad vinculum matrimonii. — Sane in textu citato Christus videtur permittere divortium in uno casu, scil. in casu fornicationis, cum dicat: «nisi ob fornicationem», et in c. 5 v. 32 apud S. Matthaeum: «excepta fornicationis causa». Idcirco multi cum Protestantes tum Graeci heterodoxi permittunt solutionem matrimonii (etiam quoad vinculum), quando adulterium est commissum ab uno coniuge. Sed iste textus accurate inspectus non habet hunc sensum. Iam inde a primis saeculis multum disputatum est, quid sibi velint verba «nisi ob fornicationem» [5]. Omnium *melior, antiquior* et *communior* explicatio est illa, quam S. Thomas affert [6]: «Exceptio illa [scil. excepta fornicationis causa], quae est in verbis Domini, refertur ad *dimissionem* uxoris, et ideo obiectio ex falso intellectu procedit.» Est igitur sensus verborum Domini: Non licet *dimittere* uxorem nisi ob eiusdem fornicationem seu adulterium commissum; sed etiam in hoc casu non licet

---

[1] E. g. *Tanquerey,* Synopsis Theol. mor. de matr. n. 718.

[2] Inter propositiones a S. Officio sub Innocentio X qualificatas habetur sub n. 13 haec: «Summus Pontifex potest dispensare, ut matrimonium etiam consummatum dissolvatur quoad vinculum propter uxoris adulterium, cui non repugnat matrimonii definitio.» — Omnes Qualificatores fuerunt in voto, propositionem hanc esse temerariam et scandalosam; quattuor addiderunt esse errori proximam; duo erroneam; et tres haereticam (Analecta eccl. IV [1896] 187). — Patres Tridentini in priore redactione huius canonis simpliciter docuerunt, matrimonium consummatum esse prorsus indissolubile; sed postulantibus legatis venetis mutata est redactio, ne contraria praxis Graecorum haberetur damnata. — Praeter Concilium Tridentinum complura alia Concilia eandem doctrinam de omnimoda indissolubilitate propugnaverunt, e. g. Conc. Illiberitanum a. 305 in can. 8 et 9; Conc. Africanum IV (a. 407), quod in can. 6 eadem fere verba adhibet ac Concilium Tridentinum; Conc. Milev. II, c. 17 (c. 5, C. 32, q. 7); Conc. Florentinum (Decretum pro Armenis). Insuper pluries Summi Pontifices decreta ediderunt de omnimoda indissolubilitate matrimonii christiani consummati, e. g. Leo I, Zacharias, Alexander III, Innocentius III, Leo XIII etc.

[3] Cf. *Van de Burgt-Schaepman,* Tract. de matrim. I, n. 21.

[4] Mt 19, 9. Cf. etiam Mt 5, 32; Lc 16, 18; Mc 10, 11; 1 Cor 7, 10; Rom 7, 2 sq.

[5] Diversas explicationes huius textus a theologis excogitatas videsis apud dogmaticos, e. g. apud *R. Fei* O. Pr., Dogm. V, n. 187.

[6] 4, dist. 35, q. 1, a. 5 ad 4.

novas nuptias inire; si quis autem nihilominus aliud matrimonium contrahit, vivente adultera, moechatur seu adulterium committit. Ita etiam Concilium Florentinum S. Matthaei textum intellexit docens: «Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.»[1] Hunc esse revera sensum verborum Christi manifeste apparet ex locis parallelis apud S. Marcum 10, 10 et S. Lucam 16, 18. Etenim ibi Christus simpliciter et absque limitatione dicit: «*Quicumque* dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur», vel: «*Omnis,* qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.» Unde S. Augustinus[2] exclamat: «Qui ergo nos sumus, ut dicamus: est qui moechatur, uxore sua dimissa, alteram ducens, et est qui hoc faciens, non moechatur, cum evangelium dicat omnem moechari qui hoc facit.» Demum si unus verba Christi recte intellexit, certe est S. Paulus, «vas electionis». Iam vero ille dicit: «Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed *Dominus:* uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere inuptam aut viro suo reconciliari.»[3] — Admodum pauci theologi catholici dissolutionem matrimonii quoad vinculum adulterii perpetrati causa docuerunt saltem post tempora Gratiani, qui multis textibus SS. Patrum adductis ita concludit: «His auctoritatibus evidentissime monstratur, quod, quicumque causa fornicationis uxorem suam dimiserit, illa vivente aliam ducere non potuerit, et si duxerit, reus erit adulterii.»[4] Quodsi quidam antiquiores theologi et episcopi hanc dissolutionem matrimonii videntur permisisse, advertendum est, a) saepe illorum verba non esse ita clara et certa; b) illos fuisse aliquanto benigniores in casibus particularibus propter duritiam cordis coniugum ad maiora mala vitanda[5]. — Leo XIII[6] pulchre et concise dicit: «Pontifices vero maximi, quoties restiterunt principibus potentissimis divortia a se facta, ut rata Ecclesiae essent, minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitate gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium II; ab Urbano III et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Coelestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem.»

Cum Protestantes et gubernia civilia permittant perfectam solutionem matrimonii, divortiorum numerus crescit de anno in annum, trahens secum maxima damna contra prolis educationem, societatis pacem, morum pietatem. Quanta mala oriantur ex divortiis, Leo XIII in Encyclica vere aurea «Arcanum» vivide describit: «Quanti materiam mali in se divortia contineant,

---

[1] *Denz.* n. 702.

[2] De adulterinis coniugiis l. 1, c. 9, n. 10 (*Migne,* Patr. lat. 40, 457). In toto hoc opusculo S. Augustinus valde ingeniose explicat et textus S. Scripturae et doctrinam catholicam.

[3] 1 Cor 7, 10. [4] c. 16, C. 32, q. 7.

[5] Historiam indissolubilitatis matrimonii bene enarrant praeter Freisen iam citatum *Fahrner,* Gesch. der Ehescheidung 1903; *A. Cigoi* O. S. B, Die Unauflöslichkeit der christlichen Ehe und die Ehescheidung (1895).

[6] Encycl. «Arcanum».

vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni ac institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos aut ante praevisos limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus aut agmen aquarum superatis aggeribus exundans.»

673 **Obiciuntur** quidem aliqua exempla dissolutionis matrimonii consummati. Sic e. g. Concillia Verberiense (Verberie; a. 758) et Compediense (Compiègne; a. 757) concedunt dissolutionem matrimonii ob plures causas [1]. Sic Coelestinus III (1191—1198) permisit solutionem vinculi matrimonii consummati, quo vir apostata uxorem reliquit, extendens indebite ad hunc casum privilegium Paulinum [2]. Ad hanc Coelestini sententiam videtur alludere Innocentius III dicens: «Licet quidem praedecessor noster sensisse aliter videatur.» [3] Sed praecipua difficultas oritur ex responsione Gregorii II a. 726 data ad S. Bonifatium: «Quod proposuisti, quodsi mulier, infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit et non detestabilis culpa excludit.» [4] — Quamvis non ilico cum Gratiano dicendum sit: «Illud Gregorii sacris canonibus, immo evangelicae et apostolicae doctrinae penitus invenitur adversum», tamen iste textus semper fuit crux iurisconsultorum. Admissa genuitate textus duae explicationes probabiles dantur, scil.: a) Gregorius II loquitur de matrimonio rato et non consummato; b) infirmitas illa nihil aliud est nisi impotentia antecedens, quae sane irritat quodcumque matrimonium [5]. — Quantum ad Concilia particularia concedi potest, illa erravisse. Quantum ad Coelestinum III, eius sententia non est ita clara. Sed etiam concesso quod Coelestinus in *casu particulari* erraverit, nihil inde deduci potest neque contra infallibilitatem Summi Pontificis neque contra indissolubilitatem omnimodam matrimonii christiani consummati, et hoc vel eo magis quod ipse Coelestinus III strenue defendit indissolubilitatem matrimonii christiani contra Philippum II regem Galliae.

674 **Scholion. De intima ratione indissolubilitatis matrimonii consummati christiani.** Si quis inquirat in ultimam et adaequatam rationem istius perfectae indissolubilitatis matrimonii consummati, profecto non potest assignari *unice* lex naturalis; nam in Vetere Lege huiusmodi matrimonia licite

---

[1] Cf. *Fahrner*, Gesch. d. Ehescheidung im kan. Recht 74 sqq.
[2] Cf. ib. 164. [3] c. 7, X 4, 19. [4] c. 18, C. 32, q. 7.
[5] Cf. *Freisen*, Gesch. d. kan. Eherechtes 331; *Fahrner* l. c. 63.

solvebantur «libello repudii», et in Nova Lege possunt solvi aliquando vi privilegii Paulini (de quo infra); at in neutro casu potest dici, ipsam legem naturalem (saltem secundum principia primaria) violari. Nec etiam haec perfecta indissolubilitas desumi potest *unice* ex ratione sacramenti, quae competit matrimonio christiano; nam matrimonium quoque ratum est verum sacramentum; at nihilominus quoad vinculum solvi potest tam dispensatione pontificia quam professione religiosa[1]. Quae cum ita sint, melius et verius dicitur, matrimonium consummatum christianorum esse penitus indissolubile *ex positiva voluntate Dei manifestata in evangelio*[2] atque hanc indissolubilitatem esse convenientissimam et legi naturali et rationi sacramenti[3]. Sane Pius IX in Syllabo proscripsit propositionem 67: «*Iure naturae* matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.»[4] Sed haec propositio videtur esse intelligenda sic: 1. Auctoritas civilis non potest sancire divortium proprie dictum, i. e. solutionem matrimonii quoad vinculum; 2. indissolubilitas matrimonii praesertim consummati iuri naturali *secundario* innititur, quia matrimonium ipsa sua natura exigit prolis bonam educationem, mutuum amorem coniugum, mutua obsequia perpetua, atque institutum est ad concupiscentiam carnalem licito modo compescendam satiandamque. Quae omnia vix ac ne vix quidem possunt obtineri, si dissolutio matrimonii permittatur, ita experientia perpetua testante. Ergo dissolutio matrimonii consummati repugnat iuri naturali secundario. Cum autem (absolute loquendo) procreatio prolis eiusque educatio et cetera omnia possint haberi etiam dissoluto matrimonio, divortium quoad vinculum non repugnat primariis principiis iuris naturalis; sicut etiam apparet ex eo, quod Deus numquam dispensat in *primariis* principiis iuris naturae. Ut autem ex supra dictis apparet, Deus tam in Vetere quam in Nova Lege aliquando dispensat in vinculo matrimonii consummati.

§ 1.

De divortio perfecto seu quoad vinculum.

675 **Propositio 1.** *Matrimonium infidelium etiam consummatum dissolvi potest quoad vinculum iuxta privilegium Paulinum.*

Prob. ex S. Scriptura. S. Apostolus Paulus, postquam inculcavit indissolubilitatem matrimonii, haec dicit: «Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. . . . *Quodsi infidelis discedit, discedat;* non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in

---

[1] Cf. infra n. 681. [2] Mt 5, 32; Lc 16, 18.

[3] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 697; *Billuart,* De matrim. diss. 5, a. 2; cf. etiam Instructionem S. Officii d. 6 Iulii 1817 (Collect. de Prop. Fide n. 725). De hac re docet S. Thomas: «Inseparabilitas competit matrimonio, secundum quod est signum perpetuae coniunctionis Christi et Ecclesiae, et secundum quod est in officium naturae ad bonum prolis ordinatum. Sed quia separatio matrimonii magis directe repugnat significationi sacramenti quam prolis bono, cui ex consequenti repugnat, inseparabilitas matrimonii magis in bono sacramenti intelligitur quam in bono prolis, quamvis in utroque intelligi possit: et secundum quod pertinet ad bonum prolis, erit de lege naturae, non autem secundum quod pertinet ad bonum sacramenti» (Suppl. q. 67, a. 1 ad 2).

[4] *Denz.* n. 1767.

pace autem vocavit nos Deus.»[1] Hunc textum authentice declaravit Innocentius III[2] docens: «Si enim alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi, et canonem etiam in quo dicitur: ‚Contumelia Creatoris solvit ius matrimonii circa eum qui relinquitur'.» — Quae quidem authentica declaratio textus Apostoli inde a temporibus Innocentii III saepissime a Romanis Pontificibus in praxim deducta est, ita ut nullum dubium exsistere queat, matrimonium infidelium quoad vinculum dissolvi, si adsunt condiciones a s. apostolo Paulo enuntiatae.

Condiciones requisitae ad privilegium Paulinum: Matri- 676
monium legitimum et consummatum a duobus coniugibus infidelibus dirimitur quoad vinculum:

1. si alterutra pars valide baptizatur (sive in Ecclesia catholica sive in quacumque secta).

2. si pars in infidelitate persistens aut a) discedit renuitve pacifice cohabitare cum parte baptizata, aut b) non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, e. g. si ipsa conatur pertrahere partem baptizatam ad peccatum mortale. Quibus in casibus matrimonium in infidelitate contractum non quidem ipso baptismo solvitur, sed *quando pars baptizata novum matrimonium valide contrahit*[3]. Singulae condiciones privilegii Paulini latius explicandae sunt.

Dicitur 1°: *si alterutra pars baptizatur.*

Supponitur igitur validum matrimonium contractum esse *ante* baptismum. Unde si casus occurrat, prius videndum est, num matrimonio in paganismo inito forsan impedimentum ex iure naturali divino aut civili dirimens obstiterit. Per se patet privilegium Paulinum locum non habere nec esse necessarium, si matrimonium contractum fuerit nullum. Cum saepissime occurrat dubium positivum de valore matrimonii a paganis contracti, prius diligens examen et inquisitio ab episcopo facienda est[4]. Quodsi valor dubius remansit, standum est pro favore fidei, ita ut pars conversa novas nuptias inire valeat[5].

Privilegium Paulinum adhiberi nequit: a) *si ambo coniuges infideles* insimul baptismum recipiunt, ut expresse declaravit S. Officium d. 11 Iulii 1866[6]. Per baptismum enim eorum matrimonium evadit sacramentum.

b) pro catechumenis nondum baptizatis, ut expresse declaravit S. Officium d. 13 Martii 1901.

c) si ex dispensatione pontificia super disparitate cultus catholica pars contraxit matrimonium cum parte non-baptizata, quae nunc discessit aut iam

---

[1] 1 Cor 7, 12—15. In textu graeco habetur: *τοῖς δὲ λοιποῖς*, i. e. ceteris *autem*, quae verba referenda sunt ad sequentia et non ad praecedentia.

[2] c. 7, X 4, 19. Ante tempora Innocentii III minime fuit concors interpretatio huius textus. Cf. *Fahrner*, Gesch. der Ehescheidung 146 sqq.

[3] Cod. iur. can. c. 1126. [4] S. Offic. d. 9 Dec. 1874.

[5] S. Offic. d. 19 Maii 1892 et 19 Apr. 1899.

[6] Collect. de Prop. Fide n. 1295.

non vult cohabitare sine contumelia Creatoris. Ita statuit Cod. iur. can. c. 1120, § 2. Per se patet in isto casu licitam esse separationem quoad torum et habitationem [1].

d) Si alter *fidelium* coniugum transierit ad haeresim vel ad gentilitatis errorem. Hoc quidem nunc certum est ex iteratis declarationibus S. Sedis. Coelestinus III videtur putavisse contrarium, ut supra dictum est; sed iam Innocentius III praesentem doctrinam sancivit [2].

Dicitur 2°: *baptizatur in Ecclesia catholica vel in quacumque secta.*

Sane Innocentius III in sua authentica interpretatione privilegii Paulini loquitur de baptismo catholico, et privilegium non est concessum in favorem haereseos, sed verae fidei; attamen cum omnis validus baptismus reddat hominem baptizatum membrum verae Ecclesiae, omnes fere auctores, e. g. Feije, Scherer, Palmieri, Braun, Tarquini, Christ. Pesch, Billot, Lehmkuhl, Gasparri, Wernz, De Smet etc., docent privilegium esse concessum in favorem *cuiuscumque validi baptismi.* Ad hunc autem diem Ecclesia nihil expresse definivit de hac quaestione.

Dicitur 3°: *si pars in infidelitate persistens aut discedat renuatve pacifice cohabitare cum parte baptizata, aut non vult cohabitare sine contumelia Creatoris.*

Requiritur igitur discessus partis infidelis; qui quidem discessus potest esse aut physicus aut moralis. *Physice* discedit pars infidelis, si relinquit domum coniugalem neque redit. *Moralis* discessus adest in duobus casibus: 1. si pars infidelis causat rixas et iurgia aliave damna; 2. quando pars infidelis conatur trahere partem conversam ad aliquid graviter illicitum, e. g. ad apostasiam, adulterium, educationem prolis in infidelitate. Moralis iste discessus reddit vitam coniugalem impossibilem, ita ut separatio coniugum sit moraliter necessaria propter malitiam partis infidelis. Physicus discessus partis infidelis non debet esse necessario *culpabilis,* sed sufficit simplex absentia, dummodo tamen pars baptizata ne ipsa causaverit malitiose hanc absentiam et quidem *post baptismum.* — Notatu dignus est sequens casus: Aliquis paganus propriam uxorem vendidit in servitutem, vel uxor ei per vim ablata est. Postea baptizatur et novas nuptias inire cupit. Uxor vendita vellet quidem cum eo cohabitare, sed ipse non valet eam redimere. Quaesitum fuit, num in isto casu vir baptizatus novas nuptias inire possit? — S. Officium d. 8 Iulii 1891 respondit: «Quatenus uxorem vendiderit *ante* baptismum, affirmative.» [3] Ex hac responsione evidenter apparet, non requiri *malitiosum* discessum physicum partis infidelis. Sufficit, ut pars baptizata non possit pacifice cohabitare cum parte infideli. Ut autem revera constet de hoc discessu, omnino requiritur:

677 **Interpellatio,** quae quidems olet continere duas quaestiones, scil.:

1. an pars infidelis et ipsa velit converti ac baptismum suscipere.

2. posita negativa responsione, an saltem velit pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris [4].

Prima quaestio est principalis; unde «si quando evenerit, ut polygamus ad fidem conversus, facta iuxta apostolicas sanctiones interpellatione, sub

[1] Cf. S. Offic. d. 5 Aug. 1759 (Collect. de Prop. Fide n. 421).
[2] c. 7, X 4, 19. [3] Collect. de Prop. Fide n. 1760.
[4] Cod. iur. can. c. 1121, § 1.

spe conversionis coniugaliter habitaverit cum prima uxore (quippe quae sola fuerit et sit legitima eius uxor), quae interim conversionem ac baptismi susceptionem diutius differt, fas erit episcopo, rei veritate bene perpensa, declarare integrum esse coniugi fideli ac baptizato ad alia vota *cum persona tamen fideli* convolare»[1].

De hac interpellatione sequentia notentur:

a) Regulariter facienda est forma saltem summaria et extraiudiciali de auctoritate Ordinarii partis baptizatae; sufficit tamen, si aliter etiam privatim facta est, dummodo constet per scriptum documentum aut per attestationem duorum testium illam reapse esse factam[2].

b) Est omnino *necessaria,* immo complures auctores, e. g. Feije[3], Leitner[4], Wernz[5], docent illam esse necessariam *de iure divino;* cui sententiae favet responsio S. Officii d. 12 Iunii 1859 decernens: «Conservum, de quo agitur, si non est legitime ab Apostolica Sede dispensatus, teneri *ex divino praecepto* ad faciendam in praesenti interpellationem alteri coniugi.» Attamen, salva meliore sententia, exinde nondum licet concludere: ergo, si omissa fuerit haec interpellatio sine praevia dispensatione pontificia, matrimonium postea a parte baptizata contractum est nullum; etenim neque a S. Paulo neque a Summis Pontificibus haec interpellatio *sub poena nullitatis* matrimonii subsequentis praecipitur. Quod enim ex S. Pauli verbis necessario requiritur, est «*discessus partis infidelis*»; sed non determinatur, quomodo debeat constare de hoc discessu. Posito igitur vero discessu partis infidelis, matrimonium partis baptizatae postea secutum non videtur esse invalidum, utpote non contra privilegium Paulinum. Si forte in casu particulari matrimonium celebratum est omissa interpellatione praecepta, observanda est regula statuta S. Congr. de Prop. Fide d. 20 Iunii 1883, § 45: «Quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed *Ordinarius iudicium suspendere debebit* et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario, quid faciendum sit, indicabit.»

c) Ab hac interpellatione facienda nemo ex propria auctoritate dispensare potest nisi Summus Pontifex[6], qui pluries hoc iam fecit, e. g. S. Pius V Decreto «Romani Pontificis» d. 2 Aug. 1571; Gregorius XIII Litteris «Quoniam saepe contigit» d. 25 Ian. 1583; Benedictus XIV Litteris «In suprema» d. 16 Ian. 1745. — Inter facultates extraordinarias, quae vicariis apostolicis Indiae ad quinquennium solent concedi, legitur: «Dispensandi super interpellatione coniugum in infidelitate relictorum, dummodo adhibitis antea omnibus diligentiis etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum, ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter dictum coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse.»

Dicitur 4°: *non per baptismum matrimonium primum dissolvitur,* 678
sed quando pars baptizata novum matrimonium valide init.

---

[1] S. Offic. d. 4 Iulii 1855 (Collect. de Prop. Fide n. 1113).
[2] Instr. S. Offic. d. 16 Sept. 1824 ad archiep. Quebec.; Cod. iur. can. c. 1122.
[3] De imped. et dispens. matrim. n. 487.
[4] Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 604.
[5] Ius Decretal. IV, n. 703.
[6] Cod. iur. can. c. 1121, § 2.

Dicit enim Innocentius III: «Per baptismum non solvuntur coniugia, sed crimina dimittuntur»[1]. Proinde baptismus est quidem fundamentum et initium privilegii Paulini, sed effectus completus habetur per matrimonium subsequens partis baptizatae.

Nota. S. Pauli privilegium non amittitur, etsi pars baptizata post baptismum consensum maritalem renovaverit aut cum parte infideli usa fuerit matrimonio[2]. Cessat autem privilegium Paulinum, si pars infidelis ante novum matrimonium partis baptizatae et ipsa baptismum susceperit.

679 **Casus practici** sequentes facile solvuntur ex hucusque dictis.

1. Pars baptizata eligit ducere *vitam coelibem;* pars autem infidelis novum contrahit matrimonium. — Hoc matrimonium nullum est, quia primum matrimonium nondum est solutum et privilegium concessum est *pro parte baptizata,* non autem pro parte infideli[3]; est enim favor fidei.

2. Pars baptizata post conversionem vivit maritaliter cum parte infideli. Pluribus annis elapsis pars infidelis assumit alias mulieres in uxores et non vult illas dimittere. Pars baptizata potest discedere et novas nuptias inire, quamvis forsan non possit secum ducere et educare suam prolem in matrimonio genitam. Ratio est, quia privilegium Paulinum non est exstinctum[4].

3. Maritus infidelis eicit e domo uxorem baptizatam novumque matrimonium contrahit et prolem generat. Post aliquod tempus et ipse ad fidem convertitur et baptizatur. Tenetur secundam uxorem dimittere, nisi prior uxor eiecta interim aliud validum matrimonium contraxit. Ratio est, quia non pars infidelis, sed fidelis libera evasit, et secundum matrimonium partis infidelis est invalidum. Sane in praxi videndum est, num primum matrimonium fuerit certe validum.

4. Duo infideles, matrimonio legitimo contracto et deinde dissoluto, ad alias nuptias convolant. Uterque postea ad fidem convertitur. — Neuter potest remanere in secundo matrimonio, saltem si simul eodem fere tempore baptismum susceperunt. Ratio est, quia primum matrimonium fuit validum et legitimum et non potuit solvi propria voluntate et auctoritate, neque reapse dissolutum est per secundas nuptias, quippe quae non fuerint legitimae.

5. Pars baptizata, praemissis interpellationibus praeceptis, init novum matrimonium. Nunc etiam pars infidelis novum matrimonium inire potest. Ratio est, quia, licet privilegium datum sit in favorem *partis baptizatae,* tamen indirecte etiam cedit in favorem partis infidelis, et quia primum matrimonium rite est dissolutum a parte baptizata, libera evadit et pars infidelis. Ita sententia communis.

6. Alter coniux infidelis committit adulterium, ideoque eicitur a comparte; post aliquos annos baptizatur, interpellat compartem, num nunc velit secum cohabitare pacifice, sed repulsam fert. Potest novas nuptias inire[5]. Ratio est, quia adulterium commissum abluitur baptismo, et pars infidelis irrationabiliter repudiat partem baptizatam.

7. Alter coniux infidelis baptizatur, per aliquod tempus pacifice cohabitat cum parte infideli, sed postea committit adulterium et propter hoc eicitur a parte infideli. Nihilominus non potest novas nuptias inire saltem vi privi-

---

[1] c. 8, X 4, 19; cf. Cod. iur. can. c. 1126. [2] Cod. iur. can. c. 1124.
[3] Cf. S. C. C. d. 29 Martii 1727 (*Gasparri* l. c. n. 1086).
[4] Cf. S. Offic. d. 5 Aug. 1759 et 11 Iulii 1886 ad 4; Cod. iur. can. c. 1124.
[5] Ita S. C. de Prop. Fide d. 30 Ian. 1807 (Collect. de Prop. Fide n. 690).

legii Paulini. Ratio est, quia pars infidelis iuste eiecit partem baptizatam, utpote adulteram, nec hoc crimen adulterii deletum est per subsequens baptisma, cum sit perpetratum post conversionem [1].

8. Pars infidelis equidem cohabitare consentit sine contumelia Creatoris, sed non permittit, ut proles nata vel nascitura in religione christiana instituatur. Pars baptizata potest transire ad alias nuptias cum persona catholica; recusatio enim educationis prolis in religione catholica aequivalet contumeliae Creatoris [2].

9. Mulier infidelis plures successive habens maritos baptizatur. Primus eius legitimus maritus non vult cum ea amplius cohabitare; ultimus autem maritus consentit quidem pacifice cohabitare, sed non vult converti. Mulier debet se separare ab ultimo viro; vel, si hoc valde durum est, debet petere dispensationem super impedimento disparitatis cultus ad verum matrimonium contrahendum [3].

Scholion. De dispensatione super vinculo matrimonii, quod fuit consummatum in infidelitate. *Quaerunt hic auctores, num Papa possit dispensare in vinculo matrimonii consummati infidelium, si alteruter vel ambo coniuges baptizati fuerint.* In hac materia quaedam sunt certa et quaedam non extra omne dubium posita: 680

1. Certum est Summum Pontificem nulla auctoritate pollere in huiusmodi matrimonia, si *neuter coniux* baptismum suscepit. Ecclesia enim non habet iurisdictionem in non-baptizatos.

2. Certum est Summum Pontificem non valere solvere vinculum matrimonii legitimi, quod per baptismum *utriusque* coniugis factum est ratum et per copulam *secutam post baptismum* etiam consummatum. Ratio est, quia tale matrimonium factum est matrimonium consummatum christianorum. Iam vero Papa nequit solvere vinculum matrimonii consummati christianorum, ut supra probatum est.

3. Certum est Summum Pontificem posse solvere vinculum talis matrimonii legitimi, si alteruter coniux baptizatus est neque matrimonium fuit *umquam* consummatum, i. e. neque ante neque post baptismum. Etenim Papa potest solvere vinculum matrimonii rati et non consummati christianorum, ut infra probabitur. Ergo certius est, illum posse solvere vinculum alicuius matrimonii non consummati, in quo tantum alterutra pars christiana est, et quod probabilius non est sacramentum.

4. Probabilius est Summum Pontificem posse solvere vinculum matrimonii legitimi etiam consummati, *quod tamen post baptizatum utrumque coniugem non fuit iterum consummatum.* Ita sententia inter modernos auctores communis [4].

---

[1] Ita S. C. de Prop. Fide d. 30 Ian. 1807 (ib.). Cf. S. Offic. d. 11 Iulii 1866 (ib. n. 1295); Cod. iur. can. c. 1123.

[2] Ita S. Offic. d. 14 Dec. 1848 (ib. n. 1036). [3] Collect. de Prop. Fide n. 1045.

[4] Hanc sententiam tenent *Gasparri,* De matrim. II, n. 1108; *Billot,* De eccl. sacr. II, thes. 44; *Scherer,* Kirchenr. II, n. 590; *Fahrner,* Gesch. d. Ehescheidung im kan. Recht 281; *Vlaming,* Prael. de iure matrim. [3] II, n. 604; et ex antiquis *S. Antoninus,* S. theol. P. 3, tit. 1, c. 6; *Navarrus,* Cons. et Resp. III, tit. 33, cons. 2; *Thomas Sanchez,* De matrim. sacr. l. 2, disp. 17; *Laymann,* Theol. mor. l. 5, tr. 10, part. 2, c. 3; *Salmanticenses,* Cursus Theol. mor. tr. 9, c. 4, p. 2, n. 34; *Pirhing,* in tit. 1, sect. 5, aliique. Immo *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 929 confidenter dicit: «Quodcumque rationabile dubium illius potestatis removeri videtur, ita ut certo dici possit: Romanus Pontifex pro suprema sua potestate potest ex gravi ratione dissolvere vinculum matrimonii, quod in infidelitate quidem consummatum est, sed post baptizatum vel utrumque coniugem non est consum-

Ratio huius sententiae est duplex: altera intrinseca, altera extrinseca. Ratio *intrinseca* est, quia solum matrimonii christiani rati et consummati vinculum est indissolubile. Porro tale matrimonium non est ratum consummatum (nisi post baptismum *utriusque* coniugis copula carnalis intercesserit). — Ratio autem *extrinseca* est, quia Summi Pontifices pluries solverunt vinculum talium matrimoniorum, in quibus prorsus defecerunt condiciones privilegii Paulini. Sic e. g. S. Pius V[1] permisit «motu proprio et ex certa scientia ac apostolicae potestatis plenitudine», ut Indi infideles habentes plures uxores, baptismo suscepto, possint cum quacumque ex illis uxoribus, quae cum illis baptizata fuerit, in matrimonio vivere. Iam vero hic nulla mentio fit de discessu partis infidelis, qui tamen est condicio, sine qua non potest applicari privilegium Paulinum. — Gregorius XIII[2] attendens, «connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint», concessit missionariis Brasileae facultatem dispensandi, ut quilibet coniux infidelis, baptismo suscepto, «superstite altero coniuge infideli et eius consensu minime requisito aut responso non exspectato matrimonium cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae sollemnizare et in iis postea carnali copula consummatis, quoad vixerit, remanere licite valeat, dummodo constet summarie et extraiudicialiter coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse aut monitum infra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse. Quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit, coniuges priores infideles voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse et ad fidem tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi numquam debere, sed valida et firma prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus». — Luce clarius esse videtur Gregorium XIII ultra limites privilegii Paulini hic processisse, cum solvat matrimonia in infidelitate contracta, etiamsi forte uterque coniux tempore novi matrimonii iam baptizata sit. — Iuxta vigentem praxim Curiae Romanae conceditur missionariis facultas «dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum [uxorem] quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti»[3]. Quae quidem facultas ex privilegio Paulino explicari nequit, quia prorsus deest *discessus* partis infidelis, quem praevium requirit S. Apostolus, antequam novum matrimonium contrahere permittit. — Idem videtur sequi ex compluribus decisionibus particularibus S. Officii[4], et nunc generaliter

matum.» — Sunt tamen nonnulli qui reiciant hanc sententiam, e. g. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 6, c. 4, n. 3 et l. 13, c. 21, n. 4; *De Angelis,* Prael. l. 4, tit. 19; *Feije,* De imped. et dispens. matrim. n. 486; *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 610. Rationem, quam affert Benedictus XIV (Prosper Lambertini) pro sua sententia est haec: matrimonium consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia, matrimonium ratum autem indicat unionem Christi cum anima sanctificata. Sicut autem unio Christi cum Ecclesia est insolubilis, unio autem cum anima est solubilis, ita omne matrimonium consummatum est insolubile, matrimonium autem ratum solubile. — Hoc argumentum esse debile, facile intelligitur.

[1] Const. «Romani Pontifices» d. 2 Aug. 1571.

[2] Const. «Populis ac nationibus» d. 25 Ian. 1585.

[3] Ita in Formula I, n. 11.

[4] Cf. *Gasparri* l. c. II, n. 1084 sqq. et casus narratus a *Bened. XIV* (Quaest. can. caus. Florentin. a. 1726), qui a S. Congregatione postea decisus est contra votum Prosperi Lambertini tunc secretarii istius Congregationis. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 931.

statutum est per Codicem iur. can. c. 1125: pro *omnibus regionibus,* si eadem adiuncta adsunt.

Propositio 2. *Matrimonium non-consummatum inter baptizatos* 681
vel inter partem baptizatam et partem non-baptizatam potest solvi quoad vinculum, utraque parte rogante, vel alterutra, etsi altera invita.

a) per dispensationem Summi Pontificis;

b) per sollemnem professionem religiosam[1].

Prima pars huius propositionis non quidem est de fide, sed hodie tam certa est, ut illam negare temerarium sit. Sancta enim Sedes iam a temporibus Martini V constanter et frequenter matrimonia non consummata dissolvit, si adfuit gravis causa. Impium autem est asserere Sanctam Sedem in re tam gravi constanter errare utendo scil. potestate, quam non habet.

Veteres quidam auctores magni nominis denegarunt Summo Pontifici talem potestatem, cum praxis Romanae Curiae tunc temporis non fuerit ita certa[2]. Fatendum est etiam, *intrinsecas* rationes allatas a nonnullis auctoribus pro facultate dispensativa Summi Pontificis esse parum convincentes, ac proinde, antequam praxis Romanae Curiae hac in re fuit constans et omnibus nota, facile intelligitur sententiarum diversitas. Argumentum enim, quod saepe affertur pro hac facultate dispensandi, desumptum ex verbis Christi ad Petrum: «*Quodcumque* solveris super terram, erit solutum et in coelis», revera nimis probat ac proinde nihil probat; etenim nulla est ratio, cur ex eodem textu non possit inferri facultas dissolvendi matrimonium etiam *consummatum;* quam tamen facultatem nemo concedit Summo Pontifici. Iam supra monuimus indissolubilitatem matrimonii non posse erui neque unice ex natura contractus neque unice ex parte sacramenti, sed ex positiva voluntate Dei. Praeterea videtur esse certum christianorum matrimonium ratum non minoris dignitatis et virtutis esse tam ratione contractus quam ratione sacramenti, quam matrimonium consummatum, quia reicienda est theoria copulalis, ut supra dictum est. Quodsi nihilominus saepissime dissolverunt Summi Pontifices matrimonium ratum et numquam matrimonium consummatum christianorum, haec agendi ratio et facultas videtur esse desumenda ex *positiva voluntate Christi,* qui cum sua Ecclesia erit usque in finem saeculi neque sinit illam errare in re, quae tam intime attingit mores totius populi christiani[3].

---

[1] Ita Cod. iur. can. c. 1119.

[2] *Bened. XIV* (Quaest. can. q. 279) dicit: «Nullam de potestate S. Pontificis moveri amplius posse quaestionem in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas et in praxi recepta, ut notorium est.»

[3] Inter canonistas videtur fuisse primus, qui expresse docuit Papam posse solvere vinculum matrimonii rati, Alanus (ineunte saec. XIII) in apparatu ad Compil. 1. Illum sequuntur Vincentius Hispanus, Hostiensis, Ioannes Andreae (cf. *Fahrner* l. c. p. 208 sqq). Inter theologos videtur primus explicitus assertor huius doctrinae fuisse Caietanus (Opusc. 28). Sane iam S. Antoninus (S. theol. P. 3, tit. 1, c. 21), qui ipse vidit dispensationes huiusmodi concessas a Martino V et Eugenio IV, ut probabilem habet potestatem istam Summi Pontificis, sed valde haesitanter loquitur. Theologi saeculi XIII negaverunt hanc potestatem Summi Pontificis, e. g. S. Bonaventura, Scotus, Paludanus, quos postea sequuntur complures alii, e. g. Franciscus de Victoria, Dominicus Soto, Petrus Soto, Sylvius, Tournely, Drouven, Billuart, Reiffenstuel etc. Sed iam Thomas Sanchez, qui optime tractat hanc

Admissa Summi Pontificis potestate, mirum est, in quam diversas sententias eant theologi et canonistae in explicanda huius potestatis intrinseca natura. Quidam volunt illam esse actum *iudicii* declarantis nullitatem matrimonii; quidam illam vocant dispensationem proprie dictam, alii late dictam; quidam demum volunt illam esse tantum *declarationem* iuris divini. Ceterum haec omnia videntur esse disputationes satis inutiles. Oportet autem memoriae mandare, ne *valide* quidem posse Summum Pontificem solvere matrimonium ratum *sine gravi causa*. Agitur enim de iure divino, in quo Papa nequit arbitrarie dispensare.

682 **Scholion. De modo petendi dispensationem super matrimonio non-consummato.** Quando agitur de dispensatione petenda super matrimonio non-consummato, sequenti modo solet procedi: Coniux, qui petit dissolutionem matrimonii non-consummati, porrigat petitionem suam episcopo (mediante parocho) cum accurata enuntiatione facti et motivorum dispensationis petendae. Episcopus, postquam *extraiudicialiter*[1] omnia scienda aut scitu necessaria inquisivit, mittit petitionem acceptam ad S. Congregationem de Sacramentis. (Episcopi tamen missionum debent petitionem mittere ad S. Congr. de Prop. Fide.) Qua informatione extraiudiciali accepta, S. Congregatio solet episcopum vel iudicem instructorem delegare ad faciendas *informationes iudiciales*. Quomodo istae informationes iudiciales faciendae sint, indicatur in Rescripto a S. Congregatione misso. Generatim observari praecipiuntur statuta edita in Constitutione Benedicti XIV «Dei miseratione» d. 3 Nov. 1741[2], e. g. de defensore vinculi, inspectione corporali, testimonio septimae manus etc. Obiectum istius informationis est duplex: verificatio motivorum dispensationis et probatio non-consummationis matrimonii. Verificare motiva dispensationis non est ita difficile; econtra aliquando difficillimum est certo probare non-consummationem matrimonii. Numquam autem conceditur dispensatio, nisi moraliter constet matrimonium non esse consummatum. Solent a canonistis tres casus distingui: 1. inconsummatio matrimonii «*coarctata tempore*», i. e. si coniuges celebrato matrimonio numquam cohabitabant vel soli commorabantur in eodem loco; 2. inconsummatio matrimonii «*copula non tentata*», i. e. quando coniuges quidem in eadem domo cohabitabant, sed numquam tentabant uti matrimonio; 3. inconsummatio matrimonii «*copula tentata*», i. e. si coniuges etiam tentabant uti matrimonio, sed hoc perficere non valuerunt, e. g. ob impotentiam. Factum inconsummationis matrimonii probandum est testibus iuratis et indiciis haud dubiis, e. g. inspectione corporali. Exemplum inconsummationis «coartata tempore» praebet causa Nicosiensis d. 19 Ian. 1889, ubi mater mariti statim quando coniuges post celebratum matrimonium ex ecclesia exiverunt, maritum vi rapuit; neque postea coniuges umquam convenerunt[3]. — Exemplum inconsummationis «copula

---

quaestionem (De matrim. sacr. l. 2, disp. 14—16) 50 auctores citavit pro sententia docente, Summo Pontifici competere potestatem dispensandi in matrimonio rato et non consummato.

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 1963. Si episcopus vellet procedere iudicialiter sine speciali delegatione S. Sedis, totus processus esset nullus (cf. causam Pisciensem d. 24 Nov. 1906 apud Analecta eccl. XIV [1906] 441). — Iuxta praesentem praxim praevia iudicialis inquisitio de facto non-consummationis pertinet ad unicum iudicem instructorem, ad quem S. Congr. de Sacramentis hanc inquisitionem remisit. Cod. iur. can. c. 1966.

[2] Cf. S. C. C. d. 16 Iuni 1894.

[3] Cf. *Leitner*, Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 592.

non tentata» praebet causa Leopoliensis, quae ter dimissa erat et non nisi quarta vice dispensationem petitam obtinuit. En summarium casus: Aliquis comes in matrimonium duxit comitissam, quae ex illicito amore iam gravida fuit; per sat longum tempus coniuges cohabitabant, sed tam maritus quam uxor iurabat se numquam matrimonium consummasse. Tandem obtinuerunt dispensationem super matrimonio rato et non-consummato [1]. — Exemplum tertii casus, scil. inconsummationis matrimonii «copula tentata», praebent omnes casus in quibus matrimonium dissolvitur ob impedimentum impotentiae [2]. — Postquam episcopus (vel S. Rota) omnes informationes iudiciales perfecerit et ad S. Congregationem de Sacramentis miserit, eminentissimi Cardinales huius Congregationis auditis votis consultorum in plenario conventu decernunt, utrum Sanctissimo sit consulenda dispensatio super matrimonio rato, necne. Si affirmative decreverint, secretarius Congregationis proponit casum Summo Pontifici, qui tunc solet dare dispensationem petitam. Ex quibus omnibus apparet, quantam diligentiam adhibeat Curia Romana, antequam solvit vinculum matrimonii rati et non-consummati.

Altera pars propositionis supra enuntiatae est definita a Con- 683
cilio Tridentino [3]: «S. q. d. matrimonium ratum non-consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S.»

Dicitur: *per sollemnem religionis professionem*. Ergo matrimonium non dirimitur neque per ingressum in religionem neque per professionem simplicem [4]. Professio sollemnis habetur in compluribus antiquis ordinibus religiosis virorum, e. g. Benedictinorum, Dominicanorum, Franciscanorum etc.; at vero non nisi in paucis ordinibus religiosis mulierum, e. g. Clarissarum, Dominicanarum II. Ordinis etc. Unde in praxi videndum est, num adsit professio, quae ab Ecclesia agnoscitur ut sollemnis. Cum autem iuxta vigentem disciplinam Ecclesiae vota sollemnia ordinarie non emittantur nisi quadriennium saltem post ingressum in religionem, sequitur, ut coniux remanens in saeculo deberet per *quattuor* saltem annos exspectare, antequam novas nuptias facere posset. Quia tamen hoc aliquando durum est, casu occurrente, petenda est a S. Sede licentia, ut vota sollemnia statim post novitiatum emittantur. Professio sollemnis non dirimit matrimonium ratum, nisi sit coniuncta cum voto perfectae castitatis. Unde si in aliquibus ordinibus militaribus emittitur quidem professio sollemnis, sed cum castitate tantum coniugali, aut cum prohibitione ad secundas nuptias procedendi, talis professio sollemnis non dirimit matrimonium ratum [5].

---

[1] Cf. Analecta eccl. IV (1896) 264.

[2] Videsis duos casus relatos in Analectis eccl. III (1895) 159—160.

[3] Sess. 24, can. 6 de matrim. (*Denz.* n. 976).

[4] Votum simplex castitatis seu professio simplex (etiam Iesuitarum) non dirimit matrimonium ratum. Ita expresse decrevit Pius IX d. 25 Ian. 1861 dicens: «Non nisi per sollemnem votorum professionem matrimonium ratum et non-consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium.» Pauci auctores, e. g. Pontius, Leurenius, Bouix, Perrone (qui tamen postea hunc errorem correxit), falso attribuerunt eandem vim dirimendi matrimonium votis simplicibus in Societate Iesu emissis post biennium ingressus.

[5] Cf. *Feije* l. c. n. 515.

Votum, uti dicunt, *sollemnizatum* in susceptione subdiaconatus nec etiam dissolvit matrimonium ratum praecedens (licet dirimat matrimonium subsequens, ut infra dicetur). De hac re statuit Ioannes XXII[1]: «Antiquae concertationi finem cupientes imponere ... praesenti declaramus edicto, quod licet votum sollemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum ac ad dirimendum, si *post* contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum, ad dissolvendum tamen *prius* contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec iure divino nec per sacros reperiamus canones hoc statutum, *invalidum est censendum*.»

684 Quo iure professio religiosa sollemnis dirimat matrimonium ratum, multum disputatur inter auctores. *Ex iure naturali,* i. e. ex ipsa natura professionis sollemnis, hunc effectum oriri docent pauci, e. g. Habert, Collet; *ex solo iure ecclesiastico* docent plurimi, e. g. Suarez, Layman, Schmalzgrueber, Pirhing, Leitner, Gasparri, Wernz, De Smet etc.[2]; *ex iure positivo divino* hunc effectum eruunt omnes fere Thomistae et complures extranei, e. g. Valentia, Sanchez, Benedictus XIV[3]. Ratio huius ultimae sententiae est multiplex: a) «Ante carnalem copulam est inter coniuges tantum vinculum spirituale; sed postea etiam est inter eos vinculum carnale; et ideo, sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis ante carnalem copulam solvitur; quia religio est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo.» Ita S. Thomas[4]. Haec comparatio professionis cum morte spirituali saepissime occurrit apud veteres auctores. b) Matrimonium ratum, utpote verum sacramentum, est indissolubile iure divino. Ergo non potest solvi nisi per aliquid, quod habet eandem sanctionem. Cum igitur sit de fide professionem sollemnem religiosam dissolvere matrimonium ratum, convenientius dicitur hunc effectum illi esse concessum etiam ex iure divino. Quod confirmatur: Si professio religiosa sollemnis non dirimeret ex iure divino, sed tantum ex iure ecclesiastico, tunc aliquis Papa posset statuere, ut iste effectus illi iam amplius non competeret[5]. Hoc autem videtur impossibile propter definitionem Con-

[1] Extravag. c. unic., tit. 6, de voto.

[2] *Fahrner,* Gesch. d. Ehescheidung im kan. Recht 292 sqq. clare exhibet diversas sententias diversorum auctorum.

[3] Quaest. can. et mor. q. 546, n. 35.

[4] Suppl. q. 61, a. 2.

[5] *Wernz* (Ius Decretal. IV, n. 698, not. 50) probare conatur Summum Pontificem posse revera auferre hunc effectum professioni sollemni, citans factum omnibus notum: in Gallia, Belgio aliisque regionibus moniales iam non emittunt professionem sollemnem. Ergo Papa abstulit in aliquibus ordinibus professionem sollemnem, et a fortiori potest auferre professioni sollemni vim solvendi matrimonium ratum. — Nemo non videt, quam debilis sit ista argumentatio: Libenter conceditur Papam posse supprimere in aliquibus ordinibus professionem sollemnem, immo posse supprimere totum aliquem ordinem, ut fecit e. g. Clemens XIV de Societate Iesu, sed inde minime sequitur, ut Papa possit quidem relinquere alicui ordini professionem vere sollemnem et nihilominus isti professioni auferre effectum dissolvendi matrimonii rati. Quod etiam apparet ex sequenti exemplo: aliquis potest totaliter exstinguere aliquod lumen; sed non potest, exsistente lumine, impedire, ne lumen producat effectum lucendi. — Adhuc debilius est argumentum centies recantatum: sollemnitatem voti esse ex institutione Ecclesiae, testante Bonifatio VIII. Ergo Ecclesiam

cilii Tridentini supra allatam, quae est definitio dogmatica et non tantum disciplinaris, ut nunc communissime admittitur [1].

Ex c. 7, X 3, 31 deducebant theologi et canonistae coniugibus concessum 685
esse *bimestre*, intra quod religionis ingrediendae consilium capere possint, ideoque debitum coniugale reddere non teneantur [2]. Licet autem complures auctores, e. g. Sanchez, Salmanticenses, Billuart, S. Alphonsus, Marc [3] illud bimestre etiam iis coniugibus concedant, qui de ingredienda religione *nullatenus cogitant*, tamen conformior cum iuri tum rationi videtur esse sententia illorum auctorum, qui hoc tempus bimestre illis tantum concedunt, qui revera volunt deliberare de ingressu in religionem. Ratio est, quia istud privilegium concessum non est nisi in favorem religionis amplectendae et non ad eximendum coniugem a redditione debiti primo bimestri. Unde coniux tenetur statim post matrimonium rite contractum reddere debitum coniugale comparti rationabiliter petenti [4]. Ceterum Codex iur. can. prorsus silet de hoc bimestri, et nostris temporibus vix umquam accidere potest, ut aliquis licite ineat matrimonium cum animo intra bimestre intrandi in religionem; quia leges civiles ubique fere exsistentes et matrimonium civile praecipientes non permittunt divortium ob merum ingressum in religionem, ac proinde pro parte relicta in saeculo gravia incommoda facile oriri possent, si quis prius contraheret matrimonium et deinde paulo post in religionem intraret. Ceterum iuxta vigentem disciplinam nemo coniugatus potest valide admitti ad novitiatum, nisi praevia licentia S. Sedis [5].

Quaeres: 1. Num religionem intrare possit ille coniux, qui infra primum 686
bimestre vi oppressus sit? — Affirmative, saltem probabilius et per se loquendo. Ratio est, quia coniugi oppresso gravis iniuria irrogata est nec potuit legitimo iure suo privari. Dico: *per se loquendo;* nam si ex copula habita proles speratur, profecto ius naturale exigit, ut eius educationi provideatur; quod saepe non potest aliter fieri nisi unitis viribus coniugum cohabitantium.

2. Num vinculum matrimonii solvatur per professionem sollemnem coniugis *vi oppressi* durante primo bimestri? Negative probabilius. Ratio est, quia tale matrimonium est revera ratum et consummatum. Licet enim copula carnalis fuerit extorta per vim iniustam, tamen fuit copula coniugalis et non fornicaria. Ita S. Antoninus [6], Dom. Soto [7], Sanchez [8], Gasparri [9], Fahrner [10] et multi alii, contradicentibus paucis, e. g. Ioanne Andreae [11], Sylv. Prierias [12], Reiffenstuel [13]. Quando igitur coniux vi oppressus professionem religiosam emiserit, alter remanens in saeculo tenetur vitam coelibem ducere.

---

posse libere hanc sollemnitatem mutare immo et abolere. Respondetur: Sane sollemnitas *accidentalis* est ex institutione Ecclesiae, minime vero sollemnitas *essentialis*. Longius scripsimus de hac re in «Commer'sches Jahrbuch» XXII, 55 sqq.

[1] Cf. *Billot*, De eccl. sacr. II, thes. 45, p. 415.

[2] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 62, a. 2 ad 2. [3] Instit. mor. II, n. 1980.

[4] Cf. *Feije*, De imped. et dispens. matrim. n. 517; *De Smet*, De sponsal. et matrim. n. 133.

[5] Cod. iur. can. c. 542, n. 1.

[6] S. theol. P. 3, tit. 1, c. 21, § 1. [7] In 4, dist. 27, q. 1, a. 1.

[8] De matrim. sacr. l. 2, disp. 22, n. 4. [9] De matrim. II, n. 1062.

[10] Gesch. d. Ehescheidung im kan. Recht 305.

[11] Quaest. mercurial. sup. neg. iur. in Sexto, in reg. «Quae contra ius».

[12] Summa Summ., s. v. «Divortium» n. 5.

[13] Ius can. l. 3, tit. 32, n. 6—9.

3. Num, si *ante* matrimonium quidem copula carnalis habita est inter sponsos sed nondum *post* matrimonium rite contractum, remaneat privilegium solvendi vinculum matrimonii contracti per professionem sollemnem? Affirmative. Ratio est, quia tale matrimonium revera est *ratum* tantum et non consummatum. Quae quidem sententia videtur esse extra omne dubium posita, postquam Leo XIII (a. 1892) abolevit matrimonium praesumptum, quod censebatur adesse, quando sponsi affectu maritali copulam carnalem perfecerunt [1].

4. Num professio sollemnis religiosa valeat solvere vinculum matrimonii, quod fuit quidem consummatum *in infidelitate*, sed post conversionem alterius vel utriusque coniugis remansit sine copula carnali? Theoretice loquendo sententia affirmativa est verior et antiquior. Iam S. Bonaventura [2] illam docuit, quem sequuntur Dom. Soto [3], Sanchez [4] aliique. Ratio est, quia matrimonium ratum christianorum, utpote sacramentum, fortius vinculum constituit quam matrimonium legitimum consummatum; quod quidem evidenter apparet ex eo, quod ex privilegio Paulino matrimonium ratum subsequens dirimit matrimonium legitimum consummatum praecedens. Iam vero professio religiosa sollemnis solvit matrimonium ratum christianorum. Ergo a fortiori solvit matrimonium legitimum consummatum. Iuxta adagium Iuris Romani: «Si vinco vincentem te, multo magis vinco te.» [5] In praxi autem, cum agatur de re magni momenti et sententia proposita non sit certa, adeunda est S. Sedes, quae iuxta superius dicta potest in huiusmodi matrimoniis vinculum solvere [6].

§ 2.

De divortio imperfecto seu quoad torum et cohabitationem.

687 **Obligatio cohabitationis.** Ex ipsa definitione matrimonii, quod continet «individuam vitae consuetudinem», sequitur coniugum obligatio insimul convivendi. Idem sequitur tam ex verbis Christi: «Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae» [7], quam ex Codice iur. can. c. 1128 statuente: «Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset.» Haec obligatio est obligatio *iustitiae*, cum oriatur ex ipso contractu matrimoniali [8], et includit a) *consortium tecti*, b) *consortium lecti*. Unde coniuges tenentur regulariter non solum sub eodem tecto cohabitare, sed etiam in eodem cubiculo dormire. Consortium tecti et domesticae cohabitationis necessarium est tam pro educatione convenienti prolis, quam ad mutuum auxilium et solatium praestandum in angustiis vitae quotidianae. Consortium autem lecti vel saltem cubiculi conducit ad mutuum amorem fovendum et ad pericula incontinentiae vitanda. Hinc neuter coniux potest ab alio discedere ad longum tempus, altero invito, nisi adsint iustae causae, quae

---

[1] Cf. *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 698, not. 42 (p. 1029).

[2] In 4, dist. 39, a. 2, q. 2 (Ad Aquas Claras 1899, IV, 839 sq.).

[3] In 4, dist. 39, q. unic., a. 4.

[4] De matrim. sacr. l. 7, disp. 76, n. 8—10, ubi dicit hanc sententiam esse omnino tenendam.

[5] L. 14, § 3, D. 44, 3. [6] Cf. *Fahrner*, Gesch. d. Ehescheidung 313 sq.

[7] Cf. Mt 19, 5.

[8] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 939, qui secundum Sanchez dicit: «Certum est coniuges teneri ex obligatione iustitiae ad cohabitandum in eadem domo, mensa ac toro.»

pensandae sunt visis omnibus circumstantiis. Quodsi vir alibi debet diu commorari, tenetur secum ducere uxorem, si fieri potest absque gravi incommodo. Experientia enim constat talem separationem coniugum esse perquam damnosam cum pro ipsis coniugibus tum pro prole educanda. Pariter uxor tenetur *sequi* virum mutantem domicilium, nisi ex tali mutatione pro uxore aut prole gravia damna oriantur. In praxi confessarius aut parochus admoneat quidem coniuges, ut fideliter observent consortium tecti et lecti seu thalami; attamen nisi gravia peccata aut scandala oriantur ex separatione, ne nimis urgeat tale consortium, sed relinquat coniuges in bona fide.

Divortium imperfectum, seu quoad torum et cohabitationem, licite fieri potest ex legitimis causis. 688

Ita ex Concilio Tridentino definiente: «S. q. d. Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, A. S.» [1] Huiusmodi divortium aliquando non tantum licitum, verum etiam valde meritorium esse docet ipse Christus dicens: «Omnis, qui reliquerit domum ... aut *uxorem* propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.» [2]

Divortium imperfectum solet distingui; 1. *perpetuum* aut *temporale*, prout fit indefinito aut finito tempore; 2. factum *privata* aut *publica* auctoritate, prout instituitur sola alterius utriusve coniugis auctoritate aut ex sententia legitimi iudicis; 3. quoad *torum* tantum, prout usus matrimonii excluditur; vel etiam quoad *habitationem*, prout coniuges communem vitam domesticam et habitationem dissolvunt.

Causae, ob quas divortium imperfectum licite fieri potest, praecipue recensentur: 1. *adulterium carnale;* 2. *adulterium spirituale, i. e. haeresis seu apostasia;* 3. *vita criminosa et ignominiosa;* 4. *periculum grave animae vel corporis;* 5. *mutuus consensus* [3].

1. De divortio propter adulterium carnale. 689

a) Propter adulterium commissum fieri posse divortium, patet ex verbis Christi: «Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.» [4] Idem sequitur ex compluribus textibus iuris canonici [5], ac suadetur ex ipso iure naturali. Etenim illi, qui fregit fidem, non tenetur aliquis servare fidem; ac praeterea ex adulterio certitudo prolium periclitatur [6].

Disputabant auctores, utrum ex causa adulterii pars innocens possit divortium facere *propria* auctoritate, an adhuc requiratur sententia iudicis competentis. Sententia melior videtur esse haec: Divortium quoad *torum*, seu denegatio debiti coniugalis, fieri potest propria auctoritate sine interventu

---

[1] Sess. 24, can. 8 de matrim. (*Denz.* n. 978).

[2] Mt 19, 29. Haec verba Christi intelligenda sunt aut de matrimonio rato, aut, si agitur de matrimonio consummato, de separatione ex mutuo consensu facta.

[3] Cod. iur. can. c. 1131, § 1.

[4] Mt 5, 32 et 19, 9.

[5] c. 4 5 8, X 4, 19; Cod. iur. can. c. 1129.

[6] *S. Thom.*, Suppl. q. 62, a. 1.

iudicis ecclesiastici [1]. Divortium vero quoad *habitationem* ordinarie non potest fieri propria auctoritate, nisi agatur de adulterio *certo* et *notorio* [2]. Si enim adulterium commissum est *occultum*, divortium melius fit cum interventu iudicis ecclesiastici. Ratio est, quia secus facile scandalum et infamia adultero iniuste orirentur. Nihilominus nostris diebus recursus ad ecclesiasticum tribunal pro divortio obtinendo (sive propter adulterium sive propter alias rationes) urgeri non potest, si de causis legitimis divortii certo constat et periculum est in mora [3]. In praxi observanda sunt statuta diocesana, si quae de hac materia lata sunt [4].

b) Nomine adulterii probabilius venit quilibet concubitus illicitus extra matrimonium. Unde etiam sodomia, bestialitas, copula onanistica, non autem alii actus impudici, ut tactus, aspectus, oscula, divortium permittunt. Ita sententia longe communior [5].

c) Ut parti innocenti ius divortii oriatur ex adulterio compartis, necesse est ut hoc flagitium sit:

α) moraliter certum.

Quare neque sufficit mera suspicio, neque requiritur stricta probatio iuridica, sed oportet ut de eius exsistentia iam non subsistat prudens dubium. Ratio est obvia, quia scil. nemo potest puniri nisi ob crimen certo commissum, neque iure debiti poscendi privari nisi propter culpam certo perpetratam.

β) formale, culpabile, libere commissum.

Unde e. g. si vir putans uxorem esse mortuam copulam habet cum alia femina, non potest, errore detecto, ab uxore repudiari; pariter, si uxor vi opprimitur, non potest a viro dimitti [6].

γ) non condonatum.

Condonatio adulterii potest fieri cum explicitis verbis tum implicite, si scil. pars innocens sciens adulterium a comparte commissum sponte dat signa affectus maritalis, e. g. si petit debitum coniugale. Haec tacita seu implicita condonatio praesumitur in iure, si intra sex menses post cognitum adulterium coniux innocens adulterum non expulerit aut dereliquerit aut legitimam accusationem fecerit [7]. Pariter adulterium uxoris nequit esse causa divortii, si maritus ipse induxerit uxorem ad adulterium committendum, vel etiam si consensum dederit [8]. Ratio obvia est, quia scil. tunc maritus formaliter cooperatus est uxoris adulterio neque commodum aliquod ex sua tetra cooperatione sumere potest.

---

[1] *S. Thomas* (ib. a. 3) dicit: «Vir potest uxorem dimittere dupliciter: uno modo, quantum ad torum tantum. Et sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, *proprio arbitrio*. . . . Alio modo, quantum ad torum et cohabitationem. Et hoc modo non potest (uxor) dimitti nisi *iudicio Ecclesiae*. Et si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir in continenti fornicationem probare.»

[2] Cf. c. 4, X 4, 19 et c. 9, X 4, 1.

[3] Cf. Cod. iur. can. c. 1129 et 1131, § 1.

[4] Videsis statuta dioecesana Brugensia apud *De Smet*, De sponsal. et matrim. n. 156.

[5] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 62, a. 1 ad 4; *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 962.

[6] Cf. c. 1, C. 34, q. 1 et 2; c. 6 ib.; c. 16, C. 32, q. 5.

[7] Cod. iur. can. c. 1129, § 2.

[8] Cf. c. 4, C. 32, q. 1; c. 6, X 4, 13.

δ) non mutuum.

Siquidem paria delicta mutua compensatione tolluntur[1]. Nihil refert, uter coniugum prius vel pluries adulterium perpetraverit.

d) Pars innocens *potest* quidem divortium a toro et habitatione peragere, cum ipse Christus tale ius concesserit; rarissime autem *tenetur* uti hoc iure; nempe tunc solummodo, si alia via non suppeditat ad scandalum vitandum aut ad peccatorem corrigendum[2]. Generatim praestat, ut adultera reconcilietur parti innocenti.

e) Pars innocens (separatione peracta etiam a longo tempore) non amittit ius revocandi coniugem adulterum, qui redire tenetur, saltem si pacifica cohabitatio prudenter sperari potest[3].

f) Pars innocens potest, etiam invito adultero, *religionem intrare* (praehabita dispensatione S. Sedis) aut *sacros ordines suscipere;* econtra adulter nequit sine consensu explicito vel implicito partis innocentis in religionem intrare aut ordines suscipere. Quodsi hoc nihilominus adulter fecisset, posset revocari et teneretur redire ad coniugem, non obstante voto vel ordine suscepto. Ratio est, quia vinculum matrimoniale semper subsistit neque pars innocens privari potest iure suo. S. Alphonsus[4] docet coniugem adulterum posse religionem intrare vel sacros ordines suscipere: α) si pars innocens irrevocabiliter statum religiosum aut clericalem prius susceperit; β) si pars innocens bene cognoscens propositum partis adulterae non contradicit, licet commode possit; γ) si pars innocens omnem reconciliationem ab adultero petitam prorsus repudiavit; δ) si dimissio partis adulterae iam a biennio facta est nec ulla revocatio evenit. In istis enim et similibus casibus praesumitur consensus partis innocentis. Hodie autem nullus coniugatus potest valide admitti ad novitiatum nisi habita licentia S. Sedis[5].

2. De divortio propter adulterium spirituale. 690

Adulterium spirituale vel fornicatio spiritualis vocatur praecipue apostasia vel haeresis[6], quae matrimonio *supervenit.* Divortium quoad torum et habitationem fieri potest etiam propter hoc flagitium[7].

Ratio praecipua (sed non unica) est, quia ex apostasia vel haeresi unius coniugis tam comparti quam etiam proli magnum damnum imminere solet, praesertim si apostata partem catholicam ad deficiendum a fide sollicitat. Alia ratio est, quia Ecclesia abhorret intimam conversationem catholicorum

---

[1] c. 6 7, X 5, 16; Cod. iur. can. c. 1129, § 1.

[2] Aliqua Concilia particularia antiqua, e. g. Illiberitanum a. 300, praeceperunt dimissionem adulteri. Item in Ecclesia orientali presbyteri debent uxorem notorie adulteram dimittere, ne censeantur connivere peccato coniugis.

[3] Cf. B. Albertus Magnus, qui optime tractat de divortio propter adulterium, in 4, dist. 35, a. 3 10 12 13.

[4] Theol. mor. l. 6, n. 967. [5] Cod. iur. can. c. 542, n. 1.

[6] Cf. Ier 3, 8; Ez 23, 37; c. 5, C. 28, q. 1. In hoc textu S. Augustinus permittit divortium non solum propter apostasiam, sed etiam propter alia gravia delicta; cf. tamen Retract. 1, 18.

[7] c 6, 7, X 4, 19 et c. 5, C. 28, q. 1; Cod. iur. can. c. 1131, § 1.

cum haereticis et apostatis. — Ex *privata* auctoritate raro licet divortium facere propter hanc causam; et si nihilominus factum est, coniux innocens tenetur redire ad alterum, si iste ab haeresi resipuerit. Ita expresse statuit Urbanus III[1]. Sin autem *auctoritate iudicis ecclesiastici* propter haeresim divortium est permissum, vel si coniux innocens interim est ingressus religionem, compelli non potest, ut redeat ad partem ream, etsi ista correxerit errores suos. Ita in Decretalibus l. c.[2] — Causa quoque sufficiens faciendi divortium est, si coniux prolem acatholice educaverit, sicuti non raro accidit in matrimoniis mixtis.

691 **3. De divortio propter vitam criminosam et ignominiosam.**

Haec causa divortii, quae invenitur quoque in compluribus codicibus civilibus[3], videtur requirere veram infamiam iuris vel facti; e. g. adest, si uxor saepe indulget ebrietati perfectae, si maritus habitualiter est deditus homosexualitati etc.

692 **4. De divortio propter periculum grave animae vel corporis.**

Adest grave periculum animae, si alter coniux alterum *constanter sollicitet* ad grave peccatum, e. g. ad furtum, adulterium, meretricium, sodomiam, ad prolem educandam in haeresi etc. Non sufficit ad divortium ob istam causam faciendum, ut coniux comparti praebeat solam *occasionem* peccandi, sed requiritur, ut divortium sit quasi *unicum remedium* vitandi peccati gravis.

Hinc e. g. non licet divortium facere quoad habitationem (bene tamen quoad torum), si maritus semper exercet copulam onanisticam vel alio modo abutitur matrimonio, etsi forte uxor inde graves tentationes consentiendi patiatur. Liceret autem uxori relinquere domum coniugalem, si maritus vellet e. g. lupanar erigere et uxorem cogere, ut ibidem deserviat. Antequam propter periculum animae divortium quoad habitationem fiat, consulendus est confessarius aut parochus, cum secus graves errores graviaque incommoda vix vitentur.

Ad grave periculum corporis reduci possunt:

a) *saevitiae,* quas exercet unus coniux in alterum, sive hoc fiat verbis sive factis.

Requiruntur autem saevitiae, quae sunt revera *graves,* considerata condicione coniugum. Sola verberatio, nisi pluries fiat et gravis sit, apud coniuges ignobiles non est causa sufficiens divortii. Aliter res se habet apud coniuges cultioris condicionis. Quae tamen complures veteres auctores dicunt de verberatione uxoris apud S. Alphonsum[4], in nostris saltem regionibus non possunt admitti. Generatim in hac materia veteres auctores cum circumspectione legendi sunt, quia tempore eorum verberatio adhibebatur communiter tamquam poena pro multis delictis. Hodie autem verberatio haud raro ne pro pueris quidem discolis in scholis admittitur a lege civili.

[1] c. 6, X 4, 19. Si tamen ex apostasia unius partis alteri grave periculum perversionis immineret, quod aliter caveri non posset, tunc divortium etiam privata auctoritate facere liceret. [2] Cf. tamen Cod. iur. can. c. 1132, § 2.

[3] C. Germ. 1568; C. Helvet. 139; Cod. Ital. 151.

[4] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 972.

b) *molesta cohabitatio,* quae solet oriri ex iurgiis et dissidiis perpetuis coniugum, ex habitu se inebriandi, ex negligentia crassa rei familiaris, ex dilapidatione culpabili fortunae etc. Per se patet non quamlibet parvam molestiam sufficere pro divortio faciendo, sed requiri talem, qualis vitam communem intolerabilem reddit.

c) *morbus gravis ex gravi culpa ab uno coniuge contractus et alteri coniugi valde periculosus.*

Requiruntur igitur tres condiciones: *gravis morbus,* valde *contagiosus, ex gravi culpa contractus.* Talis morbus praecipue est syphilis. Coniux innocens non tenetur debitum coniugale reddere alteri coniugi, qui culpabiliter hunc morbum contagiosum contraxit. In casu, quo alter coniux hunc morbum teterrimum contraxit ex *adulterio* — uti fere semper accidere solet —, coniux innocens certissime potest facere divortium, quia iam solum adulterium est causa sufficiens faciendi divortium, ut supra dictum est. Etiam in casu, quo coniux istum morbum inculpabiliter contraxit — quod rarissime accidit —, coniux innocens non tenetur debitum coniugale reddere, seu potest facere divortium *quoad torum.* Ratio est, quia coniux non tenetur debitum coniugale reddere cum propriae vitae periculo, quale incurreret, si haberet commercium carnale cum comparte syphilitica. Aliquando coniux innocens non solummodo potest, sed etiam *tenetur* facere divortium (saltem quoad torum) ad contagionem vitandam [1], si scil. vita ipsius est valde necessaria ad prolem iam natam educandam, vel si serio timetur, ne ex tali commercio nascitura sit proles eodem morbo syphilitico infecta, sicut solet accidere. Si neque proles iam nata educanda est, neque proles nascitura speratur, neque alia ratio extrinseca obstat, coniux sanus forte *potest* debitum coniugale etiam cum periculo propriae vitae reddere et petere. Ratio est, quia accedente bona intentione talis actus ex magna caritate procederet. — In aliis morbis gravibus contagiosis, quos contraxit alter coniux sine gravi sua culpa, e. g. in phthisi, cholera, lepra, febri typhoida etc., coniux sanus potest quidem debitum coniugale denegare et divortium quoad torum facere, *minime vero ei licet propria auctoritate deserere habitationem coniugalem.* Ratio est, 1. quia non oportet afflicto addere afflictionem, et 2. quia coniuges sibi invicem debent praestare solamen et tutamen non solum in rebus secundis, verum etiam in rebus adversis et maxime in infirmitate [2].

5. De divortio ex mutuo consensu. 693

a) *Divortium perpetuum quoad habitationem* mutuo libero consensu explicito (et non tantum implicito) fieri potest propter *electionem status perfectioris,* scil. propter susceptionem sacrorum ordinum et propter vitam religiosam amplectendam. Tunc autem a iure complures condiciones praescribebantur, quae late explicantur a Bene-

[1] Medici *Bergmann-Capellmann* (Pastoralmedizin[18] 322) scribunt: «Seitens des kranken Teiles wäre hier ein Verlangen der Copula ein greuliches Attentat auf den gesunden Teil; seitens des gesunden Teiles gehörte mehr als caritas, es gehörte nach meiner Ansicht Wahnsinn dazu, sich von einer solchen Krankheit mit so sehr großer Wahrscheinlichkeit anstecken zu lassen. Es mag das zu strenge erscheinen; wer aber gesehen hat, und täglich sieht, welche entsetzliche Folgen diese Krankheit hat, der wird uns beipflichten.»

[2] Cf. in Decretalibus Gregorii IX titulum: De coniugio leprosorum (l. 4, tit. 8).

dicto XIV[1]. Iuxta vigentem disciplinam in utroque casu requiritur licentia S. Sedis[2].

b) *Divortium temporale quoad habitationem* a coniugibus ex mutuo consensu libere institui potest, dummodo adsint rationes vere proportionatae, e. g. itineris faciendi aut negotii tractandi causa. In praxi autem huiusmodi divortium, si est *notabilis durationis*, valde dissuadendum est, quia rarissime magna damna absunt. Educatio enim prolis difficilior redditur, si parentes non unitis viribus cooperantur; amor mutuus coniugum minuitur et frigescit; magna pericula incontinentiae oriuntur etc. Quae cum ita sint, experientia testante, mulier sequatur virum, qui cogitur per longius tempus a domicilio abesse.

c) *Divortium perpetuum aut temporale quoad torum* ex mutuo et libero consensu coniugum fieri potest absque ulla restrictione, si adsint honestae rationes. Etenim coniuges possunt uti matrimonio, possunt autem etiam ex mutuo consensu servare continentiam. Immo Apostolus admonet coniuges, ut aliquando talem continentiam *ad tempus* servent[3].

d) *Denegatio tori vel saltem denegatio debiti coniugalis* insuper licita evadit, quotiescumque alter coniux graviter abutitur iure suo aut irrationabiliter petit debitum coniugale. De denegatione debiti coniugalis infra n. 705 sq sermo redibit.

Scholion. Hic quidem subnectenda esset dissertatio de divortio civili, quod nostris temporibus in dies frequentius et damnosius evenit, sed melius infra in fine insimul tractatur de matrimonio civili et de divortio civili.

CAPUT IV.

De matrimonii bonis.

694 «Assignatur triplex bonum matrimonii: Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae.» Ita Concilium Florentinum in Decreto pro Armenis[4]; quae omnia fere ad verbum desumpta sunt ex S. Thoma[5]. Haec enumeratio triplicis boni matrimonialis primum videtur adhibita esse a S. Augustino dicente: «Omne itaque nuptiarum bonum . . . est proles, fides, sacramentum»[6], et post illum a quam pluribus canonistis et theologis. Monet autem Catechismus Romanus[7]: «Docendi sunt fideles tria esse matrimonii bona: prolem, fidem, sacramentum; quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis: ‚Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi'[8], efficiturque, ut coniunctiones cor-

[1] De syn. dioec. l. 13, c. 12, n. 11 sqq.
[2] Cf. nostrum Man. iur. can. q. 204 et 321. Cf. *Bened. XIV* l. c. n. 16.
[3] 1 Cor 7, 5.
[4] *Denz.* n. 702. [5] Contra Gent. l. 4, c. 78.
[6] Habetur c. 10, C. 28, q. 2; cf. etiam De Gen. ad litt. l. 9, c. 7.
[7] P. 1, c. 8, q. 21. [8] 1 Cor 7, 28.

porum, quae extra matrimonium merito damnandae essent, cum honestate coniunctae sint.» — Quae quidem tria bona in quolibet matrimonio adesse oportet; ergo etiam in matrimonio legitimo infidelium. Sunt tamen multo perfectiore modo in matrimonio christianorum, cui ita intime coniuncta sunt, ut sine illis matrimonium christianum prorsus non valeat subsistere[1].

Nota. *Quaelibet actio, quae graviter laedit vel unum ex his* 695
bonis, est peccatum mortale.

Optime de istis bonis matrimonialibus disserit Angelicus Doctor in tota quaestione 49 Supplementi, ubi etiam probat, quam convenienter a Deo ista bona coniuncta fuerint matrimonio. Argumentatio hoc modo breviter resumi potest: Nemo sapiens iacturam aliquam sustinet, nisi recipiat compensationem alicuius aequalis vel melioris boni. Atqui in matrimonio complures iacturae compluraque damna et incommoda occurrunt.

Primum damnum, quod occurrit, est *libido*, et ex ea resultat detrimentum usus rationis. Experientia enim constat libidinem non sopiri actibus carnalibus, sed potius augeri et evadere quasi alteram naturam. Pariter constat, libidine rationem obtusam fieri idque eo gradu, ut durante ipso actu libidinoso usus rationis haud raro totaliter amittatur. Ad ista damna compensanda *bonum prolis* a Creatore collatum est in matrimonio. Generatione liberorum propagatur genus humanum et Deus perpetuo colitur. Unde dicit S. Paulus: «Salvabitur (mulier) per filiorum generationem.»[2]

Secundum damnum est *sollicitudo molesta* placendi comparti et providendi rebus familiae; pro muliere autem specialiter: onera partus. Istud damnum compensatur *bono fidei* seu fidelitatis, quo alter alteri tenetur reddere debitum coniugale neque alii homini commisceri potest. Unde Apostolus Paulus dicit: «Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.»[3]

Tertium damnum est *perpetua quaedam servitus*, qua vir uxori et uxor viro obligatur. Quod quidem damnum compensatur *bono sacramenti*, i. e. vinculo indissolubili, quo coniuges repraesentant salutiferam coniunctionem Christi cum Ecclesia atque se diligere tenentur, sicut Christus dilexit Ecclesiam. — Nunc de singulis bonis singulariter agendum est.

1. **Bonum prolis** est proximus finis matrimonii; unde matri- 696
monium est ab initio nullum, si a contrahentibus excluditur ius ad generationem prolis, vel etiam si copula carnalis exercetur quidem, sed cum explicita stipulatione, ut generatio prolis vitetur. Bonum prolis magnum quidem bonum est pro coniugibus, cum parentum gloria et corona sint liberi progeniti, sed etiam graves obligationes illis imponit, quarum transgressio facile evenire potest peccatum mortale. Pulchre complectitur S. Augustinus[4] istas obligationes hac una phrasi: «*Ut [proles] amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur.*» Huiusmodi obligationes convenienter dividuntur a) respectu corporis et b) respectu animae.

---

[1] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 49, a. 2 ad 2; *Gihr*, Sakramentenlehre § 56.
[2] 1 Tim 2, 15. [3] 1 Cor 7, 4.
[4] De Gen. ad litt. l. 9, c. 7.

a) *Respectu corporis* bonum prolis exigit, ut parentes inde ab initio conceptionis non solum omnia evitent, quae proli graviter nociva sunt, verum etiam bonam educationem et alimentationem procurent.

Cf. quae supra II, n. 588 latius dicta sunt de hac re. — Cum in Decreto Gratiani[1] tum in Rituali Romano[2] graviter monentur parentes, ne parvulum secum collocent in lecto, propter suffocationis grande periculum. Cuius legis transgressio in aliquibus dioecesibus est peccatum reservatum.

b) *Respectu animae* seu respectu boni spiritualis tenentur parentes imprimis curare, ut proles nata quantocius lavacro baptismi a peccato originali liberetur. Unde peccant parentes, si sine urgentissima causa baptismum prolis nimis differant[3]. Maximum autem peccatum contra bonum cum corporale tum spirituale prolis conceptae est abortus directe volitus, quippe qui simul cum vita corporali auferat possibilitatem baptismi et proinde etiam vitae aeternae[4]. Ad bonum spirituale prolis pertinet etiam bona educatio, de qua sermo fuit supra II, n. 589.

697 2. **Bonum fidei** duo includit: debitum coniugale et fidelitatem coniugalem. De debito coniugali sermo erit specialis in sequenti capite. Fidelitas coniugalis est magnum matrimonii bonum, et quo sanctius conservatur, eo maior felicitas solet exsistere inter coniuges. Grave autem est iniustitiae peccatum coniugalis fidelitatis laesio, quae fit per adulterium omnesque actus cum illo connexos. In Vetere Testamento adulteri puniebantur mortis poena: «Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera; et auferes malum de Israel.»[5] In Novo autem Testamento dicitur: «Neque adulteri ... regnum Dei possidebunt.»[6] Etiamsi maritus consensum dedit, ut uxor habeat copulam cum alio viro, nihilominus iste actus est verum adulterium, ut patet ex propositione (50) damnata ab Innocentio XI, iam supra II, n. 703 citata. Ratio est, quia maritus non potest alienare ius suum in uxorem, cum matrimonium ex iure tam divino quam naturali hanc fidelitatem coniugum requirat. Sicuti enim non habet homo liberum dominium perfectum de membris proprii corporis — non potest sibi e. g. licite praecidere membrum sanum — ita a pari maritus non habet liberum dominium de uxore sua, nec potest illam alteri cedere.

Christus ipse maxime inculcat fidelitatem coniugibus eos deterrens non solum ab actibus externis pravis, sed etiam ab interno desiderio pravo: «Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem vobis dico, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.»[7]

---

[1] c. 2, C. 2, q. 1. [2] Tit. 2, c. 2, n. 32.
[3] Cf. supra in tractatu de baptismo n. 126.
[4] Cf. poenas contra procurantes abortum supra II, n. 142.
[5] Dt 22, 22. [6] 1 Cor 6, 9. [7] Mt 5, 27 sq

Sunt auctores, e. g. Sanchez [1], Salmanticenses [2], S. Alphonsus [3], qui docent, non solum adulterium proprie dictum esse contra fidelitatem coniugalem, sed etiam *sodomiam cum propria uxore*, ita ut coniuges ad invicem sodomiam perpetrantes verum adulterium committant, eo quod in sodomia neuter coniux servet alteri corpus suum caste. Quidquid est de hac sententia, coniux sodomiticus in confessione debet dicere, utrum peccatum commiserit cum comparte sua an cum aliena persona; quia secus confessarius nequit rectum iudicium ferre.

Scholion. De zelo coniugali. Non abs re erit pauca verba facere de 698
zelo coniugali [4], qui ab antiquis vocatus est «sollicitudo suspicioque amantis», et qui non tantum bono fidelitatis adversatur, verum etiam damna enormia rixasque diras causare solet in vita coniugali. Qui quidem zelus coniugalis oriri potest sine omni culpa atque fieri quasi «idea fixa». Coniux zelosus (qui saepe est melancholici temperamenti) ubique et in omnibus actionibus compartis suspicatur, sin minus perfectam infidelitatem, tamen signa amoris diminuti erga ipsum et amorem indebitum erga personam aliam. Aliquando tamen zelus coniugalis oritur ex culpa alterius coniugis, qui consortem negligit et nimis afficitur erga alienam personam. Si zelus coniugalis mox non exstinguitur et totis viribus impugnatur, vita utriusque coniugis evadit revera intolerabilis; immo haud raro homicidium vel suicidium inde sequitur. Optimum remedium contra zelum coniugalem est candidus et apertus modus loquendi et agendi inter coniuges semper adhibitus, sine omnibus ambagibus et secretis. Tamquam regula consulenda est: Uterque coniux in vita sua privata (aliter est de vita professionali, uti dicunt, seu de secreto commisso) nihil celet compartem suam [5].

3. **Bonum sacramenti** non est tam gratia sacramentalis matri- 699
monii christiani quam *vinculum indissolubile*, quod quidem strictius est in matrimonio christiano quam in matrimonio paganorum. Si enim matrimonium christianum significat Christi cum Ecclesia coniunctionem, quae est indelebilis, cum Christus numquam se ab Ecclesia seiuncturus sit, necesse est etiam, ut inter coniuges christianos vinculum coniunctionis numquam possit disrumpi. Verum ut haec sancta societas sine querela facilius conservetur, mariti et uxoris officia descripta a S. Paulo [6] et a principe apostolorum S. Petro [7] prae oculis habenda sunt:

Officia mariti. Mariti munus est uxorem liberaliter et honorifice tractare. Qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo *sociam* appellatam esse dicente: «Mulier, quam dedisti mihi sociam» [8]. Cuius rei causa aliqui Patres factum esse docent, ut Eva non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur: quemadmodum etiam ex capite Adae condita non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed potius ei subiectam. Decet insuper virum in alicuius honestae rei studio semper occupatum esse, cum ut ea suppeditet, quae ad familiam sustentandam necessaria sunt, tum ne languescat inerti otio, a quo omnia fere vitia ducunt initium; deinde vero familiam recte constituere, omnium subditorum mores corrigere, singulos in officio continere.

---

[1] De matrim. sacr. l. 9, disp. 18, n. 4. [2] Theol. mor. tr. 26, c. 5, n. 15.
[3] Theol. mor. l. 3, n. 446. [4] *Eifersucht, jalousie, jealousy.*
[5] Cf. *Rivz*, Die Ehe 364. [6] Eph 5, 22; Col 3, 18; 1 Tim 5, 14.
[7] 1 Petr 3, 1 sqq. [8] Gn 3, 12.

Officia uxoris clare enumerantur a principe apostolorum dicente: «Mulieres subditae sint viris suis, ut et, si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiectae propriis viris. Sicut Sara oboediebat Abrahae, dominum eum vocans, cuius estis filiae benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.» [1] Earum quoque praecipuum studium sit, filios in religionis cultu et exercitio bonorum morum educare, domesticas res diligenter curare. Domi libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat, idque sine mariti permissu saltem implicito numquam audeant. Deinde, in quo maxime maritalis coniunctio sita est, meminerint semper secundum Deum magis quam virum neminem diligendum esse, eove pluris faciendum esse neminem, cui etiam omnibus in rebus, quae christianae pietati non adversantur, morem gerere et obtemperare summa cum animi alacritate oportet [2].

Bonum sacramenti non solum prohibet dissolutionem matrimonii quoad vinculum, sed etiam separationem quoad torum et habitationem, nisi tamen adsint causae supra n. 689 sqq enumeratae.

CAPUT V.

De matrimonii obligationibus.

Praenotamen. Matrimonii obligationes omnes effluunt quasi corollaria ex tribus bonis matrimonii, ac proinde de illis generaliter iam dictum est in capite praecedenti. Superest tamen una obligatio, quae pertinet ad bonum fidei et de qua specialiter agendum est, quia est tam magni momenti, et quia cum pro ipsis coniugibus tum pro confessario exinde tot tantaeque difficultates oriri possunt. Haec obligatio vocatur *debitum coniugale*. Piget me quidem, ut verbis S. Alphonsi [3] utar, de hac materia longiorem sermonem habere, sed cum sit tam frequens in confessionibus excipiendis, omnino debet confessarius illam apprime cognoscere, ut possit coniuges instruere atque rectum iudicium ferre de peccatis forsan commissis. Praemoneo autem, confessarium non debere afficere coniuges confitentes inopportunis quaestionibus; immo in hac materia indaganda oportet potius *deficere quam abundare*. Satius est enim relinquere coniuges in bona fide et permittere peccata *materialia*, quam imprudentibus quaestionibus efficere ex peccatis materialibus peccata formalia ac insuper deterrere coniuges a sacramento poenitentiae. — Totum hoc caput dividimus in tres articulos: 1. de liceitate actus coniugalis; 2. de eius obligatione; 3. de peccatis coniugum in hac materia.

ARTICULUS I.

De liceitate actus coniugalis.

700 **Principium.** *Actus coniugalis licitus, immo et meritorius est, quoties concordat cum bono prolis et bono fidei.*

Singulae partes huius principii valde fecundi explicandae et demonstrandae sunt. Liceitatem actus coniugalis quidam antiqui haeretici nega-

[1] 1 Petr. 3, 1—6. [2] Cat. Rom. P. 1, c. 8, q. 23. [3] Theol. mor. l. 6, n. 900.

verunt (e. g. Saturninus, Marcion, Manichaei, Encratitae), sed complures textus S. Scripturae manifeste probant non tantum liceitatem, verum etiam eius obligationem. Sic S. Paulus scribit: «Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.» [1] — In Vetere Testamento Deus praecepit primis parentibus post ipsorum creationem: «Crescite et multiplicamini.» [2] Iam vero iuxta praesentem rerum ordinem actus coniugalis est unicum medium propagandi genus humanum. Si igitur Deus vult propagationem generis humani, vult etiam actum coniugalem, qui proinde in se licitus est. Neque requiritur, ut unusquisque actus coniugalis *directe et immediate* propagationi generis humani deserviat; tota enim oeconomia propagationis humanae magnopere excellit animalium brutorum propagationem. Etenim animalia feminini sexus non solent habere instinctum, immo nec potestatem generandi, nisi brevi et determinato tempore cuiuslibet anni; apud illa saepissime unico congressu conceptio perficitur; quo congressu facto animalia abhorrent coniunctionem aliam carnalem. Prorsus aliter est in genere humano. Physiologia humana demonstrat conceptionem humanam posse fieri quolibet anni tempore atque communiter non perfici nisi iteratis actibus coniugalibus. Quae quidem clare demonstrant Creatorem coniugibus permittere copulam carnalem, etiamsi conceptio humana hic et nunc sequi nequeat. Praeterea animalium coniunctiones sunt transeuntes, mutabiles, promiscuae neque ullum bonum spirituale producunt; econtra coniunctio maritalis hominum est stabilis; non datur promiscuitas; coniuges non separantur nisi per mortem. Finis autem principalis tam totius vitae coniugalis in genere quam actus coniugalis in specie est *bonum spirituale* coniugum.

Quae cum ita sint, statui potest **regula generalis**: *Actus coniugalis tunc licitus est, quando servit ad bonum spirituale coniugum, licet directe et immediate neque habeatur neque etiam intendatur conceptio aut generatio.* Ad bonum spirituale coniugum conducunt non tantum virtutes supernaturales, sed etiam amor et affectio maritalis. Etenim si coniuges uniuntur vero et constanti amore, etiam vita eorum tota evadit felix; alter alterius onera portat libenter, et de tali amore maritali omnes fere laudes praedicari possunt, quas S. Paulus tribuit caritati dicens: «Caritas patiens est, benigna est, caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum ... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.» [3]

Conclusiones practicae ilico sequuntur ex regula supra statuta: 701

1. Licitus est actus coniugalis tempore *lactationis*, cum quia periculum inficiendi lac et sic nocendi proli natae, iuxta communem sententiam modernorum medicorum, non adest, tum quia nulla lex id vetat. Tempore lactationis nova conceptio sat rara est; sin autem nihilominus accidat, tunc lac matris solet multum diminui, ita ut proles nata modo artificiali nutriri debeat; quod quidem est aliquale incommodum, cum ista nutritio artificialis non sit tam bona sicut lac maternum; tamen hoc incommodum non est tantum, ut coniuges teneantur omnimodam continentiam servare toto tempore lactationis [4].

---

[1] 1 Cor 7, 3 sq. [2] Gn 1, 28. [3] 1 Cor 13, 4 sqq.
[4] Cf. *Scavini*, Theol. mor. univ. IV n. 573.

2. Licitus est actus coniugalis *tempore praegnationis*, dummodo inde ne inferatur grave periculum foetui concepto vel matri. Nam licet tunc nova conceptio sit impossibilis, tamen copula potest servire ad honestum amorem maritalem fovendum et ad stimulos carnis sopiendos. Onus enim gravissimum esset, si coniuges toto tempore praegnationis continentiam servare deberent. Per accidens potest esse illicita copula hoc tempore habita, si scil. inde oritur grave periculum abortus vel infirmitatis [1].

3. Licitus est actus coniugalis *inter coniuges steriles;* cum coniuge, cui excisa sunt ovaria, vel etiam cui ablatus est uterus [2]; cum viro, qui post matrimonium fuit castratus [3]. Ratio est eadem. Sane proximus finis copulae in omnibus istis casibus non solum non attingitur, sed etiam est impossibilis; quia tamen actus carnalis perficitur modo ordinario et solum propter impedimentum physicum, quod non dependet a voluntate coniugum, frustratur fine proximo, est licitus.

4. Licitus est actus coniugalis *diebus dominicis et festivis vel in die communionis*, si fit ex rationabili causa. Sane maxime congruit, ut coniuges non coeant diebus communionis et tempore parvo intermedio inter confessionem et communionem, praesertim si non ita saepe ad sacramenta poenitentiae et eucharistiae accedant. Talis enim abstinentia tam rara et tam parvae durationis non potest esse dura; ideoque uxor roget maritum, ut tunc ab actu coniugali abstinere velit; sed nihilominus, si maritus hoc aegre ferat, mulier acquiescat desiderio mariti. Praesertim mulieres piae, quae compluries qualibet hebdomada ad sacram synaxim accedere solent, paratas se praebeant ad complacendum marito, ne iste indignetur de tali frequentatione sacramentorum.

5. Illicitus est actus coniugalis ob *solam* voluptatem, ita ut voluptas sit unicus et ultimus eius finis. Unde Innocentius XI damnavit propositionem (9): «Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.» [4] Merito autem notat Ballerini [5] verba «ob solam voluptatem» esse intelligenda *cum exclusione alterius finis honesti;* etenim sane licet quaerere voluptatem ordinatam, cum ipse Deus voluptatem coniunxerit cum coniugali actu, ad hoc ut iste actus ita necessarius pro conservatione generis humani fiat magis appetibilis; non vero licet quaerere voluptatem ut proprium finem. Veteres auctores in longum et latum disputabant de liceitate copulae coniugalis exercitae ob solam voluptatem vel ad servandam propriam sanitatem vel ad vitandas tentationes fornicationis. Omnes istae disputationes parvae sunt utilitatis practicae. Nam in praxi coniuges non sunt inquietandi, si exercent actum coniugalem modo ordinario et honesto, quin actualiter cogitent de aliquo fine particulari. Ratio est, quia actus coniugalis naturali modo peractus fovet amorem maritalem, amor autem maritalis cedit in bonum prolis; propter bonum prolis autem licitum esse opus coniugale omnes docent. In hoc quoque sensu videtur esse intel-

[1] Cf. *S. Alph.* (Theol. mor. l. 6, n. 924), cui arridet sententia, quod coitus cum praegnante non potest excusari a culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiae vel alia honesta causa. Haec tamen honesta causa facile adest. Quidam SS. Patres durius locuti sunt de copula durante praegnantia, e. g. S. Aug., S. Hieron. Cf. *Eschbach,* Disp. physiol.-theol.[2] 110.

[2] S. Offic. d. 3 Febr. 1887 et 30 Iulii 1890. Cf. etiam *Noldin,* De sexto praec. n. 61.

[3] Cf. *Sanchez,* De matrim. sacr. l. 7, disp. 102, n. 7.

[4] *Denz.* n. 1159. [5] In notis ad Gury II, 908.

ligendus S. Thomas, quando docet: «Duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt, scil. causa procreandae prolis et debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale.» [1]

6. Illicitus est actus coniugalis, si inde *sanitas propria vel compartis vel* 702
prolis graviter et proxime periclitatur. Propterea coniugibus non licet coire, e. g. si alter laborat morbo gravi contagioso et praesertim morbo venereo [2], si ex coitu imminet proli conceptae periculum abortus. Parvae autem laesiones sanitatis vel levia incommoda corporis neque reddunt illicitum actum coniugalem neque dispensant a redditione debiti coniugalis. — Solent hic quaerere auctores, num licitus sit actus coniugalis tempore *menstruationis et purgationis puerperalis,* quia in istis circumstantiis copula haud raro evadit nociva. Unica vera responsio ad hanc quaestionem est haec: Videndi sunt casus particulares; si revera pro aliquibus coniugibus in istis circumstantiis grave damnum oritur, sive pro ipsis sive pro prole nascitura, copula est illicita; secus non.

Durante *menstruatione* certo non convenit copulam exercere, sed non est vera sententia antiquorum auctorum putantium tempore menstruationis non concipi nisi «membris damnatos, caecos, claudos, leprosos» [3]. Lex caeremonialis aut iudicialis Veteris Testamenti sub poena mortis prohibuit copulam tempore menstruationis [4], sed ista lex non iam obligat. In Vetere Testamento haec lex fuit sapiens, cum ad castitatem fovendam, tum ad superstitionem vitandam, tum ad graves morbos praecavendos, qui propter speciales circumstantias apud Iudaeos istus temporis ex tali copula facile oriri possent [5].

De copula habita tempore *purgationis puerperalis* moderni medici severius solent iudicare. Sic e. g. Capellmann [6] dicit: «Copulam in primis duabus hebdomadis post partum plane vetitam existimo, cum feminae gravissimum damnum afferre aptissima sit. Immo intra quattuor hebdomadas sequentes sine dubitatione licitam eam non puto. Sed cum periculum hoc tempore non iam tantum sit, theologi decernant, quaenam causae sufficiant ad hoc periculum gravis damni, quod mulieri afferatur, compensandum.»

7. Illicitus est actus coniugalis, qui perficitur *modo onanistico.* Patet, quia hoc est directe contra bonum prolis, cuius generatio impeditur; est etiam

---

[1] Suppl. q. 49, a. 5; *Guil. Peraldus* O. Pr., coaevus S. Thomae, de hac re scribit: «Opus [carnale] exerceri potest sine omni culpa et etiam meritorie in tribus casibus: 1. Cum sit causa prolis suscipiendae et ad cultum Dei educandae. . . . 2. Cum petenti debitum redditur. . . . 3. Cum aliquis exigat opus illud, ut caveat compari suo, ne in peccatum cadat [incontinentiae]» (Summa virtut. et vitior. I, de temperantia c. 17, ed. Venetiis 1571, p. 569).

[2] Cf. supra n. 692. Quod docetur «de coniugio leprosorum» (c. 1, 2 X. IV, 8), non obstat huic doctrinae, quia veteres putabant ex coitu cum leproso non oriri proximum periculum contagionis. Cf. *S. Thom.,* Suppl. q. 64, a. 1, ad 4; *Billuart,* De matr. diss. 4, a. 4, § 1.

[3] Ita putavit e. g. *S. Hieronymus* (In Is. c. 65).

[4] «Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo et revelaverit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui» (Lv 20, 18).

[5] Bene explicat D. Haller rationem legis mosaicae (apud *Eschbach,* Disp. physiol.-theol.[2] 106, disp. 1, c. 8, a. 1).

[6] Pastoralmedizin[18] 316. Idem medicus dicit: «In meinen Augen erscheint die copula, wenigstens in den ersten Wochen, der Wöchnerin gegenüber als eine wahre Roheit.»

contra bonum fidei, secundum quod alteri alter tradit ius in corpus suum, sed in ordine ad generationem tantum. De onanismo coniugum infra n. 711 sermo redibit.

8. Illicitus est actus coniugalis, si non fit modo et loco secreto. Ratio est, quia tunc scandalum et gravissimae tentationes aliis causantur. Unde graviter peccant parentes, qui inverecunde miscentur, ita ut liberi aliquid percipere possint.

9. Illicitus est actus coniugalis, si durante illo coniux cogitat, quasi cum aliena persona commisceatur. Talis enim cogitatio est adulterium spirituale. Concinne de hac re scribit Angelicus Doctor[1]: «Si delectatio quaeratur ultra honestatem matrimonii, ut scil. aliquis in coniuge non attendat quod *coniux* est, sed solum quod *mulier*, paratus idem facere cum ea, si non esset coniux, est peccatum mortale; et ideo talis dicitur ardentior amator uxoris quia scil. ardor ille extra bona matrimonii effertur.»

703 **Corollarium. De actibus accessoriis copulae maritalis.** Non tantum ipse actus coniugalis licitus est, sed etiam omnes actus accessorii sive mutui sive solitarii, qui ad actum coniugalem perficiendum vel necessarii vel utiles sunt. Ratio est obvia; si enim licitus est finis, licita sunt etiam omnia media honesta et non aliunde prohibita, ut iste finis obtineatur. Sane hortandi sunt coniuges, ut cum magna verecundia actum coniugalem exerceant, et praesertim mulier totis viribus verecundiae et suo honori consulat; at numquam hac in re a coniugibus committitur peccatum mortale, nisi interveniat aut pollutio alterutrius partis eaque praevisa et culpabiliter volita aut saltem proximum periculum pollutionis. Omnes alii actus lubrici inter coniuges habiti ad summum sunt peccata venialia et saepe carent omni culpa. Unde confessarius male agit, si inopportunis quaestionibus coniuges de hac re torqueat illisque confessionem odiosam reddat. Multo melius est relinquere coniuges in bona fide vel illos tantum in genere monere ad verecundiam servandam.

ARTICULUS II.
De obligatione actus coniugalis.

704 **Principium 1.** *Quotiescumque alteruter coniux rationabiliter et serio petit debitum coniugale, alter tenetur ex iustitia illud reddere, et quidem sub peccato gravi.*

Declaratur. S. Paulus expresse dicit: «Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.»[2] Ratio autem huius obligationis est contractus matrimonialis, in quo ius ad actum coniugalem alter alteri coniugi tradit. Hoc vero ius inducit obligationem iustitiae eamque gravem, cum agatur de re magni momenti. Etenim omnes theologi docent copulam maritalem esse rem magni momenti, cum sit necessaria ad primarium finem matrimonii obtinendum. Hinc graviter peccat coniux, qui obstinate denegat debitum coniugale alteri *serio* et *rationabiliter* petenti. Pariter peccat graviter coniux, qui fraude praevenit compartem, ne possit debitum petere; contra quem S. Paulus arguit: «Nolite fraudare invicem!»[3] Ex iniusta denegatione debiti coniugalis solent magna damna oriri, scil. periculum incontinentiae in comparte, rixae, diminutio amoris, divortium etc. Unde praesertim mulieres

[1] Suppl. q. 49, a. 6. [2] 1 Cor 7, 3. [3] 1 Cor 7, 5.

monendae sunt, ne difficiles morosasque se exhibeant, quando mariti copulam vel alia, quae coniugibus licita sunt, ab iis rationabiliter petunt; pariter monendae sunt, ut placere studeant viris suis, iuxta illud Apostoli: «Quae autem nupta est [mulier], cogitat . . . quomodo placeat viro.» [1]

Obligatio reddendi debitum, licet per se sit gravis, tamen admittit parvitatem materiae. Hinc si mulier una alterave vice denegat viro debitum coniugale remittens illud ad aliud sibi convenientius tempus, non est peccatum mortale , saltem si vir non est in proximo periculo incontinentiae aut inde non exardescit magna ira.

Principium sic explicatum tripliciter restringendum est.

Exceptiones: 1. *Coniux non tenetur reddere debitum comparti adultero.* 705
Patet ex supra dictis de divortio. Nam si licet propter adulterium compartis divortium facere quoad habitationem, a fortiori licet debitum coniugale denegare. Quodsi autem adulterium commissum semel condonatum est, iam ulterius non licet neque divortium facere neque etiam debitum coniugale denegare.

2. *Coniux innocens non tenetur reddere debitum coniugale comparti, si divortium perpetuum rite pronuntiatum est per sententiam iudicis;* econtra pars rea, sicut potest revocari ad societatem coniugalem, ita etiam potest obligari ad debitum coniugale. Excipitur tantum casus, quo cum consensu explicito aut implicito partis innocentis altera pars votum castitatis emiserit aut religionem intraverit. Tunc enim omne ius ad copulam exstinctum est.

3. *Coniux non stricte tenetur reddere debitum coniugale, si compars illud* 706
petit aut non serio aut non rationabiliter. Si coniux non serio petit debitum, sed potius exprimit desiderium aut velleitatem, non censetur urgere ius suum; ideo neque est stricta obligatio reddendi debitum, neque peccat alter coniux non acquiescens desiderio compartis suae. Nihilominus talis repulsa non est saepe adhibenda, nisi alter coniux *irrationabiliter* petat debitum. Si enim petitio est certe irrationabilis, obligatio reddendi debitum non exsistit. Aliquando accidit, ut vir prorsus irrationabiliter, immo et inhumano modo petat debitum ab uxore, nihil aliud intendens quam satisfactionem vere bestialem propriae libidinis. Tunc profecto mulier licite potest denegare debitum; non enim in contractu matrimoniali se obligavit esse *servam libidinis,* sed *sociam vitae* pro viro, et quidem habentem eadem iura circa usum matrimonii, quae habet vir. Etenim in aliis rebus uxor debet esse viro subiecta, in usu autem matrimonii omnino par est marito, ut patet ex textu S. Pauli: «Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.» [2] Ideo non peccat mulier, quae graves *molestias extrinsecas* patitur ex actu coniugali, si una alterave vice denegat debitum, dummodo ne semper recuset. E. g. non peccat mulier denegans debitum viro petenti quolibet die, vel dum ebrius est, vel durante gravi morbo, vel durante menstruatione aut purgatione. Communiter etiam docent theologi, mulierem non teneri debitum reddere, si experta est se non posse parere sine mortis periculo proximo. Ratio est, quia maritus nequit aliquid exigere ab uxore, quod haec praestare non valet sine proximo periculo mortis. Irrationabiliter quoque petit vir debitum, si vult matrimonio abuti per copulam onanisticam; nam certissime mulier non potuit se obligare in contractu matrimoniali ad abusum matrimonii, neque etiam ad cooperandum (licet materialiter) ad peccata mariti. Num autem

[1] 1 Cor 7, 34. [2] Cf. *S. Thom.,* Suppl. q. 54, a. 5.

in isto casu mulier *possit* reddere debitum, passive se habendo, dicetur in articulo sequenti. — Incommoda vero *intrinseca* et necessario connexa cum matrimonio, iuxta illud Apostoli: «Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi» [1], non excusant a reddendo debito, quia ab initio matrimonii potuerunt et debuerunt praevideri. Hinc non excusant: ordinaria onera graviditatis, partus et educationis, nec etiam numerosa proles iam habita, nec etiam timor, ne proles nascatur infirma vel moriatur in partu vel abortus accidat [2].

707 **Principium 2.** *Nulla per se exsistit obligatio petendi debitum coniugale; per accidens tamen quandoque ex caritate oritur talis obligatio.*

Declaratur. Uterque quidem coniux habet strictum ius petendi debitum, sed non tenetur uti tali iure. Sicuti enim unusquisque libere init matrimonium, ita libere petit consummationem matrimonii per copulam carnalem. Per accidens tamen potest adesse obligatio petendi debitum, si secus notabile damnum comparti suboriatur. Sic e. g. coniux *ex caritate* saltem tenetur petere debitum, si advertit, compartem versari in periculo incontinentiae et ob verecundiam non petere; vel si usus matrimonii est necessarius ad fovendum amorem maritalem.

708 **Principium 3.** *Ex mutuo consensu libero coniuges possunt licite abstinere ab actu coniugali vel ad tempus vel etiam in perpetuum.*

Declaratur. Hoc tertium principium est corollarium secundi. Etenim si neuter coniux tenetur petere debitum, etiam ambo coniuges ex mutuo et libero consensu possunt abstinere a petendo debito. Talis mutuus consensus exsistebat in matrimonio sanctissimo inter B. Virginem et S. Ioseph. Abstinentia *temporaria* aliquando valde utilis est pro bono cum corporali tum spirituali coniugum; perpetuo autem abstinere a copula coniugali raro expedit, quia sine hac intima coniunctione coniugum affectio maritalis solet refrigescere ac pericula gravia infidelitatis facile adsunt. Proinde coniuges apti ad copulam et ad prolem generandam educandamque non sine specialissima ratione se contineant perpetuo ab usu matrimonii. Hoc videtur etiam innuere S. Paulus dicens: «Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.» [3]

ARTICULUS III.

De peccatis coniugum.

Vix opus est notare, hic non esse sermonem nisi de peccatis coniugum contra *castitatem*.

709 **Principium.** *a) Grave peccatum coniugum contra castitatem est, quidquid directe et graviter repugnat bono prolis et bono fidei; b) leve*

[1] 1 Cor 7, 28.

[2] Sunt auctores, e. g. *Noldin* (De sexto praec. n. 92), qui probabiliter excusant coniugem a reddendo debito, si iam adest numerosa proles et coniuges ita pauperes sunt, ut ulteriorem prolem alere nequeant, excluso incontinentiae periculo. Quae quidem sententia videtur esse admittenda, si ex *culpa* alterutrius coniugis proles ali nequeat. Nam si coniux non praebet sufficientem opem ad alendam prolem iam natam, nec habet ius ad generandam novam prolem.

[3] 1 Cor 7, 5.

peccatum est, quidquid fit ex sola voluptate, quin directe repugnet bono prolis et fidei; c) nullum peccatum est, quod utile vel necessarium est ad actum coniugalem bene perficiendum et amorem maritalem fovendum.

Declaratur. Secunda et tertia pars huius principii sufficienter patent ex supra n. 701 et 703 dictis de opere coniugali facto ex sola voluptate et de accessoriis huius operis. — Omnia fere peccata mortalia coniugum reduci possunt ad tres classes: 1. ad peccata luxuriae cum alienis personis sive facto sive desiderio perpetrata; 2. ad sodomiam et copulam onanisticam; 3. ad pollutionem solitariam. — Nulla specialis difficultas esse potest de iudicandis peccatis primae et tertiae classis. Valet de illis peccatis idem, quod dicendum est, si patrata fuerint a persona soluta. Accedit tamen nova species, scil. laesio iustitiae. Etenim coniux perpetrans ista peccata non solum laedit castitatem, verum etiam iustitiam, cum ipse non iam habeat potestatem in corpus suum, sed compars eius, qui ex institutione divina non potest renuntiare hoc suo iure. Unde coniux, qui commisit e. g. pollutionem[1] aut peccata cum alienis personis, in confessione declarare debet suum statum coniugalem. Attamen in praxi, quia ii, qui sunt rudes in rebus moralibus, non apprehendunt duplicem malitiam in tali pollutione, confessarius potest aliquando omittere interrogationes, nisi speret fore ut efficacius absterreat poenitentem de maiore peccati gravitate monitum a novis peccatis committendis[2]. — Nec etiam de *sodomia* hic multa dicenda sunt. Si enim sodomia committitur cum aliena persona, tunc idem valet, quod modo dictum est de peccatis luxuriae extra matrimonium commissis. Sin autem agitur de sodomia imperfecta commissa inter ipsos coniuges, tunc hoc omnino in confessione accusandum est. Est enim detestabilis abusus matrimonii[3]. Remanet igitur dicendum de onanismo coniugali, et quidem 1. de notione et malitia onanismi coniugalis; 2. de cooperatione ad onanismum coniugalem; 3. de mediis ad cavendum onanismum coniugalem; 4. de modo tractandi coniuges onanistas.

§ 1.

De notione et malitia onanismi coniugalis.

Notio. Onanismus distinguitur duplex: solitarius et coniugalis. 710
Onanismus *solitarius* (sic praecipue a modernis medicis vocatus) nihil aliud est nisi mollities seu pollutio[4]. De illo hic non agimus. Onanismus autem *coniugalis* (sic dictus a peccato Onan descripto in Genesi 38, 9) duplici modo perpetrari solet: a) *abruptione copulae* vel retractu

[1] Nonnulli auctores, ut *Marc* (Instit. mor. I, n. 739), *Noldin* (De sexto praec. n. 31), vocant pollutionem patratam ab uno coniuge adulterium.

[2] Cf. *Noldin* ib. n. 19.

[3] Quid sit sodomia perfecta et imperfecta, vide supra in tractatu de virtute castitatis II, n. 706. — Quaerunt hic moralistae, num delectatio venerea habita per tactus et aspectus in proprio corpore sine periculo pollutionis sit peccatum mortale pro coniugibus. Respondent quidam, in his omnibus coniuges iudicandos esse sicut solutos; alii autem probabiliter docent, pro coniugibus in materia castitatis peccatum mortale tunc solummodo adesse, quando oritur pollutio aut eius periculum proximum. Omnia autem alia non esse graviter peccaminosa, quia possunt habere aliquam relationem ad copulam coniugalem. Per se patet coniuges non levius sed gravius quam homines solutos peccare in delectatione venerea, quae refertur ad personam extraneam. Cf. *Berardi,* Praxis confess. I, n. 962.

[4] Cf. supra II, n. 705.

completo ante seminationem, ita ut semen effundatur extra debitum locum [1]; vocatur congressus interruptus seu praeventivus; b) *diversis instrumentis* a malitia hominum inventis, quae adhibentur vel ex parte viri vel ex parte mulieris eo fine, ut semen impediatur pervenire ad debitum locum [2]; vocatur congressus praeservativus. Onanismus primo modo peractus aliquando vocatur stricte dictus; altero vero modo factus late dictus audit. Uterque autem onanismus haud raro appellatur «*neomalthusianismus*» [3].

711 **Malitia.** *Onanismus coniugalis, quocumque modo libere fit, semper est peccatum mortale.*

Ita docet recta ratio, ita declaravit Ecclesia. Recta ratio dictat onanismum esse veram pollutionem et directe repugnare tam bono prolis quam bono fidei. Creator enim cuilibet rei et cuilibet potentiae humanae determinatum usum praescripsit. Quodsi homo agit contra istum modum praescriptum, agit contra voluntatem Dei, ac proinde plus minusve peccat secundum maiorem vel minorem materiae gravitatem. Sic e. g. animalia iuxta intentionem Creatoris debent inservire homini, qui, si abutitur animalibus, illa irrationabiliter torquendo vel cruciando, peccatum committit leve, cum iste abusus non sit ita gravis; cibus et potus debent inservire nutritioni hominis; quodsi homo abutitur cibo et potu, e. g. panem pedibus conculcando, peccat venialiter. Similiter data est homini facultas generativa, ut ea utatur iuxta intentionem Creatoris, i. e. ad convenientem generationem. Quodsi abutitur homo hac facultate, peccat, et quidem graviter, cum iste abusus sit *valde gravis*. Ad rem scribit Angelicus Doctor [4]: «Patet, quod contra bonum hominis est omnis emissio seminis tali modo, quod generatio sequi non possit; et si hoc ex proposito agatur, oportet esse peccatum. Dico autem modum, ex quo generatio sequi non potest *secundum se*, sicut omnis emissio seminis sine *naturali* commixtione maris et feminae: propter quod huiusmodi *peccata contra naturam* dicuntur. Si autem per accidens generatio ex emissione seminis sequi non possit, non propter hoc est contra naturam nec peccatum, sicut si contingat mulierem sterilem esse. . . . Nec tamen oportet reputari *leve peccatum* esse, si quis seminis emissionem procuret praeter debitum generationis et educationis finem, propter hoc quod aut leve aut nullum peccatum est, si quis aliqua sui corporis parte utatur ad alium usum quam ad eum, ad quem sit ordinata secundum naturam, ut si quis verbi gratia manibus ambulet aut pedibus aliquid operetur manibus operandum, quia per huiusmodi inordinatos usus bonum hominis non multum impeditur; inordinata vero seminis emissio repugnat bono naturae, quod est *conservatio speciei. Unde post peccatum homicidii, quo natura humana iam in actu exsistens de-*

[1] Inceptam copulam abrumpere, *si semen non effunditur*, non est onanismus, ac proinde, quamvis coniuges hortandi sint, ut propter periculum pollutionis ab huiusmodi re abstineant, si tamen asseverent, raro tantum sequi pollutionem, id sub gravi iis prohiberi nequit. Cf. *Noldin* l. c n. 67.

[2] Talia instrumenta diversis nominibus appellantur, e. g. *praeservativs, condoms, capote anglaise, rubber goods, Frauenschutz, Fischblasen* etc.

[3] *Malthus* in opere «Essay on the principle of population» (1798) pugnavit pro diminutione generis humani (mediis per se licitis obtinenda). Neomalthusiani autem limitationem generationis etiam mediis illicitis propugnant.

[4] *S. Thom.*, Contra gent. l. 3, c. 122.

struitur, huiusmodi genus peccati videtur secundum locum tenere, quo impeditur generatio humanae naturae.»

Malitia onanismi insuper perspici potest ex pravis eius *effectibus*. Etenim sanitas corporalis utriusque coniugis ex eo solet graviter laedi, proles non generatur, familiae et civitates depopulantur, habenae omnigenae libidini laxantur[1].

Demum apparet malitia onanismi ex declarationibus Ecclesiae. Sic S. Officium d. 21 Maii 1851 propositionem: «Ob rationes honestas coniugibus uti licet matrimonio eo modo, quo usus est Onan», declaravit esse «scandalosam, erroneam et iuri naturali matrimonii contrariam». — Ad quaestionem autem: «An usus imperfectus matrimonii, sive onanistice sive condomistice fiat, prout in casu, sit licitus?» respondit d. 19 Aprilis 1853: «Negative, est enim intrinsece malus.» — S. Poenitentiaria d. 13. Nov. 1901 respondit: «Absolvi non posse poenitentem, qui abstinere nolit ab huiusmodi agendi ratione, quae est purus putus onanismus.»

§ 2.

De cooperatione ad onanismum coniugalem.

Principia: 1. *Coniux non tenetur reddere debitum coniugale comparti onanistae.* 712

Ratio est, quia coniuges concedunt quidem sibi invicem ius in corpus, sed solummodo in ordine ad generationem. Porro coniux onanista nedum non intendit generationem, sed illam prorsus excludit. Ergo eius ius minime laeditur, si usus matrimonii, vel potius abusus, denegatur ab altera parte. Ita sententia communior[2].

2. *Cooperatio formalis ad onanismum numquam licita est.*

Numquam enim licet cooperari formaliter ad peccatum alterius. Hinc uxor non solum graviter peccat, si communi consensu cum marito onanismum perpetrat, verum etiam si continuis querimoniis de statu graviditatis, de doloribus partus, de numerosa prole etc. ansam praebet, ut maritus onanistico modo coitum perficiat.

3. *Cooperatio materialis ad onanismum licita est, dummodo adsit causa proportionate gravis.*

Ita sententia hodie communis et vera, confirmata per Responsum S. Poenitentiariae d. 3 Apr. 1916[3]. Ratio autem est, quia actio posita a coniuge materialiter cooperante non est intrinsecus mala, sed honesta aut

---

[1] *Georges Surbled* scribit in libro notissimo: La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène (I 182): «Malheureusement nul ne peut nier l'extrême fréquence de l'onanisme qui en fait un véritable fléau social, la marque de la honteuse flétrissure du mariage moderne. Cette triste habitude est connue à tous les rangs de la société dans les villes, et commence déjà à se répandre dans les campagnes les plus reculées. . . . Le sinistre bilan de l'onanisme au point de vue purement médicale n'est pas encore entièrement établi, mais on le saura un jour: il est formidable.» — Cum Surbled concordant omnes medici. Sic e. g. scribit *Löwenfeld* (Die psych. Zwangserscheinungen 467): «Als Ursachen der Angstneurosen figurieren nach Freud hauptsächlich Congressus interruptus.» Cf. etiam *Familler*, Pastorale Psychiatrie p. 37.

[2] Cf. *Noldin* l. c. n 90; *Göpfert*, Moraltheol. III 287. *S. Alphonsus* (Theol. mor. l. 6, n. 947) putat sententiam oppositam probabiliorem.

[3] Apud *Marc*, Inst. mor.[15] II 2116.

ad minus indifferens. Etenim vi matrimonii coniux licite potest unionem membrorum cum comparte facere. Talis actio est honesta. Quod vero compars abutatur ista unione, est per accidens illique soli imputatur. Sicut a pari caupo ius habet vinum propinandi, etsi certo praevidet abusum vini ad ebrietatem causandam; sicut licet domum locare meretrici, etsi quis certo scit meretricem abusuram esse domo ad fornicationes [1], ita coniux potest cooperari materialiter ad congressum onanisticum, dummodo adsit causa *proportionate gravis*. Causae proportionate graves et sufficientes, ut coniux possit materialiter cooperari ad congressum onanisticum, sunt e. g. timor fundatus iurgiorum, rixarum, adulterii secus a marito committendi etc. [2]

713 Quando vir utitur instrumentis supra enarratis ad conceptionem praecavendam, theologi communissime docent mulierem teneri pro viribus resistere huic agendi modo, et quidem qualibet vice, atque non sufficere resistentiam mere passivam [3].

Ut materialis cooperatio ad onanismum (stricte dictum) careat culpa, non solum requiritur 1. causa proportionate gravis, sed insuper oportet, 2. ut coniux se passive habeat, 3. ut conetur compartem a suo pessimo agendi modo avertere, et 4. ut interior complacentia in actu peccaminoso cohibeatur. Unde aliquoties (licet non qualibet vice) uxor tenetur monere maritum, ut abstineat ab actu coniugali, aut, si hoc nolit, ut illum naturali modo perficiat.

Cum ex proportionata causa liceat materialiter cooperari ad copulam onanisticam, coniux innocens potest non solum reddere, sed etiam *petere* debitum coniugale. Diuturna enim privatio iuris petendi debitum, quae solet inducere periculum incontinentiae, est causa proportionate gravis. Ita sententia communis [4].

§ 3.

De mediis ad cavendum onanismum coniugalem.

714 Media vere efficacia contra onanismum sola sunt: aut *continentia virtuosa*, aut *confidentia firma in Deum*. Sane accidit, ut generatio prolis coniugibus sit moraliter fere impossibilis, e. g. si numerosa proles iam adest et deest sufficiens fortuna; si sanitas alterutrius coniugis est debilis, immo serio periclitatur per novam generationem. In his vel similibus casibus debent coniuges freti divino auxilio vel continentiam servare ex mutuo consensu, vel vacare operi coniugali spem suam ponentes in Deum, qui certe dabit gratias sufficientes ad omnia onera status coniugalis portanda.

---

[1] Cf. supra II, n. 619 sqq. [2] Cf. *Noldin* l. c. n. 68.

[3] Cf. Resp. S. Poenit. d. 3 Iunii 1916 apud *Marc*, Inst. mor. [15] II 2117: «1° Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur? 2° Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et doceatur, vir talibus utens instrumentis oppressori vere debeat aequiperari, cui proinde mulier eam resistentiam opponere debeat, quam virgo oppressori? R. Ad utrumque affirmative.» Haec responsio nondum est authentice publicata.

[4] Cf. *S. Alph.* l. c. l. 6, n. 947; *Marc* l. c. n. 2116.

Media *physica* ad impediendam conceptionem circumferuntur complura, sed omnia aut sunt illicita aut non certo efficacia.

Medicus Capellmann commendat aliquod medium, quod quidem *non est omnino efficax*, sed aliquando bonos effectus producit. Nempe coniuges debent abstinere a copula primis 15 diebus post menstruationem et iterum 4 diebus ante novam menstruationem. Alio tempore, quod dicitur *ageneseos*, possunt copulam perficere, quin adsit magna probabilitas conceptionis. S. Poenitentiaria de hac re declaravit d. 16 Iunii 1880: «Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam istam illis coniugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit.»

§ 4.

Quomodo confessarius agere debeat cum coniugibus onanistis vel aliter peccantibus contra castitatem.

Onanismus coniugalis tam late invaluit nostris temporibus et tam diffi- 715
culter eradicari potest, ut factus sit et vera crux confessariorum et periculum imminens pro bono communi rei publicae. S. Poenitentiaria d. 10 Martii 1886 statuit, ut confessarius, qui sive ex spontanea confessione sive ex prudenti interrogatione cognoscit poenitentem esse onanistam, teneatur illum de gravitate huius peccati aeque ac de aliorum peccatorum mortalium monere eumque paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertire, cum sufficientibus signis constet eundem dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi. Ergo male agunt confessarii, qui numquam interrogant coniuges de peccato onanismi. Difficulter enim admitti potest bona fides de liceitate onanismi longe perseverans.

Cum *marito* onanista confessarius severius agere debet, quia semper fere maritus potest onanismum evitare. Uxores enim solent sat libenter consentire in totalem vel partialem continentiam; ac proinde si maritus vellet eandem continentiam servare, onanismus eo ipso cessaret.

Cum *uxore* cooperante ad onanismum confessarius aliquando magis indulgere potest, at etiam illam tenetur monere, ne ullo modo consensum in peccatum mariti praestet. *Causa exsecutiva* onanismi est semper fere maritus; *causa* vero *impulsiva* non raro est uxor, quae per noctes et dies querelas movet de molestiis graviditatis, partus, educationis etc. et sic inducit maritum ad congressum onanisticum. Unde confessarius ne semper credat mulieribus dicentibus se nihil contulisse, ut onanismus perpetretur. Ex alia autem parte mulieres, quae se accusant de complacentia percepta in copula onanistica, non statim arguendae sunt de peccato mortali. Etenim haud raro mulieres minime gaudent de actu malo, sed de bonis effectibus inde secutis, scil. de voluptate copulae, de praeservatione a molestiis graviditatis etc. Porro tale gaudium non est quid intrinsecus malum, licet sit periculosum. — Optimum adiutorium in pugna contra onanismum praestare possunt etiam *medici cordati*, si pericula partus coniugibus non exaggerant et potius nocumenta aperte declarant, quae onanismus causat sanitati coniugum.

Nota. In tota materia castitatis coniugum confessarius semper prae oculis habeat principium supra positum: Nihil est peccatum mortale luxuriae inter coniuges, nisi illud quod *graviter* laedit unumquodque ex duobus matrimonii bonis, nempe vel bonum fidei vel bonum prolis. Optime de hac

re scribit Ballerini[1]: «Penes hos illosve auctores ceu graviter reos traduci reperies modo istos actus, modo alios; at enim in his mere habes quasdam opiniones particulares, et quidem non e solidis certisque principiis, sed potius e phantasticis apprehensionibus fere deductas. Recurrunt quidem scil. ad indecentiam ac turpitudinem ac fere, exclamationibus rem agentes, horrendam, nefandam, turpissimam etc. rem proclamant: quasi vero aut ratio peccati generatim aut gravitas culpae petenda sit e ratione *indecentiae* in eo materiae genere, in qua etiam quae maxime licita sunt, quin et praecepta, ipsa natura duce secreto ac tenebris ratione indecentiae committenda sunt. Recurrunt alii ad rationem effrenis libidinis: quasi vero libido non se maxime effrenem prodat in eo, in quo coniugii finis consummatur; aut quasi non ideo etiam matrimonium institutum fuerit, ut effrenis libidinis foret remedium; aut quasi aliter matrimonium libidinis remedium foret, quam ut vehementi delectationis appetitui satisfiat ea demum lege tantum ipsi apposita, quam et S. Thomas innuit, ut nec extra legitimum matrimonium excurrat, nec *naturae fini* adversetur! — Et sane nisi adversus horum alterutrum peccetur, solida ratio propter quam quaepiam alia inordinatio certo possit peccati gravis incusari, clare nuspiam apparet; quo quidem principio, uti par est, statuto, expeditissima confessario ratio suppetit, cum ut *sanctitati sacramenti,* tum ut *saluti poenitentium* prospiciat.»

CAPUT VI.

De matrimonii praeparatione, i. e. de sponsalibus, examine sponsorum et bannis.

716 **Praenotamen.** Cuiuslibet boni pastoris animarum est, saepe et instanter monere iuvenes utriusque sexus, ne temere ac praecipitanter statum matrimonialem amplectantur, sed ut se praeparent ad officium tanti momenti cum labore incessanti, cum oratione ferventi, memores S. Scripturae dicentis: «Domus et divitiae dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens.»[2] Neve cogitent iuvenes, illa matrimonia semper esse fortunata, in quibus pulchritudo corporalis, honores et divitiae abundant; sed tunc solum habebitur a coniugibus beatitudo cum terrestris tum coelestis, quando ipsi optima intentione ducti obligationes omnes, quae ex tribus bonis matrimonii pullulant, adamussim exsequi conantur. — Matrimonii celebrationem solent praecedere tria: nempe, sponsalia, examen sponsorum, banna; quae tria complectimur in duobus articulis: 1. de sponsalibus; 2. de examine sponsorum et de bannis seu proclamationibus matrimonii.

ARTICULUS I.

De sponsalibus.

Dividimus istum articulum in quinque paragraphos: 1. de essentia sponsalium; 2. de condicionibus requisitis ad valida sponsalia; 3. de celebratione sponsalium; 4. de effectibus eorum; 5. de eorum dissolutione.

---

[1] In notis ad Gury II 919.

[2] Prov 19, 14; cf. Cod. iur. can. c. 1018.

§ 1.

De essentia sponsalium.

Definitio. *Sponsalia sunt futurarum nuptiarum mutua promissio legitime inita inter personas habiles et scripto exarata*[1]. 717

Explicatur. Ante Decretum «Ne temere» a S. Congregatione Concilii d. 2 Aug. 1907 editum, et inde a die 19 Aprilis 1908 vigens in toto orbe christiano, valida et licita fuerunt sponsalia *privata;* nunc autem «ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario vel a duobus saltem testibus. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, vel nequeat, id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.» — Ratio huius legis sunt mala et pericula, quae ex privatis sponsalibus solebant oriri. Etenim saepe saepius difficile, ne dicam impossibile erat determinare, num revera sponsalia exsisterent, quia intentio promittentis non clare apparebat; sponsalia saepe contrahebantur temere et praecipitanter ac deinde aeque temere dissolvebantur. Hinc multae lites et inimicitiae ortum habebant. Haud raro etiam puellae seduci se permittebant propter sponsalia ficte inita et spem futuri matrimonii. Quae quidem omnia incommoda evitantur, si fideles clare sciunt omnia sponsalia esse prorsus irrita cum in foro externo tum in foro interno, nisi contracta fuere iuxta normas novi iuris.

Nulla obligatio oritur ex sponsalibus informibus neque in foro externo 718
neque in foro interno, ut manifeste statuit Cod. iur. can.[2]: «Matrimonii promissio, sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut a loci Ordinario vel a duobus saltem testibus.» Nihilominus si ex sponsalibus sine forma praescripta *dolose initis* et deinde dissolutis alteri parti emerserint damna materialia notabilia, tunc profecto oritur obligatio naturalis efficiendi indemnitatem; adest enim iniusta damnificatio.

§ 2.

De condicionibus requisitis ad sponsalia valida.

Ad hoc, ut promissio sponsalitia sit valida, requiruntur sequentes condiciones:

1. **Promissio libera** ideoque immunis cum ab errore substantiali 719
tum a metu et coactione.

a) Error *substantialis* (vel etiam accidentalis, qui redundat in personam) reddit irritum matrimonium ipsum, ut infra dicetur. Ergo a fortiori reddit invalida sponsalia cum tali errore contracta. Error *accidentalis* notabilis

---

[1] Antiqui canonistae distinguebant inter sponsalia *de praesenti*, quae sunt matrimonium ratum, et sponsalia *de futuro*. Hic solummodo sermo est de sponsalibus de futuro. — Pulchre vocat *S. Thomas* (4, dist. 27, q. 2, a. 1 ad 6) sponsalia «quaedam sacramentalia matrimonii, sicut exorcismus baptismi».

[2] c. 1017, § 1. Nonnumquam Codices civiles concedunt indemnitatem sponso iniuste derelicto. Cf. Cod. civ. germ. § 1298; Cod. civ. austr. § 45 46; Cod. civ. helv. a. 92 sqq.; Cod. civ. hisp. a. 44.

reddit sponsalia rescindibilia, quia est mutatio notabilis nunc cognita, propter quam licet dissolvere sponsalia, ut infra n. 729 explicabitur.

b) Metus gravis a causa naturali aut etiam a causa libera *iuste* incussus non irritat neque rescindibilia reddit sponsalia [1].

Controvertitur, utrum metus gravis *iniuste incussus* reddat sponsalia invalida an tantum rescindibilia. Propter gravem metum iniuste incussum sponsalia *rescindi* posse, docent omnes, quia matrimonia maxime libera esse debent. Sponsalia autem sic inita esse insuper *invalida,* docent S. Alphonsus [2], Feije [3], Gasparri [4] aliique. Illa esse solum rescindibilia putant Billuart [5], Santi [6], Scherer [7], Leitner [8], Wernz [9], Vogt [10], Noldin [11], aliique. Haec ultima sententia est verior, quia neque ex iure positivo neque ex iure naturali ullum certum argumentum pro prima sententia afferri potest. Ex iure enim *naturali* omnis contractus initus inter personas habiles cum ratione sufficienti est validus, etsi sub metu fuerit perfectus. Ius autem *positivum* paucos tantum contractus sub metu gravi factos declaravit invalidos, e. g. matrimonium et professionem religiosam; non autem sponsalia [12].

Metus levis iniuste incussus rescindibilia reddit sponsalia, saltem si dedit causam contractui sponsalitio, non item si est mere concomitans [13].

720 Cum itaque matrimonia libera esse oporteat, ideo ius canonicum [14] prohibuit, ne stipuletur aliqua *poena conventionalis* solvenda ab illa parte, quae resilit a sponsalibus. Omnes quidem docent huiusmodi poenam conventionalem esse illicitam et invalidam, si imponeretur etiam *iuste* resilienti; sin vero stipulatur contra *iniuste* resilientem tantum, complures auctores putant illam esse validam non obstante citato capite Iuris canonici. In praxi *melior est condicio possidentis.* Id est, si poena iam soluta est, recipiens potest illam retinere; si nondum est soluta, illa non potest exigi [15].

Ab hac poena conventionali distingui debent *arrhae* (Angeld), quae sunt res datae (non promissae) inter sponsos in signum sponsalium initorum et in pignus matrimonii contrahendi. Quae arrhae, si matrimonium contractum est, repeti possunt et restitui debent; si autem matrimonium secutum non est, pars iniuste resiliens amittit suam arrham, et si quam acceperit, non solum debet illam reddere, sed etiam duplum. Pars laesa per iniustam dissolutionem sponsalium potest retinere arrham ab altera parte datam [16]. Arrhae per se sunt licitae, sed in nostris regionibus non iam sunt in usu.

Ab arrha iterum distinguendae sunt *donationes sponsalitiae* (largitas sponsalitia vel etiam iocalia), quae sunt dona vel munera tradita inter sponsos in *signum amoris,* non autem in strictum *pignus futuri matrimonii.* Eiusmodi dona, si sunt exigui valoris (respectu habito ad statum sponsorum), censentur

---

[1] Cf. supra II, n. 258.
[2] Theol. mor. l. 6, n. 844. [3] De imped. et dispens. matr. n. 390.
[4] De matrim. I, n. 21. [5] De contract. diss. 1, a. 4.
[6] Prael. iur. can. l. 1, tit. 40, n. 4. [7] Kirchenr. § 110, n. 10.
[8] Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 513. [9] Ius Decretal. IV, n. 97.
[10] Das kirchl. Eherecht § 8. [11] De sacr. 531.
[12] Cf. Cod. iur. can. c. 103, § 2.
[13] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 844; *Gasparri,* De matr. n. 21.
[14] c. 29, X 4, 1.
[15] Cf. *Aertnys,* Theol. mor. l. 6, n. 430; *Cuniliati* O. Pr., De matrim. § 1, 8—15.
[16] Ita ex antiquo iure Romano L. 5, C. V, 1. Num ista statuta valeant nostris quoque diebus, valde dubium est.

absolute data ac proinde nulla obligatio *iustitiae* adest illa restituendi, etiam dissolutis sponsalibus. Quodsi autem sunt magni valoris, donata praesumuntur intuitu futuri matrimonii, seu potius ut arrhae, ideoque restituenda sunt, matrimonio non secuto. In praxi praestat restituere omnia dona sponsalitia, si matrimonium non subsequitur, idque vel eo magis, si reclamantur. Ratio est, quia huiusmodi dona haud raro revocant in memoriam res dolorosas, immo et periculosas.

Nota. Quae a veteribus auctoribus docentur de poena conventionali, arrhis et donationibus sponsalitiis iuxta ius Romanum, hodie non semper in praxim reduci possunt, quia istud ius in multis regionibus neque exsistit neque in conscientia obligat [1].

2. Promissio deliberata. 721

Agitur enim de re magni momenti, quae non potest tractari sine seria deliberatione. Requiritur autem et sufficit deliberatio, *quae est necessaria ad constituendum peccatum mortale.* Cum hodie sponsalia scripto debeant exarari, deliberatio sufficiens semper fere adesse praesumitur.

3. Promissio mutua.

Sponsalia enim sunt contractus mutuus et quidem onerosus. Unde ad eorum validitatem non sufficit promissio matrimonii ab una parte data et ab altera parte acceptata, sed requiritur promissio reciproca. In sponsalibus iuxta novum ius initis haec reciproca promissio semper praesumitur.

4. Promissio inter personas habiles. 722

Datur duplex inhabilitas: altera naturalis, altera legalis.

Inhabilitate *naturali* laborant omnes illi, qui carent sufficienti usu rationis ad ineundum contractum onerosum magni momenti. Hinc inhabiles sunt amentes, perfecti ebrii, hypnotizati etc. Ex iure autem canonico [2] praesumuntur carere sufficienti usu rationis infantes *ante primum septennium.* Si septennio completo sponsalia inita sunt et certe sufficiens usus rationis nondum adfuit, sunt irrita; secus autem praesumuntur valida. De sponsalibus, quae post septennium, sed ante pubertatem, legalem (i. e. ante duodecimum aetatis annum puellae et ante decimum quartum aetatis annum pueri) contracta fuere, in antiquo iure haec statuebantur: Non possunt rescindi *infra annos pubertatis;* post pubertatem vero adeptam utrique sponso facultas conceditur statim, i. e. *intra triduum,* rescindendi sponsalia [3], nisi tamen copula carnalis inter sponsos acciderit [4], aut sponsalia sint iuramento firmata [5]. Hoc triduum probabiliter non est computandum physice post duodecimum vel decimum quartum annum completum, sed post *cognitionem privilegii* [6]. Qu vero in pubertate exsistens sponsalia init cum impubere (e. g. iuvenis duodeviginti annorum et puella undecim annorum), non potest recedere a contractu sponsalitio. Impuber vero post pubertatem adeptam potest sponsalia ista rescindere. Ratio est, quia ius canonicum facultatem dissolvendi concessit tantum in favorem impuberis. — Ceterum (nostris temporibus saltem et in nostris regionibus) sponsalia impuberum sunt rarissima et Codex iur. can. silet de iis, ideoque videntur esse tractanda sicut cetera sponsalia.

---

[1] Cf. *Reiffenstuel,* Ius can. l. 4, tit. 1, n. 176 sqq.
[2] Cf. c. 4 5 13, X 4, 5; Cod. iur. can. c. 88, § 3.
[3] c. 8 et 11, X 4, 2. [4] c. 8 ib. [5] c. 10 ib.
[6] *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 855.

Inhabilitate *legali* laborant: a) omnes, qui non observant formam a lege ecclesiastica praescriptam; b) qui obstringuntur aliquo impedimento prohibente aut dirimente matrimonii. Quod quidem est certum, si illud impedimentum est indispensabile, vel saltem si non solet dispensatio concedi. Nam sponsalia in hoc casu sunt promissio rei impossibilis vel illicitae ideoque ex iure naturali sunt irrita. Sin autem hoc impedimentum est facile dispensabile, vel si lapsu temporis per se cessat, non ita constat, num sponsalia sint irrita, si contrahuntur condicionate, i. e. pro tempore quo impedimentum cessaverit. Veteres auctores in longum et latum disputant de sponsalibus sic sub condicione initis. Haec disputatio hodie omnem fere utilitatem practicam amisit, quia inter catholicos iam nulla alia sponsalia sunt valida nisi publica. Iam vero publica sponsalia non solent contrahi sub condicione. Si iuvenes accedunt ad parochum sponsalia contracturi, prius investigandum est, num impedimentum dirimens aut prohibens futuro matrimonio obstet. Quod si ita est, parochus obtinendum curabit dispensationem, et tunc solum sponsalibus assistat.

Specialis difficultas est, num valida sint sponsalia, *si contrahentes sunt mixtae religionis*. Haec videtur esse vera doctrina: Si ista sponsalia fuerunt contracta *debita dispensatione obtenta*, sunt valida. Nam haec dispensatio non conceditur nisi promissis clausulis, quae tale matrimonium licitum reddunt. Si autem tale matrimonium est licitum, tunc sponsalia praecedentia censentur valida. Praeterea, si huiusmodi sponsalia dicerentur invalida, tunc parochus deberet illa pro viribus vitare, etiam si forte matrimonium ipsum non iam posset praecavere; etenim non licet ad actum irritum tanti momenti concurrere nisi magna necessitate flagitante. Porro talis obligatio non est parochis imponenda. — Sin autem agitur de sponsalibus mixtis contractis *sine praevia dispensatione* Ecclesiae, illa videntur esse nulla, etiamsi forma legalis observata fuerit. Nam talia sponsalia vix non semper sunt illicita[1]. Hoc a fortiori valet ubique terrarum de sponsalibus mixtis *privatis*, ut per se patet. Totam hanc doctrinam his verbis exprimit Instructio S. Officii d. 12 Dec. 1888[2]: «Sponsalia inter unam partem catholicam et alteram schismaticam seu haereticam illicita sunt atque adeo invalida, nisi praevia legitima dispensatione celebrentur.»

5. **Promissio legitime manifestata.** De qua statim agitur in paragrapho sequenti.

§ 3.

De celebratione sponsalium.

723 Ante Decretum «Ne temere» sponsalia potuerunt sufficienter celebrari et manifestari quibuslibet verbis et signis claris; nunc autem ex positiva lege plura ad validitatem requiruntur, scil.:

1. Debent fieri scripto cum appositione diei, mensis, anni[3]. Convenienter etiam designatur locus (urbs, vicus), in quo sponsalia ineuntur, ad evitandas quascumque dubietates[4]. Liberum quidem est adhibere quamcum-

[1] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 852; *Noldin*, De sacr. n. 540; *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 99, 8.

[2] Collect. de Prop. Fide n. 1696 (9). [3] S. C. C. d. 27 Iulii 1908.

[4] Abrogatum est ius speciale ante Decretum «Ne temere» in Hispania et in America Latina vigens, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura a notario subsignata (S. C. de Sacr. d. 13 Martii 1910, ad 7, in Act. Ap. Sedis II 195).

que linguam et formam, dummodo clare exprimatur mutua promissio futuri matrimonii; praestat autem, ut adhibeantur formularia in qualibet dioecesi vel paroecia approbata.

2. Formularia ista (sive scripta sive typis impressa) debent *manu* (non autem aliqua machina) subscribi vel a) a duobus contrahentibus et parocho sive Ordinario, vel b) a duobus contrahentibus et duobus testibus. Quodsi utraque vel alterutra pars contrahentium scribere non valet (sive ex imperitia sive propter infirmitatem corporalem), ad validitatem id in litteris expresse adnotetur, et tunc loco contrahentis (contrahentiumve) alius novus testis subscribere debet. Ergo in casu requiruntur subscriptiones aut trium testium aut parochi et unius testis. — De qualitate testium nihil determinatum est [1]. Unde quilibet homo rationis capax, fide dignus, sensibus visus et auditus praeditus et scribere valens potest esse testis. Nihilominus expedit, ut acatholici et notorii peccatores excludantur, in quantum est moraliter possibile.

3. Contractus sponsalitius debet subscribi a contrahentibus et testibus *insimul congregatis* [2]. Quare non sufficit, ut contractus subscriptus ab una parte coram testibus transmittatur ad alteram partem, ut et ipsa coram testibus subscribat. Ratio est, quia secus facile fraudes et deceptiones accidere possent, praesertim si altera pars scribere et legere nesciat [3]. — Probabilius sponsalia per procuratorem contracta sunt invalida, quia necesse est ut subscribant ipsi contrahentes simul congregati; contrarium tamen ab aliquibus docetur, e. g. a Noldin [4], Vlaming [5].

4. Nomine parochi non tantum intelliguntur parochi proprie dicti, «sed 724
in regionibus, ubi paroeciae erectae non sunt, etiam sacerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est et qui parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria nondum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione *universaliter* deputatus» [6]. Ut autem sponsalia valide et licite celebrari possint coram parocho vel Ordinario, non requiritur (sicut pro celebratione matrimonii), ut contrahentes iam *per mensem* in paroecia habitaverint aut saltem quasi-domicilium acquisiverint, sed parochus aut Ordinarius potest *in suo territorio* licite assistere [7] sponsalibus omnium ad se venientium, idque eadem libertate, qua quorumcumque sponsorum ad se venientium confessiones audire potest. Econtra parochus non potest tamquam parochus, sed solummodo tamquam testis assistere sponsalibus suorum paroecianorum *extra proprium territorium*; quod videtur sequi ex eadem responsione S. Congr. Concilii. Praeterea omnia suadent tendentiam esse, ut leges de assistentia parochi cum in sponsalibus tum in matrimonio sint *territoriales* [8]. — Illi autem parochi, qui non habent territorium separatum, ut solent esse capellani castrenses, capellani hospitalium, carcerum etc., valide et licite assistunt ubique sponsalibus suorum subditorum, sicut alii parochi in proprio territorio [9].

Parochus aut Ordinarius nequit alium delegare ad assistendum celebrationi sponsalium [10]. Ceterum haec delegationis facultas non est necessaria,

---

[1] S. C. de Sacr. d. 12 Martii 1910, ad 4. [2] S. C. C. d. 27 Iulii 1908, ad 1.
[3] Cf. Analecta eccl. XVI (1908) 333. [4] De sacr. n. 538.
[5] Prael. iur. matr. I 100. [6] Decr. «Ne temere» XI.
[7] S. C C. d. 28 Martii 1908, ad 7. [8] Cf. infra n. 752.
[9] S. C. C. d. 1 Febr. 1908, ad 8. [10] S. C. C. d. 28 Martii 1908, ad 6.

cum sponsalia aeque bene celebrari possint coram aliis duobus testibus. Hinc si parochus absens est, eius vicarius non potest valide assistere sponsalibus ineundis, nisi assumat alterum testem, qui secum et duobus contrahentibus subscribat. Nomine Ordinarii loci non tantum venit episcopus loci, sed etiam eius vicarius generalis, et sede vacante vicarius capitularis. Praelati «nullius» censentur Ordinarii in territorio suo exempto.

Nota. Nullibi in iure praescribitur, ut sponsalia debeant absolute praemitti matrimonio; si igitur nupturientes sponsalia tantum privata inierint, quae iuxta nunc vigentem disciplinam sunt prorsus invalida, nihilominus parochus potest proclamationes facere et matrimonio assistere. Verumtamen in praxi suadendum videtur, ut nupturientes adeuntes parochum pro proclamationibus faciendis prius sponsalia contrahant coram ipso.

§ 4.

De effectibus sponsalium.

Duo enumerantur effectus sponsalium, scil.: 1. obligatio gravis matrimonium ineundi tempore opportuno et legitimo; 2. impedimentum prohibens omnes alias nuptias. Iam amplius non oritur ex sponsalibus impedimentum publicae honestatis, sicut statuit Concilium Tridentinum sess. 24, c. 3 de reform. matr.

725 1. **Obligatio gravis ineundi matrimonium** tempore debito oritur ex ipsa natura sponsalium, quippe quae profecto nihil aliud sint nisi contractus onerosus et graviter obligans ad matrimonium promissum tempore debito contrahendum. Unde sponsus, qui sine sufficienti causa resilit a contractu valido sponsalitio, vel indebite differt matrimonium contrahendum, invita sponsa, peccat graviter contra iustitiam; immo et ad restitutionem tenetur, si ex isto agendi modo damnum materiale sponsae ortum sit. At ex valido contractu sponsalitio non datur actio coram tribunali ad petendam matrimonii celebrationem, datur tamen ad reparationem damnorum, si quae suborta sint[1]. Quae quidem actio fieri potest coram foro civili vel ecclesiastico. — Quam maxime hortandi sunt sponsi, ne differant matrimonium contrahendum, nisi adsit urgentissima ratio, quia sponsalia in longum protracta solent esse periculum proximum peccandi. Quaenam autem dilatio sit graviter illicita, non potest generali regula determinari, cum id pendeat ex multis circumstantiis fortuitis.

726 2. **Impedimentum prohibens omnes alias nuptias.** Proinde aliud matrimonium contractum, nisi prius sponsalia priora sunt rite dissoluta, est graviter illicitum; alia autem sponsalia contracta non tantum sunt illicita, sed prorsus irrita, utpote de re illicita contracta. Hinc e. g. si sponsus cum alia puella peccat illamque sub promissione matrimonii gravidam reddit, nihilominus tenetur primam sponsam in matrimonium ducere, quia strictum ius sponsae primae integrum mansit. Non raro autem expedit, ut sponsa tunc libere renuntiet iuri suo.

---

[1] Cod. iur. can. c. 1017, § 3; cf. Acta Ap. Sed. X, 345 (d. 2 Iunii 1918).

§ 5.

De dissolutione sponsalium.

Multae assignantur causae, propter quas sponsalia licite dissolvi possunt. Reducuntur ad sequentia capita:

1. Mutuus consensus[1].

727

Ratio est, quia sponsalia sunt contractus arbitrarius, qui non sicut contractus matrimonialis directe a Deo est institutus, et qui a fortiori non est sacramentum. Quilibet vero contractus arbitrarius potest dissolvi libero contrahentium consensu. Debet autem ista dissolutio vel iste consensus revera esse *liber,* ideoque nec dolo nec vi metuve extortus. — Etiamsi sponsalia erant *iuramento* confirmata, nihilominus possunt licite dissolvi mutuo consensu. Illud enim iuramentum censetur aliquid accessorium sponsalium. Accessorium autem moritur cum principali.

2. Notabilis mutatio superveniens sponsalibus.

728

Parum refert, utrum ista mutatio post sponsalia *ortum habeat* an ab altero contrahentium tunc primum *detegatur.* Illa autem mutatio censetur notabilis, quae absterruisset a sponsalibus ineundis, si antea cognita fuisset[2]. Huiusmodi mutatio accidere potest:

a) *in bonis corporis,* e. g. si alteruter contrahentium incidit in gravem morbum, cuius sanatio praevideri nequit, vel si fit caecus, mutus, surdus etc.[3]

b) *in bonis fortunae,* e. g. si alteruter magnam fortunae partem amiserit. Controvertitur, utrum sponsalia etiam licite dissolvi possint, si alteri parti *superveniant magnae divitiae,* vel si matrimonium multo ditius offeratur. Omnes docent dissolutionem ob hanc rationem semper fere esse inconvenientem, sed S. Alphonsus[4], Lehmkuhl[5], Tanquerey[6] compluresque alii putant non esse urgendam obligationem sponsalium. Ratio est duplex, scil.: α) si alter contrahentium istam mutationem praevidisset, numquam sponsalia contraxisset; β) si nunc cogeretur invitus ad ineundum matrimonium, malus exitus timeretur.

c) *in bonis animi,* e. g. si sponsus fit haereticus, si detegitur ebriosus, prodigus, malis moribus contaminatus etc.

d) *in externis circumstantiis,* e. g. si alter commiserit crimen, quod nunc publicum evadit, si detruditur in carcerem, si magnae inimicitiae inter familias sponsi et sponsae ortae fuerint. Ad hanc causam reduci potest dissensus parentum. Reverentia parentibus debita exigit, ut liberi petant eorum consilium et consensum, antequam aliquem vitae statum amplectantur. Si petitio fuit rationabilis, parentes nequeunt licite denegare consensum, quia filii liberi sunt in electione status. Quando filii contraxerunt sponsalia insciis parentibus, et isti nunc cognita rei veritate graviter invitos se ostendunt, e. g. quia matrimonium vergeret in dedecus familiae, omnes circumstantiae sunt sedulo considerandae. Si pensatis omnibus circumstantiis parentes sunt rationabiliter inviti, sponsalia certe rescindi possunt, quia tunc valet regula iam supra adducta: si sponsus vel sponsa talem dissensum praevidisset, sponsalia non contraxisset. Sin autem parentes sunt irrationabiliter inviti, non licet propria auctoritate rescindere sponsalia reluctante comparte; licet autem petere dispensationem, si ex matrimonio subsequente gravia incommoda timentur.

---

[1] c. 2, X 4, 1.
[2] Cf. *Reiffenstuel,* Ius can. tit. 1, l. 4, n. 255 sqq.
[3] c. 3, X 4, 8.
[4] Theol. mor. l. 6, n. 876.
[5] Theol. mor. II, n. 858.
[6] De sacr. n. 841.

729 3. **Violatio fidei sponsalitiae.**

a) *Per fornicationem* aliosque actus graviter impudicos commissos cum aliena persona. Ratio est, quia his actibus alteruter sponsus notabiliter vilior efficitur. Quodsi sponsa vi oppressa sit, deest quidem culpa, sed revera vilior facta est corpore, ac proinde theologi complures non obligant sponsum sub gravi ad ducendam defloratam, licet illum admoneant, ne afflictae afflictionem addat [1]. Si vero uterque sponsus fornicatus fuerit, manet mutua obligatio sponsalium, saltem per se loquendo; nam habetur compensatio mutua delicti. In praxi autem semper fere expedit, ut talia sponsalia solvantur, cum matrimonium inter huiusmodi sponsos infideles vix futurum sit felix, immo rixae et adulteria secutura sint.

b) *Per matrimonium cum alia persona.* Quamvis sit validum matrimonium, quod quis cum aliena persona contraxit, obstantibus prioribus legitimis sponsalibus, tamen est graviter illicitum, ut per se patet. Sponsus vel sponsa derelicta ilico libertatem acquirit iuxta vetus adagium: «Frangenti fidem fides frangatur eidem.» Aliqui quidem scriptores docent, per subsequens matrimonium partem *infidelem* non acquirere libertatem, ac propterea isto matrimonio dissoluto per dispensationem aut mortem compartis teneri iterum prioribus sponsalibus [2]. Et revera ex iure neque positivo neque naturali probari potest sponsalia valida dissolvi per subsequens aliud matrimonium illicite contractum. Unde saltem *theoretice* verius est per subsequens matrimonium priora sponsalia suspendi quidem, sed reviviscere matrimonio obstante dissoluto. In praxi autem non est nimis urgenda obligatio reassumendi priora sponsalia, cum complures probabiliter doceant, sponsalia per subsequens matrimonium non tantum suspendi, sed etiam exstingui [3]. — Consentientibus omnibus scriptoribus, aliter res se habet, si una pars altera relicta procationem incipiat vel alia sponsalia attentet. Haec enim infidelitas non solvit sponsalia ex parte relinquentis, sed tantum ex parte *derelicti*, qui igitur potest aut libere recedere aut cogere infidelem partem ad reditum.

c) *Per indebitam matrimonii dilationem* vel per discessum unius sponsi in longinquas terras sine sufficienti ratione. Etenim in contractu sponsalitio subintelligitur condicio celebrandi matrimonium tempore non ita remoto. Sin autem adsit causa urgens differendi celebrationem matrimonii vel transmigrandi in regiones longinquas, exinde non licet dissolvere sponsalia. Expedit autem tunc, ut ex mutuo consensu aut matrimonium differatur aut sponsalia dissolvantur.

730 4. **Electio status perfectioris.**

Status perfectior matrimonio est certe status religionis, et quidem non tantum religionis in stricto sensu, i. e. cum votis sollemnibus, verum etiam cuiuslibet congregationis religiosae (dummodo tamen sit legitime approbata). Sponsalia solvi professione sollemni certum est; etenim cum per hanc professionem solvatur vel ipsum matrimonium ratum, ut supra ex Concilio Tridentino probatum est, a fortiori solvuntur sponsalia. Sponsalia autem solvi etiam votis emissis in aliis congregationibus legitime approbatis, communissime docent theologi, quia in sponsalitio contractu subauditur tacita

---

[1] *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 862.

[2] *S. Alph.* l. c. n. 875; *Aertnys*, Theol. mor. l. 6, n. 437.

[3] Ita *Lehmkuhl* l. c. n. 853 et praesertim *Ballerini* in notis ad Gury II, n. 733.

condicio: «nisi perfectiorem statum elegerim» [1]. Porro etiam status in congregationibus istis est perfectior quam status matrimonialis. Pariter perfectior est *status clericalis*. Ergo sponsalia dissolvuntur quoque per susceptionem ordinum, aut etiam per ingressum in seminarium cum sincera voluntate suscipiendi ordines clericales.

Non desunt scriptores, qui docent etiam *statum virginitatis* voto privato perpetuae castitatis firmatum dissolvere sponsalia inita. Citatur pro hac sententia S. Thomas [2] dicens: «Propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda»; sed mens Angelici Doctoris non ita clare ex hoc textu cognoscitur, cum quidam commentatores putent (et quidem haud sine fundamento) ipsum loqui de solo voto, quod praecessit sponsalia. — Pro opposita sententia a S. Alphonso [3] citantur S. Antoninus, Laymann, Holzmann, Sanchez, Sporer etc. Ipse autem S. Alphonsus vocat utramque sententiam probabilem. Billuart [4] haesitanter dicit: «Quamvis utcumque propendeam in secundam [i. e. sponsalia licite dissolvi per votum simplex], quaenam sit vera, definire nolim.» In praxi attendendae sunt plures circumstantiae, scil. quaenam sit primaria intentio voventis, quanta sint damna alteri parti ex dissolutione sponsalium orientia, utrum haec damna possint sufficienter compensari etc.

Notandum est, partem, quae relinquitur, ut *primum* altera pars ingreditur ordinem aut seminarium, obtinere libertatem, ac proinde posse ad alia sponsalia convolare; econtra partem relinquentem manere ligatam, usquedum professionem revera emiserit aut ordines susceperit. Unde probabilius eius obligatio reviviscet, si ordinem aut seminarium iterum egressus fuerit, saltem si statum perfectiorem amplexa est dolose, ad hoc ut se liberet ab obligatione sponsalitia. Si vero a perfectiore statu serio suscepto legitime et non dolose *dispensatus* fuerit, probabiliter eius obligatio non reviviscit [5]. — Ceterum si ex dissolutione sponsalium propter statum perfectiorem amplectendum damnum notabile oriatur parti derelictae, ipsum ius naturale exigit, ut istud damnum reparetur.

5. Dispensatio pontificia. 731

Summum Pontificem, non autem episcopum (nisi habeat speciales facultates delegatas), posse ex gravi causa dissolvere sponsalia valida, etiam invito alterutro sponso, communiter docent auctores [6]. Re quidem vera S. Sedes aliquando hanc facultatem exercuit [7]. Ratio autem est, a) quia Summus Pontifex potest dispensare in matrimonio rato, ut supra n. 681 dictum est. Ergo a fortiori potest dispensare in sponsalibus, quae non tam firmum vinculum causant sicut matrimonium ratum; b) quia, licet ex sponsalibus oriatur utrique sponso ius naturale, ne alter a promissione facta resiliat, at vero ex alia parte ex connubiis coactis solent pessimi effectus profluere, tam pro ipsis contrahentibus quam pro ipsa Ecclesia. Papa autem habet ius praecavendi damna Ecclesiae, ac proinde vi *dominii alti*, quod habet in omnes christianos, potest ius alicuius singularis personae limitare. E. g. Petrus valida sponsalia contraxit cum Berta, quam dereliquit. Sub promissione matrimonii gravidam reddit Caiam, quam nunc vult in matrimonium ducere et quacum iam matri-

---

[1] Cf. *Billuart*, De matrim. diss. 2, a. 5; *Tanquerey*, De sacr. n. 840.
[2] Suppl. q. 53, a. 1 ad 1. [3] Theol. mor. l. 6, n. 873.
[4] L. c. in fin. [5] *Tanquerey* l. c.
[6] Cf. *Aertnys*, Theol. mor. l. 6, n. 442; *Tanquerey* l. c. n. 844.
[7] Cf. S. C. C. d. 25 Iulii 1896 (Analecta eccl. IV [1896] 294).

monium civile contraxit. Berta totis viribus se opponit huic matrimonio; Petrus vero totis viribus recusat relinquere Caiam et ducere Bertam. Si Ecclesia in hoc casu non dispensaret in prioribus sponsalibus et non permitteret matrimonium inter Petrum et Caiam, adesset concubinatus cum magno scandalo populi et ruina spirituali Petri et Caiae, quin causa Bertae vel minimum inde mutaretur in melius. — Aliquando Ecclesia dissolvendo sponsalia valida imponit *indemnitatem* solvendam a parte iniuste resiliente [1], aliquando autem iudicium de hac indemnitate solvenda relinquit tribunali civili. Actio enim ad reparationem damnorum, quae ex dissolutione sponsalium oriuntur, est mixti fori [2].

732 **Scholion. De privata vel auctoritativa dissolutione sponsalium.** Quoniam iuxta legem ecclesiasticam sponsalia non iam sunt valida, nisi sint publica, i. e. testibus confirmata et scriptis exarata, hinc dissolutio sponsalium postero tempore erit difficilior et multo rarior, cum contractus sponsalitius non iam possit ita praecipitanter et temere iniri, sicuti antea haud raro accidebat. Utrum autem dissolutio sponsalium possit propria auctoritate fieri an requiratur authentica dissolutio, non ita constat. Nihil hac de re hucusque a Curia Romana determinatum est. Knecht [3] confidenter affirmat privatam dissolutionem sufficere et vocat hanc sententiam certam. Quidquid est de hac sententia, dissolutio authentica videtur requiri saltem in sequentibus casibus, scil. a) si ita ex iure particulari alicuius dioecesis sit statutum; b) si de exsistentia et sufficientia causae dissolutionis serio dubitetur; etenim privata auctoritate non licet certum ius alterius laedere cum motivo dubie sufficienti; c) si ex privata dissolutione sponsalium scandalum oriatur. — Etiam in casu privatae dissolutionis sponsalium dissolutio nuntianda est testibus, coram quibus illa contracta fuerunt.

ARTICULUS II.

De examine sponsorum et de bannis seu proclamationibus matrimonialibus.

733 1. **Examen sponsorum** a parocho [4] praemitti debet, antequam proclamationes publice denuntiantur. Si nupturientes pertinent ad diversas paroecias, ille parochus ordinarie faciet examen sponsorum, qui celebrationi matrimonii assistet. Iure particulari forma istius examinis saepe determinata est. Obiectum examinis est duplex, scil.: 1. *investigatio de impedimentis forte exsistentibus* (vocatur examen generale seu iuridicum); 2. *instructio de obligationibus coniugum* (examen speciale seu privatum). Ante omnia parochus debet ab utroque nupturientium exigere testimonium baptismi suscepti, si hic in alia paroecia fuit illis collatus [5]. Hoc etiam valet, si alteruter contrahentium est haereticus [6], quia secus adesse possit impedimentum disparitatis cultus.

[1] Caus. Ravennat. d. 15 Dec. 1900 (Analecta eccl. IX [1901] 102).
[2] Ita S. C. C. d. 25 Iulii 1896; cf. Commissio Pontif. d. 2—3 Iunii 1918, dub. IV.
[3] Die neuen eherechtl. Dekrete § 53.
[4] Est parochus, cui ius est assistendi matrimonio (Cod. iur. can. c. 1020).
[5] S. C. de Sacr. d. 6 Martii 1911; Cod. iur. can. c. 1021.
[6] S. Offic. d. 25 Maii 1897.

Deinde *probatio status liberi* exigenda est iuxta Instructionem S. Officii d. 22 Aug. 1890[1] vel iuxta statuta in unaquaque dioecesi vigentia[2]. Tum investigandum est, num forsitan impedimentum matrimonio contrahendo obstet. Tum parochus inquirat, si quod dubium est, an nupturientes cognoscant saltem rudimenta catholicae fidei[3]; ignorantes autem sedulo edoceat; quodsi renuant edoceri, non est locus eos respuendi a matrimonio[4]. Demum magna cum prudentia, modestia paternaque cum severitate parochus instruat nupturientes de iis, quae licent coniugibus inter se, quae non licent, quin tamen nimis descendat ad particularia. — Etiamsi istud examen sponsorum non est ita necessarium, quando neque adest impedimentum matrimonii neque defectus sufficientis cognitionis in sponsis, tamen parochus ne omittat dare monita salutaria novis nupturientibus. Quare statuit Codex iur. can. c. 1033: «Ne omittat parochus, secundum diversam personarum condicionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur et ss. Eucharistiam pie recipiant.»

2. Proclamationes nuptiales. 734

Notio. Proclamationes (banna, edictum matrimoniale, denuntiatio) sunt publicae denuntiationes, quae celebrationi matrimonii praemitti necesse est eo fine, ut securius et facilius detegantur impedimenta matrimonio forte obsistentia. Iam ab antiquis temporibus mos viguit publice enuntiandi matrimonii celebrationem in ecclesia. Concilium Lateranense IV (1215)[5] praescripsit unam proclamationem. Concilium autem Tridentinum[6] statuit, ut tres proclamationes fiant determinatis locis et temporibus. Idem statuit Codex iur. can. c. 1024. — In compluribus regionibus praecipiuntur etiam proclamationes civiles.

Obligatio. *Lex ecclesiastica proclamationum obligat sub gravi.* 735

Ita sententia communis. Gravitas huius obligationis licet perspici: a) *ex gravi fine huius legis;* finis enim proclamationum est: evitare matrimonia clandestina, detegere impedimenta matrimonii, spiritum unitatis fovere in paroeciis; b) *ex gravitate poenarum,* quae transgressoribus infligebantur in antiquo iure, scil. parochus temere omittens proclamationes incurrit suspensionem ab officio per triennium. Ipsi coniuges, qui sine praeviis proclamationibus matrimonium inierunt, multo difficilius obtinebant dispensationem ab impedimento, quod forte eorum matrimonio obstabat. Insuper eorum matrimonium, quod est nullum propter impedimentum occultum, non con-

[1] Collect. de Prop. Fide n. 1740.

[2] Sic e. g. pro Urbe observandum est Decretum Cardinalis vicarii d. 5 Apr. 1902 datum. Specialis difficultas solet oriri, si agitur de matrimonio vagorum. Aliquando exigitur ab illis iuramentum de statu libero. Si alteruter vel uterque nupturientium iam fuit antea matrimonio ligatus, requiritur testimonium certum de morte prioris coniugis. In casibus difficilioribus recurrendum est ad episcopum loci.

[3] Rit. Rom. tit. 8, c. 1, n. 1; *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 8, c. 14, n. 5.

[4] Pontif. Commissio d. 2 Iunii 1918 (Act. Ap. Sed. X, 345).

[5] Habetur in c. 3, X 4, 3. [6] Sess. 24, c. 1 de reform. matrim.

siderabatur ut matrimonium putativum, ac proinde filii nati habebantur illegitimi [1]. — Ex quibus patet legem de proclamationibus faciendis per se sub gravi obligare. Ideo omnes docent omissionem trium proclamationum sine gravi necessitate factam esse peccatum mortale [2]. Omissionem duarum proclamationum esse item peccatum grave docet S. Alphonsus [3] et cum eo complures alii theologi. Omissionem vero unius proclamationis esse peccatum leve, docet sententia communis [4]. *Pro matrimoniis mixtis* non debent, immo non possunt proclamationes fieri [5], nisi ex iure particulari aliquando tolerentur aut praescribantur [6]. Mentio religionis contrahentium tunc omittenda est [7]. — Si proclamationibus expletis matrimonium differtur ultra *sex menses,* proclamationes sunt iterandae, nisi aliud loci Ordinario videatur [8].

736 **Tempus proclamationum.** Codex iur. can. c. 1024 praescribit: «Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia, ad quae populus frequens accedat.» Requiritur igitur, ut proclamationes fiant:

1. *tribus diebus dominicis vel festis,* quibus ex praecepto universali aut particulari obligatio audiendi sacrum fidelibus imposita est.

Ceterum in unaquaque fere dioecesi adsunt specialia statuta de diebus, quibus licet proclamationes facere. Sine speciali facultate non licet proclamationes facere *diebus festis suppressis.* Potest tamen episcopus hanc licentiam concedere ex rationabili causa.

2. *continuis,* i. e. nullo die festo intermisso.

Auctores communiter docent, non esse grave peccatum, si parochus omitteret unum diem intermedium; immo esse nullum peccatum, si ratio sufficiens exsisteret. In compluribus dioecesibus prohibitum est, ne proclamationes fiant tribus diebus *immediate* successivis, e. g. die Paschatis, feria II et III post Pascha.

3. *in ecclesia inter Missarum sollemnia vel inter alia officia.* Proclamationes igitur fieri possunt non tantum in Missa maiore, sed etiam in Vesperis, in Salutatione Vespertina aliisque officiis divinis, dummodo populus frequens soleat accedere.

Proclamationibus finitis exspectandum est (nisi rationabilis causa aliud postulet) tres dies, antequam matrimonium celebretur [9]. Quare si ultima proclamatio facta est die dominica, non potest matrimonium iniri nisi feria V. Ratio huius legis facile perspicitur; etenim sic conceditur sufficiens tempus, ut illi, qui forsan hac vice primitus proclamationes audiverunt, possint impedimenta obstantia revelare.

737 **Forma** proclamationum haec habetur in Rituali Romano [10]: «Notum sit omnibus hic praesentibus, quod N. vir et N. mulier, ex tali vel

---

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 5 de reform. matrim., et c. 3, X 4, 3.
[2] *Lehmkuhl,* Theol. mor. II, n. 861. [3] Theol. mor. l. 6, n 990.
[4] *Tanquerey,* De sacr. n. 856.
[5] Rescript. Pii VI ad Archiep. Mechlin. d. 31 Maii 1783.
[6] E. g. in archidioec. Coloniensi; cf. *Vogt,* Das kirchl. Eherecht § 13.
[7] Cod. iur. can. c. 1026. [8] Ib. c. 1030. [9] Ib. c. 1030, § 1.
[10] Tit. 7, c. 1, n. 13.

tali familia et paroecia, Deo adiuvante, intendunt inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut, si quis noverit aliquod consanguinitatis vel affinitatis aut cognationis spiritualis vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quam primum nobis denuntiare debeat, et hoc admonemus primo, si fuerit prima, vel secundo, si fuerit secunda, vel tertio, si fuerit tertia denuntiatio.»

In nonnullis dioecesibus solet brevior formula praescribi; formula enim Ritualis non habet vim praeceptivam, sed *directivam.* Semper autem attendendum est, ne quid famae damnosum in proclamationibus publicetur, e. g. si sponsa est filia illegitima aut iam corrupta, hoc nullo modo debet in proclamationibus enuntiari. Alta et intelligibili voce promulgatio fiat, cum secus finis legis non obtineatur. Quoniam autem in magnis paroeciis sunt faciendae numerosae proclamationes, quae cum taedio auditorum nequaquam cognoscentium personas nupturientes, cum magno dispendio temporis, cum privatione instructionis religiosae et sine ullo fructu esse solent, hinc «potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur» [1].

738 **Locus,** ubi proclamationes faciendae sunt, est regulariter ecclesia paroecialis, vel alia ecclesia quae ab episcopo designata est ad hoc.

Recte scribit Gasparri [2]; «At si parochus matrimonium publicaret in alia paroeciae ecclesia, adstante fidelium frequentia, non videtur inquietandus, quia ex una parte finis legis salvus est et ex altera littera non obstat, cum Concilium Trid. expresse non dicat matrimonium esse publicandum in ecclesia paroeciali. Immo si in ecclesia paroeciali nullus esset eo die fidelium concursus et in alia ecclesia magnus, potius in hac quam in illa publicationes fieri expedit. . . . Immo plures Doctores apud S. Alphonsum [3] docent posse publicationes fieri etiam extra ecclesiam tempore magni concursus [sacri], e. g. ob processionem, contionem, . . . quia finis legis obtinetur. Idque probabiliter, saltem sine mortali, et si adsit aliqua causa, sine ulla culpa. Sed parochus, si tempus est, consulat Ordinarium, qui, si potest banna dispensare, a fortiori poterit id permittere.» — Proclamationes nuptiales fieri debent tam in paroecia sponsi quam in paroecia sponsae. Si igitur sponsus et sponsa sunt eiusdem paroeciae, sufficit, ut in hac sola paroecia proclamationes fiant; sin vero in diversis paroeciis domicilium aut etiam quasi-domicilium habent, aut etiam commorationem sex mensium habuerunt, proclamationes fieri debent in omnibus istis paroeciis. Quia autem id non raro nimias difficultates causat, solent episcopi faciliores normas dare, iuxta quas locus proclamationum determinetur.

Matrimonia *vagorum,* i. e. eorum, qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae habitationis [4], proclamantur, (praehabita licentia episcopi) in loco, ubi nunc habitant vel matrimonium intendunt contrahere [5]. Insuper exigitur ab illis de statu libero *iuramentum*

[1] Cod. iur. can. c. 1025. [2] De matrim. I, n. 169. [3] Theol. mor. l. 6, n. 991.
[4] Ita S. C. de Sacr. d. 12 Martii 1910 ad 5 (Acta Ap. Sedis II 195).
[5] *Vogt,* Das kirchl. Eherecht § 14.

canonicae libertatis. Ex iure particulari aliquando etiam in loco originis eorum praescribuntur proclamationes[1].

Statuta dioecesana solent etiam determinare taxam, si quae solvenda sit pro proclamationibus peragendis[2].

739 **Dispensatio** bannorum concedi potest non solum a Summo Pontifice, sed etiam ab episcopo, a vicario generali, et (sede vacante) a vicario capitulari, a praelato «Nullius» pro suis subditis. Si plures sunt Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur[3].

Episcopus nequit dispensare in bannis nisi exsistente legitima causa. Quaenam autem causa sit legitima, non est aliud in lege determinatum nisi malitiosum impedimentum matrimonii. A theologis et canonistis assignantur ut causae sufficientes: diffamatio coniugum, qui vivunt in occulto concubinatu habente coram hominibus speciem matrimonii; matrimonium contrahendum in articulo mortis; fundata suspicio, ne sponsi contempto matrimonio christiano contrahant solum matrimonium civile etc. — Ex iure communi *parochus* non valet dispensare in bannis, attamen ex delegatione episcopi non raro habet facultatem remittendi unam proclamationem iusta accedente causa[4]. In casu necessitatis, si scil. celebratio matrimonii urget, parochus potest supersedere a bannis, cum nulla lex ecclesiastica obliget cum magno incommodo.

740 **Obligatio revelandi impedimenta cognita.** Finis proclamationum principalis est, ut impedimenta matrimonii, si quae sint, detegantur. Hinc sequitur, ut omnes, qui sciunt aliquod impedimentum prohibens vel dirimens obstare (per se sub gravi), teneantur hoc impedimentum revelare[5]. Vanae enim essent proclamationes, nisi ex parte audientium oriretur obligatio revelandi ea, quae Ecclesia scire desiderat. Praeterea si agitur de exsistentia alicuius impedimenti dirimentis, eius celatio redderet matrimonium invalidum, ita ut sponsi viverent in concubinatu (saltem materiali) et multis gratiis carerent. Ergo etiam ipsa *caritas fraterna* postulat, ut impedimenta dirimentia denuntientur. Modus denuntiandi impedimenta non est determinatus a lege ecclesiastica; sed ordo caritatis postulat, ut prius monendi sint ipsi nupturientes, si impedimenti revelatio aliquam infamiam inducat. Quodsi monitio inutilis est, res detegenda est parocho, qui magna cum discretione famae sponsorum providebit.

Causae excusantes ab hac denuntiatione sunt praecipue sequentes:

a) *grave damnum proprium vel alienum.*

b) *inutilitas denuntiationis.*

E. g. si iam ab alio vel ab ipsis nupturientibus impedimentum denuntiatum est.

---

[1] *Gasparri,* De matrim. I, n. 133. [2] *Vogt* l. c. § 13.

[3] Cod. iur. can. c. 1028, § 2.

[4] Talem facultatem habent parochi in America Sept. Cf. *Tanquerey,* De sacr. n. 864.

[5] Cod. iur. can. c. 1027.

c) *secretum sacramentale vel professionale.*

Hinc confessarius, medicus, obstetrix etc. non possunt ea revelare, quae sciunt vi officii; tenentur autem (in quantum est possibile) monere nupturientes, ut ipsi revelent impedimentum. Solum secretum *naturale* aut *promissum* non excusat ab obligatione revelandi impedimenta, quia tale secretum debet violari ad impediendum grave damnum, sicuti in casu accidit.

Denuntiationes *quam primum* faciendae sunt, quas si parochus fide dignas probaverit, debet quam citissime petere dispensationem ab impedimento detecto, si tamen dispensatio est possibilis. Secus non debet assistere matrimonio. Speciales normae observandae sunt, quando matrimonio promulgato opponitur denuntiatio *priorum sponsalium* nondum legitime dissolutorum. Tunc parochus tenetur rem deferre ad episcopum, qui statim emittat sic dictum decretum: *Nihil transeat,* i. e. quod prohibet, ne matrimonium celebretur, antequam sponsalia sint rite dissoluta. Ordinarie praestat, ut parochus totis viribus conetur, ut priora sponsalia mutuo consensu dissolvantur. Sin autem eius conatus sunt inutiles, aut desistendum est a matrimonio aut petenda est dispensatio super sponsalia.

Scholion. De casu perplexo. Casus perplexus vocatur a theologis 741
casus, quando detegitur aliquod impedimentum immediate ante celebrationem matrimonii, neque matrimonium differi potest sine gravissimo incommodo, nec etiam tempus suppetit ad dispensationem obtinendam (etiam via telegraphica). Sequentes normae adhiberi possunt ad solvendum casum perplexum:

a) Si impedimentum detectum est *iuris publici,* ita ut in foro externo possit probari atque facile in aliorum notitiam venire (e. g. consanguinitas, affinitas), tunc supersedendum est a matrimonio, donec dispensatio obtenta fuerit. Ratio est, quia in isto casu nulla infamia oritur; damna autem alia forsan orientia minoris sunt aestimanda quam matrimonium condicionatum aut nullum. Nihil autem obstat, ne matrimonii celebratio coram assistentibus dissimuletur, si adsunt graves causae. Verum matrimonium tunc debet postea celebrari dispensatione obtenta. Ceterum iste casus est vix possibilis, cum possit dispensatio peti (via telegraphica) ab Ordinario loci, qui iuxta novum ius potest dispensare in istis angustiis ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis duobus: provenientibus ex s. presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta [1].

b) Si impedimentum est *occultum* (e. g. crimen), tunc distinguendum est. Etenim vel est α) impedimentum, in quo Papa non solet dispensare, e. g. crimen utroque patrante. Tunc ordinarie desistendum est a matrimonii celebratione, quia non expedit hortari contrahentes, ut vivant sicut frater et soror, neque illos relinquere in bona fide, in qua forte adhuc sunt; nam fides haec bona facile cessare potest postea, quo facto possent exsurgere maxima incommoda. Vel est β) impedimentum, in quo Papa solet dispensationem concedere. Tunc si episcopus nequit adiri vel nonnisi cum periculo violationis secreti, quilibet confessarius potest dispensare, sed pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum [2]. Si notitia talis occulti impedimenti habeatur extra confessionem, parochus quoque vel sacerdos delegatus ad assistendum matrimonio potest dispensare, idque extra confessionem, debet

[1] Cod. iur. can. c. 1045, § 1. [2] Ib. § 3.

autem de concessa dispensatione Ordinarium certiorem facere, et concessa dispensatio adnotetur in libro matrimoniorum [1]. Ex dictis patet casum perplexum non iam esse iuxta modernum ius vere perplexum, seu non causare graves difficultates.

CAPUT VII.

De forma celebrationis matrimonii.

Praenotamen. Praemisso brevi conspectu historico dividimus istud caput in tres articulos: 1. de subiecto huius legis, seu quinam ad eam teneantur; 2. de obiecto novae legis, seu quaenam requirantur ad *validam* et licitam celebrationem matrimonii; 3. quaenam facienda sint post matrimonium celebratum.

742 **Conspectus historicus.** Matrimonium, sive consideratur ut contractus sive ut sacramentum, essentialiter consistit in solo contrahentium consensu sufficienter manifestato. Sed apud omnes fere populos omnium temporum ista manifestatio consensus nuptialis sollemnitatibus quibusdam ornatur [2]. Ecclesia catholica usque ad Concilium Tridentinum omnes has sollemnitates ut *accidentales* consideravit ac proinde matrimonia etiam sine illis inita rata et valida habuit. Nihilominus propter magna pericula, quae sunt coniuncta cum matrimoniis privato modo initis «sancta Mater Ecclesia ex iustissimis causis illa [matrimonia clandestina] semper detestata est atque prohibuit.» [3] Unde iam S. Ignatius [4] monet: «Decet vero, ut sponsi et sponsae cum episcopi arbitrio coniugium faciant.» Tertullianus [5] testatur: «Apud nos occultae quoque coniunctiones, i. e. non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur.» Usque ad Concilium Tridentinum non erat constans et uniformis modus manifestandi consensum matrimonialem et celebrandi matrimonium in diversis Ecclesiae partibus [6]. Concilium autem Tridentinum celeberrimo suo Decreto «Tametsi» [7] statuit, ut abhinc omnia matrimonia essent invalida, nisi fuissent contracta coram proprio parocho et duobus saltem testibus. Hoc Decretum debuit robur suum exercere trigesimo die elapso post promulgationem in unaquaque paroecia.

Ecclesia certissime potuit hoc modo irritare omnia matrimonia clandestina; nam contractus matrimonialis est elevatus ad dignitatem sacramenti, ut supra probatum est. Porro licet Ecclesia non possit mutare formam et materiam sacramentorum, tamen potest determinare, sub quibusnam condicionibus contractus matrimonialis tamquam legitimus habeatur et sit apta materia sacramenti. Sicut etiam Ecclesia nequit mutare materiam et formam sacramenti poenitentiae, potest tamen praescribere modum, sub quo confessarius valide hoc sacramentum administrare possit. Unde Decretum «Tametsi» fuit iustissimum et sapientissimum. Propter diversas autem causas hoc Decretum non fuit publicatum in compluribus paroeciis, ac propterea ibi valida manebant matrimonia clandestina. «Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe etenim gravis exstitit dubitatio in decernenda persona

[1] Cod. iur. can. c. 1046. [2] Cf. *Westermark*, History of human marriage c. 19.
[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 1 de reform. matrim.
[4] Ep. ad Polyc. c. 5 (*Migne*, Patr. graec. 5, 867).
[5] De pudicit. c. 4 (*Migne*, Patr. lat. 2, 987).
[6] Cf. Sacramentaria S. Leonis, Gelasii, S. Gregorii. [7] L. c.

parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis; verum quia nonnumquam difficile est iudicare, certone constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo, ne nulla essent; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt. . . . His rerum adiunctis permotus . . . Pius X pro ea quam gerit omnium ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii, ut de hac re videret et, quae opportuna aestimaret, sibi proponeret.» Hinc editum est Decretum «Ne temere», quod a die **19 Aprilis 1908** obligat in toto orbe christiano, nisi pro aliqua regione sit concessa prorogatio aut dispensatio. Prorogatio concessa est pro imperio Sinensi, in quo Decretum non obligat nisi a die 11 Aprilis 1909. Nunc autem omnes prorogationes et exemptiones cessaverunt, et viget ius in Codice iur. can. statutum.

Nota. Si quando dubium occurrit de validitate alicuius matrimonii initi ante d. 19 Aprilis 1908, applicandam est vetus *ius Tridentinum* vel *ius particulare* forte alicubi legitime vigens.

ARTICULUS I.

Quinam ad statutam formam teneantur.

Ad statutam formam servandam tenentur:

743 1. «omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt».

2. «iidem, si cum acatholicis sive baptizatis sive non-baptizatis . . . matrimonium contrahunt».

3. «orientales, si cum latinis contrahunt hac forma adstrictis».

4. «acatholici sive baptizati sive non-baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.» [1]

744 **Explicatur.** *Ad 1.* Non ita clarum est, quomodo intelligenda sint verba «in Ecclesia catholica baptizati». Salva meliore sententia *in catholica Ecclesia censentur baptizati omnes illi, qui tempore baptismi a parentibus vel tutoribus aliisve legitime disponentibus destinabantur pro cultu catholico* [2]. Hinc e. g. infans parentum catholicorum, qui in necessitate baptizatur a medico iudaeo, censetur baptizatus in Ecclesia catholica. Si autem ab eodem medico baptizatur infans parentum protestantium, non censetur baptizatus in Ecclesia catholica. Si parentes catholici ex mala voluntate facerent baptizari proprium infantem a ministro protestantico *cum intentione hunc infantem postea educandi in haeresi,* non censetur infans baptizatus in Ecclesia catho-

[1] Cod. iur. can. c. 1099.

[2] Idem fere sentit *van aen Acker,* Decr. «Ne temere»[2] p. 101 sq.

lica. Sin vero parentes catholici facerent quidem baptizari infantem in Ecclesia catholica, sed statim fere et ante septennium facerent eum educari in haeresi, iuxta veterem disciplinam talis infans factus adultus censebatur haereticus (fruens in Hollandia sic dicta Declaratione Benedictina[1]); attamen secundum novas decisiones romanas videtur potius ut catholicus haberi.

Ad 2. Matrimonia mixta, quorum altera pars est catholica, altera vero acatholica (sive baptizata sive non-baptizata), eadem prorsus forma essentiali celebrari debent ac matrimonia pure catholica. Proinde iam omnia privilegia hac in re concessa revocata sunt, et matrimonia mixta clandestina sunt invalida ubique terrarum.

Ad 3. Quamvis Codex iur. can. ordinarie non obliget orientales, tamen eos hic per accidens obstringit propter compartem catholicam. Sequitur hoc ex illis, quae supra diximus de individualitate contractus matrimonialis. Si enim est impedimentum ex parte unius contrahentis, iam matrimonium non potest valide contrahi. Porro in istis casibus est impedimentum ex parte catholici latini, qui non potest contrahere nisi observata forma statuta. Ergo talia matrimonia mixta sunt irrita[2].

745 *Ad 4.* Anterioribus temporibus valde disputatum est de valididate matrimoniorum ab acatholicis sine forma Tridentina celebratis; hodie haec controversia finita est, cum matrimonia acatholicorum, si *inter se* contrahunt, sint valida, dummodo ne obstet impedimentum dirimens aliud ac defectus assistentiae parochi requisitae, e. g. impedimentum ligaminis, impotentiae, cognationis etc. Acatholici habentur quoque schismatici[3] et ab acatholicis nati, qui extra religionem catholicam adoleverunt.

Ex dictis sequitur, quod forma statuta certo *non tenentur:*

a) omnes in haeresi aut in schismate nati et educati;

b) omnes catholici ritus orientalis[4] inter se contrahentes.

ARTICULUS II.

Quaenam requirantur ad validam et licitam celebrationem externam matrimonii.

Distinguendi sunt duo casus: 1. ordinaria celebratio matrimonii; 2. extraordinaria celebratio matrimonii imminente mortis periculo, vel in locis, ubi sacerdos haberi nequit.

---

[1] Benedictus XIV d. 4 Nov. 1741 pro Hollandia statuit, ut acatholici possint valide cum inter se tum cum catholicis matrimonium contrahere sine assistentia parochi. Cf. S. Offic. d. 17 Nov. 1835 et 6 Apr. 1859.

[2] «Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis non servata forma a Decreto ‚Ne temere' statuta? — Negative.» Ita S. C. C. d. 28 Martii 1908, ad 1.

[3] S. C. C. d. 28 Martii 1908.

[4] «An Decreto ‚Ne temere' astringantur etiam catholici ritus orientalis? — Negative.» Ita S. C. C. d. 1 Febr. 1908, ad 1. Aliquando tamen Decretum «Ne temere» extensum

§ 1.

Valida et licita celebratio matrimonii ordinaria.

I. Condiciones requisitae ad validam assistentiam.

Regula generalis. «*Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus.*»[1] 746

In ordinaria igitur celebratione matrimonii omnino requiritur assistentia:

vel parochi loci
vel Ordinarii loci
vel sacerdotis rite delegati } et duorum testium.

Prius dicemus de requisitis ex parte parochi loci etc., et deinde de iis, quae ex parte duorum testium requiruntur.

a) **Nomine parochi** hic intelliguntur 1. omnes parochi proprie dicti, sive inamovibiles sive amovibiles, 2. omnes, qui parochis aequiperantur. 747

Parochis autem aequiperantur in hac materia:

1. *deservitor* seu paroeciae vacantis administrator, qui in Codice iur. can. c. 472 vocatur Vicarius oeconomus.

2. *curatus,* i. e. ille, qui in territorio determinato, sed non ad dignitatem verae paroeciae erecto, plenam curam animarum gerit[2]. Tales curati vocantur in aliquibus locis: expositus vel capellanus localis.

3. *vicarius perpetuus* vel *temporalis* paroeciae incorporatae. Haud raro capitulo cathedralis ecclesiae aut alicui monasterio paroeciae sunt incorporatae. Tunc capitulum cathedrale aut monasterium debet legitime designare vicarium perpetuum aut temporalem ad exercendam curam animarum paroecialem, qui nunc vocatur vicarius actualis.

4. *quasi-parochi.* «In regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiperatur; et in missionibus, ubi territoria nondum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.»[3]

5. *capellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum a paroeciali iurisdictione exemptorum.* Requiritur autem, ut habeant veram potestatem paroecialem et ut assistant solis matrimoniis suorum subditorum idque in loco suae iurisdictionis[4]. Hodie non raro exsistunt huiusmodi pia loca, ut e. g. nosocomia, in quibus ministerium animarum peragit aliquis rector spiritualis, a iurisdictione paroeciali prorsus exemptus.

---

est ad fideles ritus orientalis. Sic e. g. per S. C. de Prop. Fide d. 5 Maii 1911 hoc Decretum extensum est ad dioeceses Ruthenas Provinciae Galicianae.

[1] Ita Cod. iur. can. c. 1094.

[2] Ita S. C. C. d. 10 Martii 1908. In praxi prius videndum est, utrum tales curati vel expositi vel capellani locales revera habeant iurisdictionem plenam in territorio ipsis designato ab episcopo vel a legitima consuetudine, an potius sint meri vicarii parocho concessi.

[3] Ita Decr. «Ne temere» II; cf. Cod. iur. can. c. 216, § 3.

[4] S. C. C. d. 1 Febr. 1908, ad 10.

748 6. *omnes parochi personales,* quales sunt e. g. capellani militares, quidam parochi in Indiis orientalibus. Parochi personales sunt, qui exercent iurisdictionem paroecialem non in territorio determinato, sed in determinatas personas.

Multum controvertitur, utrum iurisdictio huiusmodi parochorum personalium in assistendo matrimonio sit *privativa* an potius *cumulativa* cum parocho territoriali. Quoad Indias orientales S. Congregatio de Sacramentis d. 2 Iunii 1910[1] decrevit, ut attentis peculiaribus circumstantiis soli parochi personales, exclusis parochis territorialibus, valeant licite et valide assistere matrimoniis suorum subditorum, ita ut iurisdictio parochorum personalium in Indiis sit privativa et non cumulativa. Quoad vero alios parochos personales, et notanter quoad *parochos castrenses seu militares,* auctores non concordant. Capellanorum castrensium iurisdictionem esse *privativam* docent Hinschius[2], Noldin[3], Dr. Vollmar[4] (olim capellanus maior exercitus Borussici), capellanus maior exercitus Austriaci[5] aliique. Econtra hanc iurisdictionem esse *cumulativam* cum parocho territoriali asserunt Vogt[6], Wernz[7], De Smet[8], Scherer[9] aliique, quibus manifeste favet Decretum S. Congr. de Sacramentis supra citatum dicens: «Resolutio [de iuribus parochorum personalium] quoad validitatem et liceitatem, iuribus parochorum territorialium officere non videtur; qui ideo, iuxta Decretum ‚Ne temere,' valide semper in propria paroecia, et licite quoque, praehabita menstrua alterutrius contrahentis commoratione, matrimoniis fidelium etiam exemptorum assistere videntur.» — Cum haec controversia sit magni momenti in praxi (quoniam agitur de valore sacramenti matrimonii), attendendae sunt legitimae consuetudines vigentes in diversis regionibus, ubi habentur parochi castrenses, usquedum S. Sedes authenticum decretum hac de re ediderit. Ceterum, nullus auctor privatus potest regulam generalem statuere de iurisdictione capellanorum castrensium, cum in diversis regionibus non vigeant eaedem conventiones inter S. Sedem et gubernia. Sane verbis et menti novi iuris refragatur, milites non posse *valide* saltem matrimonium contrahere coram parocho territoriali sicut ceteros fideles; attamen cum S. Congregatio Concilii d. 1 Febr. 1908 ad 7 declaraverit, «quoad capellanos castrenses . . . nihil esse immutatum», cumque nonnumquam a civilibus aut militaribus auctoritatibus (etiam adiectis gravibus poenis) urgeatur, ut capellanus castrensis assistat matrimoniis militum aliarumque personarum ad militiam pertinentium, multo melius est, ut parochi territoriales abstineant ab assistendis huiusmodi matrimoniis, nisi habeant specialem licentiam[10].

---

[1] Acta Ap. Sedis II 449. [2] System d. kath. Kirchenr. II 340.

[3] De sacram. n. 643.

[4] Iuxta Breve Pii Papae IX d. 22 Maii 1868 capellanus maior exercitus [olim] Borussici, separata ab ceteris Ordinariis iisque minime subiecta iurisdictione pollebit in eos omnes et singulos fideles, qui ad Borussiae exercitum secundum leges pertinent (Acta S. Sedis XLI 91).

[5] Archiv f. kath. Kirchenrecht LXXXVIII (1908) 729 sqq.; XC (1910) 142.

[6] Das kirchl. Eherecht § 25. [7] Ius Decretal. IV 289.

[8] De spons et matr. n. 64. [9] Kirchenrecht II 199.

[10] Hodie exsistunt capellani castrenses habentes iurisdictionem independentem ab Ordinariis locorum in Hispania (cf. S. C. C. d. 22 Maii 1909 [Acta Ap. Sedis I 554]), Anglia (cf. S. C. de Prop. Fide d. 15 Maii 1906), Chile (Motu proprio Pii X d. 3 Maii 1910 [Acta Ap. Sedis II 502]). Non eaedem sunt facultates in diversis regionibus concessae capellanis castrensibus. Unde attendenda sunt statuta particularia.

b) **Nomine Ordinarii loci** intelliguntur episcopi dioecesani (non titulares), administratores, vicarii et praefecti apostolici, praelati seu praefecti habentes iurisdictionem cum territorio separato[1], eorumque officiales seu vicarii in spiritualibus generales, et, sede vacante, vicarius capitularis vel legitimus administrator[2]. Capellanus maior castrensis est Ordinarius pro omnibus personis ad militiam iuxta legem pertinentibus[3], licet non habeat iurisdictionem territorialem. 749

c) **Sacerdos legitime delegatus** ille est, qui habet delegationem a parocho aut Ordinario loci. 750

Congrue distinguitur delegatio a licentia assistendi, quamvis haec distinctio non expresse habeatur in ipso iure. *Delegatio* enim est facultas alteri sacerdoti concessa a parocho (territoriali aut personali) ad *valide* assistendum alicui matrimonio; *licentia* autem est facultas ad *licite* assistendum concessa alicui, qui etiam sine tali licentia valide assisteret. Ex quibus sequitur, ut parochus personalis numquam indigeat delegatione ad assistendum matrimoniis suorum subditorum; parochus autem territorialis numquam fere indigeat delegatione ad assistendum matrimoniis, quae in suo territorio celebrantur. Excipiuntur quaedam matrimonia in Indiis orientalibus et forsan matrimonia militum, de quibus supra. Indiget autem parochus territorialis *licentia* alterius parochi, si vult assistere matrimonio nupturientium, qui nondum per mensem in ipsius paroecia habitaverunt, ut infra dicetur. Parochus et Ordinarius *in ipsorum territorio* possunt delegare quemcumque *sacerdotem* (non publice excommunicatum vel suspensum) ad assistendum matrimonio. Parochus autem et Ordinarius, qui habent iurisdictionem solam *personalem,* possunt delegare alium sacerdotem *ubique locorum* ad assistendum matrimoniis suorum subditorum.

Circa hanc delegationem notanda sunt sequentia: 751

1. Sub poena nullitatis requiritur, ut haec delegatio sit *specialis,* i. e. facta determinato sacerdoti pro determinato matrimonio. Quare excluduntur quaelibet delegationes generales, sicuti antiquitus haud raro usuveniebant, e. g. ut matrimonium possit celebrari coram uno ex sacerdotibus viventibus in aliquo celebri loco peregrinationis. Soli *vicarii cooperatores* pro paroecia, cui addicti sunt, possunt habitualiter et generaliter delegari ab episcopo vel a parocho ad assistendum matrimonio[4].

2. *Ut sit delegatio expressa vel saltem quasi-expressa, quae ex actibus concludentibus manifeste colligitur.*

Tota doctrina de delegatione expressa, tacita et praesumpta sic breviter exprimitur in causa Balzan Adami[5]: «Ut alius sacerdos praeter proprium unius alteriusve contrahentis parochum matrimonii constituatur testis quali-

[1] E. g. abbas et praelatus nullius.

[2] Cf. Cod. iur. can. c. 198, § 2.

[3] Nec etiam uniformis est legislatio in diversis regionibus de personis ad militiam pertinentibus.

[4] Cod. iur. can. c. 1096, § 1.

[5] Acta Ap. Sed. II 208; cf. quoque Acta Ap. Sed. XI 154 sqq., ubi scite animadvertitur, pro maiore securitate ante celebrationem matrimonii petendam esse delegationem *expressam,* tacitam autem delegationem sufficere pro valore matrimonii.

ficatus, *debet praecedere actus positivus voluntatis externe expressus proprii parochi sive Ordinarii proprii,* quo ipsi conceditur assistendi licentia, de qua loquitur Decretum. Ideo licentia praesumpta seu interpretativa, quae revera non exsistit, sed solummodo data quadam hypothesi exsisteret, non sufficit ad testem matrimonii autorizabilem constituendum. . . . At per licentiam *tacitam,* quatenus a praesumpta vel interpretativa distinguitur, sufficienter exprimi potest voluntas positiva proprii parochi vel Ordinarii alium delegandi sacerdotem ad munus implendum testis autorizabilis. Cum ceteroquin nullibi in iure restringatur haec facultas generalis delegandi ad solam *expressam,* dicendum est delegationem haberi, ubi facta matrimonium praecedentia et vere concludentia ostendunt, hanc fuisse mentem illi, cui de iure competit delegare.» — Hinc e. g. vicarius parochi, qui in aliquam paroeciam mittitur, ut in omnibus adiuvet parochum, potest valide assistere matrimoniis, etsi non habet expressam delegationem parochi tacentis et non contradicentis. Econtra, absente parocho, alius sacerdos non potest praesumere delegationem. Saepe per statuta particularia dioecesium determinatur res de delegatione in assistentia matrimoniorum. — Per se quidem nihil obstat, quominus delegatio detur ope telegraphi aut telephonii, sed, excepto casu urgentis necessitatis, non expedit huiusmodi transmissio, quia haud raro inde oriuntur dubia et ambiguitates.

3. *Delegatus pro universitate causarum potest hanc delegationem subdelegare; econtra delegatus pro casu particulari hanc subdelegationis facultatem non habet.*

Hinc e. g. vicarius parochi, qui habet generalem delegationem assistendi omnibus matrimoniis in paroecia celebrandis, potest alium sacerdotem pro casu particulari subdelegare: iste autem pro hoc casu subdelegatus non potest iterum alium subdelegare.

4. *Delegatio cessat* a) *revocatione,* b) *elapso tempore praefixo.*

Delegatio non cessat morte delegantis vel aliter resoluto iure delegantis [1], quamvis nonnulli contrarium opinati sint. Si parochus subito moritur, eius vicarius cooperator vel etiam parochus vicinior valide et licite assistit matrimonio, prout ex statutis particularibus solet determinari [2].

752 **Condiciones requisitae ex parte parochi et Ordinarii ad validam assistentiam.** Sunt tres:

1. *ut beneficium vel officium suum canonice possideat neque per sententiam sit excommunicatus vel interdictus vel suspensus ab officio aut ut talis declaratus* [3].

S. Congr. Concilii d. 2 Martii 1908 respondit: «Nomine possessionis hic intelligi illum actum, qui, sive institutio corporalis sive inthronizatio sive installatio sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit, *ut institutus in beneficium exinde adipiscatur liberum exercitium potestatis suo officio annexae*».

[1] Cod. iur. can. c. 207.

[2] Ib. c. 472. Sic e. g. in Instructione pastorali Eichstettensi n. 488 habetur: «Si contingat, ut omnibus ad nuptias paratis subito parochus vita decesserit, pro hoc casu improviso quemlibet sacerdotem dioecesanum et approbatum, in loco forsan commorantem vel ex vicinia vocandum, ex potestate ordinaria pro hac vice dumtaxat delegamus, ut coram eo nuptiae valide contrahi queant, si sine incommodo ulterius differri non possunt.»

[3] Cod. iur. can. c. 1095, § 1.

Modus conferendi hanc institutionem corporalem solet ex iure particulari vel ex consuetudine determinari [1].

Episcopus adipiscitur officium episcopale, quando praesentavit capitulo litteras institutionis a Summo Pontifice datas, vel, ubi non exsistit capitulum, quando istae litterae legitime publicatae sunt in dioecesi [2].

Ius assistendi matrimoniis perit: a) per *amotionem ab officio* seu beneficio. Per se patet. b) per *excommunicationem vel suspensionem vel interdictum ab officio,* si tamen sint factae *per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam;* quod quidem satis raro solet accidere. Excommunicatio, quam parochus incurrit e. g. per absolutionem complicis aut publicam percussionem clerici, nondum eum privat iure assistendi matrimoniis, nisi accessit decretum declarativum vel condemnativum ad poenam excommunicationis [3].

Cum in errore communi Ecclesia iurisdictionem suppleat [4], etiam est validum matrimonium celebratum coram parocho *putativo* [5].

2. *ut intra limites sui territorii assistat matrimonio* [6]. 753

Nihil igitur refert quantum *ad validitatem* matrimonii, utrum nupturientes sint proprii paroeciani an extranei. Ex hoc statuto apparet, novam legem de assistentia parochi factam esse *territorialem* atque ita penitus mutatam esse veterem legem de necessitate domicilii aut saltem quasi-domicilii, quae haud raro causabat quaestiones intricatissimas. Intra territorium paroeciae sitae censentur etiam ecclesiae regularium exemptorum, ac proinde parochus vel Ordinarius loci valide ibi assistit matrimoniis [7]. Sin autem talis ecclesia habet exemptionem, uti dicunt, *activam,* seu si est ad instar abbatiae «nullius», quae habet privilegium exterritorialitatis, tunc videtur assistendi facultas parocho aut Ordinario loci inibi non concessa. Ex alia parte in nulla ecclesia aut capella sita intra territorium paroeciae potest aliquis sacerdos valide assistere matrimonio, nisi sit delegatus a parocho loci. Hinc e. g. in ecclesiis regularium aut militum nemo potest valide assistere alicui matrimonio etiam extraneorum, nisi sit delegatus a parocho aut Ordinario loci. Excipiuntur tamen parochi sic dicti *personales,* qui ubique terrarum valide assistunt matrimoniis subditorum suorum. Sic expresse sancitum est pro parochis personalibus Indiarum orientalium [8]; sic statutum est pro capellanis castrensibus, quorum

[1] Ib. c. 1444. Cf. *De Smet,* De sponsal. et matrim. n. 64; *Vogt,* Das kirchl. Eherecht § 25; *van den Acker* l. c. c. 1, a. 4.

[2] Cod. iur. can. c. 334, § 3.

[3] Ante Decretum «Ne temere» etiam publice excommunicatus et suspensus parochus potuit valide assistere matrimonio. Cf. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 12, c. 5, n. 2.

[4] Cod. iur. can. c. 209.

[5] Valide assistit matrimonio etiam parochus *putativus,* qui ex errore communi censetur esse verus parochus, sed qui propter defectum occultum officium paroeciale invalide recepit. Videtur autem requiri, ut talis parochus sit rite institutus a superiore ecclesiastico; etenim si a solo civili gubernio fuit institutus, est parochus *intrusus* et caret omni iurisdictione. Quare Pius VI scripsit ad episcopos Galliae d. 26 Sept. 1791: «Quoniam intrusus minime est parochus legitimus neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certo roboris est.» (Cf. *van den Acker,* Decreti «Ne temere» interpret. c. 1, a. 2). Ceterum tales intrusi incurrunt excommunicationem Summo Pontifici specialiter reservatam (Bulla «Apostolicae Sedis» n. 11), et si publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi, eo ipso sunt inhabiles ad assistendum matrimonio.

[6] Cod. iur can. c. 1095, § 1, n. 2.

[7] S. C. de Sacr. d. 12 Martii 1910.

[8] S. C. de Sacr. d. 2 Iunii 1910 (Acta Ap. Sedis II 449).

antea habita facultas non est immutata per novum ius [1]. Quapropter capellanus militum valide et licite assistit matrimoniis personarum iuxta leges uniuscuiusque regionis ad militiam pertinentium, sed nequit (sine debita delegatione) valide assistere etiam in sua ecclesia matrimoniis *aliarum personarum.* Non enim habet iura parochi territorialis [2].

754 3. *Ut neque vi neque metu Gravi constrictus requirat excipiatque consensum contrahentium* [3].

Unde parochus vel sacerdos delegatus non solum excipere, sed etiam *requirere* debet consensum nupturientium. Qua quidem saluberrima lege excluditur assistentia coacta et subrepta, quae antea ad validitatem sufficiebat. Etiam in matrimoniis mixtis parochus vel sacerdos assistens debet requirere et excipere consensum contrahentium [4], saltem si debitae cautiones a contrahentibus praebentur. Sin autem contrahentes recusent praebere istas cautiones neque averti possunt ab huiusmodi illicito matrimonio ineundo, tunc nec assistentia passiva parochi valide et licite potest concedi. In illis autem regionibus, quibus concessiones speciales factae ac instructiones datae fuerant a S. Sede, ad praecavenda maiora mala (e. g. ad evitandum scandalum publici concubinatus, aut ne contrahatur matrimonium coram ministo haeretico), parochus eiusve vicesgerens potest iisdem nuptiis passive assistere tamquam testis qualificatus, excluso tamen quovis ecclesiastico ritu. Itaque assistentia sic dicta *passiva* dehinc non iam est *valida,* nisi adsit privilegium speciale [5].

Omnis *coacta* assistentia parochi matrimonium initum reddit invalidum. Proinde nihil refert, utrum metus gravis inferatur iuste an iniuste. Etenim ius simpliciter requirit ad validitatem assistentiae, ne parochus gravi metu constringatur. Porro ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere. Nihilominus assistentia parochi non videtur esse invalida, si metus gravis fuerit incussus *a causa intrinseca,* e. g. si parochus assistit matrimonio publici peccatoris, quia secus valde timet ruinam spiritualem cum uxoris tum prolis nasciturae ex concubinatu. Econtra invalida est assistentia, si parochus cogitur ad assistendum illicito matrimonio patroni, qui minatur secus privationem officii paroecialis.

Quae hucusque dicta sunt de valida assistentia parochi, sic breviter comprehendi possunt. Ut parochus valide assistat matrimonio, requiritur:

1. ut actualiter possideat beneficium vel susceperit officium.
2. ut non sit per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus neve suspensus neve interdictus ab officio.
3. ut assistat intra limites sui territorii (nisi sit parochus personalis).
4. ut sit liber neve gravi metu ad assistendum constrictus.
5. ut consensum contrahentium requirat et excipiat.

755 **Duo testes,** quorum praesentia requiritur ad validam celebrationem matrimonii ordinariam, apprime distinguendi sunt a parocho vel

---

[1] S. C. C. d. 1 Febr. 1908, ad 7.

[2] Latius de hac re scripsimus in «Linzer Theol.-prakt. Quartalschr.» 1913, 121—127.

[3] Cod. iur. can. c. 1095, § 1, n. 3. [4] S. C. C. d. 27 Iulii 1908, ad 3.

[5] S. Offic. d. 21 Iunii 1912, d. 5 Aug. 1916 (Acta Ap. Sedis IV 444, VIII 316). Cf. nostrum Man. iur. can. q. 334.

sacerdote delegato, qui solet vocari *testis autorizabilis seu qualificatus* matrimonii. De qualitatibus istorum duorum testium ius positivum nihil praescribit; unde nihil aliud ab iis requiritur, nisi ut vere testificentur factam celebrationem matrimonii. Valde autem decet, ut adhibeantur testes adulti et bonis moribus praediti. De haereticis decrevit S. Officium d. 19 Aug. 1891, «eos non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum». Per se patet amentes, perfecte ebrios, surdos simul et caecos non posse adhiberi ut testes, quia non valent testimonium certum reddere de consensu nupturientium manifestato. In praxi curandum est, ut testes acciti revera audiant manifestationem consensus contrahentium; attamen sufficit ad validitatem, ut, visis omnibus circumstantiis, sint moraliter certi de consensu exterius dato.

II. Condiciones requisitae ad licitam assistentiam.

1. *Moralis certitudo de statu libero contrahentium,* sicuti iam antea a iure statutum fuit[1]. 756

Status liber significat immunitatem ab omnibus impedimentis prohibentibus et dirimentibus matrimonii, et praesertim ab impedimento ligaminis. Haec moralis certitudo acquiri debet: a) per examen sponsorum[2], b) per proclamationes a Concilio Tridentino praescriptas[3], et aliquando c) per iuramentum de statu libero a contrahentibus praestitum[4]. Parochus, qui sine praevia investigatione de statu libero contrahentium matrimonio assisteret, peccaret graviter, cum sacramentum exponeret periculo nullitatis sine urgenti necessitate. Cum iuxta Codicem iur. can. c. 1103, § 2 parochus, qui astitit matrimonio, debeat nomina sponsorum in libro baptismorum adnotare, vel illa mittere ad parochum loci, ubi sponsi baptizati sunt, optime praescriptum est[5], ut parochus ante benedictionem nuptiarum *semper exigat testimonium baptismi suscepti* (nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio). Ita enim status liber sponsorum quantum ad impedimentum ligaminis facile dignoscitur; nam si alteruter sponsorum iam esset matrimonio iunctus, hoc notatum inveniretur in libro baptismorum.

2. *Domicilium vel quasi-domicilium vel saltem menstrua commoratio alterutrius nupturientis in loco, ubi matrimonium celebratur*[6]. 757

a) Domicilium, quod est locus, «ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur; quo si rediit, peregrinari iam

---

[1] Moralis certitudo de statu libero non iam est necessario facienda iuxta Instructionem Clementinam d. 21 Aug. 1670, in qua praecipitur, ut curia episcopalis instituat processum de statu libero. Unde servandae sunt legitimae consuetudines exsistentes. Ad quaestionem: «An a Decreto ‚Ne temere' abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis?» S. C. C. respondit d. 1 Febr. 1908, ad 11: «Servetur solitum.»

[2] Cf. supra n. 733. [3] Cf. supra n. 735. [4] Cf. supra n. 738.

[5] Cod. iur. can. c. 1021, § 1.

[6] Ita Cod. iur. can. c. 1097, § 1, n. 2.

destitit»[1], acquiritur *simulac* quis in isto loco habitare incipit cum animo ibi *perpetuo, i. e. indefinito tempore,* manendi[2]. Iste animus debet in foro externo probari. Probatur autem variis modis, e. g. translatione magnae partis bonorum, susceptione alicuius muneris ex se perpetui vel saltem non ad fixum tempus limitati, per decennalem commorationem, iuramento emisso etc. Quasi-domicilium in hoc solo differt a domicilio, quod non requirit animum *perpetuo* permanendi in aliquo loco. Sufficit animus ibi permanendi per maiorem partem anni, vel saltem commoratio reapse protacta ad maiorem partem anni[3]. Deficiente domicilio aut quasi-domicilio sufficit menstrua commoratio in *loco,* ubi matrimonium est celebrandum. Cum illorum quoque, qui non habent nisi *dioecesanum* domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius sit parochus loci, in quo actu commorantur[4], talis parochus potest valide et licite assistere illorum matrimonio. Proinde sufficit domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum, et non iam requiritur paroeciale. Ita saltem, si nupturientes non habent alibi paroeciale domicilium vel quasi-domicilium.

b) Menstrua habitatio nihil aliud requirit nisi commorationem *per triginta dies continuos;* attamen isti dies non sunt mathematice computandi; unde si contrahentes uno alterove die durante mense ante matrimonii celebrationem absentes e paroecia fuissent, nihilominus possent non solum valide sed et licite matrimonium inire coram parocho loci. Parum enim pro nihilo computatur.

758 3. *Licentia parochi (vel Ordinarii) domicilii aut quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterius contrahentis, nisi gravis necessitas intercedat, quae a licentia petenda excuset*[5].

Parochus semper quidem valide assistit matrimoniis in suo territorio, sed illicite agit, nisi a) alteruter contrahens ibi habeat domicilium aut quasi-domicilium aut menstruam commorationem; vel b) agitur de vagis; vel c) gravis necessitas intercedit. Quodsi nihilominus matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat[6], et quidem parocho *sponsae,* nisi statuta particularia aliter decernant. Emolumenta stolae sunt illa taxa, quae debetur iuxta legem dioecesanam sacerdoti, qui assistit matrimonio; non autem comprehendunt stipendium Missae aliaque dona forte oblata.

759 4. *Parochus sponsae* (regulariter loquendo) assistat matrimonio celebrando, nisi aliqua iusta causa excuset[7].

Quaelibet autem rationabilis causa, licet non ita gravis, sufficit, ut parochus sponsi (ratione domicilii aut menstruae habitationis) licite assistat matrimonii celebrationi. Ratio est, quia novum ius, tanta largitate validam et licitam assistentiam tractans, convenienter non potest esse ita severum circa aliquod punctum accidentale. Unde si parochus sponsi assistit matrimonio, non stricte

---

[1] Ita ex iure Romano L. 7, C. X, 40 (39); (cf. Voetius ad Pandectas l. 5, tit. 1, n. 92), quam definitionem recipiunt et exponunt canonistae, e. g. *Reiffenstuel* in tit. De foro competenti n. 16 sq. Ergo ad domicilium requiritur, ut quis ibi larem, i. e. centrum vitae privatae et domesticae, constituat, ac proinde in loco vel locis, in quibus aliquis officinas solas habet, non acquirit domicilium. Cf. causam Parisiensem in Act. Ap. Sedis III 326 sqq.

[2] Cf. Benedicti XIV Instr. 33. [3] Cod. iur. can. c. 92.

[4] Ib. c. 94, § 3. [5] Ita Cod. iur. can. c. 1097, § 1, n. 3.

[6] Ib. § 3. [7] Ib. § 2.

tenetur emolumenta stolae percepta reddere parocho sponsae [1], nisi tamen ius particulare aliud statuat.

5. *Licentia Ordinarii loci* (vel eius delegati), ubi matrimonium 760
contrahitur, peti debet, si **vagi** matrimonium cupiunt [2].

Nomine vagorum in hac materia veniunt omnes et soli, qui tempore matrimonii celebrandi nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel saltem menstruae commorationis [3]. Ergo peregrini vel illi, qui habitant a mense in aliqua paroecia, non sunt vagi in hac materia et debent matrimonium contrahere coram parocho vel domicilii vel quasi-domicilii vel loci menstruae habitationis. — In casu *necessitatis*, e. g. si timetur matrimonium mere civile vel si vagi sunt actu itinerantes [4], parochus assistere potest matrimonio vagorum sine licentia Ordinarii. Utrum autem licentia haec Ordinarii requiratur, si tantum alterutra pars contrahentium sit vaga, non concordant auctores. Affirmat Vogt [5], negat Leitner [6]. Menti legis videtur esse conformior sententia affirmativa, quia eadem ratio legis exsistit, sive uterque sive alteruter contrahentium est vagus.

Resolves: Ex hucusque dictis facile solvitur sequens casus, qui frequenter accidere potest: Duo nupturientes habitantes Friburgi volunt matrimonium contrahere in ecclesia Fratrum Praedicatorum Düsseldorpii coram religioso Dominicano, qui est frater germanus sponsae. Ut istud matrimonium valide et licite celebrari possit, requiritur, ut parochus Friburgensis *licentiam* assistendi concedat parocho, in cuius paroecia (vel archiepiscopo, in cuius dioecesi) sita est ecclesia Fratrum Praedicatorum Düsseldorpii. Iste autem parochus (vel archiepiscopus) tunc *delegare* potest religiosum Dominicanum. At parochus Friburgensis nequit directe delegare religiosum Dominicanum, quoniam extra suum territorium nec ipse valet assistere matrimonio proprii parochiani.

Scholion. De sacris caeremoniis in celebratione matrimonii ob- 761
servandis. Quamquam sacramenti matrimonii minister sacerdos non est, tamen semper decet, ut nupturientes benedictionem sacerdotis petant. Quare tenentur quoque coniuges, qui valide et licite matrimonium inierunt in locis, ubi iam a mense sacerdos legitime delegatus haberi nequeat, postea tempore opportuno benedictionem nuptialem petere a sacerdote. Convenienter hoc fieri potest, quando faciunt inscribere nomina sua in libro paroeciali matrimoniorum.

Benedictio nuptialis distinguitur duplex: altera simplex, quae habetur 762
in Rituali Romano: «Ritus celebrandi matrimonii sacramentum» [7]; altera sollemnis, quae habetur in Missali [8].

a) *Benedictio sollemnis* consistit in tribus orationibus, quarum duae dicuntur post *Pater noster*, tertia vero post *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino*. Hanc sollemnem benedictionem extra Missam dare non licet [9], nisi habetur omnino

---

[1] Ita etiam *Noldin*, De sacr. n. 645, et communiter auctores.

[2] Ita Decr. «Ne temere» V, § 4; Cod. iur. can. c. 1032.

[3] S. C. de Sacr. d. 12 (13) Martii 1910, ad 5 (Acta Ap. Sedis II 195). Doctrina de matrimonio vagorum non videtur esse mutata in Codice iur. can., quamvis canones 91 1032 1097, § 1, n. 2 et 3 aliquam difficultatem causent.

[4] Cod. iur. can. c. 1097, § 1, n. 3. [5] Das kirchl. Eherecht 65, nota 3.

[6] Lehrb. des kirchl. Eherechtes 296. [7] Tit. 7, c. 2.

[8] Missa pro sponso et sponsa. [9] Cf. S. C. R. d. 12 Febr. 1909 (Acta Ap. Sedis I 255).

speciale privilegium, quale concessum est dioecesi Eichstettensi d. 1 Sept. 1838 et d. 5 Febr. 1865. De hac benedictione statuit S. Officium d. 31 Aug. 1881 [1]: «Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa pro sponso et sponsa, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, intra tamen Missae celebrationem iuxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant, postquam diu iam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos essse eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant.» Ex quibus verbis sequitur, ut sollemnis benedictio nuptialis dari nequeat: α) si mulier eam iam in alio matrimonio accepit [2]; β) si matrimonium celebratur tempore clauso, nisi adsit licentia Ordinarii [3]; γ) si matrimonium celebrandum est mixtum. De celebratione matrimonii mixti infra specialiter tractabitur. — Hortandi quoque sunt sponsi, ut in Missa nuptiali communicent.

b) *Benedictio simplex*, quae habetur in Rituali vel Romano vel Dioecesano rite approbato, debet dari in ecclesia vel in oratorio publico aut semi-publico, non autem in domo privata neque in ecclesiis vel oratoriis seminarii vel religiosarum nisi ex licentia episcopi [4]. In multis locis propter rationabiles causas sola benedictio simplex impertitur nupturientibus. Episcopi est iudicare, num consuetudo omittendi benedictionem sollemnem nuptialem sit permittenda. — Rituale Romanum [5] addit: «Ceterum si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando matrimonii sacramento utuntur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri.» Notandum tamen est, retineri non posse nisi laudabiles consuetudines; unde pluries a Romana Curia reprobatae sunt consuetudines gentilitatem aut superstitionem aut indecentiam redolentes.

§ 2.

Valida et licita celebratio matrimonii extraordinaria.

Valida et licita talis celebratio accidere potest: 1. in periculo mortis; 2. si sacerdos haberi nequit.

763 I. In mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram solis duobus testibus.» [6]

Explicatur. Dicitur 1°: *In mortis periculo*, i. e. saltem alterutrius contrahentium. Imminet mors, quando probabiliter non adest sufficiens tempus ad ineundum matrimonium modo ordinario coram parocho vel eius vicesgerente. Proinde etiam morte instante appellandus est parochus aut eius vicesgerens, si hoc moraliter fieri potest. — Nihil refert, utrum mors immineat ex gravi aegritudine aut ex alia causa, e. g. propter periculum naufragii, belli etc. [7] — Dicitur 2°: *ubi parochus . . . haberi nequeat* sine gravi

---

[1] Collect. de Prop. Fide n. 1557. [2] Cod. iur. can. c. 1143.
[3] Ib. c. 1108, § 3. [4] Ib. c. 1109. [5] L. c.
[6] Cod. iur. can. c. 1098.
[7] Ergo hoc indultum latius se extendit quam indultum Leoninum d. 20 Febr. 1888 concessum pro solis aegrotis.

incommodo. Sufficit quaelibet impossibilitas moralis advocandi parochum vel petendi debitam delegationem. Dicitur 3°: *matrimonium contrahi valide et licite potest.* Ergo huiusmodi celebratio matrimonii non solum est valida sed etiam licita; tenentur tamen (in solidum) tam testes quam ipsi contrahentes curare, ut matrimonium contractum debite adnotetur in libro matrimoniorum et baptismorum [1]. — Dicitur 4°: *coram solis (duobus) testibus.* Ergo ad validitatem matrimonii non requiritur in periculo mortis, quando parochus vel Ordinarius vel sacerdos rite delegatus haberi nequit, ut vocetur alius sacerdos. Tamen si alius sacerdos, qui adesse possit, praesto est, debet vocari, ut una cum testibus matrimonio assistat [2]. Talis sacerdos potest etiam dispensare ab omnibus iuris ecclesiastici impedimentis, exceptis duobus [3]. Per se patet sacerdotem numquam posse licite assistere celebrationi alicuius matrimonii, nisi prius sibi constet de statu libero contrahentium. Proinde si aliae probationes haberi nequeant, exigat a contrahentibus iuratam affirmationem ipsos esse baptizatos neque ullo impedimento detineri [4].

II. «Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo **parochus** vel Ordinarius vel sacerdos delegatus, qui matrimonio assistant ... validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus ..., dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam.» [5] 764

Explicatur. Quoad substantiam haec lex nova non est, sed iam antea matrimonium potuit iniri valide et licite coram duobus testibus, si fuit physice vel etiam moraliter impossibile adire parochum aut sacerdotem delegatum [6]. Nova autem lex statuit, ut matrimonium non possit valide et licite contrahi coram solis testibus, nisi sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat *post mensem* dumtaxat. Necessitas hoc modo celebrandi matrimonium accidere potest e. g. in regionibus missionum, ubi magna est penuria sacerdotum; tempore persecutionis, quando sacerdotes debent se occultare; si sponsi catholici debent degere in locis dissitis infidelium aut acatholicorum, e. g. in Russia.

Quando parochus a lege civili graviter prohibetur, quominus matrimonio assistat nisi praemisso civili connubio, quod tamen praemitti nequit, recurratur in singulis casibus ad S. Sedem, quae tunc decernet, quomodo matrimonium sit celebrandum [7]. In periculo mortis talis recursus non est necessarius, ut iam n. praec dictum est.

Valde decet, ut consensus matrimonialis exprimatur coram aliquo sacerdote (licet iuridice non competente, sed digno), qui tunc consuetam benedictionem nuptialem impertire valet. Si tamen sacerdos haberi non possit, tunc nihilominus adhibeatur aliqua caeremonia religiosa iuxta Instructionem

---

[1] Decr. «Ne temere» IX, § 3. [2] Cod. iur. can. c. 1098, n. 2.

[3] Ib. c. 1044. [4] Ib. c. 1019, § 2. [5] Ib. c. 1098.

[6] Sic. e. g. S. Offic. d. 14 Nov. 1883 respondit: «In locis, ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus; contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quam primum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi, ut eorundem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis vel proximioris ecclesiae, cui subiciuntur.» Plures similes Instructiones afferuntur apud *Leitner*, Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 306.

[7] Ita S. C. de Sacr. d. 31 Ian. 1916. Quamvis in novo Codice nihil habeatur de isto recursu, tamen videtur esse necessarius (de liceitate), si absque gravi incommodo fieri potest.

S. Congr. de Prop. F. d. 23 Iunii 1830: «Tali casu parentes duos testes eligant, qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis ad ecclesiam loci se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, caritatis et contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium rite se disponant. Post haec surgentes sponsus et sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post gratias Deo actas domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur.»[1] Contrahentes curare debent, ut sint immunes cum a quocumque impedimento matrimoniali tum a peccato mortali.

Nota. 1. Tale matrimonium sine assistentia sacerdotis initum est validum, etiamsi contrahentes *in fraudem legis,* i. e. praecise ad evitandam assistentiam sacerdotis in regionem discedunt, in qua sacerdos haberi nequeat[2]. Immo in casu verae necessitatis concessa est Ordinariis Sinensibus facultas, quam possunt etiam habitualiter delegare missionum rectoribus, dispensandi a forma substantiali celebrationis matrimonii, i. e. a praesentia duorum testium[3].

2. Celebrato matrimonio tenentur (in solidum) testes cum contrahentibus curare, ut quam primum matrimonium scribatur in libris matrimoniorum et baptizatorum propriae vel vicinioris ecclesiae, si non exsistit propria ecclesia[4].

ARTICULUS III.

Quaenam facienda sint post matrimonium celebratum.

765 1. «Celebrato matrimonio parochus vel qui eius vices gerit statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum, idque, licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.»[5]

Haec inscriptio *statim* facienda est, i. e. eodem die vel saltem intra triduum. Non clare apparet ex hac paragrapho, quinam parochus debeat nomina inscribere, si forte matrimonium fuit celebratum extra locum domicilii aut quasi-domicilii aut menstruae habitationis. Sane melius esset, si tale matrimonium inscriberetur tam in paroecia, ubi celebratum est, quam in paroecia sponsae. Ita saltem aliquando ex iure particulari[6]. Per se autem videtur sufficere, si matrimonium inscribitur *in paroecia, in cuius territorio est celebratum*[7]. Ratio est, quia tota tendentia novae legis est, ut iam saepe dictum est, annectere celebrationem matrimonii alicui territorio et onerare parochum istius loci, ut perficiat ea omnia, quae ad validitatem et liceitatem requiruntur. — Quando necessaria fuit pro celebrando matrimonio dispensatio alicuius impedimenti publici, tunc hoc quoque notandum est in libro matrimoniorum.

2. Insuper etiam *in libro baptizatorum* notare oportet cum ad nomen sponsi tum ad nomen sponsae matrimonium esse tali die et anno cele-

[1] Collect. de Prop. Fide n. 816.
[2] S. C. de Sacr. d. 12 Martii 1910, ad 3.
[3] S. C. C. d. 27 Iulii 1908, ad 7. [4] Decretum «Ne temere» IX, § 3.
[5] Ita Cod. iur. can. c. 1103.
[6] Ita e. g. in archidioec. Coloniensi; cf. *Vogt,* Das kirchl. Eherecht § 26, 6.
[7] Si matrimonium celebratum est in ecclesia regularium vel alibi extra ecclesiam paroecialem, inscriptio debet nihilominus fieri in ecclesia paroeciali.

bratum in tali loco. Quodsi alteruter vel uterque coniux alibi baptizatus est, parochus notitiam matrimonii initi ad parochum (parochos) baptismi transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur[1].

Haec obligatio inscribendi matrimonium contractum in libro baptismorum videtur esse *gravis,* quia eius finis gravis est, scil. ut constet de matrimonio contracto, et ut bigamia vitetur[2]. — S. Congr. de Sacramentis d. 4 Iulii 1921 iussit, ut haec inscriptio contineat: a) nomina et agnomina neo-coniugum, parentum, testium; b) aetatem neo-coniugum; c) locum et diem nuptiarum. Si baptismus alibi collatus est, parochus matrimonii debet parocho baptismi haec omnia (mediante Ordinario loci) nuntiare per litteras proprio nomine et agnomine subscriptas et sigillo paroeciali munitas[3].

3. Si matrimonium celebratum est in periculo mortis[4], tunc sacerdos assistens debet procurare inscriptionem matrimonii celebrati in libro matrimoniorum et baptismorum; sin autem celebratio facta est sine sacerdote[5], eaedem inscriptiones faciendae incumbunt testibus vel contrahentibus, ut iam supra dictum est.

Epilogus. Cum ad dubia solvenda valde expediat cognoscere inten- 766
tionem legislatoris, operae pretium est quaestionem subnectere de principali intentione legislatoris et de mediis adhibitis. *Intentio legislatoris* fuit praecavere nullitatem tot matrimoniorum, quae contrahi solebant sine assistentia proprii parochi. Omnia matrimonia acatholicorum contrahuntur sine assistentia parochi catholici, et proinde magna eorum pars fuit concubinatus saltem materialis. Insuper tot matrimonia mixta celebrantur sine debita assistentia parochi, quae proinde item sunt concubinatus. Demum in ipsis matrimoniis catholicorum celebrandis saepe fuit valde difficile discernere, quinam parochus assistere deberet ratione domicilii aut quasi-domicilii, cum haud raro coniuges in fraudem legis locum habitationis mutarent. Omnia haec incommoda sublata sunt per novas leges. Matrimonia acatholica habentur ut valida; matrimonia mixta celebrata sine assistentia parochi sunt invalida. Parochus proprius nupturientium facillime nunc cognoscitur, neque obstat fraus attentata. Sic igitur habetur maxima securitas de validitate matrimoniorum, et hoc videtur fuisse principalis intentio legislatoris. — *Medium adhibitum* ad hanc praestantissimam intentionem assequendam est mutatio legis Tridentinae, quae potius personalis quam territorialis fuit. Econtra iuxta novam legem omnes fere ordinationes sunt *territoriales.* Ad rem scribit consultor deputatus a S. Congr. Concilii ad dandum suum votum de novo Decreto ferendo: «Omnia suadent, ut potestas parochorum quoad matrimonii celebrationem reddatur territorialis. Praeprimis enim cum omnes civiles Codices hoc principium utpote opportunius adoptaverint in actis celebrandis nuptiarum, ut aiunt, civilium, non suppetit sufficiens ratio, cur Ecclesia illud non sequatur in matrimoniali materia.»[6] Ex hac tendentia ortum est limpidissimum principium: *Omnia illa matrimonia sunt valida, quae coram parocho*

---

[1] Decr. «Ne temere» IX, § 2; Cod. iur. can. c. 1103, § 2.

[2] Ita communiter docent theologi, e. g. *Noldin,* De sacr. n. 653; *Barret,* Decr. «Ne temere» n. 45; compluresque alii.

[3] Acta Ap. Sedis XIII 349.

[4] Cf. supra n. 755.

[5] Cf. supra n. 756.

[6] Acta S. Sedis XL 564.

loci libere assistente et duobus testibus contracta sunt. Unica exceptio habetur in Indiis orientalibus [1]. In periculo mortis et in absentia menstrua parochi aut sacerdotis delegati adhuc maior libertas concessa est. Hinc ius matrimoniale novis decretis factum est facilius et quantum ad intelligentiam et quantum ad praxim.

CAPUT VIII.

De matrimonii impedimentis.

Praenotamen. Cum supra iam satis probatum sit, Ecclesiae competere facultatem statuendi impedimenta matrimonii idque in matrimoniis christianorum *privative,* i. e. prorsus exclusa potestate civili, statim possumus aggredi explicationem singulorum impedimentorum, dividentes totum hunc tractatum in quattuor articulos: 1. de notione et divisione impedimentorum, 2. de impedimentis prohibentibus, 3. de impedimentis dirimentibus, 4. de dispensatione impedimentorum.

ARTICULUS I.

De notione et divisione impedimentorum.

767 1. **Notio.** *Impedimentum matrimonii in genere est quaedam circumstantia, propter quam ex iuris dispositione validus vel saltem licitus contractus matrimonialis efficitur impossibilis inter contrahentes.* Talis circumstantia potest esse sancita a iure vel *naturali et divino* vel *ecclesiastico* vel *civili.* Impedimenta civilia dirimentia, quae conformiter ad ius naturale statuta sunt, obligant *non-baptizatos,* ut supra dictum est. Christiani omnes ligantur impedimentis canonicis, i. e. quae oriuntur ex iure naturali, divino, ecclesiastico. Infideles non ligantur impedimentis iuris mere ecclesiastici, e. g. impedimento criminis.

768 2. **Divisiones.** a) Impedimenta *dirimentia et prohibentia.*

Impedimentum *dirimens* illud est, quod irritat matrimonium attentatum [2]. Impedimentum *prohibens* reddit matrimonium illicitum, quin tamen eius validitatem attingat.

b) Impedimenta *iuris naturalis sive divini et iuris ecclesiastici.*

Cum Deus ipse naturam matrimonii determinaverit, cumque Christus matrimonium ad pristinam puritatem reduxerit, impedimenta, quae sunt iuris naturalis, sunt etiam iuris divini. Hoc praecipue valet pro matrimoniis christianorum, in quibus contractus matrimonialis est inseparabilis a sacramento. Iure naturali sive divino dirimunt matrimonium ea omnia, quae sunt directe contra tria bona matrimonii, e. g. impotentia, ligamen, error in per-

---

[1] Cf. supra n. 752.

[2] Locutio «impedimentum dirimens» ab aliquibus auctoribus, e. g. a Bernardo Papiensi (apud *Freisen,* Gesch. d. kan. Eherechtes 223) reprehenditur, quia nihil potest dirimi, quod non exsistit. Porro exsistente impedimento dirimente, matrimonium non exsistit. Sed cum haec locutio iam habeatur in Decretalibus (c. 4, X 4, 3), non est cur ab ea recedamus, cum sensus eius sit obvius. Optime autem dicit *S. Thomas* (Suppl. q. 50, a. unic. ad 7): «Impedimenta praedicta non dicuntur dirimere matrimonium contractum quasi solventia verum matrimonium, quod rite contractum est; sed quia solvunt matrimonium, quod contractum est *de facto* et non de iure.»

sona, defectus consensus. Iure ecclesiastico prohibent aut irritant matrimonium illa impedimenta, quae quidem non sunt directe contra tria bona matrimonii, sed tamen contra eius convenientiam, e. g. consanguinitas in gradibus remotioribus, crimen, sacer ordo etc. Ceterum aliquando dubium esse potest, utrum aliquod impedimentum sit iuris naturalis an ecclesiastici. Sic e. g. auctores disputant, num consanguinitas in primo gradu collaterali, i. e. matrimonium inter fratrem et sororem germanam, sit iuris naturalis an iuris ecclesiastici.

c) *Absoluta et relativa.*

Absoluta impedimenta vocantur illa, quae irritant aut prohibent matrimonium cum *quacumque alia* persona, e. g. ligamen, impotentia physica absoluta. Impedimenta vero relativa sunt illa, quae obstant soli matrimonio *determinato,* e. g. consanguinitas, affinitas etc.

d) *Publica et occulta.*

Publica impedimenta vocantur ea, quae in foro externo probari possunt, seu quae aut ex natura sua aut ex notorietate facti cognoscuntur aut saltem facile cognosci possunt a multis. *Ex natura sua* vel ex iure censentur publica ea, quae nituntur facto de se publico, e. g. votum sollemne, cognatio naturalis. *Propter notorietatem facti* impedimentum vocatur publicum vel famosum, si a tot et talibus personis scitur, ut valde probabile sit periculum divulgationis ac probari possit in foro publico. Si impedimentum est notorium in uno loco, non autem in loco, ubi matrimonium celebratur, talis circumstantia declaranda est in petenda dispensatione [1]. Si impedimentum notorium lapsu temporis, e. g. post decem annos, oblivioni est datum, potest considerari ut occultum, nisi tamen sit publicum ex natura sua seu ex iure [2]. — Impedimentum occultum distinguitur vel *omnino occultum,* quod a nemine cognoscitur nisi a partibus et confessario [3], e. g. impotentia, crimen, vel *relative occultum,* quod cognoscitur a paucis et discretis personis, ita ut proximum divulgationis periculum desit. Aliquando etiam distinguitur impedimentum occultum *de facto,* sed *ex iure* publicum; e. g. Titius contrahit matrimonium cum Caia, quae censetur esse filia legitima Pauli; reapse autem nata est ex secreto adulterio matris cum avunculo Titii. Proinde inter Titium et Caiam est consanguinitas in secundo gradu lineae collateralis. Haec consanguinitas de facto est omnino occulta, de iure autem censetur publica. — Demum quidam auctores adhuc distinguunt impedimentum occultum *formaliter* et *materialiter* publicum; e. g. Titius viduus vult contrahere matrimonium cum Caia, quacum adulterium commisit. Hoc factum turpe multi quidem cognoscunt, sed nesciunt exinde oriri impedimentum matrimonii, quod proinde materialiter est publicum, formaliter vero (in quantum est impedimentum) est occultum [4].

e) *Indispensabilia et dispensabilia.*

Priora sunt illa, in quibus Ecclesia dispensare non potest vel saltem non solet, e. g. ligamen, sacerdotium, affinitas in linea recta. Posteriora sunt

---

[1] Cf. *Vogt,* Das kirchl. Eherecht § 28.

[2] Benedicti XIV Instr. 87, n. 41 sqq. optime agit de hac re.

[3] Ita saltem, si agitur de matrimonio contrahendo, quia unus testis sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum; sin autem agitur de matrimonio contracto, impedimentum censetur occultum, etsi unus testis illud cognoscat. Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 216, et S. C. C. d. 29 Ian. 1889.

[4] Cf. *Gennari,* Consultazioni mor. I CXXVII.

illa impedimenta, super quibus Ecclesia dispensare solet, e. g. consanguinitas in secundo et tertio gradu. Impedimenta dispensabilia subdistinguuntur in impedimenta minoris et maioris gradus, secundum diversum modum et facilitatem obtinendae dispensationis. Impedimenta minoris gradus sunt: 1. consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis; 2. affinitas in secundo gradu lineae collateralis; 3. publica honestas in secundo gradu; 4. cognatio spiritualis; 5. crimen ex adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii [1]. Cetera omnia sunt maioris gradus.

f) *Perpetua et temporanea.*

Illa perpetuo durant, usquedum dispensatio obtenta fuerit, e. g. consanguinitas; haec lapsu temporis eo ipso cessant, e. g. defectus aetatis.

g) *Certa et dubia.*

Dubium potest esse vel dubium iuris vel dubium facti. Si de impedimento exsistit dubium iuris mere ecclesiastici, generatim applicari potest axioma: «Impedimentum dubium est impedimentum nullum.» Si agitur de dubio iuris divini aut naturalis aut de dubio facti, in praxi prius petendum est iudicium competentis auctoritatis ecclesiasticae, scil. episcopi aut Sanctae Sedis. Sic e. g. in dubio de exsistentia impedimenti ligaminis matrimonium solet prohiberi; in dubio vero de exsistentia impedimenti impotentiae matrimonium solet permitti.

ARTICULUS II.

De impedimentis prohibentibus.

769 **Praenotamen.** Impedimenta prohibentia matrimonii non eodem modo a diversis auctoribus enumerantur. Alii putant illa esse duo vel quattuor; alii ea esse quinque vel sex; alii demum ea esse undecim. Talis diversitas provenit ex diverso modo sumendi impedimenta. Si sub nomine impedimenti prohibentis intelliguntur omnes graves prohibitiones matrimonii, tunc facile enumerari possent duodecim; etenim tunc ex novo iure accederent tria impedimenta prohibentia, scil. eae condiciones, quae requiruntur ad licitam assistentiam matrimonii [2]. Immo status peccati mortalis esset impedimentum prohibens matrimonii [3], cum in isto statu celebratio matrimonii graviter prohibeatur. Ergo de numero talium impedimentorum non est disputandum [4]. Nos enumeramus quinque impedimenta prohibentia, quae his versiculis continentur:

> Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum;
> Cultusque impediunt mixtus, sed facta valebunt.

In Cod. iur. can. c. 1059 introductum est novum impedimentum prohibens matrimonii, scil. *cognatio legalis,* sed pro illis solis regionibus, ubi lege civili legalis cognatio orta ex adoptione nuptias reddit *illicitas.* Infra n. 840 latius tractabitur de cognatione legali.

---

[1] Cod. iur. can. c. 1042. [2] Cf. supra n. 757 sqq.

[3] *Berardi* (Comm. in ius eccl. III, diss. 4, c. 7, q. 1 [ed. Venet. p. 142 sq.]) acriter reprehendit enumerationem consuetam impedimentorum, sed videtur aërem verberare.

[4] Cod. iur. can. c. 1039, § 2.

§ 1.

Ecclesiae vetitum.

Notio. Vetitum Ecclesiae, prout hic sumitur, est *praeceptum spe-* 770
ciale a competenti superiore datum, quo matrimonium particulare a certis personis celebrandum ex legitima causa sive in perpetuum sive ad tempus prohibetur (aut interdum etiam irritatur). Essentialis differentia inter vetitum Ecclesiae et cetera impedimenta matrimonii consistit in hoc quod alia impedimenta sunt per modum *legis generalis*, vetitum vero Ecclesiae semper habet rationem *praecepti* afficientis *singulare* matrimonium vel saltem singularem personam.

Divisiones. Vetitum Ecclesiae dividitur:

1. in vetitum *Summi Pontificis* aut *episcopi*, prout latum est a Summo Pontifice aut episcopo.

2. in vetitum *perpetuum* aut *temporale*, prout perpetuo aut ad tempus durat.

3. in vetitum *simplicis prohibitionis* aut *cum clausula irritante*, prout matrimonium contrahendum aut simpliciter prohibet aut etiam irritat. In hoc ultimo casu vetitum Ecclesiae est impedimentum non prohibens, sed dirimens. Solus Summus Pontifex (eiusque delegatus) valet apponere talem clausulam irritantem.

4. in vetitum *generale* aut *particulare*, prout matrimonium prohibet cum omni alia persona aut cum aliqua persona particulari.

In sensu latiore omnia quidem matrimonii impedimenta iuris ecclesiastici sunt vetita Ecclesiae, ideoque quidam auctores vetitum Ecclesiae non admittunt ut distinctum impedimentum, vel solummodo mixtam religionem tamquam vetitum Ecclesiae habent, sed quia iam in Decretalibus Gregorii IX est titulus specialis: «De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae»[1], cumque auctores melioris notae vetitum Ecclesiae ut speciale impedimentum habeant[2]; ideo et nos de hoc impedimento hic breviter agimus.

Quando occurrit vetitum Ecclesiae? a) *Summus Pontifex* 771
solet opponere vetitum Ecclesiae alicui matrimonio praecipue in tribus casibus: 1. *in dispensatione perpetui voti publici castitatis.* Solebat enim apponi haec clausula: «Quodsi contrahentium praefatorum alter alteri supervixerit, perpetuo absque spe coniugii maneat.» 2. *in dispensatione matrimonii rati propter impotentiam* solet apponi clausula: «Vetito mulieri (viro) transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.» 3. *in dispensatione super impedimento raptus* solet adici clausula: «Quodsi dictus vir praefatae mulieri supervixerit, absque spe coniugii maneat.»

b) *Ordinarius loci* pro omnibus in suo territorio actu commorantibus et pro suis subditis etiam ubique in tribus quoque casibus vetitum

---

[1] Lib. 4, tit. 16.

[2] *Feije*, De imped. et dispens. matrim. n. 549; *Wernz* l. c. n. 593 sqq.; *Gasparri*, De matrim. I, n. 269; *Aertnys*, Theol. mor. l. 6, n. 539.

Ecclesiae interponere potest[1]: 1. quando matrimonio contrahendo *reclamatio priorum sponsalium* nondum rite dissolutorum obicitur. Tunc enim episcopus tenetur emittere decretum: «Nihil transeat.»[2] 2. quando probabilis adest *suspicio alicuius impedimenti latentis.* 3. quando serio timetur, ne *magna damna praesertim spiritualia* ex hoc matrimonio oritura sint.

c) Pro *foro interno* etiam confessarius aliquod matrimonium prohibere potest, si scil. vergeret in magnum detrimentum spirituale poenitentis.

Obligatio et cessatio. Vetitum Ecclesiae obligat sub gravi, et quidem tam nupturientes quam parochum invitatum ad assistendum matrimonio. Semper autem recursus patet ad superiorem auctoritatem ecclesiasticam, si istud vetitum factum est a potestate inferiore. — Vetitum Ecclesiae cessat per legitimam revocationem superioris ecclesiastici.

§ 2.

Tempus clausum.

772 **Notiones.** *Nomine temporis clausi vel feriati intelligitur tempus, quo prohibentur ex iure communi sollemnitates nuptiarum et ex iure particulari quandoque ipsa celebratio matrimonii, immo vel ipsae proclamationes nuptiales.*

Olim tempus clausum longius durabat, sed Cod. iur. can. c. 1108 statuit: «A dominica Adventus usque ad diem Nativitatis et a feria quarta Cinerum usque ad Pascha inclusive sollemnitates nuptiarum prohibentur.» — Ratio huius prohibitionis est, quia haec tempora sunt sacratiora, operibus orationis et poenitentiae destinata, ac proinde tunc fideles non sunt distrahendi nuptiarum pompis.

Ex iure communi istis temporibus non prohibetur *celebratio ipsius matrimonii,* ideoque matrimonium quolibet anni tempore celebrari potest[3]; solummodo prohibentur sollemnitates nuptiarum. Ex iure autem particulari etiam ipsum matrimonium aliquando interdicitur tempore clauso.

Quid sunt sollemnitates nuptiarum? Rituale Romanum[4] sic docet: «Meminerint parochi . . . [tempore clauso] sollemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.» Ergo tempore clauso tria sunt prohibita: 1. benedictio nuptiarum, quae datur in Missa pro sponso et sponsa et habetur in Missali. Benedictio autem simplex, quae habetur in Rituali, semper permittitur. 2. sollemnis traductio sponsae in domum sponsi cum magna pompa, sicut in quibusdam regionibus fieri solet. 3. magna et opipara convivia nuptialia et choreae. Aliquod modestum convivium nuptiale non est prohibitum tempore clauso. Pariter proclamationes matrimoniales possunt fieri tempore clauso (saltem ex iure communi).

Dispensatio super impedimento temporis clausi quantum ad magna convivia et sollemnem traductionem sponsae non solet concedi,

[1] Quidam auctores enumerant plures casus, e. g. *Aertnys,* Theol. mor. l. 6, n. 539.
[2] Cf. supra n. 741. [3] Cod. iur. can. c. 1108, § 3.
[4] Tit. 7, c. 1, n. 18.

cum nimis pugnet cum temporis sanctitate et vix sine scandalo fidelium fieri possit. Ast monitis sponsis, ut a nimia pompa abstineant, Ordinarius loci potest[1] ex iusta causa concedere licentiam, ut tempore clauso (exceptis diebus dominicis et festis de praecepto et nonnullis Octavis aut feriis privilegiatis) celebretur Missa pro sponso et sponsa cum sollemni benedictione. — Parochus, qui tempore clauso sine praevia licentia legitima Missam pro sponso et sponsa celebrat ac sollemnem benedictionem coniugibus impertit, graviter peccat et puniendus est ab episcopo.

§ 3.

Sponsalia.

773 Sponsalia legitime inita constituunt impedimentum prohibens respectu cuiuslibet alterius matrimonii, nisi sint legitime dissoluta iuxta superius n. 727 sqq. dicta.

Istud impedimentum oritur ex ipso iure naturali, quod dictat standum esse promissioni sponsalitiae semel factae. Quodsi haec promissio libere remissa aut rite condonata vel dispensata est, eo ipso cessat impedimentum prohibens sponsalium. Hodie, abolitis sponsalibus privatis, raro aderit impedimentum prohibens sponsalium.

§ 4.

Votum.

774 Votum, quod constituit impedimentum prohibens matrimonii, non est votum *sollemne* (quippe quod non tantum prohibeat, sed etiam dirimat matrimonium), sed est votum simplex, quod inducit obligationes incompatibiles cum statu matrimoniali.

Quinque sunt huiusmodi vota[2], scil.: 1. votum non nubendi seu coelibatus; 2. votum virginitatis; 3. votum perfectae castitatis; 4. votum amplectendi statum religiosum; 5. votum suscipiendi sacros ordines. Tria priora vota praecipue castitatem, duo posteriora potius virtutem religionis respiciunt. Licet theoretice differat votum non nubendi a voto virginitatis, quia virginitas non solum amittitur usu matrimonii, sed etiam aliis actibus consummatae luxuriae, tamen practice votum virginitatis et votum non nubendi coincidere solent. Aliquando difficulter dignoscere valet confessarius, utrum poenitens emiserit votum virginitatis an votum perfectae castitatis. Tunc poenitens interrogandus est, quid principaliter vovendo intenderit, utrum ut liber ab oneribus matrimonii facilius possit Deo servire, an ut amore puritatis et observantia strictissimae castitatis velit Deo placere. In primo casu adesse videtur votum virginitatis, in altero vero votum perfectae castitatis.

775 **Gravitas obligationis.** Qui ligatus aliquo ex istis quinque votis matrimonium contrahit, valide quidem agit, sed quantum ad peccatum eius sequentia sunt distinguenda:

a) Qui **voto non nubendi** vel etiam virginitatis ligatus matrimonium init, graviter peccat, quia directe laedit magnum votum in gravi materia. Semel

[1] Cod. iur. can. c. 1108, § 2; cf. S. R. C. d. 14 Iunii 1918 (Acta Ap. Sedis X, 332).
[2] Cod. iur. can. c. 1058, § 1.

autem inito matrimonio potest sine novo peccato debitum petere et reddere, quia votum est impossibile. Matrimonio dissoluto per mortem compartis votum reviviscit, si fuerit *absolute* factum. At quidam auctores hanc reviviscentiam probabiliter negant [1]. Qui voto non nubendi ligatus fornicatur aut alia peccata contra castitatem committit, non laedit votum, quippe quod pro obiecto habeat solam matrimonii renuntiationem. — A voto non nubendi dispensare possunt episcopus, confessarius regularis aliique confessarii habentes speciales facultates.

b) Qui ligatus **voto simplici castitatis** matrimonium contraxit, peccat graviter, excepto casu rarissimo, quo quis moraliter certus sit (sive per promissionem fide dignam sive per votum compartis), se numquam aliquid contra castitatem facturum esse. Sic complures theologi docent B. Virginem post emissum votum castitatis matrimonium cum S. Ioseph contraxisse [2]. — Ille, qui hoc voto obstrictus est, *numquam potest debitum coniugale petere,* potest autem illud *reddere,* quotiescumque compars ex iustitia illud exigit. Quando vero compars non habet strictum ius ad debitum, e. g. post adulterium commissum, ille, qui voto ligatus est, non potest debitum reddere, quia votum semper subsistit, nec tunc per observationem voti ius alterius laeditur. Mortua comparte votum reviviscit. — Votum simplex castitatis, de quo hic agitur, est votum emissum vel *privatim* in saeculo vel *publice* in institutis religiosis. Vota tamen simplicia emissa in Societate Iesu constituunt impedimentum dirimens et non tantum prohibens futuri matrimonii. Ita ex Const. «Ascendente Domino» d. 22 Maii 1589 Gregorii XIII. S. Poenitentiaria d. 29 Nov. 1842 respondit etiam votum castitatis, quod forsan aliquis Protestans emiserit cum vera intentione se obligandi, esse votum simplex castitatis et obligare in conscientia, ac proinde constituere impedimentum prohibens matrimonii.

Dispensatio. Quinam valeant dispensare in hoc voto, dictum est supra II n. 423 sqq.

Nota. Olim quando dispensatio super voto perfectae castitatis concedebatur, solebat limitari ad determinatum matrimonium, ita ut hoc matrimonio dissoluto per mortem compartis votum reviviscebat. Praeterea in rescripto dispensationis adderetur: dispensatus «si umquam extra licitum usum matrimonii deliquerit aut matrimonium absque nova dispensatione contraxerit, sciat se contra castitatis votum facere et debitum coniugale exigere non posse». Insuper tenebatur confessarius vel superior dispensans aliquam poenitentiam imponere, quae *quotidie* facienda est, ut ille qui dispensatus est, adimplens eam meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto astringebatur. Iuxta vigentem autem disciplinam Curiae Romanae omnes istae clausulae iam solent omitti ideoque non obligant.

776 c) Qui ligatus **voto ingrediendi religionem** contraxit matrimonium, graviter peccat, cum semper fere sibi reddat impletionem voti impossibilem. Consummato autem semel matrimonio, ille, qui votum emisit, potest licite et reddere et petere debitum coniugale, quia non promisit directe castitatem, sed ingressum in religionem, qui ipsi nunc factus est impossibilis. Dissoluto matrimonio per mortem compartis vel si propter adulterium aut consensum compartis licitum est divortium perpetuum, votum reviviscit, nisi interim rerum circumstantiae sint ita mutatae, ut ingressus in religionem sit moraliter impossibilis. — Ab hoc voto, si agitur de ingredienda

[1] Cf. *Noldin,* De sacr. n. 563. [2] Cf. S. theol. 3, q. 28, a. 4, et q. 29, a. 2.

religione proprie dicta (i. e. cum votis sollemnibus), nemo dispensare potest nisi Summus Pontifex eiusque specialiter delegatus [1]. Sin autem agitur de ingredienda congregatione religiosa cum solis votis simplicibus, episcopi et confessarii regulares dispensationem concedere possunt.

In rescripto dispensationis a S. Sede concessae solebat inveniri haec clausula: «Dispensando commutes in sacramentalem confessionem quolibet mense et in alia poenitentiae opera perpetua, inter quae opera sint aliqua religionis, quam vovit seu ingressus fuerit, quae quotidie facere teneatur, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto astringebatur.» Ergo convenienter poenitenti imponitur e. g. communio recipienda diebus festis, quae principaliter in tali ordine celebrantur, vel visitatio ecclesiarum ordinis etc.

d) Qui ligatus **voto suscipiendi sacros ordines** matrimonium contrahit, graviter peccat, quia sibi impletionem voti moraliter impossibilem reddit. Posset quidem et teneretur consensum compartis petere, ut non obstante matrimonio sacros ordines suscipere valeret; sed compars minime tenetur hunc consensum praestare. Si compars consensum non dederit, ille, qui voto ligatus est, debitum coniugale petere et reddere licite potest, quia castitatem directe non vovit, et impletio voti facta est impossibilis. Recuperata autem libertate (sive per adulterium sive per mortem coniugis) votum reviviscit, nisi dispensatio obtenta fuerit, quae quidem dari potest ab episcopo aut a confessario regulari.

§ 5.

Mixta religio.

Notio. *Impedimentum mixtae religionis exsistit inter nupturientes,* 777
quorum alter est baptizatus in Ecclesia catholica, alter vero est haeresi aut schismati adscriptus [2].

Mixta religio non censetur adesse:

1. inter duas personas, quarum altera non est valide baptizata. Tunc habetur cultus disparitas (de quo infra n. 822 erit sermo).

2. inter duas personas, quarum altera est catholica, altera vero (iam ab infantili aetate) defecit a fide catholica. Sane iste apostata est verus haereticus, et proinde parochus ne assistat tali matrimonio sine consuetis cautelis ab apostata praestitis. Sed nihilominus, antequam iste apostata est adscriptus alicui haeresi, eius matrimonium non censetur mixtum neque indiget dispensatione pontificia. Ita quoque S. Congr. Inquisitionis d. 30 Ian. 1867 statuit: «Quoties agitur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram quae a fide ita defecit, ut alicui falsae religioni vel sectae sese adscripserit, requirendam esse consuetam et necessariam dispensationem cum solitis ac notis praescriptionibus et clausulis.» Aliter est, si altera pars fidem quidem abiecit, at nulli falsae religioni sese adscripsit. Sin autem talis apostata matrimonium contraxit cum parte haeretica, non constat, utrum istud matrimonium sit considerandum ut pure haereticum an ut mixtum, ac proinde in iudicanda validitate talis matrimonii initi sine assistentia parochi recurrendum est in singulis casibus ad S. Officium.

3. Inter fideles observantes diversos ritus, e. g. inter catholicum latini et catholicum rutheni ritus. Pius X Const. «Ea semper» d. 14 Iunii 1907

[1] Cf. supra II, 422. [2] Cod. iur. can. c. 1060.

pro America Septentrionali statuit, quomodo tunc agendum sit et quoad celebrationem matrimonii et quoad educationem infantium [1].

778 **Moralitas matrimonii mixti.** Matrimonium mixtum aliquando prohibitum est *iure ipso naturali et divino* [2], quando scil. a) oritur pro parte catholica proximum periculum perversionis et praesertim amittendae fidei; b) proles nascitura non educabitur in fide catholica, vel etiam si eius educatio negligetur; c) adest communicatio in sacris cum haereticis sine urgenti causa facta. Pars enim catholica administrat haeretico sacramentum matrimonii, quod sane non licet sine urgenti ratione [3]. Unde Gregorius XVI in epistula ad archiepiscopum Friburgensem die 23 Maii 1846 declaravit: «Compertum exploratumque est catholicos (seu viros seu mulieres), qui mixtis nuptiis temere contrahendis se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum iniciunt, contra naturalem divinamque legem peccare.» Ex quibus patet, neminem (nec *Summum Pontificem)* posse dispensare, ut catholicus matrimonium mixtum contrahat licite, nisi omne proximum periculum perversionis tam pro ipso contrahente quam pro prole nascitura vitetur [4]. Sin autem tale periculum sit eliminatum, tunc matrimonium mixtum potest esse licitum, accedente dispensatione Ecclesiae. Unde illi auctores, qui docent matrimonium mixtum esse semper graviter illicitum et solummodo tolerari ab Ecclesia, sicuti etiam Ecclesia coacte tolerat alia mala, severius quam par est loquuntur.

779 **Munus parochi et confessarii quoad matrimonia mixta vitanda.**

Totis viribus, hortationibus, suasionibus necnon increpationibus sacerdotes conari debent, ne matrimonia mixta ineantur. Omnes fideles cognoscere debent, «quid ipsa catholica Ecclesia de huiusmodi catholicos inter et acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit cum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem». Ita Instructio Antonelliana [5], quae a S. Officio d. 24 Nov. 1899 iterum inculcata est. Simili modo loquuntur Leo XIII in Encyclica «Arcanum», complura Concilia particularia, praesertim Americae Latinae, et Codex iur. can. c. 1064. — Ad praecavenda matrimonia

---

[1] Analecta eccl. XV (1907) 431. [2] Cod. iur. can. c. 1060.

[3] Optime dicit Leo XIII (Const. «Arcanum» d. 10 Febr. 1880) de matrimoniis mixtis: «Animos de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros quoad cetera concordes. Quin immo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant».

[4] Saeculo XVIII et ineunte saeculo XIX prava praxis a quibusdam episcopis permissa est, ut in matrimoniis mixtis pueri in religione patris, puellae vero in religione matris educarentur. Sed Summi Pontifices Benedictus XIV, Pius VI, Pius VIII, Gregorius XVI strenue sese opposuerunt huic praxi tam graviter pugnanti cum iure divino.

[5] In hac Instructione Antonelliana d. 15 Nov. 1858 (Analecta eccl. IX [1901] 16 sq.) habetur tota disciplina hodierna de matrimoniis mixtis.

mixta valde conducit, ut omnes parochi et confessarii cuiusque regionis vel dioecesis *unitis viribus et uniformiter* collaborent ac praesertim sequentia remedia adhibeant: a) in catechesi et in praedicatione identidem fideles instruant de malis provenientibus ex matrimoniis mixtis; b) in confessionali fideles prudenter aeque ac strenue deterreant a matrimoniis mixtis et absolutionem sacramentalem denegent iis, qui obstinate volunt matrimonium mixtum inire sine cautelis praescriptis; c) «post celebratas mixtas nuptias parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi, ut promissae a coniugibus condiciones observentur et effectum sortiantur.» [1]

780 **Dispensatio** ad matrimonium mixtum contrahendum pertinet ad solam S. Sedem [2] sc. ad S. Officium. Unde iam nullam probabilitatem habet sententia quorundam veterum moralistarum putantium episcopum posse dispensare propria auctoritate in impedimento mixtae religionis. Ex delegatione autem S. Sedis quamplurimi episcopi potuerunt dispensare in matrimoniis mixtis celebrandis. Sed huiusmodi delegationes generales non iam valent, nisi sint renovatae post diem 18 Maii 1918. Nihilominus non solum urgente mortis periculo, sed etiam quando matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri nequit usquedum a S. Sede dispensatio obtinetur, Ordinarius loci potest in hoc impedimento dispensare. Immo si nec loci Ordinarius adiri potest, eadem facultate pollet tam parochus quam confessarius. Sed hic pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis tantum [3].

781 **Condiciones requisitae pro dispensatione** impedimenti mixtae religionis sunt sequentes:

1. *iustae gravesque causae.*

E. g. grave periculum apostasiae partis catholicae, si dispensatio negatur; timor, ne secus solum matrimonium civile ineatur vel tantum coram ministro acatholico; fundata spes conversionis partis acatholicae;

2. *cautiones* serio, explicite et fide digna promissione praestitae, scil.:

a) ut universa proles utriusque sexus in sancta religione catholica baptizetur et educetur.

Haec condicio valet pro omni prole non solum ex isto matrimonio nascitura, sed etiam *ab ipsis contrahentibus ante* matrimonium illegitime genita. Praeterea cum parochus tum pars catholica prudenter curare debent, ut proles forte ex altero sponso in praecedenti connubio nata ab haeresi abducatur et catholice educetur. Nam quando alter sponsus prolem ex alio connubio progenitam in haeresi obstinate educare vult, saepe inducitur vehemens timor, ne ipse in novo matrimonio non sit adimpleturus condiciones praescriptas. Quapropter tunc dispensatio valde caute petenda et exsecutioni mandanda est.

b) ut excludatur a parte catholica quodlibet proximum periculum perversionis illique prorsus liberum sit exercitium suae religionis.

Istae cautiones regulariter dandae sunt *scripto* [4]. Insuper exigitur, ut volentes inire matrimonium mixtum neque ante neque post matri-

[1] Ita S. C. de Prop. Fide d. 25 Iunii 1884 (Collect. de Prop. Fide n. 1621).
[2] S. C. Inquis. d. 3 Ian. 1871.
[3] Cod. iur. can. c. 1043—1045. [4] Ib. c. 1061.

monium se sistant coram ministro acatholico. Coniux catholicus tenetur prudenter curare conversionem coniugis acatholici[1].

782 **Ritus in contractu matrimonii mixti observandus.** Ex iure communi parochus non potest concedere (nec valide nec licite) sic dictam assistentiam passivam in matrimoniis mixtis, si cautiones non sunt exhibitae[2]; sed etiamsi istae cautiones sunt exhibitae, nequit adhibere ritum sacrum, sed debet absque habitu sacro extra ecclesiam recipere coram duobus testibus consensum maritalem nupturientium. Iure autem particulari non raro permittuntur proclamationes et caeremoniae omnes contentae in Rituali, «*exclusa tamen semper Missae celebratione*»[3]. Numquam igitur Missa votiva pro sponso et sponsa aut alia Missa cum benedictione nuptiali dici potest in celebratione matrimonii mixti. Non autem prohibetur, ne contrahentes curent celebrari Missam privatam die celebrationis matrimonii atque huic Missae assistant sicuti ceteri fideles.

783 **Matrimonium mixtum clandestine contractum.**

S. Officium d. 23 Aug. 1877 respondit ad quaesitum: «Utrum in contractis matrimoniis cum haereticis pastores animarum partem poenitentem, dummodo seclusum sit scandalum, tuta conscientia ad receptionem sacramentorum admittere valeant? — Quoad *matrimonia valida* ad sacramenta percipienda posse admitti sine praevia renovatione consensus, sed ab eisdem recipiendis esse arcendos, donec vera dederint resipiscentiae signa et promiserint se curaturos totis viribus tam conversionem partis haereticae quam educationem in religione catholica prolis universae natae et forsan nasciturae, et tandem donec obtinuerint absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutaribus casu quo contraxerint coram ministro haeretico. — Quoad vero *matrimonia invalida,* cum sit nullum eorum matrimonium, v. g. vitio clandestinitatis, non esse admittendos ad receptionem sacramentorum, nisi prius promiserint post impetratam dispensationem super impedimento mixtae religionis se fideliter exsecuturos esse eas omnes condiciones, quae exiguntur in praelata dispensatione, et dein, nisi consensum renovaverint coram catholico parocho et duobus testibus, et tandem, nisi obtinuerint prius absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutaribus casu quo matrimonium attentaverint coram ministro acatholico.» — Ex hac responsione S. Officii et etiam ex aliis, praesertim d. 29 Aug. 1888 et 11 Maii 1892, sequuntur tria:

1. Qui *valide* contraxerunt matrimonia mixta clandestina[4], non possunt absolutionem sacramentalem recipere, nisi promiserint se totis viribus curaturos esse universae prolis educationem catholicam.

Unde *maritus* catholicus numquam potest recipere absolutionem sacramentalem, nisi serio promittat, universam prolem *nascituram* educatum iri in religione catholica. Quoad prolem *iam natam* et nondum ad pubertatem

---

[1] Cod. iur. can. c. 1062. [2] Cf. supra n. 753.

[3] Cod. iur. can. c. 1102, § 2; c. 1109, § 3.

[4] Matrimonia mixta clandestina fuerunt valida ante Decretum «Ne temere» in omnibus regionibus, ubi viguit Declaratio Benedicti XIV vel simile Indultum; nunc autem ubique terrarum sunt invalida.

provectam, pater item omnino tenetur procurare educationem catholicam. Ratio est, quia iuxta iura civilia in patris absoluta potestate sita est educatio prolis, saltem usque ad pubertatem, quidquid antea stipulatum est. Ergo pater potest ac proinde debet procurare educationem universae prolis in religione catholica, licet inde quaedam incommoda materialia illi oriantur. Quodsi autem proles iam non est subdita paternae potestati, pater saltem instantissime hortari debet, ut proles libere acceptet fidem catholicam. — *Uxor* autem, quae matrimonium mixtum validum contraxit, tenetur quidem totis viribus procurare educationem universae prolis in religione catholica, attamen quia sub potestate viri est, qui forte nullo modo consentit in hanc educationem catholicam, potest sacramentaliter absolvi, licet propter contradictionem mariti proles reapse non educetur in religione catholica. Ratio est, quia nemo ad impossibile tenetur. Per se patet, scandalum datum a muliere esse pro viribus reparandum.

2. Qui *invalide* contraxerunt matrimonium mixtum clandestinum, non possunt sacramentaliter absolvi, nisi prius matrimonium sit convalidatum.

Patet, quia concubinarii sunt indigni absolutione sacramentali, saltem si non sunt in bona fide. Haec autem bona fides vix umquam supponi potest. Convalidatio matrimonii mixti invalidi diversimode facienda est: a) Si coniuges parati sunt praestare cautiones consuetas supra enarratas, nihil aliud requiritur, nisi ut obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis (et aliis impedimentis forsan exsistentibus) matrimonium celebretur iuxta legem ecclesiasticam, i. e. coram parocho et duobus testibus. b) Sin autem *neuter* coniugum vult praestare cautiones necessarias, matrimonium ordinarie non potest convalidari, quia hoc esset cooperari ad aliquid intrinsecus malum. c) Si saltem *pars catholica* promittit sincere totis viribus curare et exercitium verae religionis et educationem prolis, in quantum hoc est possibile, episcopus potest concedere ex potestate delegata, ut matrimonium convalidetur, si secus gravissima incommoda orirentur[1].

3. Qui sive valide sive invalide contraxerunt matrimonium mixtum *coram ministro acatholico*[2], semper incurrunt censuram, i. e. excommunicationem Ordinario reservatam[3]. Quae quidem excommunicatio censetur incursa in *foro externo*, quia matrimonium mixtum est factum publicum, quod facile in foro externo probari potest. Proinde etiam in foro externo absolutio petenda et recipienda est[4], nisi tamen in aliqua dioecesi indultum exsistat absolutionem concedendi in solo foro interno.

---

[1] Cf. *Feije*, De imped. et dispens. matrim. n. 573; *Vogt*, Das kirchl. Eherecht § 36, n. 10.

[2] Cod. iur. can. c. 2319. Requiritur, ut minister acatholicus assistat matrimonio tamquam *sacris addictus*; unde excommunicatio non incurritur, si assistat tamquam *officialis gubernii civilis*.

[3] Si illi tamen usque ad d. 11 Maii 1892 nulla praevia a censuris absolutione ab huiusmodi culpa absoluti sunt, videntur non esse amplius inquietandi.

[4] Sic e. g. in archidioecesi Coloniensi praescribitur, ut pars catholica ante absolutionem a censuris obtinendam documento coram parocho et duobus testibus subscribendo sese commissa sincere dolere et pro viribus reparaturum esse expressis verbis declaret (cf. *Vogt* l. c. n. 6).

Cum in foro interno nulla censura incurratur, nisi peccans habuerit *cognitionem censurae,* poenitens, qui ignoravit, excommunicatione puniri contrahentes matrimonium coram ministro acatholico, non indiget in foro interno absolutione a censura [1].

Nota. Pars catholica, quae non solum matrimonium contraxit coram ministro acatholico, sed etiam consensit *in acatholicam educationem prolis,* incurrit duplicem excommunicationem. Proinde in petitione facultatis absolvendi utrumque factum est enuntiandum [2]. Si talis pars catholica mortua est sine signis resipiscentiae, e. g. apoplexia subito tacta, non potest donari sepultura ecclesiastica et exequiis [3].

784 **Scholion. De matrimonio publici peccatoris.** Propter gravia damna secutura fideles absterreantur a matrimonio cum publicis peccatoribus, e. g. cum iis, qui notorie catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierunt; cum iis, qui notorie adscripti sunt societatibus ab Ecclesia damnatis; cum iis, qui notorie sunt innodati censura nec volunt cum Ecclesia reconciliari. Parochus praedictis nuptiis ne assistat, *nisi consulto Ordinario,* qui, inspectis omnibus adiunctis, ei permittere poterit, ut matrimonio intersit, dummodo a) adsit gravis causa; b) removeatur periculum perversionis alterius coniugis; c) satis cautum sit catholicae educationi universae prolis [4].

ARTICULUS III.

De matrimonii impedimentis dirimentibus.

785 **Notiones generales.** Impedimentum dirimens inhabiles reddit nupturientes, ut nec licite nec valide contractum matrimonialem inire valeant. Quare tale impedimentum afficit directe contractum et indirecte sacramentum matrimonii. Ecclesia apponendo contra validitatem quaedam impedimenta dirimentia, non mutat materiam et formam sacramenti matrimonii, sed efficit tantum, ut contrahentes sub quibusdam condicionibus nequeant validum consensum praestare. Sicut enim gubernium civile pro bono publico statuere potest, ut cives sub quibusdam condicionibus sint prorsus inhabiles ad contractus quosdam perficiendos (e. g. ut minorennes nequeant perficere contractum emptionis et venditionis, ut testamenta informia sint invalida), sic a fortiori Ecclesia pro bono spirituali fidelium et pro bono totius societatis christianae potest determinare, ut matrimonium sit invalidum, nisi sub statutis condicionibus ineatur. — In Ecclesia hanc potestatem apponendi impedimenta dirimentia exercet solus Summus Pontifex aut Concilium oecumenicum.

Omnia impedimenta dirimentia habent imprimis characterem *inhabilitatis;* ratio autem *poenae,* quae in aliquibus invenitur, est prorsus

[1] Cf. *Leitner* l. c.; *Wernz* l. c. n. 588, nota 42 in fine; *Hollweck,* Die kirchl. Strafgesetze § 34, nota 1 et 3.

[2] Cod. iur. can. c. 2319; cf. supra n. 522.

[3] Ita S. Offic. d. 8 Maii 1907 (Anal. eccl. XVI [1908] 487).

[4] Cod. iur. can. c. 1065 et 1066. Quamvis Codex in c. 1066 non expresse requirat duas posteriores condiciones enumeratas, tamen eae ab ipso iure divino-naturali exiguntur.

secundaria, ac proinde ignorantia numquam excusat ab impedimento matrimoniali. Unde S. Officium ait: «Animadvertendum est etiam quoad impedimenta dirimentia ignorantiam invincibilem aut bonam fidem non sufficere, ut valide contrahatur matrimonium. Etsi quandoque illa ignorantia et bona fides excusare valeat *a peccato*, tamen numquam efficere potest matrimonium validum, quod obice dirimente fuit irritum.»[1]

Finis, propter quem Ecclesia impedimenta dirimentia instituit, est a) bonum publicum, b) bonum contrahentium, c) bonum religionis et sacramenti. — Tanta sapientia ordinata sunt impedimenta iuris ecclesiastici, ut non raro ipsa gubernia civilia illa adoptaverint etiam in matrimoniis civilibus.

Numerus. Auctores non concordant in numero impedimentorum dirimentium. Satis communiter tamen enumerantur quindecim sequentibus versiculis memorialibus expressa:

Error, condicio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Omnia haec impedimenta diverso modo componuntur a diversis auctoribus in categorias[2]; convenienter tamen possunt in duas categorias distingui, scil. a) in impedimenta, quae *consensum* maritalem impediunt, scil. error, condicio, aetas, vis et metus, raptus; et b) in ea, quae *habilitatem* contrahentium afficiunt, scil. vel *absolute* respectu omnium contrahentium: impotentia, ligamen, votum, ordo, clandestinitas; vel *relative* ad determinatas personas, ut cognatio, affinitas, honestas, cultus disparitas, crimen. — De impedimento clandestinitatis non est cur loquamur, quoniam supra sufficienter dictum est de forma externa matrimonii celebrandi.

§ 1.

Error et condicio servilis.

Notiones. Error et condicio servilis a modernis auctoribus ut 786
duo impedimenta distincta enumerantur; revera autem non sunt nisi unum impedimentum habens *duplex obiectum materiale*. Etenim error potest versari circa ipsam personam compartis aut qualitatem redundantem in personam, et tunc habetur impedimentum erroris simpliciter dicti; aut error versatur circa *condicionem servilem compartis*, et tunc habetur impedimentum condicionis servilis. Quae cum ita sint, insimul tractamus de impedimento erroris et condicionis servilis.

Error est falsum iudicium, quo voluntas movetur. Error distinguitur quidem ab ignorantia, quae est carentia scientiae in subiecto capaci; «tamen quantum ad hoc, quod est impedire voluntarium, non differt,

[1] Die 9 Dec. 1874 et pluries (Collect. de Prop. Fide n. 1427, p. 86).

[2] S. Thomas dat valde pulchram divisionem omnium impedimentorum Suppl. q. 50, art. unic.

utrum dicatur ignorantia vel error, ... unde si est ibi ignorantia, oportet ibi esse errorem. Et ideo etiam ponitur error quasi causa *proxima*»[1].

787 **Divisiones.** Error, qui in consensu matrimoniali accidere potest, multipliciter solet dividi:

1. Error *vincibilis et invincibilis.*

Primus facile, secundus difficulter vel nullo modo vinci seu expelli potest.

2. Error *theoreticus et practicus.*

Primus, qui et concomitans seu incidens vocatur, est quidem falsum iudicium de natura matrimonii, sed non ita influit in voluntatem contrahentis, ut si detectus fuisset, matrimonium impedisset. Tali errore laborare solent e. g. Protestantes, qui putant matrimonium neque esse sacramentum neque esse indissolubile, sed qui volunt nihilominus contrahere verum matrimonium, sicut ceteri boni christiani faciunt. — Secundus, qui et antecedens audit, dat causam contractui matrimoniali, et si ante matrimonium detectus fuisset, contractum prorsus evitasset.

3. Error *iuris* et error *facti.*

Primus versatur circa ipsam naturam matrimonii et obligationes ex hac natura fluentes; vel potest etiam dici: error iuris versatur circa tria bona matrimonii, e. g. circa bonum prolis, quando alteruter contrahens firmiter putat et vult vitare generationem prolis; aut circa bonum fidei, quando alteruter contrahens firmiter putat et intendit frui sic dicto «amore libero»; aut circa bonum sacramenti, quando matrimonium contrahitur sub expressa intentione divortii. — Secundus error versatur circa aliquod factum aut essentiale aut accidentale. *Factum essentiale* est iterum duplex: *ipsa persona* compartis et *qualitas* istius personae, *quae redundat in ipsam personam.* Exemplum erroris essentialis in persona compartis habetur in matrimonio Iacob cum Lia[2]. Iacob enim voluit contrahere matrimonium cum Rachel, pro qua a Laban supposita fuit Lia. Qualitas redundans in ipsam personam illa censetur, quae uni soli personae individuae convenit, e. g. aliquis expresse intendit contrahere cum primogenita filia alicuius comitis, et loco filiae primogenitae illi traditur secundogenita. Haec distinctio qualitatis redundantis in personam expressis verbis primo affertur a S. Thoma[3]. — *Factum accidentale* vel error accidentalis est circa aliquam qualitatem compartis, quae forsan est maximi momenti, sed tamen pluribus convenire potest, e. g. nobilitas, virginitas, divitiae etc.

4. Error *substantialis et accidentalis.*

Primus versatur vel circa obligationes essentiales matrimonii (error iuris) vel circa ipsam personam compartis aut qualitatem redundantem in personam, et est semper error practicus. Secundus est vel mere theoreticus vel versatur circa qualitates accidentales compartis. — Haec distinctio est in praesenti materia magni momenti.

788 **Principium 1.** *Ex ipso iure naturali solus error substantialis dirimit matrimonium.*

Ratio est, quia error substantialis tollit consensum et proinde ipsum matrimonium, quod ex solo consensu contrahentium causatur, ut supra pro-

---

[1] *S. Thomas,* Suppl. q. 51, a. 1 ad 1. [2] Cf. Gn 29, 24.
[3] Suppl. q. 51, a. 2 ad 5.

batum est. Ad rem scribit S. Thomas[1]: «Quidquid impedit causam, de sui natura impedit et effectum similiter. Consensus autem est causa matrimonii, et ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus, qui praesupponit actum intellectus. Deficiente autem primo, necesse est defectum contingere in secundo. Et ideo quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus: et per consequens in matrimonio. Et sic error de iure naturali habet, quod evacuet matrimonium.» [2]

Error substantialis potest versari circa tria obiecta:

a) *Circa tria bona matrimonii.* Huiusmodi error (qui est *error iuris*) tunc solummodo dirimit matrimonium, si est vere *antecedens* et *practicus*, non autem si est mere *concomitans et theoreticus.* 789

Hinc si virgo contrahens matrimonium nihil scit de actu coniugali, nondum matrimonium est invalidum, nisi tamen cognita rei veritate statim declaret, se numquam consensuram esse in hunc actum. Ratio est, quia talis virgo censetur contraxisse matrimonium, sicut ceterae mulieres solent facere, ac proinde iste error habetur ut concomitans seu incidens tantum. Quapropter in praxi nihil remanet faciendum, nisi ut virgo nunc consentiat in actum coniugalem, vel ut petat dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Haec doctrina, quam communissime tenent canonistae et theologi[3], confirmatur ex praxi S. Congr. Concilii. Sic e. g. sequens casus solutus est: Antonius 25 annos natus in matrimonium duxit Rosam 19 annos natam prorsus ignaram officii matrimonialis. Rosa obstinate denegat viro debitum coniugale per tres annos, dicens se numquam contracturam fuisse matrimonium, si scivisset se obligari ad rem ita foedam. S. Congregatio Concilii d. 18 Dec. 1869 respondit ad quaesitum: «An sit consulendum Smo. pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu? — Affirmative, vetito mulieri transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.» In aliis similibus casibus S. Congregatio noluit matrimonium dissolvere[4]. Advertas, matrimonium non esse declaratum nullum, sed dispensatum. Idem valet de matrimonio Protestantium, quod censetur validum, etiamsi contrahentes putant divortium quoad vinculum esse licitum. Hinc statuit Codex iur. can. c. 1084: «Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.» [5]

---

[1] Suppl. q. 51, a. 1.

[2] *Freisen* (Gesch. d. kan. Eherechtes 302 sqq.) adoptans divisionem erroris in proprium et improprium *(echter und unechter Irrtum)*, prius a Savigny introductam, non admittit errorem etiam in persona dirimere ex iure naturae matrimonium, sed solummodo ex iure ecclesiastico. Haec sententia singularis merito reicitur communissime.

[3] *Gasparri*, De matr. II, n. 791; *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 228; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II 934; *Leitner*, Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 106.

[4] Cf. S. C. C. d. 15 Martii 1856.

[5] «An sit validum matrimonium contractum inter catholicum et haereticum cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium? — Si ista sint deducta *in pactum*, seu cum ista condicione sint contracta, matrimonia sunt nulla; sin aliter, sunt valida.» Ita S. Offic. d. 2 Oct. 1680. Ratio est, quia isti coniuges utpote Christi doctrinam de matrimonio cognoscentes, principaliter intendisse verum matrimonium christianum praesumuntur. Aliter res se habet, si agitur de matrimoniis infidelium, ut patet ex responso S. Officii d. 19 Maii 1892: «Mos est Indianis huius regionis [Sioux-Falls] contrahendi matrimonia, uxorum

b) *Circa ipsam personam compartis.*

Ad essentiam enim matrimonii spectat contractus inter certas et prorsus determinatas personas. Talis error personae in nostris regionibus vix oriri potest, cum nupturientes ante matrimonium perfectam notitiam mutuam habeant. Aliter est apud Mohametanos aliosque paganos, qui aliquando sponsam emunt, quam antea numquam viderunt, vel si matrimonium contrahitur per procuratorem.

790 c) *Circa qualitatem redundantem in personam.*

In *foro externo* huiusmodi error numquam agnoscitur ut impedimentum dirimens matrimonii, nisi qualitas ista sit *expresse stipulata,* et quidem ut *condicio sine qua non.* Unde applicanda sunt ea, quae supra n. 661 sqq. dicta sunt de matrimonio condicionato. Sane theoretice loquendo quilibet error antecedens dans causam contractui matrimoniali destruit verum consensum ac proinde etiam ipsum matrimonium, sed Ecclesia talem errorem non agnoscit, nisi in foro externo clare probetur; quod vix fieri potest, nisi qualitas, de qua agitur, fuerit expresse in pactum deducta. In foro autem interno res aliter est, quia verus consensus deest. Si quis igitur errore antecedente ductus matrimonium contraxit, debet aut consensum verum praestare aut abstinere ab opere coniugali. — En casus practicus erroris circa qualitatem, quae redundat in personam: «Familia comitis A. statutis utitur domesticis, quibus cautum est, ut comes hereditarius uxorem sibi asciscat aequalis condicionis. Comes itaque A. hac aperta intentione uxorem sibi quaerit. Audit tandem praenobilem Florentiae exsistere comitis B. familiam et comitem B. habere unicam filiam. Hinc comes A. litteras, quibus eandem filiam sibi uxorem petit, Florentiam mittit. Attamen mulier cubicularis eiusdem filiae, litteris fraudulenter suppressis, ad comitem A. scribit, et responso accepto, in Germaniam proficiscitur. Sub falso comitissae B. nomine cum comite A. matrimonium contrahit. Consummato iam matrimonio, fraudem aperit. Quaeritur, an illud matrimonium irritum sit ob errorem qualitatis in personam redundantis? Respondemus dubium non esse, quin in hoc casu error qualitatis in personam redundet.» [1] — Econtra in sequenti casu S. Congr. Concilii noluit agnoscere errorem redundantem in personam: Cassandra putans Vincentium esse divitem et nobilem, nupsit illi, postquam confirmata fuit in suo errore, quia Vincentius vaferrime ficticium nomen assumpsit. Errore detecto Cassandra petit dissolutionem matrimonii propter impedimentum erroris, sed S. Congr. Concilii d. 27 Maii 1820 recusavit. Ratio videtur esse, quia maximus quidem fuit error qualitatis, sed haec qualitas expresse non fuit stipulata [2].

---

suarum indolem ac qualitates tentandi gratia, nempe utrum bonae sint ac prudentes necne, et animo dimittendi, si fatuae ac improbae. Hinc quaeritur: Potestne ipsis fides adhiberi, si iureiurando affirmant se numquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus matrimonium contraxisse; eisque permitti, ut sibi iungant secundum leges s. Matris Ecclesiae eam quam nunc habent? — Affirmative, si agatur *de infidelibus,* post institutum diligens examen omnium adiunctorum circa ipsorum credibilitatem, et nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate. Negative, si agatur *de fidelibus,* sed requiritur legitima probatio» (Collect. de Prop. Fide n. 221 et 1796).

[1] Cf. *Gasparri,* De matr. II, n. 787.

[2] Plures alios casus, ubi S. C. C. noluit agnoscere errorem redundantem in personam, adducit *Gasparri* l. c. n. 790.

Principium 2. *Ex iure ecclesiastico error condicionis servilis est impedimentum dirimens matrimonii*[1]. 791

Condicio servilis seu servitus habet tres gradus: Primus, quando servus consideratur ut *pura res,* cuius herus habet perfectissimum dominium et quam proinde etiam destruere potest. Talis servitus est contra ius naturale et solummodo exstitit aliquando in paganismo, ubi herus potuit servos suos etiam occidere. Secundus, quando servus per totam vitam suam debet hero servire, quin aliquid aliud retributionis recipiat nisi victum et vestitum; sed herus nullam auctoritatem habet in vitam servi, quem etiam tenetur humano modo tractare. Talis servitus exsistebat etiam apud christianos, et est adhuc servitus proprie dicta. Hic agitur de servitute *in utroque gradu.* Tertius gradus est, quando homo tenetur quidem hero praestare nonnulla servitia, sed in aliis rebus est prorsus liber. — Tunc solummodo impedimentum condicionis servilis adest, quando ingenuus seu liber ducit in matrimonium compartem, quam falso putat esse liberam et non servam. Non est igitur irritum matrimonium, a) quod contrahitur inter duos servos, b) si liber *scienter* in matrimonium ducit servam, c) quando servus ducit in matrimonium servam, quam falso putat esse liberam[2]. — Impedimentum servitutis convenienter ab Ecclesia introductum est, quia compars servitute restricta non potest neque libere reddere debitum coniugale, neque prolem natam congrue educare; semper enim remanet sub dominio heri, qui onera imponere valet incompossibilia cum obligationibus coniugalibus[3]. Cum autem ex solo iure ecclesiastico servitus ignorata impedimentum sit matrimonii, non obligat *paganos.* Quoniam autem hodiernis temporibus fere ubique in orbe christiano servitus sit abolita, hoc impedimentum vix amplius potest occurrere. Unde haec breviter dicta sufficiant. Qui cupit plura, adeat S. Thomam, qui in tota quaestione 52 Supplementi hanc materiam tractat.

Dispensatio impedimenti *erroris substantialis,* cum sit impedimentum iuris naturalis, non potest concedi a Summo Pontifice. Matrimonium igitur nullum propter impedimentum erroris substantialis non potest convalidari nisi per partis errantis consensum expressum vel interpretativum (e. g. per copulam maritalem). Quodsi error fuit *publice notus,* convalidatio debet fieri coram parocho et duobus testibus iuxta formam legalem, nisi tamen Summus Pontifex aliam praestationem consensus permiserit. Cf. infra n. 884 sqq. de convalidatione matrimonii ob defectum consensus. 792

§ 2.

Defectus aetatis.

Notio. *Impedimentum aetatis est defectus legitimae aetatis.* Statuit enim Cod. iur. can. c. 1067: «Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum annum item completum matrimonium valide inire non possunt.» 793

---

[1] Ita iam statuit Innocentius III c. 4 X 4, 9; quod confirmavit Cod. iur. can. c. 1083, § 2, n. 2: «Error circa qualitatem personae reddit matrimonium invalidum, si persona libera matrimonium contrahat cum persona, quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.» [2] Cod. iur. can. l. c. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 1918.

[3] *S. Thomas,* Suppl. q. 52, a. 1.

In locis calidis, ubi pubertas in utroque sexu maturius solet accedere ideoque matrimonium quoque maturius celebrari, obtinetur dispensatio ab hoc impedimento pro illis, qui iam sunt puberes. Generatim autem curent animarum pastores avertere iuvenes, ne matrimonium ineant ante aetatem, qua secundum regionis receptos mores matrimonium iniri solet.

Impedimentum defectus aetatis iam exsistebat a saeculis, sed eius ambitus extensus est a Codice iur. can. in loco citato. Vetus igitur disciplina abrogata est.

Hoc impedimentum aetatis, utpote iuris mere ecclesiastici, non obligat non-baptizatos, qui proinde inter se validum matrimonium contrahere possunt etiam ante adeptam aetatem 16 vel 14 annorum, dummodo habeant sufficientem usum rationis ceteraque a iure naturali requisita.

Nota. Si matrimonium invalide contractum fuit propter impedimentum aetatis deficientis, non convalescit eo ipso post adeptam pubertatem, sed requiritur *renovatio consensus, et quidem coram parocho et duobus testibus* iuxta normas legales. Defectus aetatis enim est impedimentum *iuris publici*.

§ 3.

Vis et metus.

794 **Notiones.** Vis definiri potest: «*maioris rei impetus (exterior), qui repelli non potest*», vel etiam: «motio, cuius principium est extra, in contrarium nitente eo, qui vim patitur»[1]. Metus autem definitur: «*mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa*».

Si vis vel metus tam gravis est, ut usus rationis perturbetur, per se patet, tunc matrimonium sic initum esse invalidum ex ipso iure naturali, cum prorsus desit consensus, qui est causa essentialis matrimonii. — Vis in stricto sensu sumpta est aliquid physicum, quod consensum penitus tollit ac proinde etiam matrimonium annullat. Ita pariter ex iure naturali.

Diversae divisiones metus iam supra I, n. 68 datae sunt. Instructio S. Officii d. 20 Iunii 1883 n. 35 sq. has normas indicat ad discernendam gravitatem metus: «Gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur.» Hinc facilius erit metus gravis, a) si superior metum iniciens sit proclivis ad iracundiam et violentiam, ac ita duro et obstinato animo, ut a nemine sibi contradici patiatur; b) si persona metum passa sit timida, ac totaliter dependeat ab arbitrio superioris etc.

Metus reverentialis per se censetur levis, nisi tamen sit *qualificatus*, i. e. nisi illi adiunguntur a superiore verbera, minae vel preces importunae aut iniustae[2].

---

[1] L. 1, 2, Dig. IV, 2.

[2] Cf. Act. Ap. Sed. IV (1912) 647 671 709.

Principium. *Metus est impedimentum dirimens matrimonii, si* 795
est a) *gravis (absolute vel relative),* b) *iniuste incussus a causa libera extrinseca,* c) *consultus, i. e. in ordine ad matrimonium extorquendum iniectus, et perseverans tempore celebrationis matrimonii.* Ita ex iure ecclesiastico[1] et probabilius etiam ex iure naturali.

Explicatur. Quid sit metus gravis, iniustus, ab extrinseco incussus, iam I, n. 68 dictum est. Metus consultus vel incussus in ordine ad consensum matrimonialem extorquendum tunc adest, quando metus eo praeciso fine incitur, ut matrimonium contrahatur cum determinata persona, vel saltem cum persona eligenda. Haec condicio videtur esse omnino necessaria pro existentia impedimenti; nam si metus incussus est ob aliam rationem, e. g. ad pecuniam habendam, ad libidinem satiandam etc., et postea matrimonium per accidens sequitur, impedimentum non adest. Ita sententia longe communior, verior et decisionibus S. Congregationis conformior[2].

Solutiones sequentes magis explanant propositum principium de metu iniusto:

a) Homo concubinarius in periculo mortis versans, e. g. propter gravem aegritudinem, propter naufragium imminens etc., matrimonium cum concubina contrahit, quia graviter timet gehennam post mortem. — Matrimonium est validum, quia metus gravis est incussus a *causa intrinseca.*

b) Pater invenit cum filia iuvenem turpiter agentem, cui minatur accusationem in tribunali, nisi eam in matrimonium ducat. — Matrimonium est validum, quia metus est quidem incussus a causa extrinseca, sed *iuste.* Pater enim habet ius accusandi in istis circumstantiis. Aliter res se habet, si pater minetur mortem iuveni stupratori; nam nemo privatus homo potest (nisi ex legitima defensione) iuste minari aut inferre alteri mortem. In isto casu matrimonium est nullum.

c) Petrus maximis debitis apud divitem Iudaeum contractis premitur. Iudaeus reclamat pecuniam mutuo datam. Petrus non videns alium exitum ex angustiis, tandem proponit sumere filiam Iudaei in uxorem; quod et factum est et debita exstincta sunt. Matrimonium validum est, quia metus non fuit *consultus,* i. e. incussus in ordine ad matrimonium contrahendum.

Probatur. *Ex iure ecclesiastico* metum praeditum condicionibus allatis dirimere matrimonium patet tum ex textibus iuris, tum ex constanti praxi Ecclesiae[3]. Sic Alexander III dicit: «Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit, necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.»[4] — Quemadmodum consensus praestitus sine forma a

---

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 1087.

[2] Hanc sententiam tenent *Feije,* De imped. et dispens. matrim. n. 134; *Gasparri,* De matrim. II, n. 821; *Aichner,* Comp. iur. eccl. § 168; *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 265, et multi alii. Favet huic sententiae S. C. C. d. 10 Maii 1890 ita aperte, ut opposita sententia Lugonis, Schmalzgrueber aliorumque iam parum probabilis evaserit.

[3] c. 13 14 15 28, X 4, 1; Cod. iur. can. c. 1087; S. C. Inquis. d. 15 Febr. 1901; S. Rota 10 Iulii 1910, et innumerae decisiones Romanae.

[4] c. 14, X 4, 1.

iure praescripta non valet producere verum matrimonium inter christianos, ita similiter statuit Ecclesia, ne ullus consensus quantumvis verus sub gravi et iniusto metu praestitus possit causare verum matrimonium christianum.

Ex iure etiam naturali metum dirimere matrimonium, docet sententia communior et verior. Sic e. g. dicit S. Raymundus de Pennaforte[1]: «Circa impedimentum violentiae seu metus notandum, quod ex sui natura, etiam sine constitutione Ecclesiae, matrimonialem consensum excludit; nam ubi metus vel coactio intercedit, non potest consensus locum habere: per consequens nec matrimonium, quod solo consensu contrahitur.» Auctoritas S. Raymundi, qui iussu Gregorii IX libros Decretalium collegit et redegit, est sane maxima, cum ipse apprime cognosceret mentem legislatoris. Cum S. Raymundo sentiunt S. Thomas[2], Reiffenstuel[3], Ballerini[4], Aichner[5], Scherer[6], Wernz[7] et quam plurimi alii. Contrarium tenent Sanchez, Lugo, Billuart, van de Burgt-Schaepman[8], Gasparri[9] et praesertim Feije[10].

796 Haec controversia non est mere theoretica, sed potest habere *practicam utilitatem.* Etenim si hoc impedimentum est iuris naturalis, obligat etiam paganos, apud quos non raro accidunt matrimonia metu inita, quae proinde omnia essent irrita. Sin vero sit tantum iuris ecclesiastici, matrimonia paganorum ab illo non tanguntur. Praecipuum argumentum pro sententia docente impedimentum metus esse solius iuris ecclesiastici, hoc modo proponitur: Si esset iuris naturae, nullitas oriretur aut a) ex defectu consensus, aut b) ex defectu libertatis in consensu, aut c) ex iniuria illata. At imprimis quidem ius naturae non statuit nullitatem in eo casu ob defectum consensus, *quia metus non tollit consensum,* sed tantum minuit. Quam quidem minutionem consensus aeque producit metus iuste et iniuste incussus. Nihilominus, omnibus fatentibus, metus iuste incussus vel a causa necessaria productus non irritat matrimonium. Ergo nullus metus ex ipso iure naturali irritat consensum ac proinde matrimonium. — Nec ius naturae statuit nullitatem ob *defectum libertatis* in consensu; nam libertas non tollitur, sed minuitur per metum; si ergo ea ratio esset, sufficeret metus incussus a causa necessaria seu ab intrinseco, vel a causa libera, sed iuste, quod tamen adversarii negant. — Nec demum a iure naturae statuitur nullitas *propter iniuriam;* secus omnes contractus onerosi iniuste incussi deberent esse eo ipso nulli; quod tamen communiter non admittitur. — Ad hanc argumentationem respondetur matrimonium non esse iudicandum sicuti alium quemcumque contractum arbitrarium. Matrimonium enim est contractus *sui generis, plane singularis* et *indissolubilis.* Ergo non possunt indiscriminatim applicari contractui matrimoniali regulae de aliis contractibus arbitrariis. Ex ipsa enim natura contractus matrimonialis sequitur arctissima et indissolubilis coniunctio animorum et corporum, quae sane exigit omnimodam libertatem ab omni timore saltem extrinsecus et iniusto incusso. — Ad rem scribit Angelicus

---

[1] Summa l. 4, tit. 10. [2] Suppl. q. 47, a. 3.
[3] In tit. 40, n. 47 sqq. [4] In notis ad Gury II 832.
[5] Comp. iur. eccl. § 168. [6] Kirchenr. II 174, nota 45.
[7] Ius Decretal. IV, n. 266. [8] Tract. de matrim. n. 101.
[9] De matrim. II, n. 811. [10] De imped. et dispens. matrim. n. 138.

Doctor: «Vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud, quod perpetuitati repugnat, *matrimonium tollit.* Metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum. Et ideo haec coactio metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium et non alia [scil. levis].»[1] Sententia S. Raymundi et S. Thomae aliorumque gravium auctorum confirmatur ex praxi Curiae Romanae, quae numquam dispensat super impedimentum metus gravis, iniuste incussi ab extrinseco in ordine ad matrimonium contrahendum. Congregatio S. Officii d. 15 Febr. 1901 Instructionem ad episcopos Albaniae de impedimento raptus mittens docet: «Duplex, ut plurimum, in violentis huiusmodi mulierum abductionibus impedimentum distinguendum esse, alterum scil. ex capite vis et metus, quod reapse consensum afficit quodque proinde *in ipso iure naturali* fundamentum habet; alterum ex positivo iure Tridentino seu raptus simpliciter, quod matrimonium irritat, tum ex praesumptione non consensus, cum in odium tanti facinoris.»[2]

Nota. Matrimonium, cui impedimentum metus obstat, non solum in- 797
valide contrahitur, sed etiam *tamdiu invalidum manet, quamdiu metus perdurat et coniux, qui metum passus est, liberum consensum non praestiterit in debita forma.* Unde ius petendi declarationem nullitatis matrimonii propter impedimentum metus numquam amittitur a parte, cui iniuria inflicta est; quae proinde etiam *post complures annos* et post prolem generatam ius suum vindicare potest[3], *dummodo per testes fide dignos*[4] *aut per documenta certa valeat probare se tempore celebrationis matrimonii revera passam esse metum gravem, iniustum, in ordine ad matrimonium contrahendum.* Quodsi metus gravis incussus est non a comparte, sed a tertia persona, e. g. a parentibus, non tantum pars, quae metum passa est, sed etiam compars reclamare potest contra matrimonium initum[5]. Petitio nullitatis matrimonii propter metum iniectum dirigenda est ad episcopum dioecesanum proprium reclamantis.

Cessatio huius impedimenti. Summus Pontifex, etsi forsan 798
dispensare valeat in hoc impedimento, tamen de facto numquam dis-

---

[1] Suppl. q. 47, a. 3. [2] Analecta eccl. IX (1901) 98.

[3] Vide complures causas a S. C. C. vel a S. Rota decisas in Analect. eccl. IV (1896) 114; V (1897) 242; VII (1899) 16; VIII (1900) 55 379 383, et in Act. Ap. Sedis II (1910) 886 sqq., IV (1912) 474, VIII (1916) 45 sqq. 109 sqq. 184 sqq. 487 sqq. — *S. Raymundus de Pennaforte* (Summa l. 4, § 4) scribit: «Item notandum, quod qualiscumque metus sit vel violentia in matrimonio contrahendo, si mulier quae allegat metum, stetit annum et dimidium cum marito, vel consenserit in carnalem copulam, non debet postea audiri, si allegat metum vel violentiam.» — Haec desumpta sunt ex c. 21, X 4, 1; quod quidem caput diversimode explicatur a canonistis; sed certum est, iuxta modernam disciplinam ius petendi nullitatem matrimonii propter gravem metum contractum *numquam amitti,* nisi tamen constet verum et liberum consensum partis laesae postea accessisse, et quidem in debita forma, i. e. ordinarie coram parocho et duobus testibus. Unde S. Rota d. 2 Iunii 1911 dissolvit propter impedimentum metus matrimonium (Andrassy-Szechenyi), quod duravit per 20 annos et in quo complures infantes progeniti erant. Cf. Acta Ap. Sedis IV 108 sqq.

[4] Circa depositionem testium notetur sequens regula: «Quod magis sit credendum duobus testibus de metu deponentibus quam mille negantibus vel asserentibus de spontanea voluntate; . . . nam deponentes super spontanea, ut ita loquar, voluntate, deponent de actu mentali et invisibili, qui soli Deo notus est; alii vero deponentes de metu, attestantur de minis et tormentis et similibus, quae sensu corporis percipiuntur» (Acta Ap. Sedis IV 117 et VIII 205).

[5] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 269.

pensat, cum hoc impedimentum sit probabilius iuris naturalis et cum ex matrimoniis coacte initis et sub metu perdurantibus magna damna oriantur. Proinde hoc impedimentum numquam cessabit, usquedum verus et liber consensus fuerit praestitus a parte vim passa.

Si matrimonium fuit rite initum iuxta statuta iuris ecclesiastici et metus impedimentum remansit *occultum,* i. e. quando eius exsistentia non potest probari saltem duobus testibus, tunc requiritur et sufficit, ut pars metum passa libere sed occulte consensum maritalem praestet aliquo signo externo, dum interim consensus alterius partis saltem virtualiter perseveret. Quae quidem praestatio consensus potest fieri vel expressis verbis vel signis concludentibus, e. g. copula carnali affectu maritali habita.

Sin autem impedimentum metus fuerit *publicum,* ita ut facile in foro externo possit probari, tunc pars metum passa debet libertate adepta consensum praestare coram parocho et duobus testibus [1].

799 **Resolves.** Ex hucusque dictis sequitur solutio sequentis casus difficilis: Mulier gravi metu cogitur ad matrimonium, ac proinde matrimonium eius est nullum. Quomodo se gerere debet confessarius, cuius consilium petitur? Respondetur:

a) Si mulier est *in bona fide,* putans se posse permittere in his circumstantiis copulam carnalem, relinquenda est in hac bona fide, usquedum matrimonium est convalidatum aut dissolutum. Ratio est, quia melius est permittere peccata materialia, quam ponere aliquem in proximo periculo committendi peccata formalia. Nihilominus, cum etiam peccata materialia sint pro viribus vitanda, mulier prudenter induci debet, ut abstineat a copula carnali, in quantum est possibile; et hoc eo vel magis, quia ex copula carnali facile nasci possent filii, qui in casu dissolutionis matrimonii carerent patre educationem regente.

b) Si mulier *scit, matrimonium suum esse nullum,* non potest consentire in copulam carnalem, antequam matrimonium est rite convalidatum. Ratio est, quia huiusmodi copula est fornicaria et intrinsecus mala. Debet proinde mulier se habere sicut virgo vi oppressa, i. e. totis viribus resistere. Attamen si metus impedimentum est *occultum* et nullum aliud impedimentum validitati matrimonii obstat, mulier posset prius maritalem consensum praestare et sic matrimonio convalidato copulam carnalem perficere. Sin autem impedimentum metus est *publicum,* mulier iam nequit proprio consensu maritali privatim praestito matrimonium convalidare, sicut supra dictum est, sed requiritur convalidatio in foro publico. In praxi tamen hoc modo procedi potest: Quando matrimonium contractum est ex gravi metu coram parocho et duobus testibus vel alio legitimo modo, tunc (sive impedimentum metus sit publicum sive occultum) hoc matrimonium non solum praesumitur verum, sed etiam *est probabiliter licitum,* usquedum authentice et iuridice constet de eis nullitate. In matrimonio autem probabiliter vero et licito potest ex gravissima causa permitti copula carnalis, quia haec copula non est certo fornicaria.

[1] Cf *Feije,* De imped. et dispens. matrim. n. 762 sq. *Bened. XIV* (Inst. eccl. 87, n. 62) scribit: «Si matrimonium publice initum est coram parocho et duobus testibus et impedimentum [metus] quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus iterum coram parocho et duobus testibus praebeatur.»

Proinde mulier non est inquietanda, si ex gravissimis rationibus permittit copulam, usquedum Ecclesia de valore matrimonii sententiam tulerit. Melius profecto est, si copula evitatur [1].

Poenae contra violatores libertatis matrimonii latae a Concilio Tri- 800
dentino [2] abrogatae sunt, cum in Cod. iur. can. earum nulla mentio fiat [3]. Ex iure autem particulari possent huiusmodi poenae statui.

§ 4.

Raptus.

Notio. Raptus, prout est impedimentum matrimonii, distinguitur 801
a raptu, prout est *peccatum luxuriae*, quod solet definiri: abductio violenta mulieris de loco tuto in locum non tutum libidinis satiandae causa. Raptus vero ut impedimentum matrimonii definitur: *abductio violenta mulieris de loco tuto in locum non tutum* ***matrimonii ineundi causa.***

Origo huius impedimenti. Raptus mulierum matrimonii ineundi causa multoties accidebat apud veteres paganos et iudaeos. Exempla sunt raptus Sabinarum, raptus Helenae. Adhuc nostris diebus mulieres ad matrimonium aliquando rapiuntur apud barbaras gentes [4]. Antiquo iure Romano raptus mulierum gravissime puniebatur, scil. poena mortis [5]. In iure Decretalium raptus nondum habetur, saltem ut impedimentum distinctum ab impedimento metus [6]. Concilium autem Tridentinum [7] raptum ut impedimentum speciale statuit his verbis: «Decernit s. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso iure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.» Similia statuit Cod. iur. can. c. 1074.

Condiciones requisitae. Ut raptus constituat impedimentum 802
dirimens matrimonii idque distinctum ab impedimento vis et metus, requiritur iuxta vigentem disciplinam:

a) *Abductio violenta de loco tuto in locum non tutum*, i. e. oportet ut mulier sit abducta de loco, in quo erat tuta, in locum physice et moraliter diversum, in quo iam non est tuta.

Hinc sufficit abductio mulieris ab una domo in aliam eiusdem urbis, quia locus est diversus; non autem sufficit abductio mulieris ab uno cubiculo in aliud eiusdem domus, cum cubicula eiusdem domus non censeantur moraliter diversa loca. Nihilominus etiam in isto casu matrimonium posset esse invalidum propter impedimentum *vis et metus*, sed non exsisteret impedimen-

---

[1] Cf. *Lehmkuhl*, Cas. consc. II, n. 937 sqq.
[2] Sess. 24, c. 9 de reform. matrim. [3] Cod. iur. can. c. 6, n. 5.
[4] Cf. *Westermarck*, History of human marriage c. 17.
[5] L. 5, § 2 Dig. Ad leg. Iul. de vi publica 48, 6.
[6] c. 7, X 5, 17. [7] Sess. 24, c. 6 de reform. matrim.

tum ecclesiasticum raptus. — Nihil refert, utrum ipse raptor, qui matrimonium inire cupit, mulierem abduxerit, an alius ex mandato raptoris. Nam quod quis per alium facit, ipse facere censetur [1].

Abductio sit *violenta* necesse est, i. e. invita muliere. Quae quidem violentia potest esse aut physica *(raptus violentiae)* aut moralis, i. e. gravi metu, fraude, dolo, suggestione hypnotica etc. peracta *(raptus seductionis)*. Quapropter impedimentum raptus non adest, si mulier *libere* aufugit cum viro in locum longinquum eo fine, ut ibi matrimonium contrahat contra voluntatem parentum. In foro autem externo tunc liber consensus tum fugae tum matrimonii probari debet; secus praesumitur raptus [2].

Abductioni aequiperatur violenta detentio. Si mulier quidem libere cum viro aufugit, postea autem *violenter retinetur* in loco non tuto et inducitur metu vel dolo ad matrimonium contrahendum, etiam in hoc casu adest impedimentum raptus [3].

b) *Abductio mulieris,* sive honestae sive inhonestae, sive sponsae sive nondum desponsatae.

Raptus impedimentum non oritur, si *vir* coactus abducitur de loco tuto in locum non tutum matrimonii ineundi causa. Ita sententia communissima, contradicentibus paucis [4]. Ratio est, quia Concilium Tridentinum et Codex iur. can. loquuntur de raptore et rapta, non autem de raptrice et rapto; nec est sufficiens causa extendendi impedimentum ad raptum viri.

c) *Matrimonii ineundi causa.*

Requiritur, ut finis abductionis fuerit ab initio matrimonium ineundum, non autem libido, vindicta vel aliud quid [5]. Si dubium sit, quinam fuerit finis abductionis, praesumitur finis matrimonii [6].

d) *Ut raptor mulierem abductam in loco non tuto retineat ibique matrimonium contrahat.*

Expresse enim Codex iur. can. c. 1074, § 2 post Concilium Tridentinum [7] statuit: «Quodsi rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.»

803 **Cessatio impedimenti.** Quamvis raptus impedimentum (prout non est coniunctum cum impedimento vis et metus) sit solo iure ecclesiastico constitutum neque exstiterit ante Concilium Tridentinum, tamen Summus Pontifex rarissime super illo dispensat, quoniam a) tam intime connexum est cum impedimento vis et metus, et b) periculum grande adest, ne mulier exsistens sub potestate raptoris fictum consensum matrimonialem praestet.

Qua de causa S. Officium in Instructione ad episcopos Albaniae directa d. 15 Febr. 1901 noluit dispensandi facultatem delegare episcopis. En verba: «Nihil prohibet, quominus, si de raptae vere libero consensu quomodocumque certo constet et sufficientia ad dispensandum motiva praesto sint, eidem per dispensationem succurratur. At in re tanti momenti, praesertim ne ex

---

[1] Cf. Regula iuris 68 in VI°.

[2] Cf. *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes § 25, p. 142.

[3] Cod. iur. can. c. 1074, § 3. [4] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 1107.

[5] S. C. C. d. 23 Ian. 1586.

[6] Cf. *Tanquerey,* Synopsis Theol. mor., de sacr. n. 1007. [7] L. c.

nimia huiusmodi dispensationis obtinendae facilitate sanctissima lex Tridentina vilescat, iudicium S. Sedi omnino reservari convenit.» [1]

Immo in omni dispensationis matrimonialis concessione solet apponi clausula: «dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat». Quae quidem clausula veram importat condicionem, sine qua non valet dispensatio. — In amplissima autem facultate dispensandi super impedimentis quantumvis publicis concessa per Codicem iur. can. c. 1043—1045 pro imminente periculo mortis et pro casu, quo matrimonium sine gravi periculo differri nequit, includitur etiam facultas dispensandi super impedimento raptus. Debet autem tunc attendi, ut mulier rapta verum et liberum consensum praestet.

Impedimentum raptus cessat *eo ipso,* si mulier rapta separata sit a raptore et reddita loco tuto. Patet ex verbis Codicis citatis. Sed non est parochi, sed *episcopi* iudicare, num revera raptus purgatus fuerit, i. e. cessaverit [2]; verum etiam purgato raptu manent non solum poenae latae contra raptores mulierum (de quibus infra), sed etiam, si quod aliud impedimentum matrimonio obstaret, in petitione dispensationis mentio facienda esset raptus prius facti. Quando oportet matrimonium invalidum ob impedimentum raptus convalidare, coniuges prius *separandi sunt,* et ambo debent consensum maritalem exprimere coram parocho et duobus testibus iuxta normas legales. Hoc enim impedimentum censetur esse *iuris publici.* Excipitur solummodo dispensatio concessa in articulo mortis.

804 **Poenae contra raptores mulierum** latae a Concilio Tridentino [3] vel a iure antiquo abolitae sunt. Statuit autem Codex iur. can. c. 2353: «Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis (21 a.) consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur.»

Raptus mulierum (praesertim libidinis causa perpetratus) solet etiam a legibus civilibus gravissime puniri [4].

§ 5.

Ligamen.

805 **Praenotamen.** Iam supra n. 669 sqq. satis dictum est de unitate et indissolubilitate matrimonii, ideoque supponuntur ut nota quae ibi habentur. Ex tota historia nec ullum exemplum certum afferri potest, quod Papa permiserit unum virum habere simul duas uxores, neque a fortiori unam

[1] Collect. de Prop. Fide n. 2101.

[2] Cf. *Gasparri,* De matrim. n. 559; *Feije,* De imped. et dispens. matrim.[4] n. 186; *van de Burgt-Schaepman,* Tract. de matrim. n. 115. — Iudicium episcopi non requiri saltem ex iure communi, docent *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 285; *Vogt* l. c. § 43.

[3] Sess. 24, c. 6 de reform. matrim.

[4] Cf. Cod. civ. Austr. § 56 94; Cod. poen. Gall. art. 354 sqq.; Cod. poen. Germ. § 236 sqq.; Cod. civ. Hispan. art. 135 et Cod. poen. art. 460 sqq.

mulierem habere simul duos maritos. Quae autem afferuntur de comite Gleichen, cui Gregorius IX fertur concessisse duas uxores, et de viro Helvetico, cui Pius VI dicitur idem indulsisse, sunt fabulae nullam fidem merentes [1]. — Econtra certum est, Lutherum cum consensu septem aliorum theologorum Protestantium d. 4 Martii 1540 benigne indulsisse, ut Philippus Landgrafius Hassiae, retenta priore uxore, alteram duceret [2]. Quod exemplum non est unicum apud Protestantes; immo usque ad nostros dies illi docent et perficiunt dissolutionem matrimonii etiam consummati quoad vinculum. Ecclesia autem catholica in Concilio Tridentino [3] definivit: «S. q. d. licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.»; et statuit in Codice iur. can. c. 1069: «Invalide matrimonium attentat, qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei» (i. e. excepto privilegio Paulino).

Notio. *Impedimentum ligaminis est inhabilitas contrahendi novum matrimonium durante vinculo prioris matrimonii validi, sive rati sive consummati.*

Hoc impedimentum est iuris divini, ut patet ex Concilio Tridentino supra citato, et numquam in eo dispensatur [4]. Si matrimonium praecedens est dubie validum, requiritur processus iudicialis, quo validitas aut invaliditas matrimonii declaretur, ut infra dicetur. Sin autem adest dubium, num primum matrimonium sit solutum morte coniugis, tunc requiritur authentica *declaratio mortis,* de qua sequentia sunt notanda:

806 **Declaratio mortis** debet pronuntiari ab auctoritate ecclesiastica. Minime enim sufficit declaratio mortis facta a guberniis civilibus, quae interdum sunt nimis benigna in hac materia. Regula generalis est: De morte revera secuta compartis requiritur *moralis certitudo,* ita ut omne prudens dubium prorsus sit exclusum. Ad hanc autem moralem certitudinem affirmandam non sufficit sola absentia coniugis per longum tempus, qualem admittunt gubernia civilia, sed requiritur, ut methodus a S. Officio [5] praescripta observetur, scil. a) imprimis documentum authenticum mortis diligenter exquiratur ex regestis paroeciae vel xenodochii vel militiae vel magistraturae civilis; b) si tale documentum haberi nequit, audiantur testes fide digni saltem duo, qui sub iuramento dicere tenentur, quid in casu sentiant de obitu. Si non sunt testes oculati, potest etiam accipi testimonium testium auritorum. Quodsi inveniri nequeant duo testes, etiam testimonium unius testis fide digni magnum pondus habet. c) Si ne unus quidem testis reperiatur, qui possit sufficiens testimonium mortis dare, probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis etc. investiganda est. — Sic e. g. S. Officium d. 20 Iulii 1898 tribuit episcopis Italiae facultatem concedendi documentum libertatis uxoribus militum, qui apud Aduam in Africa pugnaverunt, et quorum nulla supererat memoria, non obstantibus investigationibus a gubernio factis.

---

[1] Cf. *Döllinger,* Papstfabeln 34 sqq.; *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 359, nota 21 et 24.

[2] Cf. *Rockwell,* Doppelehe Philipps, 1904.

[3] Sess. 24, can. 2 de sacr. matrim. (*Denz.* n. 972).

[4] Quomodo matrimonium quoad vinculum solvi queat, dictum est supra n. 675 sqq.

[5] Tota haec Instructio data d. 13 Maii 1868 iterum in Actis Ap. Sedis II 199—203 anno 1910 impressa est.

Ex dictis luculenter apparet, parochum non posse assistere nuptiis, nisi habeat moralem certitudinem de *statu libero* utriusque nupturientis; sin vero vel leve dubium supersit, debet omnia referre ad curiam episcopalem, cuius est tunc determinare, quid facto opus sit. Episcopus autem, antequam declarationem mortis emanat, debet servare statuta Instructionis S. Officii supra citatae. In casibus vero difficilioribus melius (etsi non stricte necessarium) esse videtur instruere processum iudicialem vel recurrere ad S. Congregationem de Sacramentis[1]. Quodsi non obstantibus omnibus cautionibus adhibitis declaratio mortis fuit falsa et primus coniux inopinate apparet, secundae nuptiae sunt irritae et statim rescindendae.

Poenae contra violantes impedimentum ligaminis. 807

1. Si quis *bona fide* secundas nuptias contraxit ligatus impedimento ligaminis, nullam poenam ecclesiasticam incurrit; debet tamen, cognita rerum veritate, ilico se separare a secunda coniuge, ut modo dictum est.

2. Qui secundas nuptias *scienter* attentaverit, incurrit a) *impedimentum criminis*[2]. Quamobrem non potest sine speciali dispensatione praevia remanere cum secunda coniuge, etiam *post mortem* coniugis primae. Quomodo talis dispensatio danda sit, dicetur infra, ubi sermo erit de dispensationibus matrimonialibus; b) irregularitatem ob bigamiam; c) infamiam iuris; d) si spreta Ordinarii monitione in illicito contubernio persistat, excommunicetur vel personali interdicto plectatur[3]. Ex iure particulari aliquando plectuntur fideles excommunicatione latae sententiae episcopo reservatae, si divortio civili obtento novum matrimonium attentant[4].

3. Polygami censentur *publici peccatores,* et proinde arcendi sunt a sacramentis, benedictionibus Ecclesiae et sepultura ecclesiastica. Hinc e. g. in isto casu mulier non potest recipere benedictionem puerperae post partum[5].

§ 6.

Impotentia physica.

Notio. *Impedimentum impotentiae est «impossibilitas coeundi, seu vitium animi vel corporis vel utriusque, quo quis impeditur alii (naturali modo) carnaliter commisceri».* Ita S. Raymundus de Pennaforte[6]. 808

---

[1] Cf. S. C. C. d. 14 Dec. 1889 et S. Offic. d. 6 Maii 1891, ad 3. Vide tales casus resolutos a S. C. de Sacr. d. 18 Dec. 1914, 25 Iunii 1915 (Act. Ap. Sed. VII 40 sqq. 476 sqq.).

[2] Cf. infra n. 855. [3] c. 3, X 1, 21; Cod. iur. can. c. 2356.

[4] Sic e. g. statutum est pro America Sept. per Concilium Baltimor. III (a. 1884) n. 124.

[5] Cf. *Gasparri,* De matrim. I, n. 632.

[6] Summa l. 4, de impotentia coeundi § 2. — De notione genuina impedimenti impotentiae vehementer disputant canonistae. Definitio a S. Raymundo data videtur esse melior quam illa, quae ab aliis auctoribus solet dari: «Impedimentum impotentiae est incapacitas perpetua et antecedens viri vel mulieris perficiendi copulam *de se aptam ad generationem.*» Etenim definitioni Raymundianae favent et auctoritas magnorum auctorum et decisiones S. Officii permittentis matrimonium alicuius mulieris excisae, quae certo non valet

Explicatur. Dicitur 1°: *impossibilitas coeundi.* Coitus definitur a Gasparri[1]: «immissio membri virilis in vaginam mulieris cum seminis effusione». Unde ab impotentia, prout hic de illa sermo est, omnino distinguenda est inhabilitas ad concipiendum et ad generandum. In commixtione viri et mulieris tria distinguenda sunt: conceptio *activa* seu coitus, conceptio *passiva* seu vivificatio ovuli feminei, *generatio* seu nativitas hominis generati. Ad validitatem matrimonii solummodo requiritur possibilitas conceptionis activae. Si haec enim copula est perfecta ex parte viri et mulieris, non nisi per accidens ex illa non sequitur praegnatio et generatio. Itaque si coniuges hoc modo copulam carnalem perfecerunt, recte dicuntur debitum coniugale peregisse. Omnia autem postea sequentia pendent a natura, minime vero a coniugibus. Haud immerito quis comparavit actum coniugalem cum manducatione. Nutritio tribus perficitur: manducatione, digestione, assimilatione. Manducatio ordinata est ad digestionem, digestio vero ad assimilationem. Sic a pari coitus ordinatur ad conceptionem passivam, conceptio vero ista ad generationem. Ille, qui *cibos nutribiles* in os ponit et deglutit, dicitur vere manducare, licet ob stomachi depravationem omnis digestio et nutritio sit prorsus impossibilis. Manducatio, qua talis, est perfecta; quae si nullum effectum sortiatur, non ipsa est inculpanda. Si quis autem deglutit materiam non comestibilem (lapides, ferrum etc.), iam non dicitur proprie manducare. Similiter res se habet in copula carnali: si semen virile naturaliter depositum est in vase muliebri, iste actus per se sufficit ad conceptionem et generationem. Quodsi autem reapse non sequitur neque conceptio neque generatio, hoc est per accidens, non autem per se. Proinde talis copula licita est, neque a matrimonio arcendi sunt illi, qui sic possunt commixtionem perficere, licet conceptio et generatio sint impossibiles propter defectus naturales[2]. — Praeterea matrimonium non solum propter prolem generandam institutum est, sed etiam *in remedium concupiscentiae.* Unde S. Paulus dicit: «Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. Quodsi non se

exercere copulam de se aptam ad generationem. Unde recte dicit *Gasparri* l. c. n. 510: «Nos omnibus sedulo perpensis, et doctrina canonum et declarationibus Sedis Apostolicae et physiologorum seu medicorum placitis, dicimus impotentiam coeundi esse inhabilitatem ad copulam, qua vir et mulier fiunt una caro, seu aliis verbis, qua semen virile in vaginam muliebrem ingreditur.» S. Thomas videtur consentire cum S. Raymundo; explicat enim impedimentum impotentiae: incapacitatem reddendi debitum coniugale (Suppl. q. 58, a. 1). Eodem modo loquuntur *Wigandt* (Tribunal confessar. tr. 16, exam. 6, q. 10), *Reiffenstuel* (in l. 4, tit. 15, n. 2), *Ferraris* (Prompta Bibl. s. v. «Debitum coniugale») et ex modernis praecipue *Eschbach* (Disp. physiol.-theol. 190), qui dicit: «Canonicum impotentiae dirimens impedimentum sola est antecedens ac perpetua coniugum inaptitudo ad copulam perfectam, qua scil. vir naturale debitum femineum vas penetrando, in istud verum semen effundit.» Ita etiam *Larraga-Saralegui* (Prontuario de Teología moral[3] n. 1501) et *Augustus Sili,* qui tamquam consultor in celebri causa Monasteriensi (a. 1899) pro hac sua sententia sexdecim citat auctores (Analecta eccl. VIII [1900] 253). Ita etiam *Vogt* (Das kirchl. Eherecht § 33), *De Smet* (De sponsal. et matrim. n. 278), qui vocat hanc sententiam speculative probabilem et practice tutam. Contrariam sententiam tenent ex modernis: *Antonelli* (De conceptu impotentiae), *Leitner* (Lehrb. d. kirchl. Eherechtes § 26, p. 145), *Lehmkuhl* (Theol. mor. II, n. 975), *Noldin* (De sacr. n. 82), *Wernz* (Ius Decretal. IV, n. 345, p. 504), *Rosset* (De sacr. matrim. n. 1406) aliique.

[1] De matrim. I, n. 510.

[2] Cf. *Eschbach,* Disp. physiol.-theol. disp. 2, c. 3 et *van de Burgt-Schaepman,* Tract. de matrim. P. 2, c. 6, § 11.

continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.»[1] Quare licet copulam maritalem recte perficere, etsi nulla generatio speratur. Doctrina hucusque exposita de notione impotentiae valde roboratur iteratis decisionibus S. Officii[2], quod permisit matrimonium mulieribus, quae (utpote orbatae duobus ovariis et utero) certo non potuerunt perficere copulam de se aptam ad generationem.

Dicitur 2°: *seu vitium animi vel corporis vel utriusque, quo quis impeditur alii (naturali modo) commisceri.* — Quibus verbis indicantur causae, ex quibus impotentia oriri solet. Istae causae sunt spirituales et corporales. Inter *spirituales* causas antiqui canonistae multum loquebantur de maleficio, quod consistit in influxu daemonis impedientis actum coniugalem perfectum. Quamvis huiusmodi influxus possibilis sit, tamen non facile est admittendus; immo nostris temporibus prorsus desunt certa exempla huius influxus. — Inter alias causas spirituales impotentiam causantes primum locum obtinent taedium, odium et aversio inter coniuges exsistens. Aliquando ex huiusmodi affectibus nervi genitales tam vehementer afficiuntur, ut perfectus coitus sit plane impossibilis. Raro tamen istae causae spirituales producunt impotentiam *perpetuam*. Solent enim lapsu temporis cessare, nisi adsint etiam causae corporales.

Ex parte viri inter causas *corporales* causantes impotentiam enumerantur 809
sequentes:

a) *Carentia utriusque testiculi.* Ideoque eunuchi et spadones sunt impotentes. Eunuchi dicuntur illi, qui absque testiculis *nati* sunt; spadones vero, qui arte vel casu testiculis orbati sunt. Eunuchos et spadones revera laborare impedimento canonico impotentiae declaravit Sixtus V[3]. Ante hanc declarationem authenticam canonistae non concordabant. Sic Petrus Ledesma[4] scribit: «Ecclesia numquam existimavit esse certum, quod spadones utroque teste carentes verum contraherent matrimonium; semper enim de hac re fuerunt opiniones in Ecclesia, et ita propter istam varietatem opinionum permittebat huiusmodi matrimonia, sicut permittit alia, quae fiunt in Ecclesia secundum probabiles sententias. Modo vero iam determinatum est a Capite Ecclesiae, quod non contrahunt vera matrimonia.» — Idem videtur probabilius dicendum de iis, qui subierunt operationem chirurgicam, quae vocatur *vasectomia* et quae nostris temporibus frequenter a medicis perficitur. Haec operatio consistit in sectione «vasorum deferentium». Vir, cuius secta sunt vasa deferentia, adhuc copulam carnalem perficere potest, immo et semen immittere valet in vas muliebre, sed istud semen iam caret spermatozoidis et non est semen in proprio sensu, cum spermatozoida sint essentialis pars spermatis. Ergo inter illum virum, qui vasectomiam, et illum, qui perfectam castrationem subiit, non videtur esse nisi accidentalis differentia, ac proinde ambo censentur esse impotentes[5]. Castratio perfecta est impotentia perpetua et perfecta.

---

[1] 1 Cor 7, 2 sqq. [2] Cf. infra n. 810, nota 2.

[3] Const. «Cum frequenter» d. 27 Iunii 1587.

[4] De magno sacr. matrim. q. 68, a. 2.

[5] Ita etiam *De Smet*, De sponsal. et matrim.[3] n. 550, *Ferreres* in Eccl. Review 1912, 208 sqq. Ceterum tota doctrina nondum est sufficienter clara, neque satis cognoscuntur effectus ex hac operatione sequentes. Unde Dr. *A. O'Malley* (in Eccl. Review l. c.) docet ex vasectomia non oriri impotentiam. Si vera sunt illa, quae iste auctor de natura vasectomiae dicit, tunc forte recte asserit: «Actus sexualis viri vasectomiam passi perfectam

b) *Nonnulli morbi nervorum,* ut anaesthesia sexualis, quae vocatur etiam anaphrodisia, et est absentia erectibilitatis ad perficiendam copulam; aphrodisia, quae consistit in excessiva excitatione venerea, qua fit ut seminis secretio penetrationem praevertat [1]. Tales similesve morbi, nisi sunt coniuncti cum morbo mentali incurabili aut cum defectu organorum, solent lapsu temporis cessare.

c) *Difformitas aut absentia membri virilis.* Tales difformitates sunt hypospadia, epispadia, nimia magnitudo membri virilis etc.

810 **Ex parte mulieris** causatur impotentia:

a) per defectum vaginae,

b) per nimiam arctitudinem vaginae,

c) per morbum, qui vocatur vaginismus et qui est quaedam hyperaesthesia vulvae omnem coitum prohibens [2].

Dicitur 3°: *quo quis impeditur alii naturaliter commisceri.* Nostris temporibus a medicis aliquando efficaciter adhibetur sic dicta *artificialis* fecundatio. S. Officium, interrogatum, utrum licita sit artificialis fecundatio mulieris, respondit d. 24 Martii 1897: «non licere». — «Nihilominus adhuc disputatur inter auctores, utrum numquam licita sit haec artificialis fecundatio, quia S. Officium damnavit solam illam artificialem fecundationem, quae obtinetur praevia *pollutione* viri, quippe quae intrinsecus mala sit. Cum autem exsistant alii modi fecundationis artificialis, illam aliquando licitam esse docent Berardi [3], Eschbach [4], De Smet [5], van de Burgt-Schaepman [6] aliique. Sed quidquid est de liceitate huius fecundationis artificialis, communissima sententia docet illam non auferre impedimentum dirimens impotentiae. Ratio est, quia illa non dat potentiam *naturaliter* coeundi.

811 **Divisiones.** Distinguitur: 1. impotentia *naturalis,* quae ab ipsa natura seu nativitate exsistit, i. e. defectus organorum genitalium; im-

---

habet similitudinem cum actibus sexualibus virorum sterilium ex senio, morbo debilitante, aliisque de causis, quibus matrimonium inire licet, et quorum matrimonium est validum; immo vir vasectomiam passus multo potentior est sexualiter quam omnes alii [mox citati]» (l. c. 335 sq.). Tota controversia erit soluta, si constat, utrum fluidum emissum a viris vasectomiam passis sit adhuc verum semen necne. Si adest verum semen (licet sterile), impotentia non adest. — Vasectomiae similis operatio etiam in muliere fieri potest.

[1] Cf. *Surbled,* La morale dans ses rapp. avec la méd. et l'hyg. II 142.

[2] Cf. *De Smet* l. c. n. 550. Multum disputatur inter auctores modernos, utrum impotentia mulieris oriatur, si illi desunt sive a natura sive ex operatione chirurgica uterus et duo ovaria. Pro sententia affirmativa sunt omnes illi auctores supra citati, qui definiunt impotentiam impossibilitatem copulae aptae ad generationem. Etenim luce clarius est mulierem, cui desunt uterus et duo ovaria, non posse peragere copulam per se aptam ad generationem. Sententiam negativam defendunt omnes illi, qui constituunt impedimentum impotentiae in simplici impossibilitate naturaliter coeundi. Quae quidem altera sententia verior, communior et responsis S. Officii conformior est. S. Offic. d. 3 Febr. 1887: «Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? — Matrimonium non est impediendum.» Similia respondit S. Officium d. 23 Iulii 1890, 31 Iulii 1905, 3 Martii 1909. Obiectiones, quae opponuntur, solutas invenies apud *De Smet* l. c. n. 556, qui merito vocat practice tutam istam sententiam.

[3] Praxis confess. I, n. 1009. [4] Disp. physiol.-theol. 70 sqq.

[5] De sponsal. et matrim. n. 560.

[6] Tract. de matrim. I, n. 208.

potentia *artificialis* seu acquisita, quae orta est ex operatione chirurgica, morbo, laesione, vulnere etc.

2. Impotentia *perpetua*, quae iuxta prudens iudicium peritorum numquam cessabit; impotentia *temporanea*, quae per opus humanum absque gravi periculo vitae cessare potest.

3. Impotentia *absoluta*, quae hominem reddit impotentem ad copulam carnalem cum quacumque persona[1]; impotentia *relativa*, quae reddit copulam carnalem impossibilem cum determinata quidem, sed non cum omni persona.

4. Impotentia *antecedens*, quae antecedit celebrationem matri- 812
monii; impotentia *consequens*, quae supervenit matrimonio iam legitime contracto.

Ius vigens. *Impotentia antecedens et perpetua, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, est impedimentum dirimens matrimonii ex ipso iure naturae*[2].

Nonnulli veteres auctores[3] docebant impotentiam esse quidem impedimentum matrimonii, si ignoratur ab altero contrahentium, non autem si scitur. Quae quidem doctrina nunc relinquenda est, cum Codex iur. can. expresse statuat contrarium. — Ab impotentia omnino distinguenda est sterilitas, quae nec dirimit nec impedit matrimonium.

Modus agendi parochi et confessarii. Ubi suspicio oritur 813
de impotentia, parochus et confessarius maxima prudentia utantur.

1. Si quis dubitat de impotentia sua physica, non potest licite matrimonium inire, antequam dubium sit solutum et potentia generativa sit moraliter certa. Proinde adeundus est prudens et timoratus medicus. Dubio permanente post diligentem inquisitionem licet matrimonium inire[4], dummodo compars sit certior facta de dubia impotentia. Ratio est, quia ex gravi causa licet sacramentum administrare sub condicione validitatis. Iamvero in hoc casu adest gravis causa, cum secus ille dubie potens debeat perpetuo manere caelebs.

2. Si dubium oritur de impotentia *post* matrimonium iam contractum, prius caute indagandum est ope periti et probi medici, num revera adsit impotentia eaque perpetua et antecedens matrimonium. Si medicus respondet non adesse talem impotentiam, tunc matrimonium validum est, atque non ad confessarium aut parochum, sed ad medicum pertinet dare remedia ad generationem obtinendam. Sin vero medicus dicit certo adesse talem impotentiam, tunc confessarius aut parochus prudenter inquirere debet, utrum putativi coniuges sint in bona fide, i. e. utrum matrimonium initum considerent ut validum, necne. Quodsi coniuges sunt *in bona fide*, non sunt inquietandi, si ex dissolutione matrimonii recte timeantur magna incommoda, aut si parva spes adsit,

---

[1] Si exsistente impotentia absoluta matrimonium dissolvitur, solet addi clausula: «vetito transitu ad alias nuptias», et sic oritur impedimentum, quod vocatur «vetitum Ecclesiae».

[2] Cod. iur. can. c. 1068. [3] Cf. *S Thomas*, Suppl. q. 52, a. 1.

[4] Cod. iur. can. c. 1068, § 2.

ut putativi coniuges sicut frater et soror caste convicturi sint. Sin autem coniuges sunt *in mala fide,* i. e. si sciunt ipsorum matrimonium esse nullum, tunc illis imponendum est, ut vel caste vivant sicut frater et soror, vel petant dissolutionem matrimonii per processum canonicum. Iste processus habeat necesse est saltem duas instantias ad normam Const. Benedicti XIV «De miseratione» d. 3 Nov. 1741 et Instructionis S. Officii ad episcopos orientales d. 20 Iunii 1883. Non vacat hic tractare de isto processu, qui solet satis longe durare. Videsis canonistas[1]. In praxi saepe facilius est probare *non-consummationem* matrimonii contracti quam exsistentiam impotentiae antecedentis et perpetuae. Tunc praestat petere a Summo Pontifice dispensationem super matrimonio rato et non-consummato. Videsis complures casus huiusce dispensationis in Analect. ecclesiast. I (1893) 111; S. Congr. Concilii d. 18 Martii 1893, d. 6 Maii 1893, d. 27 Aprilis 1895 etc.

§ 7.

Impedimentum dirimens voti sive professionis religiosae.

Iam supra n. 683 dictum est de professione sollemni religiosa, in quantum dirimit matrimonium ratum *praecedens.* Pariter iam dictum est n. 774 sqq. de votis, quae non dirimunt, sed prohibent matrimonium contrahendum. Restat, ut dicamus de votis, quae *dirimunt matrimonium contrahendum.*

814 **Ambitus impedimenti.** Iuxta vigentem disciplinam[2] sequentia vota dirimunt matrimonium contrahendum:

1. *votum sollemne emissum in ordinibus religiosis stricte dictis;*
2. *votum simplex emissum in Societate Iesu.*

---

[1] Cf. *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes § 26, p. 152 et nostrum Man. iur. can. q. 540 sq.

[2] Haec vis voti sollemnis haud obscure iam innuitur in c. 27, C. 27, q. 2: «Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere; licet tamen illi monasterium sibi eligere.» Sane complures auctores, e. g. Berardi, Wernz etc, putant illum textum non emanasse a Papa Eusebio (circa a. 300), cum eo tempore nondum exstiterint monasteria; sed quidquid est de hac opinione, textus est certe *antiquissimus.* Mentio eius fit iam in Poenitentiali Theodori Cantuar. l. 2, c. 12, n. 33 (apud *Schmitz,* Die Bußbücher etc. 547), in Decreto Ivonis Carn. P. 7, c. 40, in Sententiis Petri Lombardi IV, dist. 27 et in aliis auctoribus. Quae quidem omnia demonstrant hunc textum antiquissimum magni habitum esse. Licet autem in textu dicatur: «*desponsatam* puellam», tamen certo non est sermo de meris sponsalibus, sed de sic dictis sponsalibus *de praesenti,* quae nihil aliud sunt nisi matrimonium ratum. — Praeterea iam antiquissimis temporibus virgines consecratae vel monachi attentantes matrimonium non solum graviter puniebantur, sed etiam cogebantur se separare a coniugibus (cf. Conc. Turon. a. 567, c. 15). Quod quidem est signum evidens, iam primis saeculis votum sollemne seu professionem religiosam habitam esse impedimentum dirimens matrimonii. Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 377 et praesertim *Weckesser* in «Arch. f. kath. Kirchenr.» LXXVI 83. Tandem post Concilium Lateranense II (apud Gratianum c. 40, C. 27, q. 1) a Bonifatio VIII (c. unic. III, 15 in VI°), a Concilio Tridentino (sess. 24, c. 9 de sacr. matrim.; *Denz.* n. 979), a Cod. iur. can. c. 1073 res plane definita est.

1. Votum sollemne emissum in ordinibus religiosis dirimere matrimonium contrahendum patet tum ex Decretalibus[1], tum ex Concilio Tridentino[2], tum ex Codice iur. can. c. 1073. In quibusnam autem ordinibus religiosis habeantur vota sollemnia, est quaestio facti nec potest regula generali determinari. In nonnullis regionibus, ut e. g. in Gallia, Belgio, Bavaria, America Septentrionali[3] mulieres vel raro vel omnino non emittunt professionem sollemnem. — Per se patet professionem religiosam hunc effectum non producere, si fuerit *invalida*, e. g. propter metum gravem, propter defectum formalitatum essentialium etc.[4]

2. Vota simplicia a scholasticis Societatis Iesu nuncupata post biennium novitiatus dirimunt matrimonium subsequens attentatum[5].

Complures auctores, inter quos Benedictus XIV[6] (non quidem ut Papa, sed ut auctor privatus[7]), Sanchez[8], Tanquerey[9], Gasparri[10], docent etiam votum simplex castitatis, quod emittitur a coniuge remanente in saeculo, dum alter coniux cum prioris libero consensu post consummationem matrimonii religionem intrat aut sacros ordines suscipit, aequiperari voto sollemni ac proinde dirimere matrimonium subsequens; sed haec sententia fere ab omnibus modernis merito reicitur, quia neque solidum argumentum neque ullus textus iuris pro ea adduci possunt[11]. Ergo si talis coniux, qui emisit votum simplex castitatis, mortuo altero coniuge matrimonium contraheret, valide sed illicite ageret. Deberet enim prius obtinere dispensationem a voto simplici castitatis.

Cessatio huius impedimenti. Licet iuxta complurium gravis- 815
simorum auctorum[12] sententiam (quam S. Alphonsus probabiliorem

---

[1] Bonifatius VIII interrogatus ab episcopo Bitericensi, quale votum dici debeat efficax ad dirimendum matrimonium, respondit: «Declarandum duximus oraculo sanctionis, illud *solum* votum debere dici sollemne quantum ad post [postea] contractum matrimonium dirimendum, quod sollemnizatum fuit per susceptionem s. ordinis aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua vero, etsi quandoque impediant contrahendum, . . . non tamen rescindere possunt post contractum» (c. unic. III 15, in VI°). — Ex quibus verbis luce clarius esse videtur, non alia nisi haec duo vota, scil. votum sollemne religionis et votum emissum in susceptione s. ordinis, dirimere matrimonium subsequens.

[2] «S. q. d. clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem sollemniter professos posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium . . . A. S.» (sess. 24, can. 9 de sacr. matrim.; *Denz.* n. 979).

[3] Iuxta *Leitner* (Lehrb. d. kirchl. Eherechtes § 28, p. 175) professio sollemnis emittitur in quattuor conventibus Visitationis in Georgetown, Baltimore, Mobile et St. Louis.

[4] Cf. nostrum Man. iur. can. q. 213.

[5] Gregorii XIII Const. «Ascendente Domino» d. 25 Maii 1584.

[6] De syn. dioec. l. 13, c. 12, n. 16.

[7] Cf. *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 380.

[8] De matrim. VII, disp. 40, n. 1—3.

[9] De matrim. n. 950.

[10] De matrim. I, n 575.

[11] Cf. *Scharnagl*, Das feierliche Gelübde als Ehehindernis 195.

[12] Pro hac sententia stant *S. Thomas* (4, dist. 38, q. 1, a. 3, sol. 3), *S. Bonaventura* (In 4, dist. 38, a. 2, q. 1), *Valentia* (In 2, 2, disp. 6, q. 6, punct. 5), *Victoria* (Relect. IV de potestate Papae prop. 1 ad 1 arg.) compluresque alii, praesertim Thomistae, et ex modernis *Rosset* (De sacr. matrim. n. 1676) dicens: «Votum sollemne professionis religiosae

vocat[1]) votum sollemne dirimat matrimonium *ex iure divino,* tamen Summus Pontifex tamquam vicarius Christi valet licentiam concedere, ut aliquis sollemniter professus valide et licite matrimonium inire possit, sicut etiam permittere potest ex gravissima ratione, ut calix consecratus adhibeatur ad usus profanos, quin eius consecratio pereat. Ordinarie tamen Summus Pontifex non aufert totam obligationem voti sollemnis, sed ad tempus suspendit. Per indultum saecularizationis eo ipso conceditur dispensatio a votis, nisi tamen saecularizatus sit in ss. ordinibus constitutus[2]. Quomodo in periculo mortis et in aliis casibus urgentioribus possit concedi dispensatio huius impedimenti, dicetur infra n. 866 sqq.

Impedimentum voti simplicis a scholasticis Societatis Iesu emissi cessat eo ipso, quo taliter professus a superiore generali Societatis legitime est dimissus[3].

816 **Poenae contra sollemniter professos attentantes matrimonium.**

1. *Excommunicatio simpliciter reservata S. Sedi.* Regulares (sive viri sive mulieres) post sollemnem professionem religiosam valide emissam matrimonium etiam civile contrahere praesumentes, necnon omnes, qui cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumunt, ipso facto incurrunt excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam[4].

Ad hoc igitur, ut haec excommunicatio revera incurratur, requiritur:

a) ut istae personae verum *matrimonium* contrahere praesumant (licet sit civile et etiam alia impedimenta dirimentia obstent[5]). Sin autem nihil aliud intendunt nisi concubinatum, excommunicatio illos non attingit;

b) ut adsit *praesumptio,* i. e. scientia censurae et libertas in matrimonio contrahendo; quare si contrahentes *ignorant* censuram (non tamen per ignorantiam affectatam) vel si coacte aut *ex gravi metu* matrimonium ineunt, non incurrunt excommunicationem[6]. Ignorantia censurae aliquando invenitur in personis laicis, quae cum sollemniter professis matrimonium contrahunt.

Hanc censuram non incurrunt scholastici Societatis Iesu simpliciter professi, qui matrimonium attentant, quia eorum professio non est sollemnis.

2. *Irregularitas ex bigamia similitudinaria,* quae in Codice iur. can. c. 985, n. 3 extensa est etiam ad eos, qui votis simplicibus sunt

---

tum vi sua seu iure naturali tum iure divino habet vim dirimendi matrimonium contrahendum, secluso quocumque iure ecclesiastico.» Moderni autem auctores communius docent hoc impedimentum dissolvere matrimonium ex solo iure ecclesiastico, sed eorum argumentum, desumptum ex verbis Bonifatii VIII et Gregorii XIII, haud videtur esse probativum.

[1] Theol. mor. l. 6, n. 1025. [2] Cod. iur. can. c. 640.

[3] *Gregor. XIII,* Const. «Ascendente Domino» d. 25 Maii 1584.

[4] Cod. iur. can. c. 2388. Antea haec excommunicatio reservata fuit Ordinario.

[5] S. Offic. d. 13 Ian. 1892.

[6] Quaelibet enim imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latis contra praesumentes. Cod. iur. can. c. 2229, § 2.

ligati. Professio enim religiosa censetur esse matrimonium inter animam et Christum, ac proinde per novum matrimonium talis homo fit quasi bigamus. Moniales autem (quae irregularitatis sunt incapaces) excluduntur ab iis officiis, ad quae solae moniales virgines assumi possunt.

3. *Infamia* facti, saltem si delictum commissum acquisivit notorietatem sive per sententiam iudicis, sive per divulgationem [1].

4. *Suspicio de haeresi,* eo quod transgressor putat contra decisionem Concilii Tridentini tale matrimonium esse validum [2].

5. *Dimissio ex ordine.* Ipso enim facto habendi sunt tamquam legitime dimissi religiosi, qui attentant aut contrahunt matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt civile [3].

6. Ex iure particulari diversorum ordinum solent adhuc graves poenae statui contra huiusmodi transgressores voti, qui, si sunt clerici in sacris constituti, insuper incurrunt poenas contra concubinarios [4].

§ 8.

Impedimentum ordinis sacri.

Notio. *Impedimentum ordinis sacri est inhabilitas iure ecclesiastico (in Ecclesia latina) statuta, qua clerici ordine sacro (scil. subdiaconatu) initiati non possunt valide contrahere matrimonium, neque licite uti matrimonio forte ante contracto.* Ad exsistentiam autem huius impedimenti requiritur, ut clericus susceperit subdiaconatum a) post pubertatem adeptam, b) absque coactione et gravi metu, c) cum cognitione coelibatus annexi. 817

Explicatur. Dicitur 1°: *inhabilitas iure ecclesiastico statuta.* Etenim origo huius impedimenti desumenda est ex iure ecclesiastico et non ex iure divino, ut quidam voluerunt. Unde S. Thomas breviter et succincte docet: «Non est essentialiter annexum debitum continentiae ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae.» [5] Quod quidem confirmatur tum ex praxi Ecclesiae orientalis, in qua usus matrimonii ante subdiaconatum initi permittitur etiam sacerdotibus; tum ex historia ecclesiastica, in qua afferuntur etiam ex Ecclesia latina exempla sacerdotum legitime in matrimonio olim viventium; tum demum ex S. Scriptura, ubi S. Paulus scribit: «Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, . . . filios habentem subditos cum omni castitate.» [6] Est autem prorsus absonum dicere, apostolicis temporibus clericis fuisse permissum aliquid, quod sit contra ius naturale aut divinum. — Ceterum in hac materia distinguendae sunt tres quaestiones, quae haud raro confunduntur et sic obscuritates, ne dicam falsitates, causant. Istae tres quaestiones sunt: 1. *Unde orta est vis dirimendi matrimonium annexa s. ordini?* 2. *Unde orta est obligatio coelibatus coniuncta cum susceptione s. ordinis?* 3. *Unde orta est obligatio perfectae castitatis coniuncta cum susceptione s. ordinis?*

---

[1] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 385.
[2] De hac poena non fit mentio in novo Codice.
[3] Cod. iur. can. c. 646, § 1, n. 3. [4] Ib. c. 2359.
[5] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 11.
[6] 1 Tim 3, 2—4. Complures autem auctores aliter explicant hunc textum.

818 Ad primam quaestionem respondetur: Vis dirimendi matrimonium tributa est s. ordini *ex iure ecclesiastico;* unde omnes docent s. ordinem susceptum libere cum sufficienti cognitione obligationum annexarum dirimere matrimonium subsequens, etiamsi clericus ordinatus expresse noluerit facere votum continentiae. In isto casu *votum* castitatis profecto deesset, et tamen remaneret impedimentum dirimens; quod proinde non oritur (saltem unice) ex *voto*. Si tamen clericus, ut communiter fit, in susceptione subdiaconatus emittit quoque votum continentiae (saltem tacitum aut implicitum), tunc istud votum sic sollemnizatum habet vim dirimendi matrimonium, ut manifeste patet ex verbis Bonifatii VIII supra n. 814 citatis. — Non constat, quo praecise tempore sacer ordo sit factus impedimentum dirimens matrimonii. Ex legibus particularibus complurium regionum, e. g. Hispaniae, Italiae, iam quinto saeculo ordo sacer habitus est ut impedimentum dirimens matrimonii. Lege autem generali videtur statutum esse hoc impedimentum in Concilio Lateranensi II (a. 1139). Temporibus Gregorii IX et adhuc magis Bonifatii VIII in Ecclesia latina iam nullum rationabile dubium fuit de impedimento dirimente orto ex s. ordine suscepto. Iterum confirmatum est hoc impedimentum in Codice iur. can. c. 1072.

Ad secundam quaestionem respondetur: *Obligatio coelibatus* annexa est susceptioni s. ordinis item ex solo iure ecclesiastico. Quod quidem patet ex iisdem argumentis, quae supra allata sunt pro origine impedimenti dirimentis ex s. ordine nascentis. Coelibatus clericorum maiorum iam exsistebat ab antiquissimis temporibus atque habitus fuit tamquam impedimentum saltem *prohibens* matrimonii, etiamsi nequit clare probari illum iam a temporibus apostolorum ita viguisse [1].

819 Ad tertiam quaestionem respondetur: Obligatio clericorum in maioribus ordinibus constitutorum ad *perfectam castitatem*, ita ut quodcumque peccatum (etiam internum) contra castitatem commissum habeat characterem sacrilegii, non oritur ex *sola* lege ecclesiastica, sed *ex voto subdiaconatui annexo* (quod per consequens obligat quoque ad coelibatum et quod propter suam sollemnitatem insuper constituit impedimentum dirimens cuiuslibet matrimonii subsequentis). Ita S. Thomas [2], S. Bonaventura [3], Petrus Ledesma [4] et communiter Thomistae, Suarez [5], Reiffenstuel [6], Benedictus XIV [7], S. Alphonsus [8], et ex modernis inter multos alios Feije [9], Freisen [10], Wernz-Laurentius [11], Lehm-

---

[1] *Bickell* (in «Innsbrucker Theol. Zeitschr.» II 26 sqq. et III 792 sqq.) propugnavit opinionem, coelibatum viguisse temporibus apostolorum tamquam verum praeceptum. Contra illum scripsit *Funk* (in «Tübinger Theol. Quartalschr.» 1879, p. 208 sqq. et 1880, p. 202 sqq.).

[2] S. theol. 2, 2, q. 88, a. 11. Alibi (Suppl. q. 53, a. 3) S. Doctor dicit: «Ordo sacer . . . quod impediat matrimonium, ex constitutione Ecclesiae habet; tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos; quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi ordinis et ulterius *ex voto* continentiae, quod est ordinibus sacris annexum; quod etiamsi quis verbotenus non emittat, ex hoc ipso tamen quod ordinem suscipit, secundum ritum occidentalis Ecclesiae intelligitur emisisse.» [3] 4, dist. 38, tit. 2, q. 1.

[4] De magno sacr. matrim. q. 53, a. 3. [5] De virt. relig. tr. 7, l. 9, c. 17, n. 11.

[6] Ius can. l. 4, tit. 6, n. 15. [7] De syn. dioec. l. 12, c. 4, n. 2.

[8] Theol. mor. l. 6, n. 808. S. Doctor vocat hanc sententiam probabiliorem et communiorem.

[9] De imped. et dispens. matrim. 384. [10] Gesch. d. kan. Eherechtes 767 sqq.

[11] L. c. IV, n. 393. Wernz optime tractat (cum Ballerini) hanc quaestionem.

kuhl [1]. Contrariam sententiam, scil. obligationem tum coelibatus tum omnimodae castitatis, ita ut laesio castitatis sit sacrilegium, oriri ex sola lege ecclesiastica, docent multi quoque auctores tum antiqui tum moderni, e. g. Scotus [2], Iohannes Turrecremata [3], Hinschius [4], Scherer [5], Leitner [6], Sägmüller [7], Hollweck [8], Scharnagl [9], De Smet [10]. — Prior sententia videtur esse praeferenda, tum quia Bonifatius VIII in textu supra citato expresse loquitur de voto sollemnizato per susceptionem s. ordinis, tum quia secus videtur esse inintelligibile, quomodo clericus maiorista committens peccatum *mere internum* contra castitatem, revera patret sacrilegium, sicuti docet communissima sententia. Etenim Ecclesia probabiliter nequit praecipere actus mere internos. Ergo si quis ponit actum internum contra praeceptum mere ecclesiasticum, non committit sacrilegium. Confugiunt quidem auctores secundae sententiae ad nescio quam consecrationem personalem, quam clericus iuxta illos recipit in s. ordine; sed ista consecratio particularis est ficticia, neque habetur in ordinibus sacris Ecclesiae orientalis, neque ullibi vestigium illius invenitur. Insuper, etiam admissa (non concessa) hac consecratione ecclesiastica, non apparet, quomodo illa possit violari per actum mere internum. Demum satis communiter docent moralistae peccatum luxuriae commissum a clerico maiorista et idem peccatum commissum a religioso sollemniter professo *non essentialiter* differre, ita ut sacerdos regularis committens tale peccatum non teneatur in confessione declarare suum statum religiosum, dummodo confiteatur suum statum sacerdotalem. Porro videtur esse certum, laesionem voti vere sollemnis realiter differre a laesione alicuius consecrationis mere ecclesiasticae. Neque quis dicat: si Ecclesia nequit praecipere actum internum, nec etiam valet praecipere votum, quod essentialiter consistit in actu interno voluntatis; nam licet Ecclesia nequeat *absolute* praecipere aliquod votum, potest tamen annectere votum alicui statui suscipiendo, ita ut nemo hunc statum licite suscipere valeat, nisi etiam emittat votum praescriptum. Sic nemo potest statum religiosum suscipere, nisi emittat tria vota consueta. A pari nemo potest licite suscipere statum s. ordinis, nisi emittat votum perfectae castitatis.

Dicitur 2°: *in Ecclesia latina;* etenim in nonnullis Ecclesiis orientalibus istud impedimentum s. ordinis non exsistit, ita ut clerici ante susceptionem subdiaconatus possint matrimonium inire et deinde hoc matrimonio uti etiam post susceptos ordines diaconatus et presbyteratus. Quodsi uxor clerici maioristae orientalis mortua fuerit, secundae nuptiae prohibentur et irritantur [11]. Ceterum non est eadem praxis in omnibus Ecclesiis orientalibus tum quoad coelibatum clericorum, tum quoad clericos maioristas, qui secundas nuptias attentant [12]. Episcopi orientales debent coelibatum omnino observare [13].

---

[1] Theol. mor. II, n. 782. [2] 4, dist. 37, q. unic.
[3] Comm. in Decr. Grat. c. 3, D. 84. [4] System d. kath. Kirchenr. I 159.
[5] Kirchenr. II 367.
[6] Lehrb. d kirchl. Eherechtes 189.
[7] Kirchenr. I 264. [8] Kirchenr. 257.
[9] Das feierl. Gelübde als Ehehindernis 207 sqq. [10] L. c. n. 574.
[11] Bened. XIV Const. «Anno vertente» d. 19 Iunii 1750; cf. etiam *Papp-Szilagyi,* Enchir. iur. eccl. orient. cath. [2] §§ 16 sq. et 101.
[12] Cf. *Papp-Szilagyi* l. c. et praesertim *Wojuki,* Die Wiederverehelichung d. Priester in d. morgenl. Kirche, in «Arch. f. kath. Kirchenr.» 1908, p. 405 sqq.
[13] Bened. XIV Const. «Etsi pastoralis» d. 26 Maii 1742.

Dicitur 3°: *clerici ordine sacro initiati non possunt licite uti matrimonio forte ante contracto.* Maritus potest suscipere ordines sacros, dummodo eius uxor libere consentiat et perpetuum votum castitatis emittat (vel in monasterio, vel si suspicio de laesione castitatis deest, in saeculo)[1]. In praxi consulenda est S. Sedes, quae quid faciendum sit determinat[2]. Matrimonium quidem non solvitur quoad vinculum per susceptionem ordinis sacri, sed praecipitur divortium quoad torum et etiam habitationem[3].

820 **Exceptiones.** Impedimentum ordinis sacri non incurritur:

a) si subdiaconatus susceptus est *ante pubertatem,* i. e. ante annum quartumdecimum aetatis, nisi post annum decimum sextum obligatio coelibatus libere acceptata fuerit[4]. Ordinatio impuberum hodie iam non usuvenit;

b) si quis *ex gravi metu iniuste incusso* aut ex coactione subdiaconatum suscepit, nisi tamen postea libere acceptet obligationem coelibatus. Quae quidem libera acceptatio fieri potest vel per expressa verba, vel tacite per facta concludentia, e. g. per liberum exercitium ordinis sacri. Clericum ex gravi metu iniuste incusso initiatum sacro ordine non teneri ad coelibatum, valde aequum est, quia esset nimis durum, subicere perpetuo iugo continentiae hominem invitum et gravi metu iniuste coactum. Ita etiam expresse statuit Codex iur. can. c. 214;

c) si quis *invincibiliter ignoravit obligationem coelibatus* esse annexam susceptioni subdiaconatus[5]. Iste casus hodie fere impossibilis est, cum ante ordinationem subdiaconorum episcopus expresse enuntiet ordinandis obligationem coelibatus.

821 **Cessatio huius impedimenti.** Licet impedimentum ordinis sacri ex solo iure ecclesiastico sit institutum, tamen difficillime conceditur dispensatio, ut clericus maiorista possit matrimonium contrahere. Ratio est, quia secus portae latae aperirentur multis abusibus cum gravi detrimento religionis et magno scandalo populi. Conceditur tamen facultas dispensandi cum subdiaconis et diaconis (non autem cum presbyteris) super impedimento ordinis, si ipsi vel eorum complices sunt in gravi periculo mortis et matrimonium celebrare volunt ad consulendum conscientiae suae[6]. Episcopis numquam, presbyteris autem fere numquam permittitur a S. Sede matrimonium[7].

Poenae statutae contra violatores impedimenti ordinis sacri sunt duae:

1. Excommunicatio S. Sedi simpliciter reservata. Est eadem, quae fertur contra sollemniter professos (in paragrapho praecedenti allegata).

2. Clerici in sacris constituti matrimonium attentantes eo ipso amittunt sua officia ecclesiastica, et si moniti ab Ordinario non resipuerint, degradentur[8].

---

[1] c. 6, X 3, 32. [2] *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 193. [3] Ib.

[4] Ita recte *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 228; cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 810.

[5] Cf. *S. Alph.* l. c. n. 809. [6] Cf. infra n. 866 sqq.

[7] Exempla saepe allata de dispensatione concessa episcopis, e. g. Talleyrand, John Butler, Synesii, sunt spuria. Cf. *Leitner* l. c. § 89, p. 192. — Pius VII concessit dispensationem sacerdotibus, qui durante prima revolutione gallica matrimonium inierunt.

[8] Cod. iur. can. c. 188, n. 5; c. 2359 et 2388.

§ 9.

Cultus disparitas.

Notio. *Cultus disparitas*, prout hic sumitur, *est impedimentum* 822
iure ecclesiastico institutum, quod dirimit matrimonium inter partem non-baptizatam et partem baptizatam in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversam[1].

Apud veteres auctores, e. g. apud S. Raymundum de Pennaforte, compilatorem Decretalium Gregorii IX, disparitas cultus includit etiam mixtam religionem inter partem catholicam et acatholicam baptizatam[2]. Unde distingui solet disparitas cultus *imperfecta* seu mixta religio, et disparitas cultus *perfecta* seu diversitas religionis inter baptizatum et non-baptizatum. Cum iam supra n. 777 locuti simus de impedimento prohibente mixtae religionis, restat, ut nunc agamus de disparitate cultus perfecta, quae quidem est duplex: *antecedens* et *consequens*. Prior antecedit matrimonium contrahendum, altera supervenit matrimonio iam contracto. De disparitate antecedente sola agemus, pauca addendo infra in scholion de disparitate consequente.

Origo huius impedimenti. Ipse principalis finis matrimonii, scil. verum 823
et perfectum bonum prolis et coniugum exigit, ne matrimonium ineatur inter partem baptizatam et non-baptizatam. Etenim licet absolute loquendo proles progenita a parentibus disparibus in cultu possit et rite baptizari et bene educari in religione catholica, sicuti etiam pars catholica pro sua et compartis salute spirituali multa facere potest; tamen experientia comprobat, saepissime evenire prorsus contrarium, scil. salutem spiritualem prolis et coniugis catholici perire. Quapropter iam in lege Mosaica Deus prohibuit, ne Israelitae matrimonium inirent cum populis ethnicis[3]. Primis saeculis aerae christianae complura Concilia particularia[4] graviter prohibuerunt matrimonia inter fidelem et infidelem, et praecipue inter fidelem et iudaeum, sed non ita constat, utrum tunc temporis ista matrimonia fuerint considerata ut *invalida* an ut illicita tantum. Certo aliquando contrahebantur matrimonia inter fidelem et infidelem, e. g. inter S. Caeciliam et Valerianum, inter S. Monicam et Patricium, inter Clotildam et Clodovaeum; sed utrum contracta fuerint cum debita dispensatione necne, iterum non constat. Gratianus (ca a. 1150) impedimentum cultus disparitatis eodem modo enumerat ac impedimenta consanguinitatis et affinitatis, quae quidem certo ut dirimentia habebantur[5]. A temporibus Gratiani disparitas cultus videtur ab omnibus admissa esse impedimentum dirimens matrimonii. Quare S. Thomas ut aliquid omnibus notum supponit: «Disparitas cultus praecedens matrimonium impedit contrahendum et dirimit contractum.»[6] Nihilominus nescitur, quodnam Concilium oecumenicum vel quinam Summus Pontifex hoc impedimentum dirimens pro tota Ecclesia statuerit; unde Benedictus XIV dicit: «Matrimonia ob disparitatem cultus sunt irrita non quidem iure ss. canonum, sed

[1] Cod. iur. can. c. 1070, § 1. [2] Summa l. 4, tit. 10. [3] Cf. Dt 7, 3.
[4] E. g. Conc. Elvir. a. 306, Conc. Arelat. a. 314, Conc. Hippon. a. 393, Conc. Aurel. II a. 533.
[5] «Iubentur separari ab invicem, qui contra Dei vel Ecclesiae decretum copulati sunt, utpote fideles cum infidelibus, consanguinei cum consanguineis, vel affines cum affinibus. Hi omnes, si sibi invicem copulati fuerint, separandi sunt» (c. 14, C. 28, q. 1).
[6] Suppl. q. 59, a. 1 ad 1.

generali Ecclesiae more, qui pluribus adhinc saeculis viget ac vim legis obtinet.» [1] Idem Pontifex putat hanc legem consuetudinariam iam exstitisse saeculo VI [2]. Nunc autem statuit Codex iur. can. c. 1070, § 1: «Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.» Proinde hoc impedimentum non exsistit inter paganum et personam baptizatam in Ecclesia acatholica et nondum conversam.

824 **Regula generalis.** *In ordine ad matrimonium baptismus dubius censetur validus.* Ita pluries S. Officium declaravit, e. g. d. 18 Sept. 1890: «Baptismus dubius sive dubio *iuris* (de validitate) sive facti (de collatione) in ordine ad validitatem matrimonii (contracti vel contrahendi) habendus est ut validus, si dubium post accuratum et diligens examen simpliciter tolli nequeat, vel propter circumstantias per accidens exsistentes non visum sit opportunum solvere dubium.» [3] — Quando autem postea dubius baptismus cognoscitur *certo* nullus et invalidus, nihilominus nequit *ex privata auctoritate* matrimonium rescindi propter impedimentum disparitatis cultus, sed debet recursus fieri ad Ordinarium, qui «cum interventu defensoris vinculi matrimonialis, *quin opus sit secunda sententia*» [4], declarare potest nullitatem matrimonii praedicti.

Aliqui, iique graves auctores [5] aliter sentiunt de hac materia, scil. docent matrimonium contractum inter putative baptizatos semper remanere validum, etiamsi postea detegitur alterutrum contrahentium non esse (vel invalide esse) baptizatum. Sic e. g. Santi-Leitner [6] dicit: «Quoties matrimonium contrahebatur cum certitudine vel praesumptione baptismi, matrimonium validum erat. Et quia validum erat, postea — detecta invaliditate baptismi — non redditur invalidum, quia matrimonium semel validum semper validum.» Aliis verbis: Quotiescumque matrimonium contrahitur inter certo aut dubie baptizatos, oritur *praesumptio iuris et de iure* matrimonium esse validum, contra quam praesumptionem nulla admittitur exceptio propter impedimentum disparitatis cultus. Merito dicitur in «Causa De Breuil-Denison»: «Haec doctrina non facile conciliari videtur cum nonnullis declarationibus authenticis S. Congr. Officii. In Instructione S. Officii d. 5 Iunii 1889 enim dicitur: ‚Quando agitur de impedimento disparitatis cultus et evidenter constat unam partem esse baptizatam et alteram partem non fuisse, . . . matrimonium poterit ab Ordinario declarari nullum.'» [7] Quomodo autem matrimonium poterit declarari nullum, si ab initio fuerit validum? Ceterum haec sententia videtur esse manifeste opposita canoni 1070, § 2.

In praxi sic procedendum est: Quotiescumque oritur positivum dubium de baptismo alicuius nupturientis vel iam matrimonio christiano iuncti, debent prudenter fieri investigationes de baptismo dubio iuxta modum a S. Officio statutum [8]. a) *Si dubium remanet,* investigatione facta, vel si huiusmodi investigationes prudenter fieri nequeunt, tunc baptismus censetur validus in ordine ad matrimonium. Utrum autem baptismus sit sub condicione reiterandus pro maiore *securitate salutis aeternae* et pro licita receptione aliorum

---

[1] Const. «Singulari nobis» d. 9 Febr. 1749. [2] Opera inedita 431.
[3] Cf. Cod. iur. can. c. 1070, § 2.
[4] Ita S. Offic. d. 5 Iunii 1889 et Cod. iur. can. c. 1990.
[5] *Gasparri,* De matrim. n. 598; *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 273.
[6] Prael. iur. can. IV 71. [7] Acta Ap. Sedis III 400.
[8] S. C. Inquis. d. 17 Nov. 1830, d. 18 Apr. 1890.

sacramentorum, est alia quaestio, quae solvi debet consideratis omnibus circumstantiis. b) Si, investigatione facta, *constat de nullitate baptismi,* aut res deferenda est ad Ordinarium, qui potest matrimonium declarare nullum, ut supra dictum est, aut putativi coniuges debent consensum maritalem in legitima forma renovare, postquam baptismus valide collatus est. Si pars, de cuius baptismi nullitate constat, renuit quidem suscipere baptismum, sed in matrimonio perseverare ac praescriptas cautiones praestare vult, petenda est dispensatio super impedimentum disparitatis cultus.

Cessatio impedimenti disparitatis cultus. Hoc impedi- 825
mentum cessare potest tribus modis:

1. *Per validam susceptionem baptismi* et legitimam renovationem consensus. Per se patet.

2. *Per dispensationem,* quam Summus Pontifex concedere solet per S. Officium [1] aut in locis missionum per Vicarios Apostolicos vel etiam per simplices missionarios. In regionibus catholicis raro conceditur haec dispensatio, praesertim si agitur de matrimonio ineundo cum *iudaeo* [2]. In gravi autem mortis periculo alioque casu urgenti Ordinarii, parochi vel etiam omnes sacerdotes confessarii possunt dispensare super hoc impedimento, ut infra n. 866 dicetur. Dispensatio super impedimento disparitatis cultus non potest dari, nisi observentur ea, quae supra pro celebrandis matrimoniis mixtis indicata sunt, et praecipue, nisi prius praestentur *cautiones praescriptae* pro matrimoniis mixtis, scil. educatio universae prolis in fide catholica, et libertas cultus pro coniuge catholico. Quodsi istae cautiones non requisitae aut denegatae fuerint, dispensatio concessa est *invalida*, ac Ordinarius valet pronuntiare nullitatem matrimonii sic contracti, quin opus sit singulis vicibus ad Sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere. Ita S. Officium d. 21 Iunii 1912 [3]. *Dispensatio est invalida, si uterque contrahens has cautiones non praestiterit.* Quae quidem apprime attendenda sunt, si parochus aut sacerdos dispensat super hoc impedimento in gravi periculo mortis.

Item notanda est Instructio S. Officii d. 16 Sept. 1824: «Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri.» [4] Pars infidelis exempta est ab omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici, quia non est subdita iurisdictioni Ecclesiae. Huiusmodi impedimenta sunt aetas, affinitas, crimen etc. Hinc quando e. g. concessa est dispensatio super impedimento disparitatis cultus, implicite etiam dispensata est affinitas, quam incurrit pars infidelis, ut patet ex sequenti casu in eadem Instructione S. Officii soluto: «Paulus viduus christianus Balbinam infidelem duxit in uxorem. . . . Demetrius Pauli filius ex priore uxore proveniens declarat se rem habuisse cum Balbina. Quaeri-

[1] Const. «Sapienti consilio» d. 29 Iunii 1908, I 5; Cod. iur. can. c. 247, § 3.

[2] Cf. denegatam dispensationem iudaei Popper apud *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 275.

[3] Acta Ap. Sedis IV 443.

[4] Collect. de Prop. Fide n. 1062.

tur, an ex huiusmodi copula cum muliere infideli resultet impedimentum affinitatis in primo gradu? — Si praevia apostolica dispensatione Paulus Balbinam duxit, etiamsi praecessisset Demetrii copula cum eadem Balbina, iam pro valido habendum est matrimonium.»

3. *In casu impossibilitatis.* Hinc si in aliqua regione adeo pauci sunt christiani, ut nequeant matrimonium inter se inire neque valeant propter locorum distantiam vel ob alias rationes dispensationem petere, cessat impedimentum, quoniam in hoc casu ius naturale ad matrimonium videtur praevalere iuri ecclesiastico statuenti impedimentum disparitatis cultus. Ita docent merito complures auctores, e. g. Gasparri[1], Leitner[2], quorum sententiae favet S. Officium d. 4 Iunii 1851 docens, fideles non esse inquietandos, qui in huiusmodi circumstantiis matrimonium inierunt cum non-baptizatis sine dispensatione prius obtenta. Attamen etiam in istis casibus requiruntur cautiones supra recensitae, quippe quae non a sola lege ecclesiastica, sed a lege divina requirantur.

826 **Scholion 1.** Disparitas cultus *superveniens* adest, quando matrimonio legitimo paganorum contracto alter coniugum valide baptizatur. Quomodo tunc agendum sit, patet ex supra n. 675 dictis de «privilegio Paulino».

Scholion 2. Quantum ad caeremonias adhibendas in celebratione matrimonii inter partem baptizatam et non-baptizatam fere eadem valent, quae praescribuntur pro celebratione matrimonii mixti, nisi in indulto dispensationis specialia exigantur.

§ 10.

Cognatio naturalis sive consanguinitas.

Praenotamen. Triplex solet distingui cognatio: 1. *naturalis*, quae et consanguinitas vocatur; 2. *spiritualis*, quae oritur ex baptismo et confirmatione; 3. *legalis*, quae procedit ex adoptione legali. De singulis singillatim agendum est.

827 **Notio.** *Impedimentum consanguinitatis (sanguinis unitas) est propinquitas personarum ab eodem stipite propinquo seu progenitore descendentium, quae irritat matrimonium intra determinatos gradus.*

Declaratur: Fundamentum consanguinitatis est stipes communis et quidem propinquus, ex quo nupturientes per carnalem generationem descendunt. Omnes quidem homines descendunt ab eodem stipite primo, scil. ab Adamo, sed matrimonium non prohibetur nisi inter personas, quae a stipite *propinquo* infra tertiam generationem descendunt. Ad recte iudicandum de consanguinitate, prout est impedimentum matrimonii, tria imprimis sunt attendenda: stipes, linea, gradus.

Stipes (radix, truncus) vocatur illa persona (sive mas sive femina), a qua tamquam a radice communi nupturientes (de quorum consanguinitate agitur) per carnalem generationem (sive legitimam sive illegitimam, sive mediatam sive immediatam) descendunt. Hinc e. g. avus est communis stipes nepotum, pater filiorum etc.

---

[1] De matrim. n. 623. [2] Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 273.

Linea vocatur naturalis series personarum consanguinearum. Distinguitur duplex linea: recta et collateralis. Linea *recta* vocatur series personarum, quarum una descendit ab alia, ideoque complectitur: a) *ascendentes*, quales sunt pater, avus, proavus, (lina recta ascendens); b) *descendentes*, quales sunt filius, nepos, pronepos (linea recta descendens). — Linea *collateralis* (transversa, obliqua) est series personarum, quae quidem ab uno eodemque stipite descendunt, *sed non una ab alia;* e. g. frater et soror descendunt quidem ab eodem stipite, scil. a patre, sed frater non descendit a sorore et vice versa soror non a fratre. Si personae lineae collateralis distant *aequaliter* a communi stipite, ut frater et soror a patre aut nepotes ab avo, est linea collateralis *aequalis;* sin autem una persona magis distat a communi stipite quam alia, e. g. frater et consobrina, adest linea collateralis *inaequalis*. (Vide infra arborem consanguinitatis.)

Gradus est mensura distantiae in consanguinitate. Duplex potissimum modus exsistit computandi hos gradus vel hanc distantiam: computatio *civilis* seu romana, quae vigere solet in iuribus civilibus et in Ecclesia orientali [1]; ac computatio *canonica* (germanica, theutonica), quae nunc viget in Ecclesia latina [2]. In linea *recta* utraque computatio est eadem. In linea autem *collaterali* computatio civilis numerat gradus seu generationes tam ex parte sponsi quam ex parte sponsae, adeo ut tot gradus censeantur adesse, quot sunt generationes ex utraque parte simul sumptae. E. g. frater et soror sunt in secundo gradu consanguinei iuxta computationem civilem, quia ex parte fratris est una generatio a communi stipite (a patre), et pariter est una generatio ex parte sororis. — Computatio vero *canonica* enumerat quidem ab utraque persona nupturiente gradus seu generationes usque ad communem stipitem, sed *non simul iungit*. Sic e. g. frater et soror iuxta hanc computationem sunt in primo gradu consanguinei, quia tum a fratre tum a sorore ad communem stipitem est una tantum generatio. — Quibus praemissis sequentes regulae dantur ad computandos gradus [3].

Regula 1. *In linea* **recta** *tot sunt gradus, quot sunt generationes;* vel quod idem est: *tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite.*

E. g. inter sponsum et eius proavum sunt tres gradus, quia sunt tres generationes, vel tres personae, si demas proavum.

Regula 2. *In linea* **collaterali aequali** *tot sunt gradus, quot sunt generationes (seu personae, dempto stipite) computatae ex una tantum parte* (sive sit sponsus sive sit sponsa).

E. g. consobrini sunt in secundo gradu consanguinei, quia sunt duae generationes usque ad communem stipitem, qui est avus. Sunt etiam duae personae, si demas avum, scil. ipsi consobrini eorumque parentes.

Regula 3. *In linea* **collaterali inaequali** *tot sunt gradus, quot sunt generationes (seu personae, dempto stipite) computandae in linea longiore.*

Valet enim adagium: *gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Sic e. g. patruus et neptis [4] sunt consanguinei in secundo gradu collaterali inaequali; nam communis stipes est avus, a quo distat patruus uno quidem gradu, sed

[1] *Papp-Scilagyi,* Enchir. iur. eccl. orient. cath. 262.
[2] c. 2, C. 35, q. 5. [3] Cod. iur. can. c. 96. [4] *Onkel und Nichte.*

neptis duobus gradibus. In dispensationibus petendis uterque gradus explicandus est; quod hoc modo solet fieri: patruus et neptis sunt consanguinei in secundo gradu attingente primum. Ad facilius inveniendos et computandos gradus iam in Corpore iuris canonici[1] delineata fuit sic dicta «arbor consanguinitatis», cuius figuram paululum mutatam hic damus sicuti etiam nomina consanguineorum in quibusdam linguis vernaculis.



Fig. 1.

829 **Divisiones.** Consanguinitas distinguitur:

a) *legitima* et *illegitima*, prout generatio facta est in legitimo matrimonio aut extra matrimonium. Potest tamen proles illegitima legitimari, ut infra dicetur n. 893;

b) *plena* (perfecta) et *minus plena* (imperfecta), prouti personae consanguineae descendunt ex iisdem *ambobus* parentibus, vel tantum ex eodem patre eademve matre. — Fratres habentes eundem patrem, sed non eandem matrem vocantur «*consanguinei*»; habentes autem eandem matrem, sed non eundem patrem appellantur «*uterini*»; habentes vero eundem patrem et eandem matrem dicuntur «*germani*»;

[1] Post c. 6, C. 35, q. 5.

LINEA RECTA.

	Germanice	*Gallice*	*Anglice*	*Italice*	*Hispanice*
1.	Vater	Père	Father	Padre	Padre
	Mutter	Mère	Mother	Madre	Madre
2.	Großvater	Aïeul	Grandfather	Nonno, Avolo	Abuelo
	Großmutter	Aïeule	Grandmother	Nonna, Avola	Abuela
3.	Urgroßvater	Bisaïeul	Great-grandfather	Bisnonno, Bisavolo	Bisabuelo
	Urgroßmutter	Bisaïeule	Great-grandmother	Bisnonna, Bisavola	Bisabuela
1.	Sohn	Fils	Son	Figlio	Hijo
	Tochter	Fille	Daughter	Figlia	Hija
2.	Enkel	Petit-fils	Grandson	Nipote	Nieto
	Enkelin	Petite-fille	Granddaughter	Nipote	Nieta
3.	Urenkel	Arrière-petit-fils	Great-grandson	Pronipote	Bisnieto
	Urenkelin	Arrière-petite-fille	Great-granddaughter	Pronipote	Bisnieta

LINEA COLLATERALIS.

1.	Bruder	Frère	Brother	Fratello	Hermano
	Schwester	Sœur	Sister	Sorella	Hermana
2	Onkel (Vaters Bruder)	Oncle paternel	Paternal uncle	Zio paterno	Tío carnal paterno
	Tante (Vaters Schwester)	Tante paternelle	Paternal aunt	Zia paterna	Tía carnal paterna
3	Großonkel (Großvaters Bruder)	Grand-oncle paternel	Great uncle	Prozio paterno	Tío segundo paterno
	Großtante (Großvaters Schwester)	Grand'tante paternelle	Great aunt	Prozia paterna	Tía segunda paterna
1.	Bruder	Frère	Brother	Fratello	Hermano
	Schwester	Sœur	Sister	Sorella	Hermana
2.	Oheim (Mutters Bruder)	Oncle maternel	Maternal uncle	Zio materno	Tío carnal materno
	Muhme (Mutters Schwester)	Tante maternelle	Maternal aunt	Zia materna	Tía carnal materna
3.	Großoheim (Großmutters Bruder)	Grand-oncle maternel	Grandmother's brother	Prozio materno	Tío segundo materna
	Großmuhme (Großmutters Schwester)	Grand'tante maternelle	Grandmother's sister	Prozia materna	Tía segunda materna
1.	Bruder	Frère	Brother	Fratello	Hermano
	Schwester	Sœur	Sister	Sorella	Hermana
2.	Geschwisterkinder	Cousins germains	First cousins	Cugini primi	Primos hermanos
	Id.	Cousines germaines	Id.	Cugine prime	Primas hermanas
3.	Andere Geschwisterkinder	Cousins issus de germains	Second cousins	Cugini secondi	Primos segundos
	Id.	Coussines issues de germains	Id.	Cugine seconde	Primas segundas

c) *cognatio* et *agnatio*, prout consanguinitas orta est per lineam femineam seu matrem vel per lineam masculinam[1] seu patrem;

d) *simplex* et *multiplex*, prout duae personae consanguineae ab uno communi stipite descendunt, vel prout adsunt *plures* communes stipites. Ita iuxta vigentem disciplinam[2]. Antea alii quoque casus multiplicis consanguinitatis occurrebant.

Cum in praxi nonnumquam sit satis difficile invenire multiplicem consanguinitatem, oportet paulo latius explicare duos casus multiplicis consanguinitatis.

830 **Multiplex consanguinitas.** *Primus casus.* Si inter ascendentes duorum sponsorum membra unius familiae cum membris alterius familiae matrimonia celebrarunt, e. g. duo fratres uniùs familiae duxerunt duas sorores ex alia familia. In hoc casu sunt duo stipites communes, ut apparet ex schemate hic posito. Nam ambo avi sponsi et ambo avi sponsae fuerunt fratres et sorores. Exinde duo nupturientes sunt consanguinei in duplici gradu tertio. Ut per se patet, possunt etiam alia exempla similia fingi.



Fig. 2.
Primus casus.



Fig. 3.
Secundus casus.

Secundus casus. Si ascendentes fuerunt consanguinei et unus ex istis duxit successive duas consanguineas, ut clare conspicitur ex schemate hic posito. In hoc casu sunt item duo stipites communes, et nupturientes sunt consanguinei in tertio et secundo gradu.

831 

Fig. 4.

Nota. Quando petenda est dispensatio super consanguinitatis impedimento, necessario exprimi debet, utrum adsit simplex an multiplex; utrum sit plena an semiplena; utrum in linea recta an in collaterali sit consanguinitas. Valde expedit, ut in petitione delineetur *schema consanguinitatis*, sicut hic monstratur; immo in aliquibus dioecesibus huiusmodi schema expresse exigitur in qualibet petitione porrigenda.

Modus inveniendi gradus consanguinitatis. Complures modi praesto sunt, quorum tamen sequens videtur esse facilior, clarior et securior. Si quod dubium rationabile parocho surgit de consanguinitate nupturientium, nomina sponsi et sponsae scribantur in aliquo folio non ita parvae extensionis, deinde supra nomen sponsi omnia nomina ascendentium eius, et similiter supra nomen sponsae omnia nomina ascendentium illius. Postea numerentur

[1] In vetere iure Germanico cognati vocabantur *Spillmagen* et agnati *Schwertmagen*.
[2] Cod. iur. can. c. 1076, § 2.

generationes, quae intercedunt, usquedum perveniatur ad stipitem communem. Numerus istarum generationum a communi stipite usque ad sponsum dat gradus consanguinitatis ex eius parte; numerus autem generationum a communi stipite usque ad sponsam dat gradus consanguinitatis ex parte sponsae. Si e. g. inveniuntur tres generationes a communi stipite tum ex parte sponsi tum ex parte sponsae, adest consanguinitas in tertio gradu aequali lineae collateralis. Vide schema supra p. 578 positum. Sin autem sunt quattuor generationes a stipite communi usque ad sponsum et tres usque ad sponsam, tunc nupturientes sunt consanguinei in quarto gradu lineae collateralis attingente tertium. In hoc ultimo casu dispensatio iam non est necessaria, quia iuxta adagium supra enuntiatum *gradus remotior trahit ad se gradum propinquiorem,* et dispensatio solummodo requiritur, ut infra dicetur, si nupturientes sunt consanguinei usque ad tertium gradum inclusive. Si adest multiplex consanguinitas, gradus computandi sunt ab utroque stipite communi, vel iuxta diversas vias, quibus fit ascensus ad utrumque stipitem communem.

Origo impedimenti consanguinitatis. 832

1. *Ex ipso iure naturali* oritur impedimentum dirimens consanguinitatis in linea recta (sive ascendente sive descendente), et se extendit non solum ad primum gradum (inter patrem et filiam, inter matrem et filium), sed etiam ad omnes alios gradus. *In primo gradu lineae rectae,* i. e. inter patrem et filiam sicuti inter matrem et filium matrimonium prohiberi ex ipso iure naturali omnes admittunt, et vel ipsae gentes barbarae, immo etiam bruta animalia solent abhorrere ab huiusmodi coniunctione carnali. Ratio autem desumitur ex ordine tum *physico* tum *morali.* Etenim ex tali commixtione carnali vel nulla vel debilis et deformis proles solet nasci. In unione maritali et carnali exsistit inter contrahentes *aequalitas,* cum econtra inter parentes et filios non adsit aequalitas sed subiectio reverentiaque parentibus debita. — *In aliis gradibus lineae rectae* matrimonium probabiliter etiam ex iure naturali prohibetur propter easdem rationes ordinis physici et moralis, sed complures iique gravissimi auctores, ut Billuart[1], Caietanus[2], quibus favere videtur S. Thomas[3], docent ex solo iure ecclesiastico consanguinitatem aliorum graduum dirimere matrimonium. Unde in praxi, si casus accideret, ut in paganismo avus duxisset neptem suam et postea unus alterve coniux baptizaretur, Sancta Sedes esset consulenda, quid facto opus sit.

[1] De matrim. diss. 7, a. 4, § 2, dico 3°. [2] Comm. in 2, 2, q. 154, a. 9.

[3] Angelicus Doctor dicit: «In commixtione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens et repugnans naturali rationi; sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios, quorum est per se et immediata cognatio: nam filii naturaliter honorem debent parentibus. Unde Philosophus dicit, quod quidam equus, quia deceptus fuit, ut matri commisceretur, se ipsum praecipitavit quasi prae horrore, eo quod etiam animalibus aliquibus inest naturalis reverentia ad parentes. — Aliae vero personae, quae non coniunguntur secundum se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam: sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundum consuetudinem et legem humanam et divinam, quia usus venereorum, qui ordinatur ad bonum commune, subiacet legi. Et ideo, sicut Augustinus dicit: ‚Commixtio sororum et fratrum, quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione prohibente'» (S. theol. 2, 2, q. 154, a. 9 ad 3). Similia habentur in Suppl. q. 54, a. 3. Quidam veteres auctores lepide refutabant sententiam oppositam dicentes: Si ex ipso iure naturali consanguinitas in omnibus gradibus lineae rectae dirimeret matrimonium, Adam redivivus nullam feminam posset in matrimonium ducere, quia omnes ab eo descenderunt in linea recta.

2. *Ex solo iure ecclesiastico* ortum est in Novo Testamento impedimentum dirimens consanguinitatis in omnibus gradibus *lineae collateralis*. Ita sententia probabilior, de qua Benedictus XIV dicit: «Non convenit inter theologos, an matrimonium inter fratrem et sororem iure naturali, divino vel humano prohibeatur; certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius et Aversa solam iuris positivi prohibitionem agnoscunt.» [1] — Ratio autem est, quia inter fratrem et sororem aut alios consanguineos remotiorum graduum non intercedit talis respectus reverentiae et subiectionis, qualis inter parentes et filios. Deinde incongruum est dicere Deum statim in initio mundi aliquid contra ipsum ius naturale statuisse. Iam vero certum est, filios Adami duxisse in uxores proprias sorores germanas. Ex hac sententia sequitur, ut, si in paganismo frater et soror matrimonium contraxerint (quin lex civilis illius regionis tale matrimonium irritaverit), et si postea unus vel uterque coniux baptizatur, non possit eorum matrimonium eo ipso irritum declarari, sed recurrendum est ad S. Sedem. — Si agitur de matrimonio *contrahendo*, Summus Pontifex numquam dispensat, ut matrimonium ineatur inter fratrem et sororem, seu in primo gradu lineae collateralis [2]; rarissime autem dispensat in secundo gradu attingente primum, e. g. ut avunculus ducat sororis filiam.

833 **Ambitus impedimenti consanguinitatis.** *Iuxta vigentem disciplinam Ecclesiae latinae consanguinitas in linea collaterali dirimit matrimonium usque ad tertium gradum inclusive; et nihil refert, utrum consanguinitas orta sit ex legitimo an ex illegitimo toro* [3].

Olim consanguinitatis impedimentum usque ad septimum et postea ad quartum gradum extendebatur. — Cum iuxta adagium saepius citatum *gradus remotior ad se trahat propinquiorem*, impedimentum dirimens consanguinitatis iam non adest, si ex una parte contrahentium sint quattuor gradus usque ad communem stipitem, licet ex altera parte sint tantum duo vel tres gradus. — Optima regula populo tradenda et in praxi satis facile adhibenda ad discernendum, num consanguinitatis impedimentum adsit, est haec:

Non adest impedimentum consanguinitatis, si nupturientium parentes non fuerunt saltem patrueles aut consobrini, aut quod idem est: *si nupturientium avi non fuerunt fratres vel sorores.*

834 **Convenientia impedimenti consanguinitatis** ex triplici potissimum ratione elucet:

1. *Bonum sociale per illud valde promovetur.* Teste S. Augustino [4], universum genus humanum ex voluntate Dei vinculis caritatis magis magisque dilatatis in unam concrescat necesse est societatem et Dei civitatem. Matrimonia autem, utpote seminaria caritatis, sunt media maxime idonea et efficacia huius unionis faciendae, dummodo tamen sint rite inita et sancte conservata. Quodsi autem matrimonia inter solos consanguineos contrahantur, haec unio socialis minus perfecte obtinetur [5].

2. *Bonum morale per illud conservatur.* Consanguinei solent familiari consuetudine convivere, saepe sub eodem tecto degunt saepiusque se mutuo

[1] Ep. «Aestas anni» n. XIII, d. 11 Oct. 1757. [2] *Benedict. XIV* ib.

[3] Cod. iur. can. c. 1076, § 2. In Ecclesia orientali hoc impedimentum valet usque ad septimum gradum, i. e. usque ad tertium gradum iuxta computationem canonicam. Cf. *Papp-Szilagyi* l. c. § 107.

[4] De civ. Dei l. 15, c. 16 (c. un. C. 35, q. 1).

[5] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 54, a. 4.

invisunt. Ex qua quidem familiari consuetudine facillime possunt surgere magna pericula castitatis, si non inde a prima pueritia sibi conscii sint consanguinei, se numquam posse legitimas nuptias inire. Impedimentum igitur consanguinitatis est fortis custos moralitatis.

3. *Bonum physicum prolis melius obtinetur.* Etenim experientia comprobat, prolem natam ex matrimonio consanguineorum saepe esse debilem et mente et corpore. Sane si ambo coniuges omnis vitii corporalis expertes gaudent robusta sanitate, huiusmodi periculum pro prole aliquando abest, sed iste casus non semper accidit. Generaliter licet affirmare prolem natam ex matrimonio consanguineorum esse minoris condicionis quam prolem aliorum matrimoniorum (ceteris paribus). — Quae cum ita sint, confessarii et parochi deterreant fideles a matrimoniis ineundis inter consanguineos.

Cessatio huius impedimenti. Per solam dispensationem Summi 835
Pontificis hoc impedimentum cessat, quae tamen numquam conceditur non solum in consanguinitate lineae rectae, utpote probabiliter in omnibus gradibus ex iure naturali dirimente matrimonium, sed etiam in primo gradu lineae collateralis, ut dictum est. Ergo nec in articulo mortis parochus aut confessarius potest permittere matrimonium inter fratrem et sororem.

§ 11.

Cognatio spiritualis.

Notio. *Cognatio spiritualis est propinquitas personarum orta ex* 836
collatione et susceptione baptismi vel confirmationis. Cum enim in baptismo nascamur spiritualiter et haec nativitas in confirmatione quasi ultimum complementum accipiat, illae personae, quae ad haec sacramenta concurrunt, scil. minister et patrini, habentur tamquam parentes spirituales personae baptizatae. Cognatio autem spiritualis orta ex confirmatione iam non causat impedimentum matrimonii.

Origo et ambitus huius impedimenti. Primis temporibus aerae 837
christianae hoc impedimentum videtur fuisse ignotum. Attamen iam mentio explicita illius habetur in Codice Iustiniani circa a. 534[1]. Tum in Decreto Gratiani[2], tum in Decretalibus Gregorii IX[3], tum in libro sexto Bonifatii VIII[4] inveniuntur statuta de cognatione spirituali; pariter in Concilio Tridentino[5]. Tandem Benedictus XV limitavit hoc impedimentum, statuens in Codice iur. can. c. 768 et 1079: «Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus.» Patrinus autem non contrahit hanc cognationem spiritualem, si adhibitus fuit a) in supplendis baptismi caeremoniis, b) in iteratione condicionata baptismi (nisi tamen idem patrinus fuit in primo baptismo et in secundo condicionate iterato)[6].

Condiciones requisitae, ut hoc impedimentum adsit, sunt se- 838
quentes:

1. *Vera et valida administratio baptismi (sive privati sive sollemnis).*

Ex *caeremoniis* sacramentalibus suppletis vel ex invalida administratione huius sacramenti cognatio spiritualis nullo modo contrahitur, econtra videtur oriri

[1] L. 26 (C. de nupt.) V 4. [2] C. 30, q. 1 2 3.
[3] L. 4, tit. 11. [4] L. 4, tit. 3. [5] Sess. 24, c. 2 de reform. matrim.
[6] Cod. iur. can. c. 762, § 2; c. 763, § 2.



Fig. 5.

ex baptismo etiam *privato*, idque non solum inter baptizatum et baptizantem, sed etiam inter baptizatum et patrinum forte adhibitum. Lex enim sine ulla distinctione statuit, ex baptismo spiritualem cognationem oriri inter personas indicatas. Iamvero si lex non distinguit, nec nos debemus distinguere [1]. Ceterum non solent adhiberi patrini in baptismo privato propter defectum temporis vel alias causas.

2. *Minister baptismi et patrini debent esse baptizati.*

Quare infideles non-baptizati ad huiusmodi munus assumpti, utpote non subiecti legibus ecclesiasticis, non contrahunt cognationem spiritualem [2], etiam si ipsi postea baptizati erunt. Sin autem *haereticus* valide baptizatus esset minister baptismi, non esset immunis ab hoc impedimento. Ratio est, quia haeretici subduntur legibus ecclesiasticis, nisi sint specialiter exempti. Non est cur iterum notemus, non nisi in casu urgentis necessitatis haereticum vel infidelem adhibendum esse ut ministrum baptismi privati, numquam autem ut patrinum, qui nec valide hoc munus potest exercere ac proinde nec etiam cognationis spiritualis impedimentum contrahit.

3. *Patrinus debet scienter et libere exercere munus suum, atque habere ceteras condiciones a iure sub poena nullitatis requisitas* [3].

Hinc si quis actuali usu rationis caret, vel si vi aut metu coactus aut sine animo exercet munus patrini, vel si est tantum testis honorarius aut procurator vicens gerens alterius [4], vel si non est rite designatus, non contrahit hoc impedimentum. Insuper, cum patrinus dicatur accipere vel suscipere, tenere vel levare baptizatum, omnino requiritur, ut *physice* (super vestes tamen) tangat baptizatum eo momento, quo essentialis forma sacramenti pronuntiatur; vel saltem ut patrinus e manibus ministri baptizatum accipiat. Si plures quam duo patrini in baptismo illicite designati, admissi fuerunt et revera scienter et libere officium patrini suscipere voluerunt atque baptizatum physice tetigerunt, videntur omnes contraxisse impedimentum cognationis spiritualis [5].

4. *Coniuges baptizantes aut levantes propriam prolem non contrahunt cognationem spiritualem ac proinde nec etiam amittunt ius petendi debitum* [6].

839 **Cessatio huius impedimenti** obtinetur per dispensationem Summi Pontificis. In libello supplici impedimentum exsistens clare et distincte debet describi, nempe utrum sit simplex an duplex cognatio spiritualis. Attamen duplex cognatio spiritualis (si baptizans et patrinus

[1] Ita quoque *Vlaming*, Prael. iur. matr. I[3] 377.
[2] Cf. *De Smet*, De sponsal. et matrim.[3] n. 642.
[3] Cod. iur. can. c 765. Cf. supra in tractatu de baptismo n. 145.
[4] S. C. C. d. 11 Iunii 1881.
[5] Cf. *Leitner*, Lehrb. d. kirchl. Eherechtes § 33, p. 241; *Vlaming* l. c. n. 379.
[6] c. 2, X 4, 11. Ita docet quoque *De Smet* l. c. n. 234.

est idem) vix accidit. Cum cognatio spiritualis nunc accenseatur illis impedimentis, quae dispensatione *minoris gradus* removentur, dispensatio super illa semper valet, ac si «ex motu proprio et ex certa scientia» impertita esset. Proinde talis dispensatio iam numquam est invalida propter vitium obreptionis aut subreptionis[1]. — In gravi periculo mortis exsistentibus et in aliis casibus urgentioribus parochus aut confessarius potest largiri dispensationem super hoc impedimento iuxta c. 1043 et 1044.

§ 12.

Cognatio legalis.

Notio. *Cognatio legalis est propinquitas personarum orta ex adoptione legali civili.* 840

Hoc impedimentum est dirimens inter illas personas, quae legi civili suae patriae declarantur *inhabiles* ad nuptias ob legalem adoptionem; est vero tantum prohibens, si eadem lex civilis declarat tales nuptias solummodo *illicitas*. Ita statuit Cod. iur. can. c. 1059 et 1080. Proinde disciplina ecclesiastica iam non canonizat et adoptat vetus ius Romanum hac in re, sed leges civiles uniuscuiusque regionis. Hinc etiam videtur esse abolitum ecclesiasticum impedimentum cognationis legalis in illis regionibus, ubi lex civilis neque irritat neque prohibet matrimonium inter adoptatum et adoptantem[2].

Convenientiam huius impedimenti sic optime explicat S. Thomas[3]: «Lex divina illas praecipue personas a matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne si eis liceret uti carnali copula, facilis pateret concupiscentiae locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi, et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata.»

Origo huius impedimenti. Cognatio legalis tamquam impedimentum dirimens matrimonii primo statutum est a vetere iure Romano[4]. Quae quidem lex civilis ab Ecclesia postea canonizata est. Quandonam autem hoc factum sit, non ita constat. Gratianus impedimentum cognationis legalis exsistere iam supponit[5]. S. Raymundus autem in compilatione Decretalium specialem titulum posuit de cognatione legali[6], quam postea in sua Summa breviter et clare circumscribit[7]. 841

Ambitus impedimenti. Cognatio legalis dirimit vel prohibet matrimonium iuxta leges civiles uniuscuiusque regionis. 842

Cessatio huius impedimenti. Cognatio legalis, cum iuxta disciplinam vigentem ecclesiasticam prorsus iudicetur iuxta leges civiles uniuscuiusque

---

[1] Normae peculiares d. 29 Sept. 1908 (Acta Ap. Sedis I 91).

[2] Cognatio legalis videtur esse impedimentum dirimens in Hispania, Italia, non autem in Germania, Helvetia, Gallia, Austria, Hollandia, Belgio.

[3] Suppl. q. 57, a. 2.

[4] Instit. Iustin. l. 1, tit. 11; Pandect. l. 1, tit. 7; Cod. l. 8, tit. 48; Novell. 74, c. 3 et 89.

[5] c. 1 5 6, C. 30, q. 3. [6] Lib. 4, tit. 12.

[7] Summa l. 4, tit. 8.

regionis, videtur etiam in foro ecclesiastico cessare, quando cessavit in foro civili. Num S. Sedes concessura sit dispensationem huius impedimenti in casu necessitatis, si lex civilis tale matrimonium irritat aut prohibet, nondum constat.

§ 13.
Affinitas.

843 **Notio.** *Affinitas est propinquitas personarum orta ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato, inter virum et consanguineos mulieris atque vicissim inter mulierem et consanguineos viri*[1].

Explicatur. Causa efficiens affinitatis ante novum Codicem iur. can. fuit copula carnalis de se apta ad generationem; ideoque distinguebatur affinitas ex copula matrimoniali et ex copula fornicaria. Nunc autem causa efficiens affinitatis est *omne et solum validum matrimonium*, saltem ratum, et nihil refert, utrum copula carnalis intercesserit necne. Sedulo igitur distinguenda est disciplina moderna ab antiqua disciplina. Etenim affinitas iam non oritur a) ex copula fornicaria, b) ex matrimonio invalido (quamvis putativo), c) ex matrimonio legitimo consummato paganorum.

844 **Divisio.** Iuxta vigentem disciplinam iam non distinguitur nisi affinitas *simplex* et *multiplex*, prout nititur una vel pluribus causis. Multiplex autem affinitas oritur:

1. quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis, a quo procedit. Quomodo consanguinitas multiplicetur, dictum est supra n. 830;

2. iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti[2]. E. g. si Caius successive ducit Paulam et Annam sorores, duplicem affinitatem contrahit cum Theresia consobrina Paulae et Annae.

845 **Origo et convenientia huius impedimenti.** Licet ex matrimonio vinculum quoddam naturale oriatur cum consanguineis compartis, tamen exinde nondum sequitur, ut impedimentum affinitatis oriatur *ex ipso iure naturali*. Fuerunt quidem complures auctores graves (S. Antoninus, Reiffenstuel, Bellarmino, Pirhing aliique), qui docuerunt saltem affinitatem licitam primi gradus lineae rectae dirimere matrimonium ex ipso iure naturali, ac proinde Papam non posse dispensare in tali affinitate, atque etiam matrimonium paganorum initum inter huiusmodi affines esse irritum; sed sententia longe communior et probabilior docet, nullam prorsus affinitatem dirimere matrimonium ex iure naturali[3]. S. Officium d. 4 Sept. 1743 declaravit, «non esse dubitandum de potestate Pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in linea recta etiam ex copula licita inter vitricum et privignum».

Summus Pontifex non solet dispensare super impedimento affinitatis lineae rectae, saltem si agitur de matrimonio contrahendo. Immo complures Summi

[1] Cod. iur. can. c. 97. De historia impedimenti affinitatis videsis *Freisen*, Gesch. d. kan. Eherechtes § 39 sq. Codex iur. can. adoptavit notionem affinitatis, prout in vetere iure Romano et iuribus civilibus modernis usuvenit. Statuit ius Rom. (L. 4, § 3, D. 38, 10): «Affines sunt viri et uxoris cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, *per nuptias* copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedat; namque coniungendae affinitatis *causa* fit ex nuptiis.»

[2] Cod. iur. can. c. 1077, § 2.

[3] Cf. *Billuart*, De matrim. diss. 7, a. 5, § 3.

Pontifices, e. g. Urbanus VIII, Alexander VII, Innocentius X, Benedictus XIII expresse denegaverunt hanc dispensationem petitam [1]. Aliter res se habet, si copula carnalis exercita est in paganismo et matrimonium contrahitur post baptismum susceptum. S. Officium d. 26 Aug. 1891 generaliter determinavit, «affinitatem, quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis, quae *in infidelitate* ineuntur, evadere tamen impedimentum pro matrimoniis, quae ineuntur *post baptismum*, quo suscepto infideles fiunt subditi Ecclesiae eiusque proinde legibus subiecti» [2].

Convenientissime impedimentum affinitatis ab Ecclesia statutum est. Etenim 846
per matrimonium vir et femina tam intime uniuntur, ut vir quandam arctam relationem contrahat etiam cum consanguineis mulieris et vicissim mulier cum consanguineis viri. Unde sicut conveniens est, ut matrimonium non contrahatur inter consanguineos, ita pariter non expedit, ut connubium fiat inter affines. Accedit, quod secus, si scil. tale matrimonium licitum esset, gravia pericula castitatis orirentur, cum vir soleat familiariter conversari cum consanguineis mulieris, et mulier cum consanguineis viri. — Iam in Vetere Testamento prohibitum erat matrimonium cum noverca, privigna, filia privigni vel privignae [3]. — Quamvis autem primis Ecclesiae saeculis non inveniantur leges generales de impedimento affinitatis, tamen ex Conciliis particularibus [4] clare perspicitur exsistentia huius impedimenti, quod tunc temporis multo latius se extendebat quam nunc. Primam eius limitationem adduxit Innocentius III in Concilio Lateranensi IV (a. 1215) decernens affinitatem ex copula tum licita tum illicita ortam dirimere matrimonium usque ad quartum gradum [5]. Alteram limitationem attulit Concilium Tridentinum [6] statuens affinitatem ex copula fornicaria dirimere matrimonium usque *ad secundum gradum*. Hodie ambitus istius impedimenti est adhuc magis limitatus, ut infra dicetur.

Breviter hic indicamus in quibusdam linguis nomina personarum affinium:

1. LINEA RECTA.

Latine	*Italice*	*Hispanice*	*Gallice*	*Germanice*	*Anglice*
Socer	Suocero	Suegro	Beau-père	Schwiegervater	Father-in-law
Socrus	Suocera	Suegra	Belle-mère	Schwiegermutter	Mother-in-law
Gener	Genero	Yerno	Gendre	Schwiegersohn	Son-in-law
Nurus	Nuora	Nuera	Bru, Belle-fille	Schwiegertochter	Daughter-in-law
Vitricus	Patrigno	Padrastro	Beau-père	Stiefvater	Stepfather
Noverca	Matrigna	Madrastra	Belle-mère	Stiefmutter	Stepmother
Privignus	Figliastro	Hijastro	Beau-fils	Stiefsohn	Stepson
Privigna	Figliastra	Hijastra	Belle-fille	Stieftochter	Stepdaughter

[1] Apud *Leitner*, Lehrb. d. kirchl. Eherechtes § 31, p. 223.

[2] Hanc regulam applicavit idem S. Officium d. 16 Dec. 1898 in sequenti casu practico: Andreas paganus sed nunc baptizatus vult in matrimonium ducere Claram, quae adhuc est catechumena, sed proximo futuro tempore baptismum est susceptura. Clara fuit noverca Andreae, i. e. secunda uxor patris Andreae; immo concubina fuit et avunculi et avi Andreae. Fuit igitur Clara tripliciter affinis cum Andrea (scil. in primo, in secundo attingente primum, in secundo gradu lineae rectae). S. Officium respondit: «Si ambo sponsi in infidelitate affines, *post* susceptum baptisma matrimonio coniungi petant, supplicandum Sanctissimo pro dispensatione.» — Si Andreas et Clara in paganismo exsistentes matrimonium contraxissent, nulla dispensatio necessaria fuisset, baptismo ab utraque parte suscepto. Sin autem Andreas baptizatus cum Clara non-baptizata contraxisset, dispensatio super impedimento disparitatis cultus fuisset necessaria; quae quidem dispensatio simul abstulisset impedimenta affinitatis. Cf. supra n. 825.

[3] Cf. Lv 18, 8 sqq.; Dt 27, 20.

[4] E. g. Conc. Illiberit. circa a. 300, Conc. Neocaesar. circa a. 314.

[5] c. 8, X 4, 14. [6] Sess. 24, c. 4 de reform. matrim.

2. LINEA COLLATERALIS.

Levir	Cognato	Cuñado	Beau-frère	Schwager	Brother-in-law
Glos	Cognata	Cuñada	Belle-sœur	Schwägerin	Sister-in-law

Sororius (maritus sororis) } eodem modo in linguis vernaculis nominantur ac Levir et Glos, nisi tamen
Fratria (uxor fratris) } claritatis causa tota traductio detur, i. e. «der Mann der Schwester».

Nota. Si adsunt ulteriores gradus affinitatis, adhibenda sunt nomina cognationis, e. g. avia uxoris vel proavia mariti etc.

847 **Computatio graduum in affinitate.** S. Thomas[1] veteresque auctores docebant, affinitatem proprie non habere gradus, gradus enim ex *generationum* serie computari. Iam vero affinium nullae sunt generationes, quippe quae solis consanguineis competant. Affinitas igitur non habens proprios gradus, desumit gradus *ex consanguinitate* alterius partis. Unde consanguinei viri sunt affines feminae et consanguinei feminae sunt affines viri. Ex quibus dictis sequitur pro computandis gradibus affinitatis haec regula:

Tot sunt gradus affinitatis ex una parte, quot sunt gradus consanguinitatis ex altera parte, vel ut dicit S. Thomas[2]: «*Quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.*»



Fig. 6.

Regula haec clare perspicitur in figura hic posita, ubi affinitas usque ad secundum gradum *lineae rectae* delineatur, et ex qua apparet virum et mulierem esse stipitem, ex quo affinitas cumputanda est.

Valde notanda sunt adagia: «*Affinitas non parit affinitatem*», et: «*Affinitas non egreditur copulatos*». Quamobrem inter consanguineos viri et consanguineos mulieris nulla affinitas exsistit.

Hinc e. g. duo fratres possunt in matrimonium ducere duas sorores; pater et filius possunt ducere matrem et filiam; immo pater potest ducere filiam et filius matrem, in quo casu filius evaderet socer proprii patris; filius mariti et filia uxoris ex prioribus connubiis procreati possunt inter se matrimonium inire; potest quis successive ducere duas viduas, quarum defuncti mariti erant fratres germani.

848 **Ambitus impedimenti affinitatis iuxta vigens ius ecclesiasticum.**

Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu, in linea autem collaterali usque *ad secundum gradum inclusive*[3].

Cessatio huius impedimenti. Impedimentum affinitatis semel contractum non cessat nisi per legitimam dispensationem. Si agitur de affinitate lineae rectae, non solet dispensatio concedi (saltem ad matrimonium con-

[1] Suppl. q 55, a. 7. [2] Ib.
[3] Cod. iur. can. c. 1077.

trahendum)[1]. In omnibus autem aliis casibus dispensatio obtineri potest; et huiusmodi dispensandi facultas pro articulo mortis alioque casu urgenti continetur in Codice iur. can. c. 1043 et 1044.

§ 14.

Honestas publica.

Notio. *Impedimentum publicae honestatis* (quod et iustitia publica honestatis aut quasi-affinitas vocatur) *est propinquitas personarum orta aut* a) *ex matrimonio invalido, aut* b) *ex publico vel notorio concubinatu*[2]. 849

Origo. Hoc impedimentum introductum est a Benedicto XV. Nam antiquum impedimentum publicae honestatis fuit aliquid prorsus aliud. Iuxta vigentem disciplinam publicae honestatis impedimentum praesertim oritur ex matrimonio civili invalido. — Cum matrimonia contracta ante novum Codicem iudicanda sint secundum antiquum ius, oportet prae oculis habere, publicam honestatem tunc dirimere matrimonium usque ad primum gradum, si orta fuit ex sponsalibus; ad quartum autem gradum, si orta fuit ex matrimonio rato.

Ambitus impedimenti. Impedimentum publicae honestatis dirimit nuptias in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris ac vice versa[3]. 850

Cessatio huius impedimenti, quod, utpote meri iuris ecclesiastici, paganos non obligat, solummodo obtinetur per dispensationem Summi Pontificis.

In articulo mortis alterutrius contrahentium et in casu urgentis necessitatis parochus aut confessarius dispensare potest super hoc impedimento iuxta can. 1043 et 1044 Cod. iur. can. Cum hoc impedimentum in secundo gradu computetur inter illa, quae sunt minoris gradus, dispensatio semel concessa valida est, licet vitium obreptionis aut subreptionis in dispensationis petitione commissum fuerit. Valet igitur idem, quod supra dictum est de impedimentis cognationis spiritualis, affinitatis in secundo gradu collaterali, consanguinitatis tertii gradus lineae collateralis.

Hoc impedimentum non cessat morte alterutrius concubinarii aut coniugis, nec etiam legitima dissolutione concubinatus aut matrimonii invalidi; aliis verbis: *impedimentum publicae honestatis semel contractum est perpetuum et numquam cessat, nisi legitime dispensatum fuerit.*

Disputatur inter auctores, utrum adsit duplex impedimentum, scil. publicae honestatis et affinitatis, si matrimonium invalidum convalidetur an econtra tunc publica honestas seu quasi-affinitas transeat in veram et solam affinitatem. Adesse duplex impedimentum asserunt quidam, e. g. Vlaming[4], Scharnagl[5], Schäfer[6], De Smet[7]. — Publicam honestatem transire in affinitatem per con- 851

---

[1] Talem dispensationem concessit S. Poenitentiaria ad convalidandum matrimonium iam contractum d. 2 Dec. 1911.

[2] Cod. iur. can. c. 1078. [3] Ib.

[4] Prael. iur. matr. I[3] 367. [5] Das neue kirchl. Gesetzbuch 94.

[6] Das Eherecht 109. [7] De sponsal. et matr.[3] 633.

validationem ita, ut non adsit nisi unum impedimentum matrimonii, docent complures iique graves auctores, e. g. Gasparri[1], Leitner[2], D'Annibale[3], Vogt[4]. Utraque sententia limites probabilitatis non excedit, sed secunda videtur praeferenda, tum quia valde consentaneum est quasi-affinitatem cessare superveniente *vera* affinitate, tum quia in praxi non solet peti dispensatio super utroque impedimento, sed tantum super solo impedimento affinitatis ex matrimonio consummato ortae.

§ 15.
Crimen.

852 **Notio.** *Impedimentum criminis est lex ab Ecclesia constituta, qua a matrimonio valido arcentur personae, quae commiserunt aut adulterium qualificatum aut coniugicidium qualificatum.*

Finis huius legis est protegere matrimonium contra infidelitates utriusque coniugis. Disciplina vigens et ambitus huius impedimenti primo stabilita sunt in Decretalibus Gregorii IX[5] in tit. «De eo, qui duxit in uxorem quam polluit per adulterium»; quam disciplinam optime explicavit Benedictus XIV in Const. «Redditae nobis» d. 5 Dec. 1744.

Divisio. Ut apparet ex definitione data, impedimentum criminis oritur ex duplici fonte, scil. vel ex adulterio qualificato vel ex coniugicidio qualificato. Porro adulterium tribus modis qualificatur, scil. per adiectam promissionem matrimonii, per attentationem matrimonii adiunctam, per coniugicidium ab alterutro commissum. Coniugicidium qualificatur ex hoc, quod est communi consilio factum. Sunt igitur quattuor casus, in quibus hoc impedimentum oritur:

1. ex adulterio cum promissione matrimonii,
2. ex adulterio cum attentatione matrimonii,
3. ex adulterio cum coniugicidio ab alterutro adultero patrato,
4. ex sòlo coniugicidio, sed communi consilio patrato[6].

Propter similitudinem tractamus primum et secundum casum simul, sequentes Codicem iur. can. c. 1075.

835 **Primus et secundus casus: Adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii[7].**

Ut impedimentum criminis revera oriatur, requiruntur quaedam conditiones tum ex parte adulterii, tum ex parte promissionis, tum ex parte attentationis.

---

[1] De matrim. n. 698 et 721. [2] Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 231.

[3] Summula Theol. mor. III, n. 434, nota 25.

[4] Das kirchl. Eherecht § 41. [5] Lib. 4, c. 7.

[6] Nonnulli auctores non distinguunt nisi tres casus impedimenti criminis, quos breviter sic enuntiant: 1. *utroque* machinante (coniugicidium); est quartus casus supra indicatus; 2. *uno* machinante; est tertius casus; 3. *neutro* machinante; est primus et secundus casus simul iunctus.

[7] Ita deducitur ex c. 1 6 7, X 4, 7. Si quisquam haec capita recte intellexit, fuit certe S. Raymundus, qui illa cum plena auctoritate Gregorii IX compilavit. Iam vero S. Raymundus ita loquitur de hoc casu: Adest impedimentum, si quis «praestet fidem adulterae, quod ducet eam post mortem legitimi eius mariti, vel post mortem uxoris ipsius adulteri» (Summa l. 4, de impedimento criminis).

Ex parte adulterii requiritur, ut sit:

1. *Verum,* i. e. ut verum et validum matrimonium frangatur. Ergo impedimentum non oritur, si matrimonium, cui fit iniuria, est nullum aut putativum.

2. *Formale ex utraque parte,* i. e. uterque peccans debet scire unum idemque matrimonium (vel duo matrimonia) frangi. Quapropter e. g. si coniux larvatus peccat cum alio coniuge larvato, uterque quidem scit, se proprium frangere matrimonium, sed nihilominus impedimentum criminis non oritur, quia uterque adulter non cognoscit *idem* matrimonium frangi [1].

3. *Consummatum,* i. e. per copulam aptam ad generationem. Ergo non sufficit copula onanistica aut sodomitica aut alius actus impudicus.

Ex parte promissionis requiritur, ut sit: 854

1. *Vera et seria.* Ergo neque sufficit merum propositum desideriumve celebrandi matrimonium, neque promissio ficta vel iocosa.

2. *Libera* et non gravi metu extorta.

3. *Manifestata et mutuo acceptata;* Codex enim requirit, ut sit «fides mutuo data». Fides autem mutua esse nequit, nisi sit ex altera parte acceptata; quae quidem acceptatio non necessario est expressis verbis facta, sed sufficiunt *facta concludentia,* e. g. nutus capitis, gaudium manifestatum de promissione audita. Non sufficit tamen mera *taciturnitas,* quia in hoc casu non valet adagium: Qui tacet, consentire videtur. Nam hoc adagium nequit applicari in re onerosa, qualis est acceptatio promissionis matrimonialis, quippe quae sit aequivalens repromissioni matrimonii et constituit contractum onerosum. Licet autem auctores disputarent, num requireretur non solum promissio acceptata, sed etiam mutua seu *repromissio,* videtur hodie impedimentum criminis non adesse, nisi adfuerit *promissio mutua futuri matrimonii* [2]. Minime autem requiruntur sponsalia inita in legitima forma.

4. *Absoluta et non condicionata.* Unde e. g. impedimentum non oriretur, si adulter diceret adulterae: Promitto tibi matrimonium, si parentes mei consentiunt. Debet igitur absolute dicere: Promitto tibi matrimonium post mortem compartis. Probabilius etiam impedimentum non adest, si dicit adulter adulterae: Promitto tibi matrimonium post divortium civile obtentum [3]. Ratio est, quia talis promissio includit condicionem divortii obtinendi. Sin autem divortio civili obtento revera matrimonium contrahitur et consummatur, tunc adest secundus casus impedimenti matrimonii, ut infra dicetur.

5. *Stante eodem matrimonio* [4]. Ergo tam adulterium quam promissio debent eidem matrimonio iniuriam erogare. Nihil autem refert, utrum prior fuit promissio an adulterii patratio, dummodo uterque actus exstiterit, *vivente eodem coniuge,* et promissio non fuerit revocata ante adulterium. Impedimentum oritur, etsi forte alter coniux consentit in adulterium aut promissionem compartis, quia etiam in hoc casu irrogatur gravis iniuria matrimonio; coniuges enim nequeunt renuntiare iuri suo in hac materia [5].

---

[1] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 1036.

[2] Ita etiam *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 524, nota 37; *Vlaming,* Prael. de iure matrim. I[3], n. 314; *De Smet* l. c. n. 659.

[3] Cf. *Gasparri,* De matrim. n. 648.

[4] Ita deducitur ex c. 8, X 4, 7 et ex Const. «Redditae nobis».

[5] Sententia opposita a *De Smet* (De sponsal. et matrim.[3] n. 659) propugnata non videtur esse probabilis. Putat iste auctor impedimentum criminis non adfuisse in sequenti

855 **Ex parte attentationis** requiruntur eaedem qualitates, quae supra pro *promissione* matrimonii enumeratae sunt. Per attentationem matrimonii intelligitur actus, quo duo, exstantis impedimenti ligaminis conscii, vere et serio sibi praestant consensum coniugalem per verba vel alia signa de praesenti, sive publice sive clandestine [1]. Ergo attentatio matrimonii non adest, a) si duo adulteri nihil aliud intendunt nisi *purum concubinatum,* b) si alteruter contrahentium inscius est impedimenti ligaminis; sin autem cognito ligamine prioris matrimonii validi perseverat in concubinatu, ilico impedimentum criminis exsurgit. — Haec attentatio matrimonii nostris temporibus praesertim habetur *in matrimonio sic dicto civili,* ad quod coniux convolat, postquam obtinuit divortium civile prioris matrimonii [2]. Quando igitur tale matrimonium civile, spreto priore matrimonio, contrahitur et consummatur, adest impedimentum criminis.

Nota. Omnia matrimonia invalide contracta, exsistente isto impedimento (secundi casus), sanata sunt a Pio X d. 3 Iunii 1912 [3].

856 **Tertius casus: Adulterium cum coniugicidio.**

Adulterium habeat necesse est easdem condiciones, quae supra pro primo casu enumeratae sunt. Ex parte vero coniugicidii requiritur:

1. *Mors reipsa secuta,* et quidem ex actione sive physica sive morali unius adulteri. Hinc impedimentum oritur, sive propria manu sive alieno auxilio adulter occidit legitimum coniugem; econtra impedimentum non adest, si legitimus coniux evadit mortem sibi a parte adultera intentatam.

2. *Mors illata ex intentione matrimonium contrahendi cum adultero.* Quare si mors infertur ex alio motivo, e. g. ex vindicta, ex odio etc., impedimentum non oritur. Minime autem necessarium est, ut intentio matrimonii contrahendi habeatur ab *utroque* adultero neve sit manifestata *complici.*

Ex dictis patet, quam atrox sit istud crimen. Duplex enim gravissima iniuria infertur coniugi, scil. 1. fides coniugalis illi laeditur per adulterium; 2. vita illi aufertur ab alterutro adultero novi matrimonii ineundi causa.

857 **Quartus casus: Coniugicidium sine adulterio.**

Ut ex hoc capite oriatur impedimentum criminis, requiruntur sequentes condiciones:

1. *Verum coniugicidium,* i. e. ut verus non autem putativus coniux reapse occidatur. Non adest igitur impedimentum, a) si mors reapse non sequitur ex actione physica aut morali posita, vel b) si coniux non in vero matrimonio cum uno occisore vixit.

2. *Mutua viri et mulieris machinatio* seu cooperatio ad coniugis occisionem. Quare impedimentum criminis non oritur, si solus vir aut sola mulier sine mutuo consilio coniugem occidit; vel etiam si unus occidit et alter postea approbat crimen. Requiritur omnino, ut uterque verum influxum sive moralem

---

casu in dioecesi Brugensi habito: Vir adulteraverat cum uxoris sorore, sed complici non promisit matrimonium nisi *coram ipsa uxore moribunda,* quae non tantum in hanc promissionem consensit, sed eam instanter ursit in gratiam prolis natae.

[1] Ita *Vlaming,* Prael. de iure matrim. I [3], n. 318.

[2] Cf. S. C. de Prop. Fide d. 14 Ian. 1844; *Vogt,* Das kirchl. Eherecht § 42; *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 525.

[3] Acta Ap. Sed. IV 403. Idem Summus Pontifex statuit, ut in posterum dispensatio a dicto impedimento in casu concessa censeatur a) per datam dispensationem super matrimonio rato et non consummato, b) per datam permissionem transitus ad alias nuptias.

sive physicum in mortem coniugis exerceat. Uno verbo: *ambo debent esse veri occisores coniugis.*

3. *Coniugicidium factum cum intentione matrimonium contrahendi cum complice.* Quidam auctores hanc condicionem negant[1], quidam illam deducunt ex c. 1, X 3, 33, sed verius et communius docetur, illam non disertis verbis inveniri in fontibus iuris ecclesiastici, sed clare et certo deduci *ex fine legis,* quae quidem intendit impedire, ne quis ex desiderio alterius matrimonii ineundi proprium vel complicis coniugem occidat[2]. Impedimentum non incurritur, si coniugicidium patratum est ex ira, vindicta aut alio motivo praeter intentionem matrimonii. Disputant auctores, utrum haec intentio matrimonii contrahendi debeat esse ex parte utriusque occisoris an alterutrius tantum; pariter utrum intentio matrimonii contrahendi necessario debeat complici esse manifestata ante coniugicidium. In praxi hae controversiae sunt parvae utilitatis. Etenim si vir et femina machinantur et causant mortem coniugis alterutrius, merito praesumitur intentio matrimonii ineundi et mutua manifestatio huius intentionis.

Multiplicatio huius impedimenti. 858

Impedimentum criminis multiplicatur ex duplici causa:

1. Pro numero *matrimoniorum,* quibus iniuria infertur.

Hinc e. g. duplex est impedimentum, si Caius, durante matrimonio cum Anna, adulterat cum ancilla Paula simul promittens matrimonium; postea autem, mortua Anna, et secundo matrimonio inito cum Maevia, iterum adulterat cum ancilla Paula promittens matrimonium. Pariter est duplex impedimentum, si *ambo* adulteri sunt matrimonio iuncti et sibi promittunt matrimonium mortuis respectivis coniugibus.

2. Pro numero *diversorum delictorum* in unum idemque matrimonium patratorum.

Hinc e. g. si Petrus maritus adulterat cum Anna simul promittens matrimonium, oritur unum impedimentum; si postea attentat matrimonium cum Anna et demum propriam uxorem occidit ex intentione legitimum matrimonium contrahendi, adest triplex impedimentum criminis propter triplex crimen commissum. Non autem multiplicatur impedimentum, si *eadem* delicta multiplicantur, e. g. si promissiones matrimonii et adulteria multiplicantur durante eodem matrimonio. — In dispensatione petenda oportet circumstantias essentiales casus exponere, quin necessarium sit expresse petere dispensationem super singula impedimenta exsistentia.

Cessatio huius impedimenti. 859

Impedimentum criminis semel contractum est perpetuum et non cessat nisi per legitimam dispensationem. Ergo non cessat e. g., si adulter revocat promissionem matrimonii factam, vel si post divortium civile obtentum et novum matrimonium attentatum prior coniux mortuus est. Cum hoc impedimentum sit iuris ecclesiastici, Summus Pontifex semper potest quidem dispensare, at non solet dispensare, si agitur de *publico* coniugicidio; duo autem priores casus huius impedimenti

[1] *Vogt* l. c.

[2] Cf. *Feije,* De imped. et dispens. matrim. n. 453; *Gasparri,* De matrim. n. 643.

censentur esse *minoris gradus*[1]. Facultas dispensandi super hoc impedimento continetur quoque in c. 1043 et 1044 concessis pro articulo mortis alioque casu urgenti. — Impedimentum criminis non afficere nonbaptizatos, iam dictum est supra n. 651, nota 2.

860 **Quaeres: Num ignorantia excuset ab hoc impedimento?** Auctores multum disputabant, num hoc impedimentum incurratur etiam, si unus vel uterque contrahentium ignoraverit, illud esse impositum pro criminibus supra recensitis. — Ignorantiam non excusare ab hoc impedimento docuit sententia longe probabilior, quae hodie effecta est certa et ab omnibus admissa, cum Cod. iur. can. c. 16, § 1 sine ulla restrictione statuat: «Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.» Iamvero omnia impedimenta dirimentia matrimonii sunt leges irritantes, neque expresse eximitur impedimentum criminis.

ARTICULUS IV.

De cessatione impedimentorum matrimonii.

861 **Praenotamen.** Postquam omnia impedimenta prohibentia et dirimentia sunt explicata atque de singulis breviter et summarie dictum est, quomodo cessent, restat ut regulas generales cessationis impedimentorum afferamus. Generaliter autem impedimenta cessare possunt tribus modis[2]:

1. *Lapsu temporis.* Hoc modo cessare possunt tempus clausum, ligamen per mortem compartis, raptus per liberationem raptae, mixta religio et cultus disparitas per conversionem alterius partis.

2. *Consensu contrahentium legitime praestito.* Hoc modo cessant impedimentum erroris, si sc. pars in errorem inducta, veritate cognita, consentit in matrimonium; impedimentum vis et metus, si metu cessante liber consensus praestatur.

3. *Legitima dispensatione.* Complura impedimenta iuris ecclesiastici non possunt cessare nisi per legitimam dispensationem, e. g. affinitas, consanguinitas, cognatio spiritualis etc.

De primo et altero modo cessationis impedimentorum iam supra satis est dictum; de dispensatione autem impedimentorum remanent complura addenda. Quae omnia claritatis causa dividimus in quinque paragraphos: 1. de notione et divisione dispensationis, 2. de eius auctore, 3. de eius causis, 4. de modis petendi dispensationem, 5. de modis exsequendi dispensationem.

§ 1.

De notione et divisione dispensationis matrimonialis.

862 **Notio.** Nomen dispensationis non semper eodem sensu sumitur; aliquando enim significat pro casu particulari *totalem abolitionem legis*, aliquando vero *suspensionem obligationis legis* manente lege. Sic e. g. dispensatio super matrimonio rato totaliter tollit hoc matrimonium, dispensatio vero super voto sollemni non solet tollere hoc votum, sed

[1] Cod. iur. can. c. 1042, § 1, n. 5.

[2] Nonnulli auctores addiderunt quartum modum, nempe consuetudinem legitimam. Sed hodie «consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria reprobatur». Cod. iur. can. c. 1041.

eius obligationem tantum suspendere in ordine ad matrimonium. Modo generali dispensatio matrimonialis definiri potest: *relaxatio legis irritantis vel prohibentis matrimonium, legitime facta in casu particulari a legitimo superiore.*

Divisiones. 1. Dispensatio *pro foro interno* et *pro foro externo.* — Forum 863
internum respicit conscientiam et complectitur tam forum poenitentiale stricte dictum, quam forum privatum et occultum. Dispensatio pro hoc foro locum habet praesertim in occultis impedimentis criminis et votorum privatim emissorum. Externum forum respicit politiam externam atque bonum publicum societatis ecclesiasticae. Iuxta Constitutionem «Sapienti consilio» d. 29 Iunii 1908 iam non possunt dari a S. Poenitentiaria ullae dispensationes pro foro externo. — *Dispensatio data pro foro externo valet etiam in foro interno, ast non vice versa;* ideoque si in foro interno concessa fuerit dispensatio impedimenti occulti, nihilominus est regulariter petenda dispensatio pro foro externo, si forte hoc impedimentum postea factum est notorium; ita saltem, si dispensatio concessa fuerit in solo foro interno *sacramentali.* Sin autem in foro interno non-sacramentali concessa fuit dispensatio super impedimento occulto, adnotetur illa in libro secreto archivi curiae dioecesanae, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit. Ita est, nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum [1].

2. Dispensatio ad matrimonium *contrahendum* et ad invalide contractum matrimonium *convalidandum.* In primo casu conceditur simplex dispensatio, in secundo autem casu aliquando conceditur dispensatio, quae vocatur sanatio in radice [2].

3. Dispensatio *in forma gratiosa* et *in forma commissoria.* Iuxta vigentem disciplinam prior conceditur immediate ipsis oratoribus, e. g. personis magnae dignitatis; altera committitur episcopo vel parocho vel confessario exsequenda. Hic secundus modus nunc fere semper in usu est [3].

4. Dispensatio *maioris* et *minoris* gradus. Impedimenta minoris gradus sunt quinque: 1. consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis, 2. affinitas in secundo gradu lineae collateralis, 3. publica honestas in secundo gradu, 4. cognatio spiritualis, 5. crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. Omnia alia impedimenta sunt maioris gradus [4].

Scholion 1. Ante Constitutionem «Sapienti consilio» distinguebatur etiam dispensatio in forma nobilium, in forma communi, in forma pauperum. Haec omnia videntur nunc abolita esse, cum iam nulla dispensatio matrimonialis concedatur a Dataria [5].

Scholion 2. Quantum ad historiam dispensationum matrimonialium adhuc complura sunt obscura. Ex primis saeculis nullae *certae* dispensationes matrimoniales sunt notae. Nihilominus inde nondum licet concludere, huiusmodi dispensationes eo tempore prorsus numquam esse concessas. Primum exemplum dispensationis videtur esse Indultum concessum Ioanni filio regis Angliae Henrici II, ut valeret contrahere matrimonium cum consanguinea. Glossatores Decreti Gratiani saec. XII clare agnoscunt, Summum Pontificem

---

[1] Cod. iur. can. c. 1047. [2] Cf. infra n. 887.
[3] Cf. infra n. 880, ubi de exsecutione seu fulminatione dispensationum tractabitur.
[4] Cod. iur. can. c. 1042. [5] Cf. Regolamento c. 11, n. 13.

non solum posse convalidare matrimonium invalide propter impedimentum iuris ecclesiastici contractum, sed etiam dispensare ad contrahendum matrimonium, non obstante tali impedimento [1]. A temporibus Innocentii III paulatim disciplina nunc vigens dispensationum obtinuit, iuxta quam dispensatio omnium impedimentorum dirimentium reservata est Summo Pontifici. Attamen ex delegatione hodie solent habere episcopi amplas dispensandi facultates, ut infra dicetur.

§ 2.

De auctoritate dispensandi.

864 Summo Pontifici competit facultas dispensandi in omnibus impedimentis, quae non sunt certo *iuris naturae vel divini*. Hinc e. g. non potest dispensatio concedi super impedimento ligaminis, si agitur de christianorum matrimonio consummato, quippe quod sit indissolubile ex iure divino. Pariter Summus Pontifex non potest dispensare in impedimentis ortis ex defectu consensus, e. g. in errore substantiali, in defectu usus rationis. Ista enim impedimenta sunt iuris naturalis. Licet autem absolute loquendo Papa posset dispensare in omnibus impedimentis *iuris ecclesiastici,* cum ipse sit supra totum ius ecclesiasticum, tamen non solet dispensare in nonnullis impedimentis, e. g. in affinitate lineae rectae, in consanguinitate lineae rectae et lineae collateralis in primo gradu, in impedimento criminis orto ex coniugicidio publice noto.

Summus Pontifex non solet hanc suam dispensandi facultatem exercere *immediate per se ipsum* [2], sed a) per SS. Congregationes Cardinalium et Tribunal S. Poenitentiariae, b) per Ordinarios locorum, c) per simplices sacerdotes aut confessarios delegatos. Vetus disciplina dispensandi valde mutata est per novum Codicem iur. can. Unde omissis veteribus statutis abolitis sequentia observantur iuxta disciplinam vigentem:

1. Dispensationes concessae a Curia Romana.

865 a) *S. Congregatio Officii* concedit dispensationes super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, pariter super interpellationibus faciendis in applicatione privilegii Paulini [3].

b) *S. Congregatio de Sacramentis* concedit dispensationem in aliis impedimentis publicis; concedit sanationem in radice, dispensationem super matrimonio rato; declarat legitimationem prolis. Si tamen agitur de impedimento professionis religiosae, dispensatio petenda est a S. Congr. de Religiosis. Ad S. Congr. de Prop. Fide dirigendae quidem sunt omnes petitiones dispensationum matrimonialium provenientes ex locis, qui adhuc sub iurisdictione huius Congregationis sunt, attamen non ipsa concedit dispensationes petitas (sicuti antea fiebat), sed proponit petitiones aliis Congregationibus supra allegatis.

---

[1] Cf. *Freisen,* Gesch. d. kan. Eherechtes § 77; *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 389; *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 610.

[2] In casibus extraordinariis, praesertim quando dispensatio debet remanere prorsus occulta, Summus Pontifex oretenus concedit dispensationem.

[3] Cod. iur. can. c. 247, § 3.

c) *S. Congregatio pro Ecclesia orientali* concedit omnes dispensationes matrimoniales (exceptis iis, quae pertinent ad S. Officium) pro fidelibus ritus orientalis, qui sive inter se, sive cum fideli ritus latini, sive cum infideli matrimonium contrahunt [1].

d) *Tribunal S. Poenitentiariae* concedit omnes dispensationes super impedimentis occultis et *pro foro interno tantum.* Quid sit impedimentum occultum, supra n. 767 dictum est. Si cum impedimento publico simul adest impedimentum occultum et oratores consentiunt in rei manifestationem, dispensatio petenda est a S. Congr. de Sacramentis, quae tunc concedit dispensationem super ambobus impedimentis. Sin autem oratores recusant rei manifestationem, dispensatio ab impedimento publico petenda est a S. Congr. de Sacramentis, dispensatio super impedimento occulto a Poenitentiaria. Sed requiritur tunc, ut in libello supplici porrecto Poenitentiariae mentio fiat publici impedimenti, a quo iam petita vel adhuc petenda est dispensatio a S. Congr. de Sacramentis (vel etiam ab episcopo rite delegato). — Ex hucusque dictis apparet, neque Datariam neque Congregationem super Negotiis extraordinariis neque Secretariam Brevium concedere dispensationes matrimoniales.

2. Dispensandi facultas episcopis competens.

Claritatis gratia distinguimus facultatem dispensandi, quae episcopis 866
seu Ordinariis locorum competit: 1. in urgenti mortis periculo, 2. in casibus aliis urgentis necessitatis, 3. in casibus ordinariis.

1. «**Urgente mortis periculo** locorum Ordinarii [2], ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo [3], et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus [4].» Ita Codex iur. can. c. 1043.

Requiritur igitur, ut Ordinarius loci valeat uti hac facultate: a) ut sit remotum scandalum; b) ut praestentur cautiones consuetae, si agitur de dispensatione super cultus disparitate aut mixta religione; c) ut non adsit impedimentum iuris naturalis aut divini, neque impedimentum presbyteratus aut affinitatis ex linea recta ortae ex matrimonio consummato [5]. Si ista requisita adsunt, Ordinarii facultas dispensandi est vere illimitata. Proinde tunc Ordi-

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 257.

[2] Nomine Ordinarii intelliguntur non solum episcopi dioecesani, sed etiam omnes supra n. 749 enumerati.

[3] Quando dispensatur cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti vel sollemnem professionem religiosam emiserint, de impertita dispensatione nuntius mittendus est ad S. Officium et interim pro viribus curandum, ut scandalum forte exsistens removeatur tum inducendo eosdem, ut se conferant in loca, ubi eorum condicio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si obtineri nequeat, iniungendo saltem speciales poenitentias salutares pro redimendis excessibus praeteritis et pro bono exemplo praesenti.

[4] Nisi istae cautiones, supra n. 781 indicatae, praestentur, dispensatio est invalida. S. Offic. d. 21 Iunii 1912.

[5] Si ergo affinitas orta est ex matrimonio tantum rato, non excluditur a dispensatione.

narius potest dispensare e. g. super praesentia testium vel parochi in celebratione matrimonii, super omnibus impedimentis prohibentibus et dirimentibus, sive publicis sive occultis, sive simplicibus sive multiplicibus; potest dispensare non solum subditos suos eosque ubique commorantes, sed etiam omnes peregrinos in suo territorio degentes.

867 2. **In casibus aliis urgentis necessitatis,** nempe a) quando detegitur impedimentum, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit (i. e. ad duas fere hebdomadas), usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur, b) quando agitur de matrimonii iam contracti convalidatione, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem, possunt episcopi seu Ordinarii locorum dispensare super omnibus impedimentis, de quibus numero praecedenti sermo fuit [1]. Requiritur autem, ut scandalum forte exsistens removeatur, et ut cautiones consuetae praestentur, antequam dispensatio concedatur super impedimentis mixtae religionis et disparis cultus.

Nota. In istis casibus urgentis necessitatis Ordinarius nequit dispensare a legitima forma matrimonii celebrandi, i. e. a praesentia parochi et duorum testium [2], quamvis hac facultate polleat in articulo mortis, ut dictum est.

3. **In casibus ordinariis** episcopi seu locorum Ordinarii possunt dispensare: a) a proclamationibus faciendis, b) in votis non reservatis, c) a tempore clauso, d) in impedimentis *dubiis* [3]. Nihil refert, utrum impedimentum sit dubium de facto an de iure. Ita sententia communis et certa. Prius autem adhibenda est diligentia debita ad solvendum dubium [4].

Pro praxi. Nisi obstet secretum aut adsit periculum violandi sigillum sacramentale, multum praestat dirigere omnes petitiones dispensationum ad curiam episcopalem, quae fere semper dispensationem petitam et facilius et celerius concedet vel obtinebit.

3. Dispensandi facultas concessa simplicibus sacerdotibus.

868 Omnes sacerdotes episcopo inferiores nullam facultatem habent dispensandi in impedimentis matrimonialibus. Sunt tamen duo casus, in quibus aliquas dispensationes concedere valent:

1. *In urgente mortis periculo,* quando loci Ordinarius adiri nequit, sacerdoti competit eadem dispensandi facultas, quae tunc competeret Ordinario [5]. Parochus vel sacerdos licite valideque assistens tali matrimonio potest dispensare ab impedimentis matrimonii pro foro tum externo tum interno, debet tamen de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem facere atque hanc dispensationem in libro matrimoniorum adnotare [6]. Confessarius valide liciteque dispensat tunc ab impedimentis in actu sacramentalis confessionis tantum et pro solo foro interno [7]. Iuxta praesentem igitur disciplinam ecclesiasticam facile potest matrimonium invalidum

---

[1] Ita Cod. iur. can. c. 1045, §§ 1 et 2.

[2] Contraria sententia nonnullorum scriptorum, e. g. *De Smet* l. c. n. 764, non videtur probabilis.

[3] Cf. Cod. iur. can. c. 25.

[4] Cf. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 9, c. 12, n. 1.

[5] Cf. supra n. 866. [6] Cod. iur. can. c. 1046. [7] Ib. c. 1044.

convalidari, si alteruter contrahentium versatur in mortis periculo. Cum enim tunc rarissime suppetat tempus adeundi Ordinarium loci, quilibet sacerdos potest consensum matrimonialem contrahentium recipere et dispensare tum a praesentia testium tum ab omnibus iuris ecclesiastici impedimentis, exceptis duobus supra indicatis.

2. *In duobus casibus urgentis necessitatis,* nempe si impedimentum detegitur, 869
a) cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit, usquedum Ordinarius loci adiri queat (est casus perplexus), b) cum matrimonium iam est contractum et est periculum violationis secreti; possunt sacerdotes in n. 1 enumerati dispensare ab impedimentis sicut in articulo mortis, sed nonnisi pro *casibus occultis*. Si impedimentum est *publicum* (de iure et de facto), debet celebratio matrimonii differri, cum tunc non oriatur diffamatio. Sin autem impedimentum *occultum* dispensatum postea evadit publicum, Ordinarius aut novam dispensationem concedat aut dispensationem antea concessam ratihabeat. Haec dispensandi facultas iam aufert angustias, quae antea oriebantur in casu perplexo [1], non autem se extendit ad formam externam celebrationis matrimonii.

Nota. Si in periculo mortis vel in aliis casibus urgentibus iuxta supra dictas facultates Ordinarius vel sacerdos legitime dispensat ab impedimentis, *eo ipso* conceditur quoque legitimatio prolis forsitan natae vel conceptae (excepta tamen prole adulterina et sacrilega) [2].

§ 3.

De causis dispensationum.

Concilium Tridentinum [3] statuit: «In contrahendis matrimoniis vel 870
nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur.» Aliis verbis: Ad *licitam dispensationem* semper requiritur iusta causa; ad *validam* autem *dispensationem* supremus legislator, scil. Summus Pontifex, non indiget quidem causa, cum sit supra totam legem ecclesiasticam, sed de facto non censetur dispensare deficiente causa. Omnes autem alii inferiores Summo Pontifici nec valide nec licite dispensant sine iusta causa. Ratio est, quia Papa non delegat hanc dispensandi facultatem, nisi exerceatur prudenter et ex rationabili causa. Si tamen dispensans putat adesse veram causam, quae de facto non adest propter errorem vel etiam propter dolum, non *ilico* dispensatio irritatur, ut infra dicetur. *In dubio* autem de sufficientia causae, licite petitur atque conceditur valida dispensatio [4].

Species causarum.

a) Causae *finales* (motivae) vocantur illae, quae per se sufficiunt ad dispensationem obtinendam. Causae *impellentes* (impulsivae) sunt illae, quae per se solas non sufficiunt ad dispensationem impetrandam, sed tamen *coadiuvant* ad hunc effectum. Hinc si afferuntur una causa

---

[1] Cf. supra n. 742. [2] Cod. iur. can. c. 1051.
[3] Sess. 24, c. 5 de reform. matrim.
[4] Cod. iur. can. c. 84, § 2.

finalis et plures causae impellentes, facilius obtinetur dispensatio, quam si sola causa finalis adsit.

b) Causae *infamantes* (inhonestae, turpes) sunt illae, quae ex delicto oriuntur et infamiam parere solent. Causae *honestae* non habent nec delicti nec infamiae notam. — Cum ex causis infamantibus, e. g. ex copula illicita, facile magnum damnum oriri possit, nisi dispensatio ad matrimonium ineundum concedatur, illae solent esse valde efficaces ad dispensationem obtinendam.

c) Causae *canonicae* vocantur illae, quae in iure vel secundum stylum Curiae Romanae ut finales et sufficientes habentur. Causae *non-canonicae* (vocantur etiam causae rationabiles, certae) sunt illae, quae ex se solis non sufficiunt ad dispensationem obtinendam; quare si propter illas solas dispensatio nihilominus conceditur, dicitur concedi «sine causa», i. e. sine causa canonica. Causae canonicae sunt idem quod causae finales, causae vero non-canonicae aequiperantur causis impulsivis.

871 **Causae canonicae** *dispensandi enumerantur in Instructione S. Congregationis de Prop. Fide d. 9 Maii 1877 sequentes sexdecim:*

1. «*Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum *oratricis*), cum scil. in loco originis vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris condicionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.»

Angustia loci censetur *absoluta,* si ibi (non in paroecia) non sunt ultra 300 foci vel 1500 incolae[1] et distantia a loco proximo est ultra miliare (1500 metra)[2]. Si locus sponsi est idem vel aeque angustus ac locus sponsae, tunc id utiliter in libello supplici enuntiari potest in hunc modum: angustia loci, in quo oratores orti sunt (domicilium habent), vel: angustia locorum, ubi oratores . . . Angustia loci est *relativa,* si in loco domicilii plures quidem incolae catholici sunt quam 1500, sed cognatio feminae est ita propagata, ut alium maritum paris condicionis invenire nequeat. Notandum est, in computatione incolarum alicuius loci non numerari *haereticos* forsan ibi commorantes; catholici autem impii et increduli computari debent.

2. «*Aetas feminae superadulta*, si scil. *vigesimum quartum* aetatis annum iam egressa hactenus virum paris condicionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa non suffragatur *viduae,* quae ad alias nuptias convolare cupit.»

Iam non requiritur, ut investigatio fiat, utrum femina hucusque non potuerit invenire virum paris condicionis, sed ipsa aetas per se solam sufficit. Etenim ad quaesitum: «An in verificatione causae [scil. aetatis oratricis superadultae] sciscitari etiam et probari oporteat, mulierem superadultam usque ad illam aetatem virum paris condicionis, cui nubere posset, non invenisse, et hoc ad dispensationis validitatem?» respondit S. Poenitentiaria d. 5 Aprilis 1902: «satis esse quod certo constet de aetate superadulta»[3].

---

[1] Pius IX d. 30 Aug. 1847.

[2] S. C. C. d. 16 Dec. 1876 et 8 Martii 1884; cf. S. C. C. d. 24 Aug. 1907.

[3] Collectan. de Prop. Fide n. 2134.

3. «*Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe femina non habeat *actu* tantam dotem, ut extraneo aequalis condicionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata exsistat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.»

Dotis nomen non est intelligendum in stricto sensu iuristico, sed ea *fortuna,* quae actu affertur ab uxore in matrimonium ad sustinenda onera matrimonii; quapropter femina, quae post mortem parentum sufficientem fortunam habebit, sed nunc in contrahendo matrimonio vel nihil vel parum recipit a parentibus, est indotata, aut saltem eius dos est incompetens. Ista dispensationis causa saepe accidere potest sponsae, cuius parentes altam quidem dignitatem, sed mediocrem fortunam habent.

4. «*Lites super successione bonorum iam exortae vel earundem grave aut imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat propriisque expensis prosequatur praeter illum, qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae, ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scil. *dos litibus involuta,* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa non nisi pro remotioribus gradibus sufficit.»

5. «*Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata et vir eam 872
alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit atque in periculo incontinentiae versetur.»

In hac causa canonica includuntur duo motiva: a) onus viduae incumbens ex prole et b) iuventus et periculum incontinentiae. Facillime utrumque motivum adest, si vidua iunior habet infantes nondum adultos; etenim non tantum nutritio corporalis proli necessaria est, sed etiam (et quidem praecipue) educatio spiritualis, quae difficillima est, si mater orbata est efficaci adiutorio mariti.

6. «*Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sunt quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint et, licet pax inter eos iam inita sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis firmationem conduceret.»

7. «*Nimia, suspecta, periculosa familiaritas necnon cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.»

Ista causa evenire posset, si e. g. ancilla habitat cum solo viro et sinistri rumores de eorum vita sparguntur. Infra sub n. 14 et 15 similes et adhuc graviores causae afferuntur.

8. «*Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia ideoque legitimatio prolis,*

ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio.»

In Instructione adduntur verba: «dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis; quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda»[1]. Sed haec abolita sunt per Decretum S. Officii d. 25 Iunii 1885 statuens, «dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerit, validas futuras». Haec causa canonica copulae est inter causas *infamantes,* ac proinde saepe in solo foro interno agnoscitur ideoque pertinet ad tribunal S. Poenitentiariae.

9. «*Infamia mulieris* ex suspicione orta, quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret vel disparis condicionis viro nubere deberet aut gravia damna orirentur.»

10. «*Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata Tridentina forma, contractum est; quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Concilio Tridentino sess. 24, c. 5 de reform. matrim.»

Licet sponsi non mereantur dispensationem impedimenti, si mala fide matrimonium invalidum contraxerint, tamen hodierna disciplina est mitior. Nam non solum conceditur dispensatio, si una tantum pars contraxerit cum mala fide, sed etiam si ambo contrahentes fuerint quidem in mala fide, sed nunc promittunt seriam et fide dignam emendationem. Ratio est, quia ex separatione sponsorum solent tot damna oriri, ut praestet dispensationem concedere. In petenda autem dispensatione ad convalidandum matrimonium invalidum mentio semper facienda est, utrum sponsi in bona an in mala fide contraxerint matrimonium.

873 11. «*Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo, etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur.... Idem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.»

12. «*Periculum incestuosi concubinatus . . .*»

13. «*Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum, quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matri-

[1] Utrum per S. Officium d. 18 Martii 1891 (Collectan. de Prop. Fide n. 1749) omnia matrimonia contracta cum reticita ista copula sint convalidata, non certo constat. Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 636, nota 180.

monium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.»

14. «*Remotio gravium scandalorum.*»

15. «*Cessatio publici concubinatus.*»

16. «*Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus.»

«Hae sunt communiores potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent.» — Ita citata Instructio. Ergo non excluduntur aliae causae, quae possunt legislatorem movere ad dispensationem petitam concedendam.

874 **Causae non-canonicae** seu impulsivae, quae solent sufficere ad obtinendam dispensationem saltem minoris gradus [1], enumerari possunt:

1. *Ex parte oratricis:* a) difficultas inveniendi virum indole, fide, moribus aeque commendabilem; b) infirmitas aliique defectus, e. g. illegitimitas natalium, defloratio iam perpessa etc.; c) orbitas, i. e. si oratrix est orbata utroque parente; d) auxilium parentibus praesertim pauperibus praestandum.

2. *Ex parte oratoris:* a) infirmitas, ita ut indigeat bonae uxoris curatione et solatio; b) cura prolis susceptae ex matrimonio praecedenti; c) adiutorium mulieris uxoris ad gerendam rem domesticam.

3. *Ex parte utriusque:* a) propositum matrimonii iam divulgatum, ita ut sine infamia ab illo supersederi nequeat; b) virtutes et boni mores utriusque; c) bonum parentum.

§ 4.

De modis petendi dispensationem.

875 Apprime distinguendum est, utrum dispensatio sit petenda super impedimento *publico,* an super impedimento *occulto,* an super utroque simul. Omnes autem dispensationes matrimoniales petuntur *nomine contrahentium,* ac proinde petitio facienda est in tertia et non in prima persona, e. g. Titius petit. Iuxta stylum Curiae contrahentes petentes dispensationem vocantur: orator, oratrix, oratores, lator, latrix, latores.

Dispensatio *pro foro externo* petitur a parocho, mediante curia episcopali. Parochus *sponsae* solet petere dispensationem; et si contrahitur matrimonium mixtum, parochus *partis catholicae* mittit libellum supplicem.

Dispensatio *pro foro interno* petitur a confessario, idque item mediante curia episcopali, nisi tamen periculum laedendi sigilli sacramentalis obliget mittere libellum supplicem ad S. Poenitentiariam. Neque requiritur, ut dispensatio petatur a confessario utriusque poenitentis, quia dispensatio a Papa procedit, et sublato impedimento ab una parte, etiam altera libera evadit [2]. Hinc si adest e. g. impedimentum criminis occultum, sufficit, ut confessarius sponsi petat dispensationem. Sin autem adest impedimentum, quod afficit unam partem solam, ut est

---

[1] Cf. supra n. 767. [2] Ita S. Poenit. d. 4 Sept. 1839.

e. g. votum simplex occultum, tunc sane confessarius huius partis debet dispensationem petere; et si utraque pars ligata est voto, duplex dispensatio petenda est.

876 **1. Modus petendi dispensationem super impedimento publico.**

In libello supplici exprimi debent:

a) «*Nomen et cognomen oratorum,* utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.»[1]

Si quis habet plura cognomina, non requiritur, ut prorsus omnia indicentur, dummodo ex indicato nomine orator clare cognosci possit. Praestat, etsi communiter non est necessarium, ut indicetur etiam aetas contrahentium.

b) «*Dioecesis originis vel actualis domicilii.*»

Ratio est, quia Curia Romana solet committere dispensationis exsecutionem episcopo domicilii aut quasi-domicilii contrahentium.

c) «*Species etiam infima impedimenti.*»

Hinc in consanguinitate et affinitate non tantum gradus (aequalis vel inaequalis), sed etiam *linea* indicanda est[2].

d) «*Numerus impedimentorum.*»

Ideo indicandum est, utrum adsit simplex an multiplex consanguinitas aut affinitas; praeter impedimenta dirimentia etiam impedimenta prohibentia, si quae adsint, nuntianda sunt, et praesertim impedimentum *mixtae religionis* non est silentio praetereundum. Olim ad validitatem dispensationis in petitione exprimenda erat copula incestuosa forte habita inter sponsos; pariter indicandum fuerat, utrum copula habita fuerit ea intentione, ut facilius dispensatio obtineretur. Haec omnia nunc abolita sunt, quia durum potuit esse pro sponsis, ut extra confessionem deberent haec peccata fateri. Inde accidit, ut propter hanc copulam incestuosam celatam dispensatio et ipsum matrimonium irritaretur, quod sane fuit incommodum maximum[3].

e) «*Variae circumstantiae.*»

Utrum matrimonium sit contractum an contrahendum; si iam contractum, aperiri debet, utrum bona fide, saltem ex parte unius, an cum scientia impedimenti; item, an praemissis denuntiationibus et iuxta formam praescriptam a iure canonico; demum, an sit consummatum.

f) *Causae dispensationis.*

In quantum possibile est, afferendae sunt *causae canonicae,* quae supra descriptae sunt. Praestat, ut omnes causae (sive canonicae sive non-canonicae) afferantur. Nam quo validiores et numerosiores sunt hae causae, eo facilius obtinetur dispensatio.

877 g) *Status fortunae oratorum.*

Licet Concilium Tridentinum[4] praeceperit, ut dispensationes sint gratis concedendae, quia accipere pecuniam pro gratia spirituali dispensationis est

[1] Ita Instructio S. C. de Prop. Fide d. 9 Maii 1877, ex qua etiam sequentia omnia desumpta sunt.

[2] Hinc valde expedit, immo in nonnullis dioecesibus exigitur, ut schema genealogicum oratorum addatur.

[3] Cf. S. Offic. d. 25 Iunii 1885 et 18 Martii 1891 (Collectan. de Prop. Fide n. 1639 et 1749).

[4] Sess. 24, c. 5 de reform. matrim.

simonia, tamen nihil obstat, quominus aliquid exigatur pro sustentatione officialium aliisque causis honestis. Proinde in dispensationis concessione solet aliqua taxa imponi, in qua quattuor comprehenduntur:

α) *taxa proprie dicta,* quae servit ad sustentationem officialium Curiae Romanae;

β) *componenda* sive compositio, quae est summa pecuniae occasione dispensationis praeter taxam dicasteriis Romanis solvenda, ut in pia opera erogetur. Haec componenda saepe (non autem semper) habet rationem poenae aut mulctae, ut fideles deterreantur a matrimoniis ineundis, quibus obstant impedimenta praesertim maioris gradus;

γ) *agentia,* i. e. salarium, quod debetur illis hominibus, qui in Curia Romana negotia sive pro dioecesi sive pro singulis oratoribus agunt et «Agentes» vocantur. Qui quidem sunt homines privati et non raro laici;

δ) *pecunia Ordinariis solvenda* pro exsecutione dispensationis obtentae. Quae quidem pecunia seu taxa semel pro semper determinanda est a Concilio provinciali vel a conventu episcoporum atque approbanda a Sede Apostolica [1].

Pecunia solvenda in dispensationibus matrimonialibus mensuratur secundum duas regulas: 1. secundum qualitatem impedimentorum, et 2. secundum fortunam oratorum. Etenim quo maius est impedimentum, eo maior taxa imponitur; et quo minor est fortuna oratorum, eo minor taxa ab eis exigitur.

Iuxta vigentem disciplinam quattuor (vel quinque) classes oratorum distinguuntur:

α) *pauperes et miserabiles,* qui nullam fortunam habent et labore manuum vel industria vivunt. Isti nihil solvere tenentur pro dispensatione obtinenda;

β) *vere pauperes,* quorum bona, detractis debitis aliisque oneribus, non multum excedunt 3000 francorum. Illis imponitur modica taxa solvenda [2];

γ) *fere pauperes,* quorum fortuna, detractis debitis, non multum excedit valorem 10000 francorum. Istis imponitur praeter taxam modica componenda, e. g. 10 francorum;

δ) *communes,* quorum fortuna multum excedit summam 10000 francorum;

ε) *divites* vel *nobiles* habentur illi, quorum fortuna, detractis omnibus debitis, maximos reditus producit. Inter formam communem et formam divitum seu nobilium dispensationis ea sola differentia intercedit, quod divitibus maior componenda imponitur. Taxa autem est eadem. — Cum hodie sit haud raro difficile statuere fortunam oratorum, aliquando solet in petitione dispensationis offerri aliqua conveniens et libera oblatio; e. g.: «Oratores pauperes offerunt in totum 20 libellas», aut si oratores non sunt pauperes: «Oratores offerunt in totum 50 (100) libellas, quae oblatio iuxta circumstantias loci, personarum et possessionis iusta et rationabilis est.» Notandum est, in computatione fortunae *utriusque* nupturientis facultates addendas esse, nisi una pars sit acatholica. Huius enim fortuna non computatur. Si qui iniqua voluntate renuant solvere taxam pro aliqua dispensatione obtinenda,

---

[1] Cod. iur. can. c. 1507.

[2] Haec taxa solebat esse: 32 franci in dispensatione super impedimentis primi gradus affinitatis et secundi gradus attingentis primum in affinitate aut consanguinitate; 26 franci secundi gradus aequalis tum affinitatis tum consanguinitatis; 21 franci in omnibus aliis gradibus consanguinitatis et affinitatis.

cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad peccata et scandala vitanda, hoc erit ab Ordinario indicandum in libello supplici. Tunc nihilominus concedetur dispensatio necessaria, sed Ordinarius communicans dispensationem petitam debet commonere oratores (si fieri id opportune prudenterque licebit), *ex iustitia aliquid S. Sedi deberi.* Etiam error aut fraus inique facta circa condicionem fortunae oratorum dispensationem obtentam non reddit invalidam [1]. Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum Cancellariae, dispensationes, quae ab episcopis conceduntur, *non sunt obnoxiae alicui taxae,* nisi tamen ex indulto apostolico aliqua summa satis modica exigi queat [2]. — Omnes dispensationes pro foro interno concessae a S. Poenitentiaria gratis dantur [3]; expensae autem postales solvendae sunt.

878 **2. Modus petendi dispensationem super impedimento occulto.**

Cum in dispensationibus petendis super impedimentis occultis sedulo observandum sit secretum commissum aut etiam sacramentale, parochus vel confessarius debet prudenter perpendere, utrum petitio sit mittenda ad S. Poenitentiariam an ad episcopum dioecesanum. In parvis locis magis imminet periculum laedendi secretum quam in magnis urbibus. In libello supplici non vera sed ficta nomina, e. g. Titius, Caius, Anna, Cornelia etc., scribenda sunt. Species infima impedimenti eiusque circumstantiae declarandae sunt, et demum oportet causam dispensationis petitae afferre. Speciminis causa hic damus petitionem aliquam directam ad S. Poenitentiariam:

Eminentissime Princeps,

Titius catholicus viduus cum Titia catholica carnalem copulam habuit durante primo matrimonio ipsique matrimonium promisit, ideoque prohibetur, quominus promissum matrimonium ineat cum Titia. Obstat enim impedimentum criminis ex adulterio cum promissione matrimonii. Impedimentum istud est prorsus occultum, et nisi matrimonium revera contrahatur inter Titium et Titiam, magna scandala et rixae orientur. Quare supplex rogat Titius Eminentiam Vestram, ut dispensatio sibi concedatur. Eminentiae vestrae placeat dirigere Rescriptum ad me infra scriptum confessarium

Fribourg (Suisse) Humillimum servum
Rue de Romont 4. Carl Müller.

Extra vero super involucrum epistolae scribatur:

All' Eminentissimo Cardinale Penitenziere Maggiore
Palazzo del Sant' Uffizio.
Roma.

Nota. Leo XIII d. 10 Dec. 1891 prohibuit, ne dispensationes in Curia Romana admitterentur *ope telegraphi* propter magna incommoda, quae ex hoc modo agendi evenire possunt. Idem a pluribus episcopis pro suis dioecesibus statutum est. Nihilominus in casu urgentissimae necessitatis licet ope telegraphi vel telephonii petere et dare dispensationes matrimoniales [4].

---

[1] Cf. Ordo servandus in Curia Rom., norm. comm. c. 11, n. 3 (Acta Ap. Sedis I 56).

[2] Cf. *Vogt*, Das kirchl. Eherecht § 50, ubi taxae in archidioecesi Coloniensi usitatae indicantur. Si episcopus exigeret taxam, teneretur ad restitutionem. Cod. iur. can. c. 1056.

[3] Ordo serv. in C. R., norm. pec. c. 8, a. 1 (Acta Ap. Sedis I 102).

[4] Cf. *Vogt* l. c. § 52.

Semper quidem conveniens est, ut in dispensatione petenda adhibeatur *lingua latina;* per se autem nihil obstat, quominus in litteris ad episcopum dioecesanum directis adhibeatur lingua patriae; in litteris dirigendis ad Curiam Romanam licet etiam adhibere linguam italicam aut aliam satis notam.

3. Modus petendi dispensationem super impedimentis occultis et publicis simul occurrentibus. 879

Dispensatio super impedimento publico petenda est, sicut supra n. 876 dictum est. In petitione autem dispensationis super impedimento occulto mentio facienda est etiam impedimenti publici, cuius dispensatio iam obtenta vel saltem petita est in foro competenti [1]. Propter periculum infamationis raro licet in curia episcopali petere dispensationem utriusque impedimenti. Proinde in praxi praestat mittere dispensationis petitionem super impedimento publico ad curiam episcopalem et petere dispensationem impedimenti occulti a S. Poenitentiaria. Cum autem aliquando tempus non sufficiat recurrendi ad S. Poenitentiariam, etiam sequenti modo infamatio petentium satis praecavetur: Dispensatio petenda super impedimento publico dirigitur ad vicarium generalem episcopi, dispensatio autem super impedimento occulto petitur ab ipso episcopo, qui velit dispensationem concedere per se ipsum et sine intermedio officiali. Ut consideranti facile patet, hoc modo non vitatur omne periculum infamationis, ac proinde non licet illum adhibere *nisi cum expresso consensu nupturientium.*

§ 5.

De modis exsequendi dispensationem obtentam.

Regula generalis, cui non obstant nisi paucae exceptiones, haberi potest: 880

Iuxta vigentem disciplinam Curia Romana solet dispensationes matrimoniales concedere *in forma commissoria;* episcopi autem, auctoritate sive propria sive delegata utentes, dispensant *in forma gratiosa,* saltem si agitur de impedimentis publicis.

Dispensationes concessae in forma gratiosa exsecutorem suapte natura non postulant [2]. Dispensationes autem in forma commissoria concessae tunc solum effectum suum nanciscuntur, quando legitime exsecutioni mandantur, seu, uti dicunt, «*fulminantur*». Pro impedimentis *publicis* Romana Curia solet committere exsecutionem dispensationis Ordinario oratorum vel Ordinario loci. Talis autem Ordinarius est ille, «qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum» [3]. Ordinarius iste dispensationem exsequi debet in scriptis atque dispensare potest, «etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda erit dispensatio, relicto illius dioeceseos domicilio aut quasi-domicilio, in aliam dioecesim discesserint non

---

[1] En specimen talis petitionis: Caius et Sempronia in secundo gradu lineae collateralis aequalis consanguinei matrimonium contrahere intendunt. Obstat vero praeter impedimentum consanguinitatis, super quo legitima dispensatio iam concessa est (postulabitur), impedimentum occultum criminis ex adulterio cum promissione matrimonii etc. (Cf. *Vogt* l. c. § 51.)

[2] Ordo serv. in C. R., norm. pec. c. 3, a. 4 (Acta Ap. Sedis I 63).

[3] S. Offic. d. 20 Febr. 1888.

amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci, in quo matrimonium contrahere cupiunt»[1]. Pro impedimentis *occultis* exsecutio dispensationis committi solet «proprio latorum parocho sive confessario ex approbatis ab Ordinario loci ab eis electo (vel eligendo)». In praxi huiusmodi dispensationes solent exsecutioni mandari *in confessionali.*

Omnes qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem *expressam* pontificii indulti mentionem faciant[2].

881 **Clausulae adiectae.** Accepto Rescripto delegatus sedulo debet attendere omnes clausulas adiectas[3], quarum principaliores sunt sequentes:

1. «*Si vera sunt exposita*». Regulariter ad valorem dispensationis requiritur, ut momento fulminationis vera sint, saltem quoad essentiam, omnia exposita in libello supplici. Solummodo excipiuntur *impedimenta minoris gradus*[4], de quibus statuitur *omnes* has dispensationes nullo esse obnoxias vitio obreptionis et subreptionis. Parum refert, utrum in huiusmodi impedimentis dispensatio obtenta fuerit immediate a S. Congregatione de Sacramentis, an *mediantibus episcopis*, quibus habitualis facultas dispensandi concessa est. Non ita certo constat, utrum obreptio (enuntiatio falsi) et subreptio (reticentia veri), quae non irritant dispensationem concessam, possint se extendere ad *ipsa impedimenta* (minoris gradus) dispensanda, an tantum ad *causas* allegatas pro dispensatione obtinenda. Probabilius esse videtur, obreptionem et subreptionem *ad solas causas* dispensationis se extendere; ac proinde etiam iuxta modernam disciplinam dispensatio obtenta est irrita, si ipsum impedimentum prorsus falso modo declaratum est[5]. Quod quidem satis apparet, quia Pontifex non loquitur de ipsis impedimentis, sed de solis *causis* dispensationis, dicens se semper concedere in his casibus dispensationem «*ex rationabilibus causis*», i. e. non motus ex causis allatis ab oratoribus[6]. Ex quibus dictis et ut veris suppositis sequitur solutio duorum sequentium casuum:

Caius petit dispensationem super impedimento affinitatis secundi gradus lineae *collateralis*; re ipsa autem contraxit consanguinitatem tertii gradus lineae collateralis. Dispensatio obtenta videtur esse invalida, quia obreptio facta est quantum ad ipsum impedimentum; prorsus aliud enim est affinitas et consanguinitas, licet utraque enumeretur inter impedimenta minoris gradus. — Petrus petit dispensationem super impedimento consanguinitatis tertii gradus in linea collaterali allegans pro causa dispensationis petitae salvandam famam mulieris, utpote praegnantis ex illicito commercio. Dispensatio conceditur, sed causa allegata falsa fuit, quia mulier non erat praegnans. Nihilominus valida manet dispensatio, non obstante vitio obreptionis. Ita salva meliore sententia.

Ante exsecutionem dispensationis igitur inquirendum est, utrum vera sint ea, quae in libello supplici porrecto exposita erant, seu necessaria est sic

[1] Cod. iur. can. c. 1055. [2] Ib. c. 1057.

[3] Circa observantiam istarum clausularum duo notanda sunt: 1. «Clausulas servandas adamussim esse, quantum tamen rerum, temporum locorumque adiuncta ferre possunt.» Ita S. Offic. d. 15 Iunii 1875 (Collectan. de Prop. Fide n. 1444). 2. «Omissionem clausularum concessionis validitati non officere, *dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta, in potestate raptoris non exsistit*». Ita S. C. de Prop. Fide d. 26 Ian. 1877 (Collectan. de Prop. Fide n. 1466).

[4] Cf. supra n. 768 (e). [5] Ita quoque *De Smet* l. c. n. 867.

[6] Cf. Cod. iur. can. c. 1054.

dicta «*verificatio precum*». Ex iure communi nullus specialis modus huius verificationis praescribitur, sed sufficit facere brevem investigationem, num reapse vera sint ea, quae in petitione allata erant. In nonnullis autem dioecesibus ex iure speciali indicantur determinatae quaestiones, ad quas respondendum est [1].

2. «*Imposita eis pro modo culpae arbitrio tuo gravi poenitentia salutari*». 882 Quae quidem poenitentia solet vocari *iuridica* et est distincta a poenitentia sacramentali. Iuxta monitum S. Poenitentiariae d. 8 Aprilis 1890 exsecutor dispensationis «in praefiniendae poenitentiae qualitate, gravitate, duratione etc. neque severitatis neque humanitatis limites excedat rationemque habeat condicionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum, quibus poena irroganda iniungitur». Ceterum rescripsit eadem S. Poenitentiaria d. 12 Nov. 1891, «omissionem huius poenitentiae impositae non reddere invalidas dispensationes petitas». — Poenitentia imponenda distinguitur vel *salutaris*, vel *gravis*, vel *gravis et diuturna* [2].

3. «*Statim his laceratis*», i. e. Rescriptum a S. Poenitentiaria obtentum debet lacerari aut comburi saltem infra *triduum* post fulminatam dispensationem [3]. Nihil autem obstat, ne confessarius pro sua eruditione transcribat hoc Rescriptum et transcriptum sibi prudenter conservet. In transcriptione debet autem omne id omitti, quod possit forte ducere in notitiam poenitentis, pro quo dispensatio obtenta est. Si quando accidit, ut poenitens, pro quo dispensatio petita est, non statim redeat vel omnino non redeat ad confessarium, observanda est responsio S. Poenitentiariae d. 29 Febr. 1904, «facultatem perseverare etiam combustis litteris, quas retinere tamen licet, remoto periculo amissionis, quamdiu probabile sit poenitentem compariturum» [4].

Sunt adhuc plures aliae clausulae usitatae, quae facile intelligi possunt, ut e. g. «audita prius sacramentali confessione», «sublata occasione peccandi» etc. Ad intelligentiam autem clausulae: «dummodo impedimentum sit occultum», recolenda sunt ea, quae supra n. 767 dicta sunt de divisione impedimentorum. — Ipsa exsecutio dispensationis debet *in scriptis* dari *pro foro externo*. Parochus igitur debet in libro matrimoniorum adnotare dispensationem talis impedimenti esse concessam; ipsum autem Rescriptum debet asservare in archivo paroeciali. *Pro foro interno* solet praescribi, ut absolutio a censuris et peccatis detur et dispensatio pronuntietur; quod quidem hoc vel simili modo fieri potest: Post consuetam absolutionem a censuris et peccatis dicat confessarius: «Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento affinitatis (vel

---

[1] Tales quaestiones pro archidioecesi Coloniensi praescriptas videsis apud *Vogt*, Das kirchl. Eherecht § 52; pro dioecesi Brugensi apud *De Smet*, De sponsal. et matrim. n. 873.

[2] Iuxta *De Smet* (l. c. n. 871) Ordinarius dioecesis Brugensis pro poenitentia *salutari* imponere solet per quindenam recitationem quotidianam quinque Pater noster et Ave; pro poenitentia *gravi salutari*, ut per quattuor hebdomadas quotidie recitent ter Pater et Ave, et semel actus fidei, spei, caritatis et contritionis; pro poenitentia *gravi et diuturna*, ut hanc poenitentiam gravem instituant per duos menses; ubi additur clausula de confessione semel singulis mensibus instituenda per tempus dispensantis arbitrio statuendum, praescribitur, ut per quattuor menses semel quolibet mense confiteantur.

[3] Cf. *S. Alph.*, Theol. mor. l. 6, n. 1143.

[4] Cf. «Linzer Theol. Quartalschrift» 1905, 382.

criminis), ut eo non obstante matrimonium cum dicta muliere contrahere valeas. Eadem auctoritate prolem susceptam vel suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. I. Chr., merita B. M. V. etc.» [1] Ex rationabili causa fulminatio dispensationis fieri potest etiam in *lingua vernacula* [2].

883 **Scholion. De vitiis dispensationis eorumque sanatione.** Dispensatio matrimonialis variis modis vitiari potest, scil. a) ex parte *concedentis,* qui caret necessaria auctoritate; b) ex parte dispensationem *exsequentis,* qui non observat clausulas essentiales; c) ex parte dispensationem *petentis,* qui bona aut mala fide falsitatem allegavit, aut in quem lata est aliqua censura per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [3]. Hodie post reformatam Curiam Romanam per Pium X vitia dispensationem irritantia satis raro accidere possunt.

Imprimis dispensatio vitiatur, si *mala fide* aliquid falsum in petitione dispensationis declaratum est. Etenim «fraus et dolus alicui patrocinari non debent» et «mendax precator carere debet penitus impetratis». Ita saltem si agitur de dispensatione super impedimentis *maioris gradus* supra n. 767 enumeratis [4]. Ergo quaecumque fraus voluntarie adhibita ad obtinendam dispensationem super huiusmodi impedimentis vitiat dispensationem. Aliter forte res se habet, si agitur de dispensatione obtenta super impedimento *minoris gradus,* ubi obreptio aut subreptio iam non obstat validitati dispensationis, ut supra n. 881 dictum est.

Si *bona fide* error irrepsit in petitione, dispensationis concessio est invalida, si error fuit *substantialis.* Censetur autem error esse substantialis, a) si versetur circa *unicam causam motivam;* sin autem ex pluribus causis motivis adductis saltem una est vera, dispensatio non invalidatur [5]; b) si tempore concessionis dispensationis notabilis differentia impedimenti supervenit aut detegitur, e. g. si detegitur non tantum adesse consanguinitatem simplicem sed etiam multiplicem.

Detecto vitio irritante dispensationem, aut nova dispensatio aut sic dictae litterae «*Perinde valere*» petendae sunt. Totus casus exponendus est in foro competenti prorsus eodem modo, ac si nihil hucusque factum sit. Proinde pro errore circa impedimenta publica commisso recurrendum est ad episcopum, qui solet amplas facultates habere circa has litteras «Perinde valere».

---

[1] Alii auctores malunt dari dispensationem ab impedimentis *ante* absolutionem sacramentalem. En specimen alicuius formulae propositae a *De Smet* l. c. n. 886: «Dominus noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti, signanter ab excessibus admissis, necnon a poenis et censuris, quas ob praemissa forsan incurristi, in quantum possum et tu indiges. — Insuper, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento criminis, ex adulterio et fide data provenientis, ut eo non obstante cum muliere, quam ducere intendis, matrimonium publice, in forma can. 1094 contrahere, consummare et in eo permanere valeas. Eadem auctoritate prolem susceptam et suscipiendam legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris etc. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris etc. Passio Domini etc.» Ista formula videtur esse nimis longa pro confessionali et continet complura superflua.

[2] Cf. *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 454.

[3] Cod. iur. can. c. 36, § 2.

[4] Cf. Ordo serv. in C. R., norm. pec. c. 7, a. 3, n. 20 (Acta Ap. Sedis I 91).

[5] Cod. iur. can. c. 42.

Sin autem obtenta dispensatio fuit invalida propter vitium occultum, cuius dispensatio pertinet ad S. Poenitentiariam, ad hoc tribunal etiam recurrere oportet pro sanatione dispensationis vitiatae. In hoc ultimo casu recursus ad episcopum quoque patet, dummodo desit periculum laesionis secreti aut sigilli sacramentalis.

ARTICULUS V.

De matrimonii invalide contracti convalidatione.

Praenotamen. Quando detegitur aliquod matrimonium contractum 884
certo nullum esse propter impedimentum dirimens exsistens, magna circumspectione procedere debet tum parochus tum confessarius. Quadruplex via procedendi adest:

1. **Dissociatio coniugum.** Exigenda est haec dissociatio, si matrimonio obstat impedimentum indispensabile, e. g. ligaminis, et nulla fundata spes adest, ut coniuges possint sicut frater et soror convivere, et ut scandalum publicum vitetur. Praeter istum casum raro expedit procurare dissociationem coniugum in matrimonio invalido viventium. Solent enim multa incommoda ex tali dissociatione oriri tum pro ipsis coniugibus tum pro prole forsan nata.

Antequam pseudo-coniuges dissocientur, ordinarie requiritur processus matrimonialis, de quo videsis nostrum Man. iur. can. q. 537 sqq.

2. **Relinquere coniuges putativos in bona fide.** Iste modus non est licitus, nisi a) ambo coniuges sunt revera in bona fide et spes fundata exsistit hanc bonam fidem perpetuo permansuram esse; b) nisi *causa urgens* adest permittendi peccata materialia. Talis causa urgens est e. g. grave periculum, ne coniuges putativi, cognita nullitate matrimonii, nihilominus pergant maritaliter convivere et sic in perpetuo concubinatu formali exsistant cum proprio damno, cum damno prolis et cum maximo scandalo populi.

3. **Fraterna cohabitatio.** Potest putativis coniugibus permitti cohabitatio fraterna, si nullitas matrimonii est occulta, ita ut nullum scandalum oriatur ex convictu, et deinde si eorum aetas aut virtus est talis, ut proximum periculum incontinentiae desit. Quae quidem absentia periculi incontinentiae non potest certo cognosci nisi per diuturnam experientiam.

4. **Convalidatio matrimonii invalidi.** Matrimonium invalidum tribus modis convalidari potest: 1. per simplicem renovationem consensus sine dispensatione; 2. per simplicem dispensationem a competenti auctoritate; 3. per sanationem in radice. De singulis singillatim tractandum est.

§ 1.

De convalidatione matrimonii per renovationem consensus.

Per renovationem consensus matrimonium invalidum potest con- 885
validari in tribus casibus: 1. quando matrimonium fuit invalidum *ob defectum consensus* (e. g. qui fuit ficte datus vel sub metu aut vi, vel cum errore substantiali); 2. quando obstabat impedimentum, quod sponte recessit[1] (e. g. impubertas, ligamen); 3. quando obstabat impedimentum, quod libere potest removeri per factum alterutrius con-

[1] Iste casus hodie frequenter potest accidere in matrimoniis invalide contractis ante Pentecosten 1918 ob impedimenta, quae nunc per Codicem sunt ablata, e. g. ob impedimentum affinitatis ex copula illicita.

iugum (e. g. disparitas cultus, defectus formae legitimae). In omnibus istis casibus matrimonium irritum convalidari potest per expressam renovationem consensus maritalis, quin sit necessaria aliqua dispensatio ecclesiastica. — Quantum ad *formam* istius renovationis consensus sequentia notanda sunt:

a) Si nullitas matrimonii est *notoria,* consensus matrimonialis debet publice renovari[1] iuxta normam in iure statutam. Ratio est obvia; secus enim vix possibile est, ut scandalum sufficienter removeatur. Debent igitur pseudo-coniuges coram parocho et duobus testibus consensum matrimonialem publice manifestare. Quod si Ordinarius ob peculiares circumstantias iudicaverit expedire, ut secreto coram proprio parocho et duobus testibus potius celebretur matrimonium, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit et quam primum removeatur[2].

b) Si nullitas matrimonii est *utrique* quidem coniugi nota, sed ceteroquin mansit *occulta,* tunc renovandus est consensus matrimonialis coram parocho et duobus testibus, *si in prima celebratione matrimonii neglecta fuit forma praescripta a lege, seu breviter, si obstat vetus impedimentum clandestinitatis.* In hoc casu, si nullitas matrimonii detegitur a confessario, qui non est parochus, et pseudo-coniuges renuunt adire parochum, confessarius potest ab episcopo petere delegationem, ut matrimonium possit celebrari ad modum *matrimonii conscientiae.* Quaenam autem requirantur ad matrimonium conscientiae, vide supra n. 639. Sin autem in prima celebratione matrimonii observata fuit forma praescripta a iure canonico, sufficit renovatio privata et secreta consensus[3].

c) Si occulta nullitas matrimonii (rite celebrati) *alterutri* et non utrique coniugi est nota, veteres theologi[4] excogitaverunt diversos modos, quomodo coniux ignarus impedimenti possit induci ad implicite renovandum consensum matrimonialem. Haec omnia nunc sunt sine utilitate practica, cum Codex iur. can. c. 1135, § 3 statuat: «Si impedimentum sit occultum et uni parti ignotum, satis est, ut *sola pars impedimenti conscia* consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.» Renovatio autem ista consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium, quod constet ab initio nullum fuisse[5].

d) Si matrimonium fuit nullum ob defectum formae, i. e. *ob solum impedimentum clandestinitatis,* quod saepe locum habet in matrimoniis mixtis coram solo magistratu civili initis, debet denuo contrahi in legitima forma[6] iuxta statuta particularia locorum. Solent enim episcopi non tantum pro huiusmodi matrimoniis invalidis, sed etiam pro matrimoniis ex se validis, quae tamen sine interventu Ecclesiae inita sunt, speciales normas statuere.

---

[1] Cod. iur. can. c. 1135, § 1.

[2] Ita Card. *Caprara* in Instructione de matrimoniorum irritorum revalidatione in Gallia.

[3] Cod. iur. can. c. 1135, § 2.

[4] Cf. *S. Alph.,* Theol. mor. l. 6, n. 1117.

[5] Cod. iur. can. c. 1134.

[6] Ib. c. 1137.

§ 2.

De convalidatione matrimonii per simplicem dispensationem.

Claritatis causa distinguimus huiusmodi convalidationem a) in periculo 886
mortis, b) in casu urgentis necessitatis, c) in casibus ordinariis.

a) *In periculo mortis* pseudo-coniuges facile possunt iuxta vigentem disciplinam obtinere dispensationem ab omnibus impedimentis dirimentibus iuris ecclesiastici, exceptis impedimentis affinitatis lineae rectae et ordinis presbyteratus. Quilibet igitur sacerdos potest per simplicem dispensationem convalidare matrimonium invalidum, si alteruter pseudo-coniux in articulo mortis versatur. De hac dispensandi facultate et de condicionibus requisitis iam supra n. 866 et 868 dictum est.

b) *In casu urgentis necessitatis* observanda sunt omnia ea, quae supra n. 867 sqq. dicta sunt de dispensandi facultate concessa Ordinariis locorum et aliis sacerdotibus.

c) *In casibus ordinariis* pseudo-coniuges debent ad convalidandum ipsorum matrimonium dispensationem obtinere super impedimentis obstantibus validitati. Quantum ad formam consensus renovandi eadem valent, quae in paragrapho praecedenti dicta sunt. Haec simplex dispensatio consulenda est, quando *ambo* coniuges parati sunt explicite renovare consensum maritalem; sin autem praevidetur, alterutram partem non renovaturam esse consensum, non simplex dispensatio, sed potius sanatio in radice petenda est.

§ 3.

De sanatione in radice.

Notio. *Sanatio in radice est dispensatio a Summo Pontifice con-* 887
cessa, qua matrimonium hucusque invalidum redditur validum, et quidem quoad effectus iuridicos non a tempore dispensationis concessae, sed (per fictionem iuris) inde ab initio, ac proinde omnes effectus tolluntur, qui ex lege irritante matrimonium secuti fuerant[1]. Brevius dicitur: sanatio in radice reddit matrimonium hucusque invalidum aeque validum (quoad effectus iuridicos), ac si inde ab initio nullum impedimentum dirimens adfuerit. Quapropter post sanationem in radice iam non est necessaria legitimatio prolis natae; per fictionem enim iuris universa haec proles censetur nata in legitimo matrimonio. — Ex quibus explicatis facile intelligitur distinctio inter dispensationem simplicem et sanationem in radice. Prior non facit matrimonium validum nisi mediante *renovatione consensus;* posterior autem non requirit novum consensum, sed consensum in initio positum legitimum reddit[2]. Quod si autem etiam in sanatione in radice aliquando renovatio consensus exigitur, hoc est per accidens, quia scil. una pars ab initio fuit in mala fide et forsan numquam sincerum consensum praestitit. Altera

[1] Cf. Cod iur. can. c. 1138.
[2] Cf. *Bened. XIV,* De syn. dioec. l. 13, c. 21, n. 7.

differentia inter has duas dispensationes est haec: Quoad iuridicos effectus sanatio in radice reddit matrimonium validum *ex tunc*, i. e. ab initio; simplex dispensatio reddit matrimonium validum *ex nunc*, i. e. a momento dispensationis concessae; quoad rationem *sacramenti* vero *aliosque effectus morales* tam sanatio in radice quam simplex dispensatio reddit matrimonium validum ex nunc.

888 **Indoles propria** sanationis in radice diverso modo explicatur. Sunt praesertim duae explicationes: Prima explicatio, proposita a Perrone [1], Müllendorf [2], Riganti etc., vult per sanationem in radice matrimonium evadere perfecte validum ab initio etiam *in ratione sacramenti* ac proinde cum omnibus effectibus tam moralibus quam iuridicis. Ad explicandam autem hanc mirabilem efficaciam sanationis in radice asserunt isti auctores, legislationem ecclesiasticam de impedimentis dirimentibus matrimonii non esse prorsus absolutam, sed condicionatam. E. g. impedimentum consanguinitatis irritat quidem ordinarie omnia matrimonia inter consanguineos contracta, sed si Deus per sic dictam scientiam mediam praevidet, suum Vicarium in terris sanaturum esse aliquod particulare matrimonium inter consanguineos contractum, tunc istud matrimonium inde ab initio ut validum habet ac largitur omnes gratias sacramentales. — Quae quidem explicatio est optima intentione et aliquali ingenio prolata, sed caret omni prorsus fundamento reali et haud parva incommoda secum trahit. Etenim nullibi nec minimum vestigium istius assertae legislationis condicionatae invenitur. Insuper iuxta hanc explicationem sanatio in radice nihil aliud esset nisi declaratio Summi Pontificis, impedimenta dirimentia non exstitisse tempore celebrationis talis vel talis matrimonii; quod profecto est falsum. — Secunda et communissima explicatio asserit, per sanationem in radice convalidari matrimonium, quod ab initio revera fuit nullum, ita ut illud *nunc* fiat validum quoad *rationem sacramenti*, sed omnes effectus *iuridici* matrimonio sic convalidato concedantur aeque *ac si ab initio fuerit validum*. Quae quidem explicatio adhibetur etiam in Decreto Benedicti XIV «Cum super» d. 27 Sept. 1755: «Per eam [sanationem in radice] non fit, ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.» — Idem statuit Codex iur. can. c. 1138, § 2: «Convalidatio [matrimonii] fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero [circa effectus canonicos] intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur.» — Cum igitur pseudo-coniuges in momento sanationis in radice recipiant sacramentum matrimonii, curet confessarius pro viribus suis, ut tunc sint in statu gratiae sanctificantis, ne sacramentum vivorum indigne suscipiant.

Quoad historiam sanationis in radice adhuc complura sunt incerta. Neque in Decretalibus neque in Summa S. Raymundi mentio fit sanationis in radice. Nonnulli auctores vident prima illius vestigia in dispensationibus concessis a Bonifatio VIII, qui matrimonia inter Mariam et Sanchez IV, regem Castiliae iam mortuum, et inter Ildephonsum regem Lusitaniae et comitissam Poloniae validum declaravit, non obstantibus impedimentis dirimentibus [3]. Benedictus XIV clare proposuit doctrinam de sanatione in radice.

[1] De matrim. II 161 sqq. [2] «Pastor bonus» XXII 412 sqq.
[3] Cf. *Scherer*, Kirchenr. II 454.

Tempore primae revolutionis Gallicanae quam plurima matrimonia sanata sunt in radice. Hodie solet sanatio in radice concedi, quando simplex dispensatio cum renovatione consensus est moraliter impossibilis.

Potestas sanandi matrimonium in radice est penes solum Summum Pontificem [1], qui illam *habitualiter* aliquando delegat episcopis extra Europam residentibus, satis raro autem episcopis *Europae.*

Aliqui auctores distinguunt *perfectam* et *imperfectam* sanationem in radice. Prior habetur, quando absque renovatione consensus matrimonium cum omnibus effectibus iuridicis et notanter cum legitimatione universae prolis convalidatur. Altera habetur, a) si requiritur ex parte *unius* putativi coniugis renovatio consensus; b) si ob mortem vel amentiam unius coniugis matrimonium quidem non convalidatur, sed nihilominus omnes effectus iuridici illi conceduntur. — Quae quidem distinctio non est magnae utilitatis. Ultimus saltem modus melius non vocaretur sanatio matrimonii in radice, quia tunc prorsus impossibile est sanare ipsum matrimonium, ut per se patet. Iste modus reapse nihil aliud est nisi legitimatio prolis; quae profecto fieri potest absque convalidatione matrimonii.

Quattuor condiciones requisitae ad sanationem in radice. 889

1. *Ut impedimentum dirimens, de quo agitur, non sit iuris naturalis aut divini, sed ecclesiastici,* et quidem ex his, in quibus Ecclesia dispensare solet [2].

Hinc sanatio in radice non conceditur, si obstat e. g. impedimentum erroris, ligaminis vel etiam affinitatis licitae in linea recta aut ordinis presbyteratus etc. Pariter denegata est sanatio in sequenti casu: Ex aliqua coniunctione fornicaria seu ex concubinatu duplex proles nata erat; deinde vir acatholicus ex operatione chirurgica factus est perfecte impotens; postea cum sua concubina celebravit matrimonium civile. Nunc petitur sanatio in radice. S. Congr. Inquisitionis d. 8 Martii 1900 respondit: «In casu exposito sanationem in radice concedi non posse.» Quare? In prima coniunctione obstabat impedimentum iuris naturalis, scil. defectus veri consensus maritalis; in secunda autem coniunctione seu matrimonio civili adfuit quidem verus consensus, sed obstabat aliud impedimentum ad ius naturale pertinens, scil. impotentia physica. — Similiter non potest matrimonium sanari, cui obstat impedimentum *iuris divini,* e. g. ligaminis. Quapropter, si S. Poenitentiaria d. 25 Aprilis 1890 videtur concessisse sanationem in radice alicuius matrimonii, cui ab initio obstitit impedimentum ligaminis, quod postea cessavit morte compartis, haec dispensatio minime est sanatio in radice proprie dicta. Etenim a) matrimonium non est convalidatum *ab initio,* sed inde a morte compartis; b) expresse denegata est legitimatio *prolis adulterinae.* Et revera si haec dispensatio fuisset vera et propria sanatio in radice, haberetur contradictio aperta, scil. Ecclesia admisisset veram polyandriam. Nam illa mulier, de qua agitur, vivebat in vero matrimonio cum primo marito; et simul per fictionem iuris censetur in vero matrimonio vixisse cum adultero. Idcirco statuit Codex iur. can. c. 1139: «Matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi impedimentum postea cessa-

[1] Cod. iur. can. c. 1141. Sanatio in radice pro foro interno petenda est a S. Poenitentiaria, pro foro externo a S. C. de Sacramentis; si autem agitur de impedimento disparitatis cultus, a S. Officio, ut infra dicetur.

[2] Cod. iur. can. c. 1139, § 2.

verit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti.»

2. *Ut adfuerit verus affectus seu consensus maritalis.*

Nam si contrahentes nihil aliud intenderunt nisi merum concubinatum, ipse consensus maritalis defuit, quem Ecclesia per nullam dispensationem supplere potest. Aliis verbis: Ut sanatio in radice sit possibilis, requiritur, ut contractus matrimonialis fuisset validus, nisi obstetisset *lex ecclesiastica irritans*. Sanatio igitur in radice nihil aliud est nisi sanatio *radicis* matrimonii; porro radix matrimonii est *consensus maritalis*, qui si naturaliter validus adfuit, sanabilis est; sin autem non adfuit, nec sanari potest, ut per se patet. Nam quod non est, non potest sanari. — Si solus alteruter coniugum putativorum verum affectum maritalem habuit, alter vero nihil intendit nisi sic dictam «liberam unionem», matrimonium nec etiam potest convalidari, nisi tamen alter verum consensum maritalem postea praestiterit. Tunc autem haec convalidatio non est sanatio in radice proprie dicta, ut ex supra dictis apparet.

890 3. *Ut consensus matrimonialis in initio datus virtualiter perduret in momento sanationis nec sit vere et efficaciter revocatus ab alterutra parte*[1].

Ita docent omnes illi, qui non admittunt illam infundatam explicationem naturae sanationis in radice propositam a Perrone, Müllendorf etc. iam supra refutatam. Ratio autem est obvia: Etenim ad validitatem matrimonii consistere debent et *habilitas* et *consensus* nupturientium. Licet autem per dispensationem possit auferri inhabilitas nupturientium iure ecclesiastico introducta, minime potest suppleri eorum consensus, si est vere revocatus aut virtualiter iam non perseverat, quando inhabilitas aufertur. Hanc perdurationem consensus utriusque partis exigit quoque stylus Curiae; nam in Rescriptis solet clausula apponi: «quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret». — In praxi consensus matrimonialis praesumitur perseverare, nisi contrarium manifeste constet. Notanter non habetur revocatio consensus:

a) si pars ignara impedimenti prompta esset ad solvendum matrimonium propter lites domesticas aliasve rationes;

b) si pars ignara impedimenti iam petiit divortium quoad torum et habitationem. — Ratio horum duorum est, quia non quaeritur, quid pars ignara faceret, si sciret impedimentum, sed *quid de facto agat*. Porro de facto non constat, illam partem retraxisse consensum maritalem prius datum;

c) si ambo coniuges cognoverunt quidem inde ab aliquo tempore nullitatem matrimonii, sed nihilominus pergunt maritaliter convivere[2].

Nullo autem modo consensus potest dici virtualiter permanere, si alteruter coniux *mortuus* aut *in perfectam amentiam* lapsus est; quare in his casibus nequit concedi vera et proprie dicta sanatio in radice, licet proles suscepta possit legitima declarari.

4. *Ut adsit gravis et urgens causa.*

Sanatio enim in radice est dispensatio extraordinaria, quae non solet concedi sine gravi et urgenti causa. Unde episcopus aliusve delegatus, qui

[1] Cod. iur. can. c. 1140.

[2] Cf. *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 659, nota 35.

sanationem in radice concederet sine gravi et urgenti causa, non solum illicite, sed etiam invalide ageret. Huiusmodi autem graves causae sunt:

a) si impedimentum dirimens (e. g. crimen) uni parti notum non possit alteri parti manifestari sine magno incommodo;

b) si una pars ad renovationem consensus adduci nequeat, quamvis in matrimonio velit permanere;

c) si ambo coniuges sint in bona fide, sed propter graves rationes nequeant moneri de nullitate matrimonii neque etiam praestet illos in bona fide relinquere;

d) si multa matrimonia sint nulla, quae aliter ac per sanationem in radice convalidari nequeunt. Quam ob causam Pius X in Const. «Provida» in radice sanavit omnia matrimonia mixta et acatholica in Germania ante diem 15 Aprilis 1906 invalide contracta ob defectum formae Tridentinae, dummodo ne aliud impedimentum dirimens obstiterit et mutuus consensus coniugum usque ad dictam diem perseveraverit.

Petitio et exsecutio sanationis in radice. 891

Cum sanatio in radice obtineri et applicari possit *etiam insciis pseudo-coniugibus*[1], quilibet eam petere potest. Ordinarie tamen pertinet ad parochum vel confessarium petere et exsequi hanc sanationem. In petitione omnia illa explicanda sunt, quae pertinent ad naturam impedimenti, sicuti fit in dispensatione simplici petenda. Deinde afferendae sunt rationes (ex quattuor supra recensitis), quare non dispensatio simplex, sed sanatio in radice petatur. Si agitur de impedimento *occulto* — ut communius accidere solet —, petitio dirigenda est ad S. Poenitentiariam. Sin vero adest impedimentum *publicum*, praestat sanationem petere (mediante curia episcopali) a S. Congregatione de Sacramentis, vel, si agitur de invalido matrimonio mixtae religionis aut disparis cultus, a S. Officio.

In exsequenda sanatione obtenta sedulo attendendae sunt clausulae appositae in Rescripto. In confessionali pro fulminatione sanationis haec vel similis forma adhiberi potest: Auctoritate Apostolica mihi specialiter commissa matrimonium tuum cum N. invalide contractum propter exsistentiam impedimenti talis (e. g. criminis, affinitatis etc.) in radice sano, unde proles suscepta vel suscipienda legitima est. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. — Quia putativi coniuges debent esse *in statu gratiae*, quando sanatio exsecutioni mandatur — recipiunt enim tunc matrimonii sacramentum —, haec exsecutio facienda est post absolutionem sacramentalem, in quantum hoc possibile est.

Corollarium. Ex hucusque dictis iuvat breviter colligere *effectus* 892 *sanationis in radice.*

1. In momento, quo sanatio in radice conceditur, contractus matrimonialis evadit verum sacramentum Novae Legis, nisi tamen alter coniux sit infidelis non baptizatus. Minime autem contractus matrimonialis evadit sacramentum inde a primo suo initio; ac propterea peccata formalia, quae ante sanationem

[1] Cf. Cod. iur. can. c. 1138, § 3.

a pseudo-coniugibus forsan facta sunt per copulam mala fide exercitam, non auferuntur neque efficiuntur non facta.

2. Omnes effectus *iuris ecclesiastici* tribuuntur matrimonio sic sanato eodem modo, ac si illud ab initio fuerit validum. Hinc perfectissima legitimatio prolis natae conceditur. Proles enim habetur eodem modo, ac si sit nata in legitimo matrimonio. Ideoque proles sic legitimata non solum ss. ordines, sed etiam ecclesiasticas dignitates suscipere potest. Valde quidem decet, ut talis proles legitimata etiam coram lege *civili* tamquam legitima habeatur cum omnibus iuribus filiorum legitimorum, sed sanatio in radice per se nondum confert talia *iura civilia;* unde e. g. si lex civilis alicuius regionis excludit huiusmodi prolem a successione hereditaria, non licet compensationem occultam adhibere [1].

893 **Scholion. De filiis illegitimis.** Cum in decursu tractatus de matrimonio saepe sermo occurrat de legitimatione prolis, hic breviter agendum est de filiis legitimis et illegitimis. S. Thomas [2] docet: «Quadruplex est status filiorum: quidam enim sunt naturales et legitimi, sicut qui nascuntur ex vero et legitimo matrimonio; quidam naturales et non legitimi, ut filii, qui nascuntur de simplici fornicatione; quidam legitimi et non naturales, sicut filii adoptivi; quidam nec legitimi nec naturales, sicut spurii nati de adulterio vel de stupro.»

In foro ecclesiastico iuxta vigentem disciplinam filii legitimi habentur:

Omnes, qui concipiuntur aut saltem nascuntur ex matrimonio valido vel putativo. Excipiuntur filii progeniti post professionem sollemnem aut s. ordinem susceptum ab iis scil., qui quidem validum matrimonium contraxerunt, sed postea votum sollemne castitatis emiserunt aut s. ordinem susceperunt et nihilominus filios progenuerunt [3]. Legitimi *praesumuntur* filii, qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis [4]. Haec tamen praesumptio elidi potest per probationem veritatis.

Omnes alii filii sunt illegitimi, qui solent distingui naturales et spurii. *Filii naturales* sunt illi, qui extra matrimonium quidem sunt geniti, sed a personis, inter quas tempore conceptionis aut praegnationis aut nativitatis matrimonium validum consistere potuisset, seu brevius: filii naturales sunt filii nati *ex simplici fornicatione. Filii spurii* sunt illi, quorum genitores tempore conceptionis aut nativitatis inhabiles fuerunt ad matrimonium contrahendum propter impedimentum dirimens inter eos exsistens. Filii spurii solent subdividi in: a) *adulterinos,* qui ex adulterio sunt progeniti; b) *sacrilegos,* quorum alteruter vel uterque parens est ligatus voto castitatis sollemni vel sollemnizato; c) *incestuosos,* quorum parentes sunt consanguinei vel affines in linea *collaterali;* et demum d) *nefarios,* qui geniti sunt a consanguineis vel affinibus in linea *recta.*

Legitimatio filiorum illegitimorum obtineri potest triplici modo:

1. *Per subsequens matrimonium* (sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum) legitimantur filii naturales, non autem filii spurii [5]. Tales filii naturales legitimati quoad effectus canonicos in omnibus aequiperantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit [6].

[1] Cf. *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 664, nota 46. [2] Suppl. q. 68, a. 1.
[3] Cod. iur. can. c. 1114; c. 2, X 4, 17. [4] Cod. iur. can. c. 1115, § 2.
[5] c. 3, X 4, 17; Bened. XIV Const. «Redditae» d. 5 Dec. 1744; Cod. iur. can. c. 1116. [6] Cod. iur. can. c. 1117; Sixti V Const. «Postquam» d. 3 Dec. 1586.

2. *Per professionem sollemnem* in ordinibus religiosis aut per professionem simplicem in nonnullis institutis religiosis speciale privilegium habentibus [1] obtinetur eo ipso legitimatio filiorum tum naturalium tum spuriorum, sed pro suscipiendis ss. ordinibus tantum, non autem pro acceptandis dignitatibus [2].

3. *Per dispensationem* super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria sive ex potestate delegata *per indultum generale* (e. g. concessum omnibus sacerdotibus, qui dispensant in periculo mortis vel in alio casu urgenti), non vero per Rescriptum, in casibus particularibus conceditur quoque *eo ipso* legitimatio prolis, excepta tamen adulterina et sacrilega [3].

4. *Per Rescriptum Summi Pontificis* omnes filii illegitimi, etiam spurii, possunt legitimari quantum ad effectus canonicos [4]; sed num de facto talis perfecta legitimatio concessa sit secundum *omnes* effectus canonicos, videndum est ex ipso Rescripto Summi Pontificis.

Legitimatio obtenta debet notari in libro baptismorum.

CAPUT IX.

De matrimonio et divortio civili.

Caput istud dividitur in duos articulos: 1. de matrimonio civili, 2. de divortio civili.

ARTICULUS I.

De matrimonio civili.

Notio. *Matrimonium civile est contractus maritalis (etiam christianorum) initus coram magistratu civili.* Dicitur contractus *maritalis*, i. e. respiciens omnia iura maritalia et non solum pacta de effectibus civilibus et de administratione bonorum [5]. Proinde non adest matrimonium civile stricte dictum, si sponsi solam intentionem habent denuntiandi magistratui civili suam coniunctionem maritalem iam factam aut mox faciendam, exinde suscipientes onera et iura mere civilia pro se suaque prole futura. 894

Divisio. Matrimonium civile a modernis guberniis introductum solet tripliciter dividi:

1. Matrimonium civile *necessarium seu obligatorium* [6], quod a gubernio civili sub gravibus poenis praescribitur pro omnibus nupturientibus. Huiusmodi matrimonium civile obligatorium hodie exsistit in compluribus regionibus, e. g. in Germania, in Gallia, in Hollandia, in Hungaria, in Belgio, in Helvetia. Gubernium civile nihil curat de matrimonio ecclesiastico et de impedimentis ab Ecclesia statutis, sed totum contractum matrimonialem iudicat in suo tribunali iuxta solas leges civiles vigentes.

2. Matrimonium civile *facultativum* [7], quod habetur, si omnibus nupturientibus etiam christianis optio permittitur celebrandi matrimonium aut coram

---

[1] Gregorii XIII Const. «Ascendente Domino» d. 25 Maii 1584.
[2] c. 1, X 1, 17; Cod. iur. can. c. 984, n. 1. [3] Cod. iur. can. c. 1051.
[4] Cf. *S. Thom.*, Suppl. q. 68, a. 3 et *Bened. XIV* l. c.
[5] *Wernz*, Ius Decretal. IV, n. 200. [6] *Die obligatorische oder Zwangszivilehe.*
[7] *Die fakultative oder Wahlzivilehe.*

parocho sive ministro cultus legitime auctorizato a civili et ecclesiastica potestate, aut coram solo magistratu civili, servatis solis legibus civilibus. Huiusmodi matrimonium civile facultativum viget in America Septentrionali.

3. Matrimonium civile *subsidiarium*[1], quod acceptatur a gubernio civili ut validum, quando nupturientes aut nequeunt aut nolunt contrahere matrimonium in facie Ecclesiae. Huiusmodi matrimonium subsidiarium viget nunc in Hispania[2] et locum tenet matrimonii ecclesiastici. Tale matrimonium contrahitur: a) a non-baptizatis, qui non subiciuntur iurisdictioni ecclesiasticae; b) ab haereticis non agnoscentibus iurisdictionem Ecclesiae catholicae; c) a catholicis, qui volunt matrimonium contrahere, licet obstet impedimentum dirimens.

De historia matrimonii civilis non multa dicenda sunt. Ante sic dictam «reformationem» saeculi XVI matrimonium civile prorsus ignotum erat. Prima vice videtur esse introductum in Hollandia et Frisia d. 1 Aprilis 1580. In Anglia d. 24 Aug. 1653 lex de matrimonio civili promulgata est. In Gallia d. 20 Sept. 1792 matrimonium civile necessarium omnibus civibus Galliae est praescriptum. Nunc temporis aliqualiter viget matrimonium civile fere in omnibus regionibus.

895 **Principium 1.** *Matrimonium civile in sensu supra explicato non potest ab Ecclesia agnosci ut verum matrimonium* **inter christianos,** *proinde neque est sacramentum neque ullos effectus canonicos producit.*

Sermo est de solo matrimonio christianorum. Etenim infideles non baptizati iurisdictioni Ecclesiae non subduntur, ac proinde, cum eorum matrimonia nihilominus regi debeant ab aliqua potestate visibili, sententia multorum est, ex iure devolutionis potestatem civilem posse regere matrimonia infidelium, dummodo nihil statuatur contrarium legi naturali et divinae[3]. Ergo infideles valide et licite possunt matrimonium civile contrahere, quod non opponitur iuri naturali et divino[4]. — Matrimonium autem civile *christianorum* Ecclesia semper reprobavit, unde in Syllabo Pii IX proscripta est prop. 73: «Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium.»[5] — Rationes autem, ob quas Ecclesia matrimonium civile semper reprobavit, sunt complures, quarum praecipuae sunt: 1. Per matrimonium civile laeditur ius Ecclesiae, quae sola habet potestatem in matrimonia christianorum, quippe quae sint sacramenta; 2. matrimonium civile reddit matrimonium rem vere profanam et contractum mere profanum, sicut expressis verbis docuit Luther[6]; 3. fovet indifferentismum inter christianos eo quod exinde saepe matrimonia mixta aut alias illicita concluduntur; 4. fovet divortia: etenim sicut facile contrahuntur, ita etiam facile dissolvuntur matrimonia civilia; unde ubi introductum est matrimonium civile, ibi etiam viget divortium civile vinculi matrimonialis (paucis regionibus exceptis[7]); 5. christiani

[1] *Notzivilehe oder Ersatzzivilehe.*

[2] Etiam in paucis aliis terris exsistit matrimonium civile subsidiarium pro protestantibus. In Russia, Dania, Suecia datur species matrimonii civilis subsidiarii.

[3] Cf. supra n. 651.

[4] Cf. *Gasparri,* De matrim. n. 1221; *Wernz,* Ius Decretal. IV, n. 205, nota 332.

[5] *Denz.* n. 1773.

[6] «Weil die Hochzeit und Ehestand ein weltlich Geschäft ist, gebührt uns Geistlichen und Kirchendienern nicht, darin zu ordnen.» Traubüchlein, apud *Leitner,* Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 81.

[7] Cf. infra n. 899.

coguntur actionem ponere, quam aut ut quid malum aut ut quid in conscientia minime obligatorium agnoscunt.

Principium 2. *Nupturientes christiani licite possunt ex ratio-* 896
nabili causa observare statuta legis civilis quoad matrimonii celebrationem, dummodo excludatur intentio ipsum sacramentum matrimonii coram magistratu civili suscipiendi[1].

Ita docent omnes. Ipse Leo XIII dicit in celeberrima Encyclica «Arcanum»: «Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat, ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta et ne quid liberis detrimenti afferatur.» — Debent igitur nupturientes christiani coram magistratu civili nihil aliud intendere nisi effectus mere civiles pro se suaque prole[2]. In regionibus, ubi lex civilis exigit, ut matrimonium civile contrahatur *ante* matrimonium ecclesiasticum, id quidem licet, sed omni diligentia utendum est, ut matrimonium coram Ecclesia quam primum contrahatur atque interim contrahentes seiuncti consistant[3]. Nupturientes non debent matrimonium civile inire, antequam omnia parata sunt, ut matrimonium coram Ecclesia certo et quam primum possit celebrari. Non enim desunt complura exempla, ubi contracto matrimonio civili, alteruter sponsorum recusavit contrahere coram Ecclesia.

Nota. Parochi apprime debent scire statuta legis civilis patriae suae ad hoc, ut possint recte instruere fideles, qua intentione et qua mente ista statuta possint et debeant observari. Pariter haec notitia necessaria est, ne ipsi parocho et religioni catholicae ex transgressione horum statutorum magna damna oriantur.

Effectus matrimonii civilis. *Matrimonium civile* **ut tale** *pro* 897
christianis censetur putidus concubinatus, ideoque inducit omnes poenas inflictas concubinatui. Hinc a) oritur publica honestas[4]. b) Si quae ex huiusmodi coniunctione orietur suboles, ea utpote ex non legitima uxore nata, in oculis Dei et Ecclesiae est *illegitima*[5]. c) Matrimonium civile contractum et consummatum post divortium civile alterius legitimi matrimonii inducit *impedimentum criminis*[6]. d) Personae viventes in matrimonio civili (invalido) habentur tamquam *publici peccatores;* sunt enim concubinarii[7], ac proinde non possunt admitti neque ad sacramenta suscipienda neque ad sepulturam ecclesiasticam. e) Clerici in sacris constituti vel regulares utriusque sexus post votum sollemne contrahere praesumentes matrimonium civile, necnon omnes cum praedictis personis matrimonium inire praesumentes *incurrunt excommunicationem* Sedi Apostolicae simpliciter reservatam aliasque poenas. Quae

---

[1] Cod. iur. can. c. 1063, § 3.

[2] Bened. XIV Brev. «Redditae sunt nobis» d. 17 Sept. 1746.

[3] S. Poenit. d. 15 Ian. 1866. [4] Cf. supra n. 849.

[5] *Bened. XIV* l. c. § 3.

[6] Cf. supra n. 855.

[7] S. Poenitentiaria dicit d. 15 Ian. 1866: «Esset vere concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret»

quidem excommunicatio est Ordinariis reservata, si agitur de matrimonio civili religiosi simpliciter professi [1].

Licet autem matrimonium civile **qua tale** sit concubinatus, tamen *in quantum contrahitur cum vero consensu maritali et absque aliis impedimentis dirimentibus,* est validum in iis condicionibus, in quibus matrimonia clandestina sunt valida. Hinc e. g. matrimonia civilia contracta inter *acatholicos* verum consensum maritalem habentes et nullo alio impedimento dirimente obstrictos sunt valida. Idem valebat de matrimoniis civilibus mixtis in Germania et in Hungaria contractis ante d. 18 Maii 1918. — In praxi magna difficultas oritur in definiendo, utrum revera adfuerit in celebratione civilis matrimonii consensus maritalis necne. Ordinarie stat praesumptio pro insufficienti consensu, ac proinde pro invaliditate matrimonii civilis, si contractum est a *vero catholico,* qui officia religionis implet [2]; praesumptio autem econtra stat pro validitate consensus et matrimonii civilis, si initum est a catholico indifferenti vel haeretico, qui celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae explicite negligit. In quolibet igitur casu probandum est sufficientem consensum maritalem non adfuisse.

898 **Quaeres:** *Num liceat assistere matrimonio civili tamquam officialis magistratus aut tamquam testis.*

Respondetur: 1. Si nupturientes ipsi sicuti et officialis magistratus ac testes in matrimonio civili nihil aliud intendunt nisi actum mere civilem cum effectibus mere civilibus, nemo sane peccat. Ita docent omnes. Sin autem nupturientes mala voluntate contrahunt matrimonium civile intendentes in illo actu *verum et validum matrimonium,* profecto ipsi nupturientes graviter peccant, sed nihilominus magistratus civilis ex gravi causa potest assistere huic malo actui tamquam minister gubernii. Ratio est, quia talis assistentia non est nisi cooperatio *materialis* ad peccatum alterius, quae ex gravi et proportionata causa fieri potest. Sic etiam parochus ex gravi causa potest assistere matrimonio graviter illicito publici peccatoris; sic licet ex gravi causa locare cameram meretrici paratae ad multa peccata facienda in tali camera [3].

2. Maior est difficultas, si magistratus civilis certo scit nupturientes inire matrimonium prorsus *invalidum,* e. g. ob divortium civile prius obtentum vel ob alia impedimenta dirimentia. Etiam in isto casu magistratus civilis potest *ex gravissima causa* assistere matrimonio civili, nisi tamen hoc pro aliqua regione sit expresse prohibitum ab auctoritate ecclesiastica. Ita docent communiter auctores moderni, e. g. Gasparri [4], Génicot [5], Lehmkuhl [6], Noldin [7], De Smet [8], Gennari [9] etc.

---

[1] Cod. iur. can. c. 2388, c. 188, c. 646, c. 985.

[2] S. Rota declaravit d. 23 Febr. 1912 nullitatem alicuius matrimonii mixti civilis in Germania contracti, quia defuit verus consensus (Acta Ap. Sedis IV 392).

[3] Cf. supra I, n. 622, de cooperatione.

[4] De matrim. n. 1231. [5] Theol. mor. II 562 sub 4.

[6] Theol. mor. II, n. 952 nota. [7] De sacr. n. 680.

[8] De sponsal. et matrim. n. 406. [9] Consultazioni mor. (1902), consult. 41.

Ratio est, quia talis assistentia est quidem cooperatio proxima ad peccatum alterius, sed non videtur esse aliquid intrinsecus malum. Etenim matrimonium civile a gubernis modernis (saltem catholicis) solet considerari tamquam formalitas iuridica instituta praecipue ad cavenda maiora mala. Iam vero propter odium religionis, propter atheismum aliasve causas hodie complures nupturientes detrectant matrimonium inire coram Ecclesia; ex alia parte propter sic dictam «libertatem cultus» fere ubique eheu! vigentem gubernium nequit cogere nupturientes, ut se sistant in facie Ecclesiae; nec etiam moraliter possibile est condere alias leges pro bonis catholicis et alias pro hominibus irreligiosis. Ergo gubernia ad evitandas illas nefastas uniones liberas inter homines diversi sexus fere coguntur statuere aliquam formalitatem iuridicam, quam omnes incolae sive baptizati sive non-baptizati volentes contrahere matrimonium omnino observare debent. Tali formula peracta considerantur a gubernio ut sponsi habentes iura et onera verorum coniugum. Potest igitur magistratus civilis, si secus magnum damnum ipsi aut religioni oriatur, huic formalitati tamquam testis autorizabilis assistere, quin implicite intendat aut curet de effectibus *moralibus* ex formalitate matrimonii civilis sequentibus. Videtur ista assistentia aliquam similitudinem habere cum actione servi, qui subicit humerum vel defert scalam domino ascendenti ad fornicandum. Iam vero S. Alphonsus [1] hanc actionem servi non ut intrinsecus malam habet. Quidni idem dicendum est de assistentia magistratus, qui non tam proxime cooperatur ad fornicationem, quam servus submittens humeros suos hero ascendenti? — Hanc autem assistentiam reapse non esse actum intrinsecus malum videtur satis clarum. Etenim ille actus non est intrinsecus malus, qui non est *semper* malus, sed aliquando bonus aut indifferens. Atqui assistentia syndici in matrimonio civili non est semper actus malus, e. g. quando praebet suam assistentiam nupturientibus nihil illiciti volentibus. Ergo ista assistentia non est quid intrinsecus malum, sed licitum, accedente sufficienti causa.

Sufficiens causa videtur esse, si syndicus secus deberet officium deponere cum magno proprio aut etiam religionis catholicae damno. Esset enim revera magnum damnum pro religione catholica, si iam nemo bonus catholicus posset fungi officio magistratus civilis.

Dixi autem supra, hanc assistentiam non licere, si *sit prohibita ab ecclesiastica auctoritate* pro aliqua regione. Ecclesiasticae enim auctoritatis est iudicare, num in aliqua regione sint revera causae sufficientes ad cohonestandam tam gravem cooperationem ad peccata aliorum. Pluries in casibus particularibus responderunt SS. Congregationes talem assistentiam non licere [2]. Prudenter autem monet De Smet [3]: «Si qui

[1] Theol. mor. l. 2, n. 66.

[2] Videsis responsiones S. Officii et S. Poenitentiariae apud *Gasparri* l. c. n. 1229 sqq.

[3] L. c. n. 406.

sint qui actionem syndici intrinsece malam esse putent, hoc pro norma habeant, ut laudatos magistratus in bona fide relinquant, interrogantes autem ad Ordinarium dirigant.»

ARTICULUS II.

De divortio civili.

899 **Notio.** *Divortium civile vocatur separatio coniugum a potestate civili pronuntiata.* Sicut in divortio ab Ecclesia pronuntiato datur duplex species: altera *perfecta* seu quoad vinculum matrimoniale, altera *imperfecta* seu quoad habitationem et torum; ita etiam distinguitur duplex divortium civile: alterum quoad vinculum, ita ut liceat novas nuptias celebrare; alterum quoad separationem corporum solam.

In nonnullis regionibus exsistit solum divortium civile *quoad vinculum*, e. g. in Rumenia, Serbia, Dania, in pluribus statibus Americae Septentrionalis et partim in Helvetia, ubi divortium imperfectum quidem permittitur, sed non ultra triennium[1]. In aliis autem regionibus solum divortium imperfectum seu *separatio coniugum* permittitur, e. g. in Hispania, Lusitania, Italia, Argentina, Chile et etiam in uno statu Americae Septentrionalis, scil. in Carolina meridionali[2]. Demum sunt complures regiones, in quibus lex civilis utrumque divortium permittit, scil. vel quoad vinculum vel quoad habitationem tantum, ut in Germania, Gallia, Belgio, Anglia et in aliquibus statibus Americae Septentrionalis. In Austria catholicis permittitur sola separatio quoad habitationem, aliis autem incolis etiam divortium quoad vinculum.

900 **Principium.** *Lex civilis perfectum divortium permittens est iniqua et gravissime reprobanda*[3].

Contra hanc legem eaedem rationes militant, quae supra allatae sunt contra leges de matrimonio civili. Insuper, experientia comprobante, pessimi effectus pro religione et bonis moribus sequuntur ex divortio civili: mutuus amor ac intemerata fidelitas coniugum minuitur, educatio prolis periclitatur, adulteria, rixae, damna materialia, facinora omnis generis exinde pullulant. Unde quo frequentiora sunt divortia in aliqua regione, eo peiores mores ibi vigere perspiciuntur.

Corollaria moralia.

901 1. **De coniugibus.** a) Numquam licet christianis petere divortium civile alicuius matrimonii validi eo fine, ut liceat ad alias nuptias transire. — Ratio est, quia peteretur res intrinsecus mala, utpote directe opposita indissolubilitati matrimonii christiani.

b) Ex gravi causa licet a tribunali civili petere *divortium imperfectum* seu separationem corporum. Ita sententia nunc communis inter auctores[4].

---

[1] Cf. Cod. civ. Helvet. art. 148 et *Tuor*, Einführung in das Schweiz. Zivilgesetz 126.

[2] Cf. *Schulze*, Eherecht und Ehegesetzgebung in den Vereinigten Staaten, in «Linzer Theol. Quartalschrift» 1909, 748 sqq.

[3] Cf. Const. «Arcanum». Instructio S. Officii d. 21 Dec. 1901 monet episcopos Italiae, ut fortiter obstent, ne introducatur divortium in Codice civili.

[4] *De Smet*, De sponsal. et matrim.[3] n. 401; *Noldin*, De sacr. n. 674; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II, n. 922 nota.

De hac re statuit S. Officium d. 19 Dec. 1860: «Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit, a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam, et dummodo sententia huius tribunalis nullum alium habeat effectum quam separationem praedictam, posse tolerari, ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, dummodo adsint iustae separationis causae iudicio episcopi.» — Ad quaestionem autem, num maritus possit petere divortium ab uxore adultera, intendendo tantum abrumpere effectus mere civiles, quando nullum aliud medium suppetit obtinendi repudiationem paternitatis circa filios adulterinos horumque exclusionem a parte prolis legitimae, respondit S. Poenitentiaria d. 30 Iunii 1892: «Orator consulat probatos auctores.»[1] Ex hac responsione videtur sequi, ut non sola separatio corporum, verum etiam divortium perfectum in casu gravissimae necessitatis a iudice civili licite petatur; etenim a) quaesitum fuit de vero divortio, et b) probati auctores docent non solum divortium imperfectum, verum etiam divortium civile perfectum esse licitum, si aliud medium non praesto sit ad gravia damna praecavenda. Unde in illis regionibus, in quibus non exsistit sola separatio corporum, catholicus coniux potest, gravi exsistente causa et licentia episcopi obtenta, directe sollicitare divortium civile eo fine, *ut non quidem novas nuptias attentet,* sed ut effectus mere civiles obtineat divortii. Ratio autem est, quia petere divortium civile non videtur esse quid intrinsecus malum. Ergo nisi specialis prohibitio Ecclesiae adsit, licet ita agere.

2. **De iudice civili.** Apud omnes catholicos auctores sequentia constant: 902

a) Iudex civilis debet suam incompetentiam agnoscere in rebus, quae attingunt sacramentum matrimonii.

b) Iudex nullo modo de divortio civili statuere valet, si exsistit specialis Ecclesiae prohibitio in aliqua regione.

c) Iudex civilis potest *indissolubilitatem* matrimonii tueri atque repudiare coniuges sollicitantes divortium civile; pariter valet perfectum divortium civile alicuius matrimonii decernere, quod vel in se fuit nullum (e. g. matrimonium civile catholicorum) vel ab Ecclesia fuit antea dissolutum quoad vinculum.

d) Iudex civilis nequit *absque gravissima causa* pronuntiare divortium perfectum alicuius matrimonii christiani. Ratio est, quia iudex nequit cooperari ad aliquam malam actionem, qualis est divortium, sine gravi causa necessitante.

Acriter controvertitur, utrum etiam exsistente gravissima causa iudex civilis possit licite pronuntiare divortium civile *intendens solos effectus civiles dissolutionis.* Complures auctores, inter quos eminent Bucceroni[2] et Gasparri[3], docent pronuntiationem iudicialem divortii civilis alicuius matrimonii christiani esse actum intrinsecus malum, ac proinde numquam esse licitam. — Alii autem auctores (inter quos De Smet[4], Noldin[5], Lehmkuhl[6], Göpfert[7], Marc[8], Waffelaert[9], Ballerini-Palmieri[10], De Becker[11], Génicot[12], Grandclaude[13], Leitner[14]) docent hanc divortii pronuntiationem non esse ac-

[1] Apud *De Smet* l. c. [2] Theol. mor. II, n. 983.
[3] De matrim. n. 1248, ubi dicit se in rigidam opinionem inclinari.
[4] L. c. n. 393. [5] De sacr. n. 672. [6] Theol. mor. II, n. 921 nota.
[7] Moraltheol. III, n. 284. [8] Instit mor. II, n. 2126.
[9] Sur la coopération 66. [10] Opus theol. mor. VI, n. 819 sqq.
[11] De matrim. 426 sqq. [12] Theol. mor. II, n. 561.
[13] Règles pratiques touchant la coopération au divorce civil 8.
[14] Lehrb. d. kirchl. Eherechtes 618.

tionem intrinsecus malam ac proinde in gravi necessitate licitam. Haec secunda sententia videtur non solum extrinsecus propter auctoritatem doctorum, sed etiam intrinsecus esse solide probabilis; ac proinde iudex catholicus non potest obligari, ut potius officium deponat quam sententiam divortii pronuntiet. Etenim pronuntiatio divortii a iudice facta quantum *ad solos civiles effectus* non est intrinsecus mala neque ratione *obiecti* neque ratione *circumstantiarum* necessario coniunctarum. Et quidem non ratione *obiecti;* nam per pronuntiationem divortii nihil aliud fit, nisi quod matrimonium coram Deo legitimum privatur effectibus *civilibus* et *recognitione legali,* ac datur coniugibus *impunitas legalis,* si velint novum matrimonium civile inire. Haec autem omnia non videntur esse intrinsecus mala, accedente gravi causa necessitante, quia in his omnibus iudex minime attingit ipsam naturam matrimonii christiani, sed solum vinculum civile, quod in matrimonio civili fuit contractum. Seu aliis verbis: *Divortium civile nihil aliud est nisi destructio matrimonii civilis.* Iam vero sicut destructio matrimonii civilis pro tota regione aliqua non est quid intrinsecus malum ratione obiecti, ita a fortiori non est intrinsecus mala destructio matrimonii civilis in casu particulari per divortium a iudice pronuntiatum. — Sententia divortii nec etiam est intrinsecus mala ratione *circumstantiarum* necessario coniunctarum. Etenim, supposita clare expressa voluntate iudicis nihil attingendi nisi effectus civiles matrimonii, nullae aliae pravae circumstantiae possunt esse coniunctae cum sententia divortii nisi scandalum pro populo et cooperatio ad peccata aliena. Sane aliquando grave scandalum oriri potest ex sententia divortii, praesertim si in aliqua regione divortium fuit hucusque inauditum et nova lex divortii condita est in odium religionis. Tunc profecto sententia divortii posset ab ecclesiastica auctoritate expresse prohiberi; sed si lex divortii iam a longo tempore in aliqua regione viget et saepe applicatur, ut solet esse in compluribus statibus Europae, tunc iudex catholicus, necessitate pulsus, nullum verum scandalum causat divortium pronuntiando. Omnes enim sciunt iudicem non posse aliter agere, nisi velit suum officium perdere. — Nec etiam ratione *cooperationis ad peccata aliena* sententia divortii est intrinsecus mala, tum quia haec cooperatio non est ita proxima, tum quia licet ex gravissima causa cooperari ad peccatum alterius, dummodo haec cooperatio ne fiat per actionem ratione sui obiecti intrinsecus malam.

Quae cum ita sint, iudex catholicus non est inquietandus, si gravissima necessitate pulsus pronuntiat sententiam divortii, dummodo ne obstet specialis prohibitio auctoritatis ecclesiasticae, et dummodo palam profiteatur se solos effectus civiles matrimonii dissolvere [1]. Quae quidem sententia magnum robur accipit ex responso S. Poenitentiariae d. 24 Sept. 1887 dato ad episcopum Lucionensem: «Ad quaestionem, utrum syndicus pronuntiare possit divortium, ad quod pronuntiandum cogitur sub poena officium dimittendi, in supposito quod sententiam de incompetentia iudicis civilis in re matrimoniali et de inefficacia divortii quoad vinculum palam profiteatur, respondetur tolerari posse, ut syndicus orator ad actum, de quo in precibus, procedat.» [2] Ad episcopum autem

[1] Pro Germania et Hollandia haec sententia videtur moraliter certa, cum in ipsis codicibus civilibus clare dicatur, ecclesiastica statuta de matrimonio minime attingi per legislationem civilem. Cod. Holl. art. 83; Cod. civ. Germ. § 1588: «Die kirchlichen Verpflichtungen in Ansehung der Ehe werden durch die Vorschriften dieses Abschnitts nicht berührt.» Ita opinatur etiam *Aertnys,* Theol. mor. l. 3, n. 522, licet pro aliis regionibus rigidam sententiam tueatur.

[2] Apud *De Smet,* De sponsal. et matrim.[3] n. 398.

Sangallensem in Helvetia S. Officium d. 3 Aprilis 1877 scripsit, quod iudices in singulis casibus recurrere debeant. — Ex his duobus responsis videtur manifeste sequi sententiam divortii civilis non esse quid intrinsecus malum; nam secus S. Poenitentiaria non potuit illam tolerari, et S. Officium non potuit convenienter recursum pro singulis casibus praescribere. Ad quid enim necessarius est recursus consultorius, si inde a limine constat sententiam divortii esse intrinsecus ac proinde semper malam? — Non nos latet quidem, exsistere etiam aliqua responsa S. Officii, e. g. d. 26 Iunii 1885 et d. 27 Maii 1886, ex quibus potius sequitur sententiam divortii civilis esse intrinsecus malam; sed respondetur, haec decreta esse *particularia* ratione peculiarium adiunctorum exsistentium. Certum est enim et ab omnibus admittitur, hucusque nullum decretum *generale* ecclesiasticae auctoritatis de hac controversia exsistere, immo S. Sedem a dirimenda quaestione consulto abstinuisse ad hunc diem. Ergo ex auctoritate non licet argumentum apodicticum sumere pro sententia rigidiore. In praxi igitur licet sententiam benignam sequi, utpote intrinsecus et extrinsecus solide probabilem. Optandum tamen est, ut catholici omnes (praesertim autem deputati) strenue laborent ad reformandam legislationem civilem, ita ut iam nullus officialis publicus cogatur pronuntiare divortium civile alicuius matrimonii validi.

3. **Pro advocatis** valet fere idem, quod dictum est de iudicibus. Si 903
enim ipsa sententia divortii non est quid intrinsecus malum, non solum licet illam, gravi necessitate exsistente, pronuntiare, sed etiam illi patrocinari. Verumtamen rarius adest sufficiens causa necessitans pro advocato quam pro iudice. Nam advocatus non vi officii, sed *libere* causam divortii suscipere solet. Nihilominus potest accidere, ut etiam pro advocato exsistat sufficiens causa petendi divortium clientis sui, praesertim si iam obtentum est divortium imperfectum in tribunali ecclesiastico[1]. Ceterum in praxi confessarius non debet inquietare catholicos advocatos, qui absque gravissimo incommodo nequeunt declinare munus actoris pro divortio, dummodo inde scandalum ne oriatur et soli effectus civiles palam intendantur.

Scholion. Superesset, ut de processu iudiciali in causis matrimonialibus ageremus, sed quia haec materia tota ad ius canonicum pertinet, neque potest sufficienter in brevi Manuali Theologiae moralis tractari, remittimus lectorem ad canonistas, qui ex professo de hac re tractant, e. g. ad Wernz-Laurentius, Ius matrimoniale tit. 33; ad Vogt, Das kirchl. Eherecht § 62—65; ad nostrum Man. iur. can. q. 537 sqq.

[1] Cf. S. Offic. d. 19 Dec. 1860.

Index alphabeticus rerum

quae in toto Manuali theologiae moralis inveniuntur.

Numerus romanus indicat volumen, arabicus numerum *marginalem*. Ubi deest numerus romanus, intelligitur volumen ultimo indicatum.

A

Abbas minister ordinationis III 596.

Abiectio sui inordinata est vitium oppositum humilitati II 715, sacrarum specierum III 506.

Ablatio rei alienae quandonam sit licita II 86 sq.

Ablutio quaenam requiratur in baptismo III 102; quomodo facienda sit in Missa, si sacerdos facit binationem 289.

Abominatio quomodo opponatur caritati I 564; abom. seu detestatio quomodo sit in contritione III 339.

Abortus quid sit II 137; directe et indirecte procurare abortum 140 sqq.; poenae contra procurantes abortum 142; ipsa mater incurrit has poenas *ib.*; quomodo abortivi foetus sint baptizandi III 131.

Abrogatio legis quid sit I 270; quomodo fiat *ib.*; consuetudinis 282.

Absentia canonicorum a choro II 366.

Absolutio a peccatis debet fieri vocaliter, poenitenti moraliter praesenti III 330; abs. per telephonium 331; abs. condicionata quandonam licita 332; abs. nequit dari modo deprecatorio 333; quandonam absolutio sit iteranda 334; abs. in articulo mortis 424, a casibus papalibus 425, a casibus episcopalibus 427; abs. cui sit danda, cui deneganda, cui differenda 438; vide **Consuetudinarius, Recidivus, Occasionarius.**

—— **complicis** v. **Complex.**

—— **a censuris** v. **Censura.**

Absolvere praesumentes ab excommunicationibus Romano Pontifici specialissime vel specialiter reservatis excommunicationem incurrunt III 520; abs. complicem 454 sqq.

Abstinentia ut est virtus specialis II 649; eius actus est ieiunium 650; lex abstinentiae ab esu carnium 663; causae excusantes 664; vitium abstinentiae oppositum, nempe gula 667.

Abusus confessionis v. **Complex, Sollicitatio.**

— matrimonii v. **Onanismus.**

Acatholici v. **Haeretici, Schismatici, Infideles.**

Acceleratio partus quandonam sit licita II 139.

Acceptatio legis ex parte populi num sit necessaria I 203; necessaria in promissionis contractu II 267, in donatione 270, in sponsalibus III 721.

Accessio ut est modus acquirendi dominii quid sit II 56.

Accidentia in ss. eucharistia v. **Species.**

Accusatio falsa sollicitationis in confessione III 468; peccatorum accusatio generalis sufficit in extrema necessitate; pariter sufficit, si non accusatur nisi materia libera, non autem, si agitur de materia necessaria 325; quomodo agendum sit cum poenitentibus, qui nimis generaliter se accusant *ib.*

Accusator: eius obligationes et peccata II 159.

Accusatus v. **Reus.**

Acedia quid sit I 433; eius malitia 434; eius filiae 435; eius remedia 436.

Acolythatus qualem potestatem tradat III 589; eius materia et forma 592.

Actiones: licet «actiones» et «obligationes» emere, dummodo vitentur illicitae speculationes bursae II 289.

Actor v. **Accusator.**

Actus coniugalis v. **Debitum coniugale.**

—— humanus quid sit I 26; non sunt actus humani illi actus, qui eliciuntur a vegetativa potentia, ab illis qui carent usu rationis, neque actus primo-primi seu actus hominis *ib.*; actus humanus et actus moralis sunt idem materialiter 28; divisiones actuum humanorum 29 sqq.; genesis actus humani 34; principia actus humani sunt cognitio et voluntas *ib.* et 53 sqq.; moralitas actuum unde desumenda sit 99;

fontes moralitatis sunt obiectum 111, circumstantiae 114, finis 120; non existit in individuo actus humanus indifferens 127; num actus externus et eventus influant in moralitatem actus humani 132 sqq.; meritum actuum humanorum 136 sqq.; num a lege humana praecipi possint actus interni 182; actus heroici 184.

Actus externus per se non auget moralitatem, sed tantum per accidens I 133; est necessario declarandus in confessione III 373.

Actus legitimi quinam sint III 146.

Adiunctio ut modus acquirendi dominium II 56.

Adiuratio quid sit II 460; eius divisiones 461; debitis condicionibus vestita est actus virtutis religionis licitus et honestus 462. Adiuratio daemonis v. **Exorcismus.**

Administratio sacramentorum: ad licite administranda sacramenta ordinarie requiritur immunitas a peccato mortali, a censuris, ab irregularitate III 56 sq.; sacerdos latinus potest administrare eucharistiam in pane fermentato et vicissim sacerdos orientalis in pane azymo 171.

Adnotatio baptismi III 148; confirmationis 164; ordinis 624; matrimonii 765; matr. conscientiae 639; dispensationis matr. 764.

Adoptio seu cognatio legalis prout inducit impedimentum matrimonii III 840; convenientia huius impedimenti *ib.*; eius cessatio 842.

Adoratio quid sit II 383; eius divisiones 384; eius obligatio 385; cultus latriae cui exhibendus 386; cultus duliae cui debeatur 387; num crux sit adoranda 386.

Adulatio est vitium oppositum virtuti affabilitatis II 613.

Adulterium quid sit II 703; laedit castitatem et iustitiam *ib.*; obligatio restitutionis ex adulterio orta 151 sq.; ob adulterium compartis licet facere divortium imperfectum III 689; condiciones requisitae *ib.*; adult. cum promissione matrimonii constituit impdimentum dirimens criminis 853; item adult. cum attentatione matrimonii 855; item adult. cum coniugicidio 856.

Adultus: quinam censeatur adultus in ordine ad baptismum suscipiendum III 133; quaenam debeat praestare adultus baptizandus 134 sqq.

Advena quinam sit I 193.

Advertentia ad actum hum. requisita I 36; ad peccatum mortale 37 365; ad orationem II 354; ad sacramenta III 61 et 87; ad Missam II 480; inadvertentia peccatoris consuetudinarii num excuset a peccato I 47.

Advocatus: eius obligationes et peccata II 162, num possit patrocinari divortio civili obtinendo II 162, III 903.

Aedificatio templi haeretici vel alterius rei ad illicitos usus destinatae quandonam fieri possit I 620.

Aegroti v. **Infirmitas.**

Aequiprobabilismus quid doceat I 341; eius argumenta 347; eius difficultates 348.

Aequitas v. **Epikeia.**

Aequivocatio quid sit et quandonam sit licita II 171.

Aetas, qua incipit obligatio observandi leges I 189, audiendi Missam praeceptam II 476, observandi abstinentiam a cibis vetitis 663, observandi ieiunium ecclesiasticum 660; pro confirmatione III 160; pro prima communione et confessione 211; pro variis ordinibus suscipiendis 605; pro sponsalibus 722; pro matrimonio 793; aetas superadulta sponsae est causa canonica dispensationis obtinendae 871.

Affabilitas est virtus specialis pertinens ad virtutem iustitiae II 612; eius diversi actus *ib.*; vitia opposita 613.

Affectata ignorantia num minuat voluntarium I 46; auget culpam 42; non excusat a censuris aliisque poenis latae sententiae III 488.

Affinitas prout est impedimentum matrimonii quid sit III 843; eius divisiones 844; multiplex affinitas *ib.*; origo et convenientia eius 845; computatio graduum 847; ambitus impedimenti 847; cessatio eius 848.

Aggravantes circumstantiae num accusandae in confessione III 369.

Aggressor iniustus potest occidi cum moderamine inculpatae tutelae II 120 sqq., et quidem ad servandam vitam, pudicitiam, notabilem fortunam, famam *ib.*

Alapa recepta non dat ius occidendi percussorem II 119; alapa data in sacramento confirmationis quid significet III 153; est caeremonia sub levi obligans 162.

Alba est vestis sub gravi requisita ad dicendam Missam III 298; debet esse benedicta *ib.*; quomodo exsecretur 301.

Aleatorii contractus II 311 sqq.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum illegitima punitur excommunicatione III 525.

Alluvio ut est modus acquirendi dominium II 56.

Alphonsus, S.: eius auctoritas in theologia morali I 7; defendit systema aequiprobabilismi 341.

Altare: numquam licet Missam celebrare nisi in altari rite consecrato III 296; quid sit altare fixum et portatile *ib.*; quinam habeant privilegium altaris portatilis 295; quid sit altare fixum in re indulgentiaria 565; quando exsecretur 296; eius ornatus pro Missa 297; altare privilegiatum personale et locale 565; condiciones ad lucrandam indulgentiam plenariam altaris privilegiati *ib.*; non amplius requiritur

Missa de Requiem 566; quid faciendum, si sacerdos est oblitus dicere Missam in altari privilegiato persolvendam 267 565 *nota*.
Aluminium permittitur pro calice conficiendo, dummodo sit deauratum III 299.
Alumni regularium v. **Convictores.**
Ambiguitas quid sit et quandonam sit licita II 171.
Ambitio prout est filia superbiae I 413; prout opponitur magnanimitati II 639.
Amentes quibusnam legibus subiciantur I 151 187; sunt capaces dominii II 14, baptismi III 125; quando et quomodo possint suscipere confirmationem 160, eucharistiam 188, extremam unctionem 580; non tenentur ad confessionem 361.
Amor quid et quotuplex sit I 551; eius causae et effectus *ib.*; amor felicitatis et amor beatificus num sint actus perfecte humani 27; amor ut passio et radix omnium aliarum passionum 74; amor debitus inter parentes et filios, superiores et subditos etc. II 580 sqq.; amor initialis num sit necessarius in attritione III 345.
Amphibologia quid sit et quandonam sit licita II 171.
Ampullae aquae et vini pro Missa necessariae melius conficiuntur ex vitro, permittuntur tamen confectae ex auro, argento, stanno etc. III 299.
Amputare membrum corporis non licet nisi valetudinis causa II 116. Vide **Mutilatio sui.**
Analysis actus humani I 34; actus fidei 486.
Anathema maranatha quid sit III 499.
Anatocismus est licitus II 288.
Ancilla v. **Famuli.**
Angustia loci ut causa dispensationis matrimonialis obtinendae III 871.
Animae in purgatorio detentae num orare possint II 334; nam ad illas orare possimus 344; iuvari possunt sacrificio Missae III 242, indulgentiis 543.
Animalia distinguuntur fera, mansuefacta, domestica II 41; occupatio animalium *ib.*, vide etiam **Venatio**; quorum carnes manducari possint diebus abstinentiae 655; tactus turpis animalium quale sit peccatum 694; crudelis vexatio animalium quale sit peccatum 14.
Annus sanctus v. **Iubilaeum**; annua confessio III 362.
Anticipatio Matutini et Laudum a qua hora licita sit II 373.
—— prandii diebus ieiunii II 656.
Antipendium altaris, eius color, eius usus III 297.
Apostasia a fide quid sit et quomodo distinguatur ab haeresi I 512; distinguitur apostasia a fide, ab ordine, a religione *ib.*; apost. ad sectam massonicam 513; apost. plectitur poena excommunicationis III 507.
Apostolicae litterae v. **Litterae.**
Appellantes ad futurum concilium universale excommunicationem incurrunt III 509.
Applicatio formae ad materiam in sacramentis III 19; quomodo debeat fieri 20.
—— **Missae** quid sit III 245; quis possit et debeat applicare 246; modus applicandi 247; quandonam sit facienda 233 247; quid, si duae applicationes diversae factae sint 248; licet quidem applicare etiam fructum specialissimum, sed non licet inde sumere duplex stipendium 243; pro quibus liceat applicare 249; quinam ex iure ecclesiastico excludantur ab applicatione 250; obligatio applicandi ratione sacerdotii 251, ratione officii 254 sqq., ratione beneficii 259 sqq., ratione stipendii 262 sqq., ratione promissionis 279, ratione oboedientiae 280.
Aqua est materia baptismi III 98; quandonam adhibenda sit aqua baptismalis aut lustralis 99; consecratio aquae baptismalis 100; panis eucharisticus debet esse confectus aqua naturali 170; aqua vino consecrando admixta debet esse modicissima 173; aqua bibenda datur aegrotis post communionem sumptam 199.
Arbitrium liberum v. **Libertas.**
Arcae parcimoniae: licet in illis pecuniam ponere ad obtinendum legitimum foenus II 289.
Architectus num possit construere aedificia ad pravum finem destinata I 620.
Arrha in sponsalibus quid sit et quando sit restituenda dissolutis sponsalibus III 720.
Artificialis fecundatio v. **Fecundatio.**
Aspectus minus honesti et turpes quale sint peccatum II 695.
Aspersio modus baptizandi III 101.
Assecuratio: quandonam iste contractus sit iustus II 312; fraudes in assecurationibus commissae *ib.*
Asservatio eucharistiae III 225 sqq., oleorum sacrorum 572.
Assistentia passiva quid sit et quandonam parochus illam praestare debeat III 754; assist. coacta aut subrepta iam non sufficit ad valorem matrimonii *ib.*
Associationes opificum I 523.
Astutia prout per excessum opponitur prudentiae I 635.
Asylum ecclesiasticum quid sit II 549.
Attentatio matrimonii facta a clericis et religiosis punitur excommunicatione III 515 et 523, aliisque poenis 816; attent. matrimonii cum adulterio est impedimentum dirimens criminis 855.
Attentio quaenam sit necessaria ad orationem II 354; controversia de necessitate attentionis internae 355; S. Thomae doctrina de necessitate attentionis 359; quae-

nam attentio sit necessaria in ministro sacramentorum III 61; nulla requiritur ad valide suscipiendum sacramentum 87. Cf. etiam **Advertentia.**

Attritio quid sit III 340; non potest iustificare per se ipsam, sed illi adiungi debet sacramentum poenitentiae reapse susceptum 342; vera attritio sufficit in sacramento poenitentiae 343; plures veteres auctores docuerunt contrarium *ib.*; attr. concepta ex solo metu gehennae est moraliter bona, dummodo talis metus ne sit serviliter servilis 344; in vera attritione semper includitur aliquis amor initialis 345.

Attritionistae quid sint III 345.

Auctor: eius dominium in foetus ingenii II 8; leges civiles de hac re quomodo obligent 9.

Aucupatio v. **Venatio.**

Audacia ut est passio I 82; ut est vitium fortitudini oppositum II 638.

Aureola sanctorum quibus detur et quid sit II 624.

Auriga quid possit facere diebus festivis II 497; num possit vehere ad lupanar I 619.

Aurora circa quam licet Missam celebrare, quomodo sit sumenda III 290.

Avaritia: eius notio I 416; malitia 417; eius filiae 418; remedia 419; opponitur virtuti liberalitatis II 616.

Azymus panis est sola materia licita consecrandae eucharistiae in Ecclesia latina III 171; quandonam liceat adhibere panem fermentatum *ib.*; fideles ritus latini possunt licite sumere communionem in pane fermentato 214.

B

Balsamum pertinet necessario ad materiam confirmationis III 154.

Banca v. **Mensa nummularia.**

Banni nuptiales quid sint III 734; eorum obligatio 735; in matrimoniis mixtis *ib.*; tempus 736; forma 737; locus 738; dispensatio 739; obligatio revelandi impedimenta, si matrimonium denuntiatur 740.

Baptismus requiritur ad valorem omnium sacramentorum III 87; diversa nomina baptismi 94; definitio realis 95; quando fuerit institutus a Christo 96; non fuit in praecepto nisi post Christi resurrectionem *ib.*; divisiones 97; eius materia remota valida, dubia, licita 98 sq.; eius materia proxima 101 sq.; eius forma 103; eius effectus 106; eius necessitas 114; effectus baptismi flaminis 115; effectus baptismi sanguinis 116; minister ordinarius baptismi 120; minister necessitatis 119; ordo servandus inter ministros necessitatis 122; subiectum baptismi 124; condiciones requisitae in subiecto 125; bapt. conferendus infantibus parentum catholicorum 126; quaenam dilatio sit peccatum grave *ib.*; num possint baptizari infantes haereticorum et infidelium 127 sq.; infans in utero materno 129; foetus abortivus 131; quaenam observanda sint in baptismo adultorum 133; caeremoniae baptismi 139 sqq; locus baptismi 141; patrini in baptismo 143; quinam in libro baptizatorum inscribendi sint 148 et 765; bapt. dubius censetur validus in ordine ad matrimonium 824.

Barbitonsores num laborare possint diebus festivis II 497.

Beatitudines quid sint I 455.

Beatitudo hominis quid sit et in quo consistat I 21 sqq.; quomodo obtineri queat 24.

Bellum quid sit II 129; quaenam requirantur ad licitum bellum 130; obligationes hominum privatorum durante bello *ib.*

Benedictio cum ss. sacramento III 225, utensilium pro Missa 224; in articulo mortis potest et debet dari omnibus, qui sunt capaces suscipiendi saltem extremam unctionem 563; condiciones requisitae, ut quis valide hanc benedictionem recipiat *ib.*; indulgentia annexa acquiritur eo momento, quo mors reapse accidit *ib.*; haec benedictio nequit iterari durante eadem infirmitate *ib.*

—— **nuptialis** sollemnis et simplex III 761.

—— **puerperae** III 149.

Benedictiones quaedam sunt reservatae Romano Pontifice, quaedam episcopo, quaedam parocho, quaedam regularibus III 90.

Beneficiatus tenetur restituere fructus beneficii ob neglectum Officium divinum II 364; immo potest privari suo beneficio *ib.*; quonam calendario uti debeat 369; quomodo aliquando possit omittere Missam quotidianam fundatam III 260; quomodo debeat dispensare bona beneficialia II 36 sqq.

Beneficium ecclesiasticum, quocum coniuncta sunt perpetua onera Missarum III 259; excommunicatus est inhabilis ad beneficia obtinenda 505; titulus beneficii in ordinatione 607; quomodo iniquus collator beneficiorum peccet et ad restitutionem obligetur II 99.

—— inventarii II 278.

Bestialitas quid sit II 707.

Bibliopola num possit vendere libros pravos I 623; non potest recipere et dare stipendia Missarum et loco illorum tradere libros III 273.

Bigamia ut irregularitas III 617; big. simultanea in Novo Testamento omnibus etiam infidelibus est prohibita 670.

Binatio Missae fieri potest vel ex iure communi vel ex indulto Pontificio III 286; de iure communi non licet binationem facere nisi diebus de praecepto, et quidem ad hoc, ut notabilis pars populi possit audire Missam *ib.*; quid sit notabilis pars

populi *ib.*; in duobus casibus binatio non solum licita, sed etiam necessaria est 287; etiamsi in eadem ecclesia vel in eodem loco plures sacerdotes celebrant Missam, Ordinarius loci potest permittere binationem 288; sacerdoti facienti binationem non licet pro altera Missa stipendium accipere neque alicui obligationi iustitiae satisfacere, nisi tamen adsit specialis licentia aut specialis labor coniunctus *ib.*; ritus in binatione observandus 289.

Blasphemia quid sit II 529; quotuplex sit 530; eius malitia 531; regulae practicae ad discernendam blasphemiam 532; remedia contra illam 533; blasph. in quantum opponatur professioni fidei I 520.

Bona varia: eorum genera II 12; num liceat in extrema necessitate auferre magna bona aliena 87; num liceat occidere furem ad recuperanda bona magni valoris 120; bona privatorum sunt inviolabilia in bello 47; pro bonis uxorum, filiorum familias, clericorum v. **Dominium.**

—— **ecclesiastica** quid sint I 36 et III 512; quomodo sint administranda II 38; ea usurpantes et sequestrantes possunt incurrere plures censuras III 512 518; alienantes bona ecclesiastica sine legitimis formalitatibus incurrunt excommunicationem 525.

—— **matrimonii** III 694; eorum notabilis laesio est grave peccatum *ib.* et 709.

Bona fides v. **Praescriptio, Possessor.**

Breviarium v. **Officium divinum.**

Bursae speculationes quomodo sint licitae II 321.

C

Cadaverum crematio v. **Crematio.**

Caecus est irregularis III 616; caecitas mentis est tristis effectus luxuriae I 420.

Caecutientes sacerdotes quantum ad Missam III 284.

Caeremoniae in administrandis sacramentis, quomodo obligent III 70; caerem. omissae baptismi 140, confirmationis 162; quomodo obligent caeremoniae praescriptae in Missa 302 sqq.; quomodo obligent in sacramento poenitentiae 329, in extrema unctione 584, in matrimonio 761.

Caesarea operatio, num aliquando debeat fieri III 130.

Calendarium sequendum in recitatione divini Officii II 369.

Calix in Missa adhibendus ex quanam materia sit III 299; quomodo exsecretur *ib.*; tangendus in ordinatione subdiaconi et presbyteri 594 sqq.

Calumnia quid sit II 188; eius malitia 189 sq.; obligationes columniatoris 197.

Cambium quid sit II 291.

Campanas pulsare: quomodo id faciendum sit in ordinatione ostiarii III 593.

Candelae duae accensae requiruntur ad Missam dicendam III 297; celebrare Missam cum una candela est leve peccatum, celebrare autem sine ulla candela est grave peccatum *ib.*; num candelae sint necessario ex cera confectae *ib.*

Canon Missae: quaelibet notabilis mutatio in eo est grave peccatum III 304; coepto iam canone non licet consecrare hostias allatas, nisi adsit gravis causa 176.

Canonici: eorum obligatio recitandi Officium divinum in choro II 366; quando amittant «distributiones quotidianas» *ib.*; excommunicantur, si simoniam committunt in officiis, beneficiis, dignitatibus III 514; si aliquod documentum curiae episcopalis subtrahunt 520.

Canonis privilegium laesum I 541, III 509 et 523.

Cantus decens valde inservit cultui divino in functionibus ecclesiasticis II 464; cantus in templis haereticis num possit a catholicis fieri I 526; num licet adhibere cantores heterodoxos in ecclesiis nostris 524.

Capellani militares v. **Militares.**

Capellania v. **Beneficium.**

Capitalia vitia I 406.

Capitulum quomodo puniatur, quod appellat ad futurum concilium generale 530.

Carbonariorum secta prohibetur sub excommunicatione III 516.

Carcer: num liceat eum infringere, custodem decipere et ex eo aufugere II 164. Cf. etiam **Reus.**

Cardinales habent privilegium oratorii privati III 295; possunt absolvere ab omnibus peccatis et censuris, quae Summo Pontifici non specialissimo modo reservantur 425 et 494; possunt indulgentias concedere 549; illi, qui eos hostiliter insequuntur, incurrunt excommunicationem 509.

Caritas quid sit I 551 sq.; ut est virtus theologica, habet Deum pro obiecto primario 552; eius obiectum formale quo 554; includit tres actus 555; est vera amicitia cum Deo 556; ac proinde efficit destructionem peccati mortalis 557; eius proprietates 558; eius praestantia 559; quomodo sit forma omnium virtutum *ib.*; eius necessitas 560; quandonam elici debeat actus caritatis 563; vitia opposita caritati Dei sunt odium et acedia 564 sq.; caritas se extendit etiam ad nosmetipsos et ad nostrum corpus 566 sqq.; peccata opposita caritati erga nosmetipsos 568; extensio caritatis ad proximum 570 sqq., ad inimicos 571 sqq.; ordo caritatis quoad personas diligendas 579, quantum ad bona diligenda 583; opera caritatis 587 sqq.; peccata contra caritatem proximi 604 sqq.

Carnales motus II 690.
Carnes prohibitae diebus ieiunii et abstinentiae II 655; quandonam liceat pluries manducare carnes diebus ieiunii 654; quaenam sit materia gravis in esu prohibito carnium 663; quinam sint dispensati ad esum carnium 664.
Carnifices sunt irregulares III 619.
Castitas est virtus specialis II 674; distinctiones 675; praestantia et utilitas castitatis 676; vitium oppositum nempe luxuria 680 sqq.; castitatis *votum* est reservatum II 423; quandonam sit impedimentum prohibens aut dirimens matrimonii III 774 sqq. 814.
Castratio puerorum num sit licita II 115; num inducat impedimentum impotentiae III 809.
Castrensia bona filiorum II 27; castrenses parochi num debeant applicare Missam pro populo III 254; num habeant iurisdictionem ordinariam 410; eorum iura quoad assistentiam matrimonii 748.
Casuistica theologia moralis quid sit et quomodo sit adhibenda I 9.
Casula sacerdotis dicentis Missam nequit esse confecta ex gossypio, lino vel lana III 298; color praescriptus non obligat nisi sub levi *ib.*; confecta ex tela aurea potest servire pro coloribus albo, viridi et rubro *ib.*; dicere Missam sine casula censetur esse grave peccatum *ib.*; quomodo casula amittat benedictionem 301.
Casus perplexus quid sit et quomodo sit solvendus III 741.
—— **reservati** v. **Reservatio casuum.**
—— **urgentiores** quid sint III 425; in iis quilibet confessarius potest absolvere ab omnibus peccatis et censuris et dispensare in irregularitate, quae ex violata censura incursa est *ib.* et 494; dispensatio ab impedimentis matr. 867 sq.
Caupo: eius cooperatio ad ebrietatem, ad esum ciborum vetitorum, ad conventus pravos etc. I 622.
Causa eximens et excusans a lege v. **Excusatio** et **Exemptio.**
—— pia in testamento II 277.
Causalitas sacramentorum utrum sit physica an moralis III 37.
Cautela: absolutio a censuris ad cautelam III 491; cautelae requisitae in matrimoniis mixtis et disparis cultus 781 825.
Cautio ut est integralis pars prudentiae I 631.
Censura ecclesiastica quid sit III 475; nomen censurae diverso modo accipitur *ib.*; est essentialiter poena medicinalis *ib.*; divisiones 476; potestas ferendi censuras 477; condiciones requisitae in censuris ferendis 480; subiectum censurae, i. e. ii, qui possunt plecti censura 481; obiectum censurae, i. e. qualitates requisitae, ut aliquis actus possit puniri per censuram 484; causae excusantes *ab incursu* censurae 486; causae excusantes *ab effectu* censurae 489; absolutio a censuris 490; diversi modi absolutionis 491; quis possit absolvere 492; condiciones requisitae ad absolvendum 495; ritus absolutionis 497.
Census contractus quid sit II 313.
Cenula diebus ieiunii permissa II 656; quantitas et qualitas ciborum *ib.*; in nonnullis Vigiliis permittitur amplior cenula *ib.*
Cerei pro Missa celebranda necessarii v. **Candelae.**
Certitudo quid et quotuplex sit I 324 sqq.; qualis requiratur ad licite agendum 326 sqq.; quomodo illa sit obtinenda dubio existente 331 sqq.
Cessatio a divinis quit sit III 529; non est censura proprie dicta *ib.*
—— **legis** II 234 sqq., consuetudinis 282; voti II 409 sqq.; iurisdictionis III 412, impedimentorum matr. 861.
Cessio bonorum quid sit II 244; est iudiciaria vel extraiudiciaria *ib.*; per se non exstinguit obligationem restitutionis 247; modus istius restitutionis 232 236.
Character sacramentalis imprimitur in tribus sacramentis III 45; natura et qualitates characteris sacramentalis 46; non delebitur neque in hac neque in alia vita *ib.*; munus characteris in singulis sacramentis *ib.*; char. baptismalis 108; char. confirmationis 153.
Chirurgica operatio facta a clericis vel laicis quandonam inducat irregularitatem III 622; quandonam sit facienda in matre ad salvandam animam foetus v. **Sectio caesarea.**
Chloroformium v. **Narcotica remedia.**
Choralis recitatio Officii divini imposita canonicis II 366, nonnullis regularibus 367; quoad debitum ordinem, locum, situm, tempus 371; integritas Officii minime laeditur, si quis in choro alternatim psallit aut necessariis officiis chori est occupatus 374.
Choreae quandonam sint illicitae I 615; II 697.
Chrisma: eius qualitates, ut sit materia confirmationis III 154.
Ciborium v. **Pyxis.**
Cingulum pro sacerdote Missam dicente convenientius fit ex lino albo, sed neque alia materia neque alius color prohibetur III 298; quomodo amittat benedictionem 301.
Circumcisio: in circumcisione conferebatur gratia III 4, delebatur peccatum originale 27; nequit nunc licite adhiberi tamquam caeremonia religiosa I 5, sed tantum sanitatis causa 511.
Circumstantiae sunt aliquando fons moralitatis I 116; earum numerus 115, divisio 119; si mutant speciem (sive moralem

sive theologicam) peccati, sunt in confessione accusandae III 369; per accidens sunt accusandae etiam circumstantiae notabiliter aggravantes 370, non autem per se *ib.*; quomodo sit in praxi agendum 371.

Civile matrimonium quid sit et quomodo dividatur III 894; nullos effectus canonicos producit 897; inducit impedimentum publicae honestatis *ib.*; affinitas ex eo orta, suboles eius est illegitima, inducit impedimentum criminis, personae viventes in tali matrimonio censentur publici peccatores *ib.*; clerici maioristae attentantes et consummantes matrimonium civile fiunt irregulares *ib.*; fideles nupturientes possunt ex rationabili causa observare statuta matrimonii civilis, dummodo excludatur intentio sic celebrandi ipsum matrimonium 896; num magistratus civilis possit assistere matrimonio civili 898.

Civilis lex qualem obligationem inducat I 286; eius obiectum 290; lex civilis de tributis solvendis 291 sqq, de militia peragenda 296 sqq.

Clandestina matrimonia facta sunt invalida per Concilium Tridentinum III 742.

Clausura, eius violatio punitur censura III 517.

Clavis tabernaculi a quonam sit custodienda III 226.

Clementia affinis quidem est mansuetudini, sed non est idem II 710; ei opponuntur crudelitas per excessum et nimia lenitas per defectum *ib.*

Clericus quoad exercitium dominii II 36 sqq.; incurrit suspensionem, si praesumpserit recipere ordines ab excommunicato, suspenso, interdicto, notorio haeretico vel schismatico III 534 (6); eandem poenam incurrunt clerici simoniace ordinationem aliave sacramenta dantes aut recipientes *ib.*; item clerici maioristae dolose emittentes professionem religiosam *ib.*; sunt irregulares, qui illicite exercent artem chirurgicam 621; poenae contra clericos maioristas attentantes matrimonium 821; clericorum privilegia canonis, fori et immunitatis II 541 sqq.

Cochlear parvum ad infundendam aquam vino consecrando permittitur, sed non benedicitur III 299.

Codicillus testamenti quid sit II 275.

Coelibatus obligat ex iure ecclesiastico clericos maioristas in Ecclesia latina III 818; nisi tamen subdiaconatus fuerit susceptus ante pubertatem, aut ex gravi metu, aut cum ignorantia coelibatus annexi 820; cum coelibatu annexum est quoque votum perfectae castitatis, ita ut quodcumque peccatum (etiam internum) luxuriae a clerico commissum induat characterem sacrilegii 819; quomodo possit dispensari in coelibatu 821; poenae contra violatores coelibatus *ib.*; coelibatus est impedimentum dirimens matrimonii 817.

Coemeterium quando polluatur II 545 sq.

Coenula v. **Cenula.**

Cogitationes de re mala v. **Delectatio** morosa.

Cognatio naturalis v. **Consanguinitas.**

—— **spiritualis** v. **Spiritualis cognatio.**

—— **legalis** v. **Adoptio.**

Cohabitatio coniugum quid includat et quomodo sit necessaria III 687; cohabitare tamquam frater et soror quando possit coniugibus permitti 884.

Collatio vespertina v. **Cenula.**

Colloquia libidinosa quale sint peccatum II 696.

Color paramentorum est quidem observandus iuxta diversa officia et festa, sed non obligat sub gravi III 298.

Coloratus titulus quid sit I 61, II 413; sufficit ad legitimam praescriptionem I 61.

Comitas est idem ac virtus affabilitatis II 612.

Comitia publica v. **Deputati.**

Commemoratio sollemnis omn. def. tres Missae III 285.

Commixtio ut est titulus acquirendi dominium II 56.

Commodatum est contractus gratuitus II 283.

Commoratio: quaenam requiratur ad obtinendum quasi-domicilium I 193, ad exigendas litteras testimoniales pro ordinando III 597, ad proclamationes matrimoniales 738; pro licita celebratione matrimonii 757.

Communicatio cum haereticis et infidelibus alia est civilis, alia est religiosa I 522; comm. religiosa est vel activa vel passiva, est vel formalis vel materialis *ib.*; comm. civilis cum haereticis per se non est prohibita 523; item comm. religiosa passiva 524; sunt tamen plures exceptiones *ib.*; comm. in sacris activa formalis numquam licita est 525; comm. in sacris activa materialis aliquando licita est 526 sq.; comm. in crimine criminoso cum excommunicato nominatim a Papa punitur excommunicatione III 519; clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis puniuntur excommunicatione *ib.*

S. Communio altera est spiritualis, altera sacramentalis III 190; ad licite sumendam communionem requiritur ex parte animae libertas a nonnullis censuris, ab omni peccato mortali et demum devotio actualis 191 sqq.; non sufficit contritio, sed requiritur confessio, si quis conscius peccati mortalis et habens copiam confessarii vult recipere communionem 192; s. comm. aliquando potest dari infirmis non ieiunis 203; prima communio quando recipienda

sit 211; comm. paschalis 212; differre sine causa communionem extra tempus paschale est grave peccatum *ib.*; comm. sub utraque specie 214; frequens quid sit et quaenam regulae circa illam observandae sint 215; quid necessarium sit ad quotidianam communionem suscipiendam *ib.*; comm. potest distribui etiam in oratoriis privatis 219; potest distribui omnibus horis diei, non autem noctis 221; num liceat eam distribuere die Parasceves *ib.*; nocte Nativitatis *ib.*; ubicumque licet Missam dicere, ibi etiam licet communionem distribuere 222; preces dicendae post distributionem communionis 222; num liceat distribuere communionem aliis digitis, ac primo et pollice *ib.*; comm. praescripta pro lucrandis indulgentiis 554; in extrema necessitate etiam laicus potest communionem administrare 40.

Commutatio voti a quonam fieri possit II 430; comm. iuramenti 454, satisfactionis sacramentalis III 404, operum in iubilaeo praescriptorum 561.

Compensatio occulta quid sit et quandonam sit licita II 88 sq.; quandonam compensatio sit causa excusans a restitutione 241; systema compensationis ut systema morale I 344 351.

Complex non potest prodi in confessione nisi ex gravi causa III 381; graviter peccat confessarius, qui directe inquirit nomen complicis *ib.* et 382; potest autem confessarius inquirere circumstantias necessarias peccatorum, etsi per accidens tunc assequatur notitiam complicis *ib.*; absolutio proprii complicis in peccato turpi non solum est graviter illicita, sed etiam invalida 454; quaenam condiciones requirantur, ut poenae contra absolventes complicem incurrantur *ib.*; requiritur, ut sit commissum peccatum luxuriae grave 455, ut adsit complicitas formalis 456, ut adsit absolutio vera vel saltem ficta 457; exceptiones a censura 458; quomodo possit absolvi a censura incursa 459.

Componenda quid sit in dispensationibus matrimonialibus III 877.

Compositio a Summo Pontifice concessa excusat a restitutione II 242.

Concilia generalia et particularia: eorum potestas legifera I 178.

Concilii S. Congregatio I 170.

Concionator exsistens in statu peccati mortalis, qui sermonem sacrum habet, non peccat mortaliter III 59.

Concubinatus: eius malitia II 698; ut impedimentum matrimonii III 849.

Concupiscentia sumitur vel ut passio in genere vel ut passio specialis, nempe desiderium I 71 76; concupiscentia antecedens auget voluntarium, sed minuit liberum 89.

Concursus ad beneficium ecclesiasticum obtinendum quale ius tribuat et quomodo laesio istius iuris inducat obligationem restitutionis II 99.

Condicio apposita in administratione sacramentorum III 23; liceitas et origo formae condicionalis 24 sq.; matrimonium contractum sub condicione 661 sqq.; condicio servilis prout est impedimentum matrimonii 790; contractus initus sub condicione suspensiva, resolutoria, turpi quomodo obliget II 261 et 253.

Condonatio expressa aut tacita creditoris excusat a restitutione facienda II 241; condonatio offensae v. **Reconciliatio.**

Conductio v. **Locatio.**

Confessarius: eius dotes necessariae, nempe scientia, prudentia, virtus III 432; qua scientia debeat esse praeditus *ib.*; quibus mediis acquiratur necessaria scientia *ib.*, prudentia 433, virtutes christianae 434; dotes confessarii religiosarum 417; officium confessarii in actu confessionis est a) recte iudicare tum de peccatis auditis, tum de absolutione danda vel recusanda 435, b) docere et monere poenitentem 436, c) disponere poenitentem ad veram contritionem et emendationem 437, d) dare aut denegare aut differre absolutionem 438; post confessionem confessarius tenetur corrigere defectus et errores forsan commissos 439, et sigillum sacramentale servare 443 sqq.; confess. aliquando potest in se assumere partem satisfactionis praestandae a poenitente 397; quomodo confessarius possit commutare satisfactionem poenitenti impositam 404; quandonam confessarius teneatur ad resarciendum damnum, quod causavit errans in confessione II 110, III 442; restitutio facta ope confessarii II 239.

Confessio, ut est materia proxima sacramenti poenitentiae, quid sit III 358; quaenam ad eius essentiam requirantur *ib.*; necessitas confessionis ex iure divino 359; utilitas eius et convenientia *ib.*; necessitas ex iure ecclesiastico *ib.*; tempus quo praeceptum confessionis obliget 360; subiectum huius praecepti 361; eius obiectum 362; poenae inflictae transgressoribus huius praecepti *ib.*; qui non habet nisi peccata venialia, stricte non tenetur ad confessionem annuam 361; dotes confessionis 363 sqq.; mentiri in confessione quale sit peccatum 364; integritas confessionis 366 sqq., v. etiam **Integritas;** examen conscientiae ante confessionem 383 sqq.; confessionis iteratio seu confessio generalis 386; quando sit necessaria, utilis, nociva 388; methodus in ea observanda 389; confessio requisita ad indulgentias lucrandas 553; quot peccata committat confessarius in statu peccati mortalis exsistens, qui audit

plures confessiones I 380; num confessio possit institui durante Missa ex praecepto audienda II 481; confessio facta laico non est sacramentum III 405; quandonam confessio sit omnino praemittenda communioni 192; sacerdos, qui cum sola contritione celebravit Missam, debet quam primum, i. e. intra triduum confiteri 194; non-sacerdos excipiens confessionem excommunicatur 512.

Confirmatio: diversa eius nomina III 149, eius definitio 150; exsistentia huius sacramenti 151; quandonam hoc sacramentum fuerit institutum 152; eius effectus 153; imprimit specialem characterem *ib.*; materia remota 154; materia proxima 155; forma 157; minister ordinarius est episcopus 158; minister extraordinarius est sacerdos rite delegatus 159; subiectum confirmationis 160; num adsit gravis obligatio suscipiendi confirmationem 161; caeremoniae in confirmatione 162; patrinus 163; adnotatio confirmationis 164; num sub gravi requiratur, ut clericus ordinandus sit confirmatus 604.

Congregationes Romanae: earum officia et auctoritas I 167 sqq.; earum decisiones in rebus fidei 519.

Coniugale debitum quid sit III 699; eius liceitas 700; regula generalis: actus coniugalis tunc licitus est, quando servit ad bonum spirituale coniugum, licet directe neque habeatur neque intendatur generatio *ib.*; circumstantia temporis sacri, praegnationis, lactationis, menstruationis 701; illicitus est actus coniugalis, qui fit vel ob solam voluptatem, vel cum gravi periculo sanitatis, vel modo onanistico, vel cum scandalo *ib.*; non solum ipse actus coniugalis licitus est, sed etiam omnia illa, quae ad hunc actum perficiendum necessaria vel utilia sunt 703; coniug. deb. per se obligat sub gravi 704; quandonam haec obligatio cesset 705 sqq.; peccata coniugum quoad castitatem 709. Vide etiam **Onanismum.**

Coniux v. **Uxor, Maritus, Femina.**

Connexio virtutum quid et qualis sit I 464 sqq.

Conopaeum ante tabernaculum III 224.

Consanguinitas prout est impedimentum matrimonii III 827; modus computandi gradus 828; divisiones 829; multiplex consanguinitas 830; aptus modus inveniendi gradus 831; origo huius impedimenti 832; eius ambitus 833; eius convenientia 834; eius cessatio 835.

Conscientia: diversae eius acceptiones I 302; eius differentia a synderesi, scientia morali, prudentia, lege naturali 303; eius divisiones 304; num liceat sequi conscientiam erroneam 307; consc. laxa: eius causa 315, eius remedia 316; consc. perplexa 317, scrupulosa 318; conscientiae scrupulosae signa 320, causae 321, remedia 322; consc. certa 324, sola est recta regula morum 326; consc. dubia 328; numquam licet agere cum conscientia practice dubia 330; media ad solvendum dubium 331 sqq.; educatio conscientiae 353 sqq.; consc. timorata in accusandis peccatis dubiis III 376; remorsus conscientiae causati a peccato I 392.

Conscriptio militum I 297.

Consecratio fontis baptismalis III 100.

—— **chrismatis** debet fieri ab episcopo; num ex delegatione possit fieri a simplici sacerdote 154.

—— **eucharistiae** 178; errores hac in re 179; num consecratio fieri possit per epiclesim *ib.*; quando repetenda sit 20; in consecratione auferendum est operculum pyxidis 176; consecr. eucharistiae numquam potest fieri licite et probabiliter nec etiam valide extra Missam 176; an valida sit consecratio hostiarum extra corporale relictarum 177; in consecratione utriusque speciei consistit essentia Missae 229.

—— **olei infirmorum** debet fieri ab episcopo, vel a sacerdote rite delegato 571.

—— **altaris** 296.

Consensus legislatoris requisitus ad legitimam consuetudinem introducendam I 278; cons. requisitus ad peccatum mortale 366; signa consensus imperfecti *ib.*; cons. ut est iniusta causa damnificationis II 105; cons. requisitus in contractibus eiusque dotes et vitia 255 sqq.; cons. requisitus in sponsalibus III 719, in matrimonio 656; qualitates huius consensus maritalis *ib.*

Consilia evangelica quid sint I 162; donum consilii 450.

Consilium ut donum I 450; ut causa restitutionis II 102.

Consistorialis Congregatio I 168.

Consociationes opificum quomodo sint fovendae II 5.

Constantia ut est virtus specialis, quae est fere similis perseverantiae II 637.

Consuetudinarius in peccato quinam sit III 452; quandonam possit absolvi *ib.*

Consuetudo quid sit I 272; quotuplex sit 274; condiciones requisitae ad legitimam consuetudinem 276 sqq.; effectus consuetudinis legitimae 279 sqq.; eius cessatio 282; cons. rationabilis dicendi Missam ante auroram III 290; cons. peccandi aliquando manifestari debet in confessione 370.

Consulens damnificationem iniustam quomodo obligetur ad restitutionem II 102; num liceat consulere minus malum 103; consilium malum revocatum quidem, sed inefficaciter quamnam inducat obligationem *ib.*; consulens nonnulla crimina punitur censura, v. **Censura.**

Consumptibiles res quid sint II 12.
Contagio: quando periculum contagionis excuset ab administrandis sacramentis III 73, ab integritate materiali confessionis 380, a reddendo debito coniugali 692.
Contemptus formalis legis I 207, praecepti vel praecipientis II 579 et I 371.
Contentio quale peccatum sit I 414.
Continentia quomodo se habeat ad temperantiam II 708.
Contractus quid sit II 249; quotuplex sit 250; num legis civilis statuta circa contractus obligent in conscientia 251; condiciones requisitae ad contractum 252 sqq.; contr. turpis quomodo obliget in conscientia 253; personae aptae ad contrahendum 254; consensus legitimus 255; error et dolus in contractu 257; vis et metus 258 et I 71; forma externa contractuum II 259; contr. sub condicione 261, sub modo 262, sub die 263, sub demonstratione 264; iuramentum quod contractui additur 265; contractus gratuiti 267 sqq., onerosi 290 sqq., aleatorii 311 sqq.
Contritio generice sumpta quid sit III 339; includit tres actus, nempe dolorem, detestationem, propositum *ib.*; contr. dividitur in perfectam seu contritionem stricte dictam, et imperfectam seu attritionem 340; contr. stricte dicta oritur ex motivo perfectae caritatis, i. e. ex amore benevolentiae *ib.*; num sufficiat etiam motivum amoris spei *ib.*; effectus contritionis est remissio omnium peccatorum, dummodo accedat votum sacramenti poenitentiae 341; non requiritur, ut contritio sit in summo gradu *ib.*; contr. generice sumpta (prout includit attritionem) debet habere sequentes dotes: debet esse vera et formalis 346, supernaturalis 347, appretiative (non intensive) summa 348, universalis 349; non requiritur, ut sit dolor sensibilis, neque per longum tempus sit elicitus 348; debet signo sensibili esse manifestata 350; debet elici ante confessionem vel saltem ante absolutionem *ib.*; debet habere aliquem ordinem ad absolutionem recipiendam 351; non necessario quidem sed laudabiliter est denuo elicienda, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur 352.
Contritionistae quid sint III 345.
Contumacia in censuris quotuplex et quid sit III 484; quaenam requiratur ad incurrendam censuram *ib.* et 485.
Contumelia quid sit II 183; eius malitia 184; contum. quandoque est patienter toleranda 186.
—— **in Deum** v. **Blasphemia.**
Convalidatio matrimonii invalidi per renovationem consensus III 885; quomodo iste consensus sit renovandus *ib.*; per simplicem dispensationem 886; per sanationem in radice 887.
Convicium quid sit II 183.
Convictores: alumni religiosorum possunt viaticum recipere a suis superioribus religiosis III 219; item extremam unctionem 583; item recipere absolutionem sacramentalem a suis confessariis religiosis, non approbatis ab episcopo loci 410; non expedit, ut superiores collegii audiant confessiones alumnorum 416.
Cooperatio ad peccatum quotuplici modo fieri possit I 617; est vel materialis vel formalis *ib.*; coop. materialis aliquando licita est 618, numquam autem cooperatio formalis 619; coop. mala in rebus religiosis et politicis 620; coop. mala famulorum 621, cauponum 622, mercatorum 623; coop. positiva et negativa ad iniustam damnificationem quomodo ad restitutionem obliget II 100 sqq.
Copia confessarii quid sit III 192.
Copula coniugalis v. **Coniugale debitum.**
Coquus, quos labores facere possit diebus festivis II 496.
Corporale calici substernendum debet esse confectum ex lino vel cannape III 299; ille qui extra casum magnae necessitatis sine corporali aut sine corporali benedicto celebrat, graviter peccat *ib.*; quomodo corporale amittat benedictionem 301; num species eucharisticae extra corporale relictae (ex inadvertentia) sint consecratae 177.
Corpus proprium est vera caritate diligendum I 567; peccata contra hanc caritatem 568; munditia corporis requiritur in susceptione eucharistiae III 197; quid includat haec munditia *ib.*; defectus corporis potest inducere irregularitatem 616.
Correptio fraterna quid sit et quomodo differat a correptione paterna et iudiciali I 599; eius obligatio 600; quandonam haec obligatio oriatur 601; modus correptionis 602; quandonam corripiendus sit ille, qui ex ignorantia invincibili materialiter peccat 603.
Corruptio verborum in recitatione Officii divini II 374; in forma sacramentorum qualis censeatur substantialis et qualis accidentalis III 13 sq.; corr. officialium in tributis defraudandis I 295, in carcere effringendo 301.
Craniotomia quid sit II 133; est graviter illicita 134; num medici in bona fide relinqui possint circa eius moralitatem 136; num sit aequiparanda abortui quantum ad poenas ecclesiasticas 143.
Credere v. **Fides.**
Crematio cadaverum interdicitur III 503; societates ad eam promovendam prohibentur 516
Crimen: indebita divulgatio criminis occulti est peccatum diffamationis II 187; nec

etiam crimen notorium licet divulgare sine sufficienti ratione 192.
Crimen: ut est impedimentum matrimonii, oritur in quattuor casibus III 852; multiplicatio huius impedimenti 858; eius cessatio 859; ignorantia ab eo non excusat 880; non ligat non-baptizatos 651 *nota 2*.
—— criminosum, in quo communicatio punitur excommunicatione III 519; crimina quaenam inducant irregularitatem III 620 sqq.
Cruces in parietibus ecclesiae consecratae si radantur aut excidant, inde ecclesia non exsecratur III 294.
Crucifixi effigies in altari debet eminere inter candelas III 297.
Crudelitas est vitium oppositum virtuti clementiae II 710; crudel. in animalia 14.
Cruenta punitio (occisio) cuinam liceat II 118; cruenta defensio contra iniustum aggressorem vitae 120, fortunae 121, pudicitiae 122, famae 123.
Crux Christi num sit adoranda II 386; praecepta positiva de cultu crucis Christi *ib.*
Culpa theologica et iuridica in damnificatione II 92 sqq.
Cultus Dei est obiectum virtutis religionis II 325; cultus latriae, hyperduliae, duliae quid sit 384; quibus exhibendus 385 sqq.; cultus exhibendus cruci 386, imaginibus et reliquiis 387; num liceat interesse cultui acatholico I 526 sq.; cultus disparitas ut est impedimentum matrimonii III 822.
Curiositas opponitur virtuti studiositatis et est per se peccatum veniale II 716.
Custodes vectigalium, silvarum, agrorum etc. quomodo teneantur reparare damnum, si non denuntient damnificatores II 110.

D

Damnatae theses v. **Propositiones.**
Damnificatio iniusta quid sit II 91; eius divisiones 92; quandonam ex ea oriatur obligatio restitutionis 93; num damnificatio cum culpa levi theologica commissa inducat obligationem restitutionis 97; si adsit sola culpa iuridica 98; obligationes ortae ex cooperatione ad damnificationem 100 223 sqq., ex damnificatione dubia 226.
Damnum emergens est titulus accipiendi foenus II 287.
Debita contracta num possint praescriptione deleri cum bona fide negativa II 62; num deleantur cessione bonorum 247; quo ordine sint solvenda 236.
Debitum coniugale v. **Coniugale debitum.**
Decimae ecclesiasticae legitime solvendae sunt II 499; defraudantes committunt peccatum tum contra religionem tum contra iustitiam *ib.*
Declaratio v. **Interpretatio.**
—— **mortis** coniugis pro novo matrimonio ineundo III 806.
Declaratio nullitatis matrimonii III 884.
Defectus naturales manifestare num sit diffamatio II 191; num sit laesio sigilli sacramentalis III 444; def. rei vendendae manifestandi II 292; def. commissi a confessario quando et quomodo sint corrigendi III 439; def. loquelae, temporis excusat ab integritate materiali confessionis 379.
Defendentes libros prohibitos 508.
Defloratio virginis v. **Stuprum.**
Defraudatio tributorum I 295, II 499; servitii militaris I 300; pretii vehiculi publici II 85.
Defuncti: laedere eorum famam est detractio II 194; Officium Defunctorum quandonam sit recitandum 361. Vide etiam **Animae in purgatorio.**
Degradatio clericorum III 472.
Delectatio prout est passio I 78; delect. morosa quid sit 395; eius indoles moralis 396; malitia specifica 397; criteria distinctiva 398; delect. venerea quid sit II 681; directe volita est peccatum mortale ex toto genere suo 682; indirecte volita admittit parvitatem materiae 683; quomodo specificetur delectatio venerea 686; quaenam resistentia sit necessaria 687.
Delegatio diaconi ad sollemniter baptizandum III 121, vel ad eucharistiam distribuendam 217; del. sacerdotis ad confirmationem administrandam 159; ad confessiones audiendas 411; ad assistendum sponsalibus non est possibilis 724; ad assistendum matrimonio 750, ad ferendas et absolvendas censuras 479 494, ad conferendos ordines 597.
Denegare sacramenta quandonam sit necessarium III 75 sqq.
Denuntiatio peccatoris quando facienda sit praetermissa correctione fraterna I 602; denunt. confessarii sollicitantis III 464; causae excusantes 465; modus denuntiandi 466; negligentes hanc denuntiationem incurrunt excommunicationem 464 525; impedimentorum matrimonialium post proclamationes nuptiales 740; causae excusantes ab hac denuntiatione *ib.*; denunt. iudicialis et evangelica quid sit II 159.
Depositio clericorum III 472.
Depositum est contractus gratuitus II 283; obligationes depositarii *ib.*; depositum fidei quid sit I 485.
Deputati: num electio mali deputati inducat obligationem damni reparandi II 105 603; quomodo ipsi deputati condentes pravas leges teneantur restituere damnum inde ortum *ib.*; num ex gravissima causa liceat eligere malum deputatum 604.
Derelictae res quid sint et cui sint II 39 sqq.
Derogatio legis quid sit et quomodo fiat II 270.
Desertor militiae quomodo peccet I 301; II 451.
Desiderium ut est passio I 76; desid. rei malae: eius moralitas 403; licetne deside-

rare malum propter bonum effectum 405; desid. mortis aliquando licitum, aliquando illicitum II 116; desid. libidinosum: eius specifica malitia 689.
Desperatio quid sit ut passio I 81, ut vitium contra spem theologicam 548; eius malitia *ib.*; eius causae *ib.*; eius remedia *ib.*
Desuetudo legem abrogans I 281.
Detentores bonorum ecclesiasticorum excommunicationem incurrunt III 512 et 518. Vide etiam **Bona ecclesiastica.**
Determinatio materiae consecrandae in eucharistia III 175, in applicanda Missa 247.
Detestatio quomodo se habeat ad dolorem in contritione III 339.
Detractio quid sit II 188; eius malitia 189; eius reparatio 196 sq.
Devotio: diversae eius acceptiones II 328; ut est actus virtutis religionis *ib.*; causae devotionis 329; eius effectus 330; devotio requisita a suscipiente eucharistiam III 195.
Diabolus non potest proprie orare II 334; quomodo tractandus sit in exorcismo 463; quomodo interveniat in superstitione 501, in spiritismo 523, in divinatione 506; nequit certo cognoscere futura contingentia neque secreta cordium *ib.*; non est directa et sufficiens causa peccatorum I 384 386.
Diaconus exsistens in statu peccati mortalis probabiliter non peccat graviter, si portat ss. eucharistiam aut ministrat in Missa sollemni III 59; potest delegari ad sollemniter administrandum baptismum 121, ad distribuendam eucharistiam 217; generatim non potest ullam benedictionem dare, nisi habeat specialem licentiam episcopi 90; debet portare stolam recipiens s. communionem 196; probabiliter non est irregularis, si sollemniter baptizat sine delegatione 121; qualem potestatem recipiat in sua ordinatione 590; materia et forma diaconatus 593.
Diffamatio quid sit II 187; divisiones 188; eius malitia 189; regulae ad iudicandum de gravitate diffamationis 191; cooperantes ad diffamationem 195; obligationes diffamatoris 196; causae excusantes a reparatione famae 198.
Dilatio actus fidei, spei, caritatis vide singulas virtutes; dilatio restitutionis quomodo sit peccaminosa II 237; voti adimplendi 406; baptismi infantium quale sit peccatum III 126; baptismi adultorum 134; Missae ex stipendio debitae 266; satisfactionis sacramentalis adimplendae 402; dilatio absolutionis quandonam sit aut expediens aut necessaria 438; dilatio matrimonii post proclamationes peractas quandonam exigat novas proclamationes 735; num indebita dilatio matrimonii sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia 729.
Dilectio v. **Caritas.**
Dimissoriales litterae quid sint III 597; quibus necessariae sint *ib.*; poenae inflictae episcopo, qui confert ordines alieno subdito sine litteris dimissorialibus 534; litterae dimissoriales illegitime concessae sede vacante 537.
Discipulus: eius obligationes erga magistrum II 598; eius peccata specifica *ib.*
Discordia prout est filia superbiae I 414; prout laedit caritatem proximi 604.
Disparitas cultus prout est impedimentum matrimonii III 822.
Dispensatio quid sit et quomodo differat ab epikeia, licentia, declaratione, privilegio I 238; divisiones 239; auctor dispensationis 240: Summus Pontifex 241; episcopus 242; superior regularis 243; parochus 244; confessarii regulares 245; subiectum dispensationis recipiendae (peregrini, regulares exempti, ipse dispensans) 247; condiciones ad dispensationem requisitae 251 sqq.; vitia dispensationis 255; eius cessatio 259; eius interpretatio 262.
—— **a voto** II 420; vota quae dispensari possunt a solo Summo Pontifice 422 sq., ab episcopo 424, a confessariis regularibus 425.
—— **a iuramento promissorio** II 428 453.
—— **in ieiunio et abstinentia** II 664.
—— **in irregularitatibus** III 613.
—— **in impedimentis matrimonialibus** III 862 sqq.; concessa a Curia Romana 865, ab episcopo 866 sqq., a simplici sacerdote 868; causae ad dispensationem requisitae 870 sqq.; modus petendi dispensationem 875 sqq.; modus exsequendi dispensationem 880; dispensationis vitia eorumque sanatio 883; dispens. super vinculo matrimonii legitimi vel rati 680 sqq.
Dispositio necessaria pro recipiendis sacramentis III 86 sqq.; ad reviviscentiam sacramenti 43; animae et corporis pro suscipienda communione 191 sqq.
Dissensus parentum num sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia III 728.
Dissimulatio sacramentorum quando sit licita III 84; dissimulatio et occultatio fidei I 507.
Distillatio venerea II 705.
Distinctio peccatorum specifica I 373, numerica 376.
Distractio voluntaria in oratione est peccatum II 354 sqq.; num destruat essentiam orationis II 355; non obstat, ne satisfiat recitando Officio II 356; est probabiliter peccatum grave, si durante consecratione in Missa admittitur III 61.
Distributio s. communionis a statu peccati mortalis num sit graviter peccaminosa III 59; quandonam diaconus possit distribuere communionem 217; varia requisita ad licitam distributionem communionis 221 sqq.
Distributiones quotidianae canonicorum quando amittantur II 366.

Divinatio quid sit II 506; eius divisiones 507; eius malitia moralis 511.
Divisio bonorum primitiva quomodo facta sit II 4.
Divortium perfectum quoad vinculum nequit fieri in matrimonio christiano consummato III 672 sqq.; potest fieri in matrimonio legitimo consummato 675 sqq., in matrimonio rato 681; divortium imperfectum, i. e. quoad torum et habitationem, fieri potest ex pluribus causis 688 sqq.; divortium civile: num liceat coniugibus illud petere 901, iudici illud pronuntiare 902, advocato illi patrocinari 903.
Divulgatio criminis notorii quomodo sit illicita II 193.
Docilitas ut est integralis pars prudentiae I 631.
Dolor in contritione III 339; num sit actus principalior quam detestatio *ib.*; dolor in contritione (sive attritione) debet esse verus et formalis 346, supernaturalis 347, summus appretiative, non intensive 348, universalis 349; non necessario requiritur dolor sensibilis 348. Vide **Contritio** et **Attritio.**
Dolus quomodo vitiet contractum II 257.
Domicilium quid sit I 193; quasi-domicilium quid sit *ib.*; ut titulus ordinationis III 597; pro bannis nuptialibus 738; pro celebratione matrimonii 757.
Dominica dies est sanctificanda ex lege non solum ecclesiastica, sed etiam divina II 465; quinam obligentur hac lege 467; quaenam praecipiantur per hanc legem 469; utilitas huius praecepti bene observati 471 sqq.
Dominium quid sit II 3; eius divisiones *ib.*; origo et liceitas dominii privati 4; hostes dominii privati 5; quomodo competat homini dominium in bona corporis et animae 6, in famam suam 7, in foetus ingenii et industriae 8, in alium hominem 11; subiectum dominii 13; dom. coniugum 15 sqq.; dom. filiorum familias 26 sqq.; dom. clericorum 36; diversi modi acquirendi dominium sunt vel originarii vel derivati 39; modi derivati sunt vel legales vel conventionales *ib.*; modi conventionales sunt contractus *ib.*; modi legales sunt occupatio, inventio, accessio, praescriptio *ib.* et sqq.
Dona Spiritus Sancti: eorum notio et numerus I 445 sqq.; eorum relatio ad virtutes, beatitudines et fructus Spiritus Sancti *ib.*
Donatio quid sit II 270; eius divisiones *ib.*; quaenam requirantur ad valorem donationis 271; revocatio *ib.*; don. mortis causa 272; don. per testamentum v. **Testamentum**; don. praesumpta 280.
Donationes sponsaliciae quandonam sint restituendae III 720.
Dos deficiens aut incompetens est causa canonica dispensationis matrimonialis obtinendae III 871.
Dubium quid sit I 328; quotuplex sit 329; quomodo dubium practicum sit solvendum 321 sqq.; dubia lex num obliget 333; in dubio standum est pro quo stat praesumptio 334; in dubio melior est condicio possidentis 335; obligationes possessoris dubiae fidei II 221, dubii damnificatoris 148 et 226; dubium in sacramentorum forma, materia vide singula sacramenta; dubia iurisdictio in absolutione sacramentali III 414; num peccata dubia sint accusanda 375; impedimenti dubii dispensatio in matrimonio 768 866; dubium in fide I 520.
Duellum quid sit II 124; privata auctoritate factum est graviter illicitum 125; poenae ecclesiasticae contra duellum 126; societates duellum foventes 127; obligatio restitutionis ex duello orta 128.
Dulia quid sit II 383 sq.

E

Ebrietas quid sit II 669; eius malitia 670; eius remedia 673.
Ecclesia ut *templum* exsecratur et polluitur II 545, ut *societas* habet potestatem infligendi poenas etiam materiales III 469; eius potestas in matrimonium christianorum 646 sqq.
Ecclesiastica bona v. **Bona.**
—— **lex** v. **Lex.**
Ectopicus foetus II 146.
Educatio filiorum quales obligationes imponat parentibus II 589; educ. propriae conscientiae quomodo obtinenda I 353 sqq.
Effectus externus actionis num sit in confessione accusandus III 374.
Electio status perfectioris est causa sufficiens dissolvendi sponsalia III 730; quid sit status perfectior *ib.*
—— deputati indigni quale sit peccatum II 603 sqq.
Electrica lux non licet adhiberi loco candelarum, sed solummodo ad decenter illuminandam ecclesiam III 227; quandonam liceat eam adhibere pro lampade coram Sanctissimo *ib.*
Electuaria non frangunt ieiunium ecclesiasticum II 662.
Eleemosyna: eius notio I 588; eius obligatio 589; quandonam praeceptum eleemosynae dandae obliget 590; quantitas eleemosynae dandae 595; quinam possint dare eleemosynam 596; modus dandi eleemosynam 597; eleemosyna praescripta in iubilaeo III 560.
Emancipatio filiorum familias quomodo fiat II 26; feminarum quomodo sit licita 593.
Emptio v. **Venditio.**
Ephemerides pravae: num liceat eas vendere I 624, in illis annuntiationes aut articulos publicare *ib.*; num earum lectio puniatur excommunicatione III 508.

Epikeia adiungitur vel iustitiae legali vel cuidam iustitiae naturali II 617; virtus aequitatis est exsecutio virtutis gnome 619; quandonam liceat adhibere epikeiam in legibus I 231 sqq.; epikeia proprie dicta nequit adhiberi in lege naturali 156, neque in lege irritante 233.

Episcopales casus quinam sint et quomodo absolvantur III 427 sq.

Episcopatus num sit ordo essentialiter distinctus a presbyteratu III 587; quam potestatem conferat 590; eius materia et forma 594.

Episcopus: eius potestas legifera I 179; eius potestas dispensandi in legibus 242; est minister ordinarius confirmationis III 158; quoties debeat administrare confirmationem in sua dioecesi *ib.*; tenetur Missam applicare pro populo (non autem episcopus titularis) 256; potest quidem interpretari obligationem Missae fundatae, non autem condonare aut reducere 261; habet privilegium oratorii privati 295; habet iurisdicionem ordinariam in sua dioecesi 409; potest absolvere a nonnullis casibus papalibus 425; potest sibi reservare casus absolvendos 427; quomodo debeat recipere et tractare denuntiationem sacerdotis sollicitantis 466; condiciones requisitae ad licite administrandum sacramentum ordinis 597 sqq.; episcopi facultas dispensandi in nonnullis impedimentis matrimonialibus 866 sqq.

Epistulam alterius illegitime legere quale sit peccatum II 181

Error quid sit I 39; quomodo influat in voluntarium et in moralitatem actus 45 sqq.; error in dispensatione 256; conscientia erronea quomodo obliget 307 sqq.; error pertinax in fide est haeresis 514; damnificatio ex errore commissa II 96; error substantialis et accidentalis quomodo afficiat valorem contractus 257, quomodo afficiat valorem voti 396; error in recitatione Officii corrigitur, ubi deprehenditur 370; error communis sufficit, ut Ecclesia suppleat iurisdictionem III 413; error commissus a confessario quomodo sit corrigendus 439 sqq.; error ut impedimentum matrimonii 786 sqq.

Esculenta in furtulis domesticis quandonam constituant materiam gravem II 83.

Eubulia ut est potentialis pars prudentiae I 633.

Eucharistia ss.: diversa eius nomina III 165; definitio eucharistiae consideratae in fieri, in facto esse, in usu 166; habet triplicem significationem 167; producit gratiam in ipsa sumptione *ib.*; est verum sacramentum a Christo institutum 168; materia remota panis 170; materia remota vini 172; forma 178; errores circa formam 179; effectus 180; euchar. est optima dispositio ad indulgentias lucrandas 182; quomodo peccata venialia minuant effectus eucharistiae 184; quandonam eucharistia effectus suos producat 185; eucharistia sumpta ope alicuius fistulae *ib.*; subiectum capax recipiendi eucharistiam 186; dispositiones ad sumendam eucharistiam requisitae ex parte animae 191 sqq., ex parte corporis 196 sqq.; obligatio suscipiendi eucharistiam 205; sumptio eucharistiae in voto est necessaria necessitate medii 206; sumptio realis est necessaria necessitate praecepti 207; quandonam obliget hoc praeceptum 208; minister consecrationis 216; minister distributionis ordinarius et extraordinarius 217; utrum laicus possit in extrema necessitate viaticum administrare *ib.*; requisita ad licitam distributionem eucharistiae 219; quandonam liceat distribuere eucharistiam nocte Nativitatis 221; grave peccatum est dispensare vel portare eucharistiam sine ulla sacra veste, nisi excuset necessitas 223; quomodo eucharistia deferenda sit ad aegrotos *ib.* (7); asservatio 225 sqq.; expositio 228; eucharistia prout est sacrificium Missae 229 sqq.

Eudaemonismus ut est systema moralitatis I 101.

Eunuchus est irregularis III 621. Vide etiam **Castratio.**

Eutrapelia quid sit II 317.

Examen conscientiae ante confessionem: eius necessitas III 383; diligentia requisita 384; eius methodus 385.

—— **ordinandorum** III 598 606.

—— **sponsorum** III 733.

Excisio ovariorum et uteri num causet impedimentum impotentiae aut usum matrimonii reddat illicitum III 810 *nota.*

Excommunicatio quid sit III 498; quotuplex sit 499; eius effectus immediati 500 sqq., mediati 505; excommunicationes hodie existentes 506 sqq.

Excommunicatus est vel toleratus vel vitandus III 499; licet orare pro excommunicatis II 341; item Missam offerre, dummodo ne sint vitandi III 250; excomm. nequit esse patrinus 146. Cf. **Effectus excommunicationis.**

Excusatio a lege: num liceat ponere causas excusantes a lege I 237; excus. a restitutione II 241 sqq., a Missa dominicali 486 sqq, a requie festiva 495, a ieiunio et abstinentia 664 sqq., a censuris III 486 sqq.

Exemplum pravum dans quomodo peccet, vide **Scandalum**; quomodo ad restitutionem teneatur II 103.

Exemptio a lege: licetne ponere causas eximentes a lege I 237; exemptio a lege concessa pueris 189, peregrinis 194; a restitutione facienda II 241 sqq.; laedentes exemptionem clericorum committunt sacrilegium 540.

Exercitia spiritualia peragenda ab ordinandis III 599.
Exheredatio quomodo licita vel illicita sit II 281.
Exorcismus est vel proprie vel late dictus II 463; publicus fieri nequit sine licentia Ordinarii *ib.*; qualem effectum producat *ib.*
Exorcistatus qualem potestatem tradat III 589; eius materia et forma 592; aetas requisita 605; scientia requisita 606.
Expensae distinguuntur necessariae, utiles, voluptuariae II 208; in re aliena factae a quo ferendae sint 213 sqq.
Expositi infantes num sint rebaptizandi III 128; num sint irregulares 614.
Expositio ss. eucharistiae publica semper requirit (etiam in ecclesiis regularium) licentiam episcopi III 228; privata expositio quid sit *ib.*; potest fieri ex rationabili causa a rectore ecclesiae *ib.*
Exsecratio ecclesiae quomodo fiat III 294; altaris 296.
Exstasis est effectus vehementis amoris I 551.
Externus actus non auget quidem per se moralitatem, sed est declarandus in confessione I 133 sqq.; externa attentio requisita ad orationem II 355, in ministro sacr. III 61; externa intentio in ministro sacr. III 67.
Extraordinarius confessarius monialium, eius qualitates et obligationes III 417.
Extrema Unctio v. **Unctio.**

F

Facultates episcopis et superioribus generalibus ordinum religiosorum delegatae non exspirant morte indultarii I 264.
Falsa accusatio sollicitationis III 468.
Falsarii litterarum Apostolicarum excommunicantur III 511.
Fama quid sit II 187; quomodo homo habeat dominium famae suae 7; etiam defuncti retinent ius ad bonam famam 194; laesio famae 187, v. etiam **Diffamatio**; periculum laesionis famae est causa excusans ab integritate materiali confessionis III 380; defectus famae prout inducit irregularitatem 618.
Familialis merces num sit debita operariis II 310.
Familiares regularium v. **Convictores.**
Familiaritas suspecta est causa canonica dispensationis in impedimentis matrimonii III 872.
Famuli: non possunt dare eleemosynas ex bonis heri I 596; eorum cooperatio in peccatis heri 621; furtula in rebus heri commissa II 83; quandonam possint se occulte compensare 90; quandonam ex negativa cooperatione teneantur damnum heri compensare 109; tenentur praestare heris oboedientiam, reverentiam et fidele obsequium 596; quandonam excusentur a requie festiva 496, a lege ieiunii et abstinentiae 663; quomodo satisfacere possint praecepto dominicali in oratorio privato heri 485.
Fautores haereticorum excommunicantur III 507; pariter in pluribus aliis criminibus, vide singula crimina.
Fecundatio artificialis num sit licita III 810.
Fenianorum societas prohibetur sub excommunicatione III 516.
Feria V in Coena Domini nequeunt dici Missae privatae nisi ex speciali licentia III 281; in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et paroecialibus est celebranda Missa sollemnis et ceterae omnes functiones liturgicae praescriptae sunt peragendae *ib.*; si in feriam V in Coena Domini incidit festum de praecepto, episcopus curare debet, ut plures Missae celebrentur *ib.*
—— **VI in Parasceve:** quando liceat ea die Missam votivam dicere III 282, s. communionem distribuere 221.
Festa: eorum observantia II 465 sqq.; in quibus applicatio Missae pro populo sit praescripta III 256; in quibus liceat ordinationes clericorum facere 600.
Fetischismus II 705.
Fictio iuris quid sit I 220; fictio in contractibus II 257, in voto 394, in iuramento 444 457; fictio sacramenti quid sit III 81; est numquam licita *ib.*; ficta absolutio complicis non excusat a censura 457; fictio in consensu matrimoniali 81 656.
Fides: variae significationes huius nominis I 478; fides theologica quid sit 479; subiectum proximum et remotum actus fidei 480 sq.; obiectum fidei 482 sq.; symbola fidei 485; professio fidei *ib.* et 504 sqq.; analysis et genesis fidei 486; proprietates fidei 487 sqq.; eius divisiones 491; fides informis 492; augmentum et amissio virtutis fidei 493 sq.; eius necessitas medii et praecepti 495 sqq.; fides in voto aut fides late dicta non sufficit 497 sqq.; obiecta necessario credenda 499; quandonam homo teneatur elicere actus fidei 500 sqq.; occultatio et dissimulatio fidei 507; vitia fidei opposita 508 sqq.; dubitatio in fide 520; pericula fidei 521 sqq.
—— **bona** in praescriptione II 62; in possessore rei alienae 209.
—— **sponsalicia** violata est causa sufficiens dissolvendi sponsalia III 729; fit tripliciter *ib.*; bonum fidei in matrimonio quid sit et quas obligationes inducat 697.
Filii quale habeant dominium II 26 sqq.; retinentes salarium quomodo peccent 28; in electione status non tenentur oboedire parentibus 583; quomodo eorum vota irritari possint a parentibus 417; obligationes eorum erga parentes 589; illegitimi v. **Illegitimi filii.**

Finis: eius definitio I 15; divisiones 16; finis et bonum sunt materialiter idem 19; Deus est finis ultimus hominis, ita ut homo teneatur tendere ad Deum eumque glorificare 20; in assecutione huius finis solius consistit ultima beatitudo hominis 21; finis ut fons moralitatis 120 sqq.; finis non iustificat media 124; homo tenetur in omnibus actibus suis sibi praefigere finem honestum, nequit autem licite agere ob solam voluptatem 125; quandonam lex cesset ob totalem cessationem finis 271.
Fixum altare III 296.
Foecundatio v. **Fecundatio.**
Foenus quid sit II 285; quandonam sit licitum 387.
Foetus animatus aut inanimatus II 136; numquam licet directe occidere foetum 139; foetus extopici 144; foetus abortivus est baptizandus III 131. Vide etiam **Abortus.**
Fons baptismalis quomodo sit consecrandus III 100.
Fontes theologiae moralis I 5 sqq.
Forensia opera prohibita diebus dominicis et festivis II 493.
Forma omnium virtutum est caritas I 559; forma in re sacramentaria duplici sensu sumitur III 7; eius necessitas 9, immutabilitas 10; quandonam habeatur mutatio substantialis et accidentalis 13 sq.; octo modi quibus forma sacramentorum mutari potest 14; etiam accidentalis mutatio formae sine sufficienti ratione facta est peccaminosa 15; simultas formae et materiae necessaria in sacramentis 16; certitudo formae in sacramentis 18; eius applicatio ad materiam 19; repetitio formae in sacramentis 21; forma condicionalis in sacramentis 22; quandonam liceat eam adhibere 24; origo prima formae condicionalis 25.
Fornicatio quid sit II 698; eius malitia *ib.*; quandonam ex illa oriatur obligatio damni reparandi 148 sqq.; est causa dissolvendi sponsalia III 729.
Fortitudo ut est condicio cuiuslibet virtutis II 620; ut est virtus specialis 621; ut est donum Spiritus Sancti *ib.* et I 452; actus fortitudinis II 622; partes eius 625; vitia opposita 638.
Forum internum et externum III 407; dispensationes matrimoniales pro foro aut interno aut externo 863; laedentes privilegium fori excommunicantur 510 et II 542; quomodo forum, i. e. communicatio in iudicio prohibeatur excommunicatis III 504.
Francomurarii v. **Massonica secta.**
Fraterna correctio v. **Correctio.**
Fraus quid sit I 418; est aliquando filia avaritiae *ib.*; fraus seu dolus in contractibus II 257 293 312 318, in tributis I 265, in evadendo servitio militari 300; in fraudem legis abire in alium locum ad confitendum peccatum reservatum III 429.
Fructus alicuius rei distinguuntur naturales, industriales, mixti, civiles II 208; restitutio fructuum facienda a possessore bonae fidei 213, a possessore malae fidei 218; fructus beneficii ecclesiastici quomodo de illis disponendum sit 37; num clericus teneatur restituere fructus superfluos male adhibitos *ib.*; ad qualem restitutionem obligetur clericus beneficiatus non recitans Officium divinum 364, canonicus non assistens in choro 366.
—— **Missae** v. **Missa.**
—— **Spiritus Sancti** I 454.
Frustulum matutinum diebus ieiunii II 657.
Fuga prout est passio I 77; rei e carcere II 164; occasionis in peccatis luxuriae 687.
Fundatae Missae: quantum ad earum stipendium et ad earum persolutionem III 270 sq.
Funus: num liceat interesse funeribus acatholicorum I 526.
Furtum quid sit II 78; materia absolute et relative gravis in furto 80; furta minuta quandonam sint peccatum mortale 82; furta servorum 83, uxorum *ib.*, filiorum familias *ib.*; furtum in rebus publicis 84; quandonam ablatio rei alienae non sit furtum 84 sqq.; furtum sacrum quandonam sit sacrilegium II 548 554.

G

Gaudium ut est passio I 78; gaud. peccaminosum 399; quomodo specificetur 400; gaud. super actu coniugii vel praeteriti vel futuri 401; gaud. libidinosum II 688.
Genesis et analysis actus humani I 34, actus fidei 486.
Gestio rerum ut contractus II 48 283.
Gnome ut est pars potentialis prudentiae I 633, II 619.
Gradus consanguinitatis et affinitatis quomodo sint computandi III 828 847.
Gratia sanctificans a sacramentis confertur ex opere operato III 35; gratia sacramentalis quid sit 40; gratia prima et secunda in sacramentis 33 40.
Gratiarum actio post communionem III 195.
Gratitudo quandonam sit virtus specialis II 605; eius officia 606; eius necessitas et pulchritudo 607; eius qualitates 608; vitium oppositum, nempe ingratitudo 609.
Gregorianae Missae quomodo persolvendae sint III 269.
Gula ut vitium capitale I 425; est ex genere suo peccatum veniale 426; filiae eius 427; remedia eius 428; prout opponitur virtuti abstinentiae II 667.

H

Habitus quid sit I 438; quotuplex sit 439; in quibusnam potentiis habitus inveniantur 440; eorum origo et augmentum 441; eorum diminutio et corruptio 442; eorum influxus in moralitatem actus humani 90; — habitus decentia pro ss. eucharistia recipienda III 196.

Haereticus valide baptizatus est membrum Ecclesiae III 113; rediens in gremium Ecclesiae quandonam debeat sub condicione baptizari 137; confessio neoconversi, qui sub condicione baptizatur 138; haereticus non potest esse patrinus in baptismo 145, in confirmatione 163; pro haereticis licet occulto modo applicare Missam 250; poenae in haereticos I 507, III 507; quomodo possunt absolvi *ib.* et I 517; haeretici eorumque descendentes quomodo sint irregulares I 517, III 623; si coniux cadit in haeresim, potest fieri divortium imperfectum 690; haeretici, i. e. in haeresi nati et educati non tenentur statutam formam observare in celebratione matrimonii 743; haereticorum templa adire quandonam liceat I 527, ea construere 620.

Hebdomada sancta: triduo ultimo ordinarie prohibentur Missae privatae III 281; ex indulto aliquando permittuntur Missae lectae *ib.*; in quibusnam ecclesiis liturgicae functiones praescriptae fieri debeant *ib.*; num s. communio possit distribui in Parasceve et Sabbato Sancto 283.

Hereditas: notio II 273; acceptatio sub beneficio inventarii 278.

Heres quinam dicatur universalis, ab intestato, necessarius, arbitrarius II 273; eius obligationes et iura 278 282.

Heroicus actus quandonam possit praecipi a lege I 184.

Herus: eius irritandi facultas quoad vota famulorum II 419; eius obligationes quoad subditos 595.

Homicidium: eius malitia II 131; commissum in loco sacro est sacrilegium 546; causat irregularitatem III 621.

Honestas publica est impedimentum dirimens matrimonii III 849; ambitus huius impedimenti 850; cessatio *ib.*; — honestas ut est pars integralis temperantiae et custos castitatis II 646.

Honor quid sit II 182; eius comparatio cum reverentia, laude, gloria *ib.*; laeditur per contumeliam 183; malitia contumeliae 184; restitutio honoris 185; nequit reparari solutione pecuniae *ib.*

Hora prandii et cenulae diebus ieiunii II 654; quamdiu prandium possit durare et interrumpi *ib.*; hora Missae celebrandae III 290; privilegia circa horam celebrationis *ib.*

Horae canonicae v. Officium divinum.

Hospites quandonam satisfaciant praecepto Missae in oratorio privato II 485.

Hostia non consecrata nequit dari ad dissimulandum sacramentum III 84; hostia consecranda debet esse recens, munda, integra, formae orbicularis 171; hostiae sunt renovandae saltem de quindena in quindenam *ib.*; deficiente hostia magna licet sacrificium Missae celebrare cum hostia parva *ib.*; sacerdos vigilet super eos, qui coquunt hostias *ib.*; non licet in communione dare laicis hostiam maiorem 223; hostiae consecratae non debent ab altari removeri nisi post communionem sacerdotis consecrantis 233.

Humilitas quid sit II 712; eius necessitas II 713; gradus et actus 714; vitia opposita 715.

Hyperdulia quid sit II 384.

Hypnotismus: eius effectus et usus II 521; eius moralitas 522.

Hypocrisis quid sit II 168; reducitur ad mendacium *ib.*; est filia superbiae I 414.

Hysteria quid sit eiusque signa characteristica I 96; eius influxus in moralitatem actuum 97; eius cura 98.

I

Iactantia quid sit I 414; est filia superbiae *ib.*

Ideae fixae multum diminuunt voluntarium I 95; quomodo causentur et amoveantur *ib.*

Idololatria quid sit II 502; divisiones 503; eius malitia moralis 504.

Ieiunium sumitur in quadruplici sensu II 650; ieiun. ecclesiasticum quid sit *ib.*; in quo eius essentia consistat 653; eius praestantia 651; evolutio legis ieiunii *ib.* et 652; de prandio diebus ieiunii 654; de cenula vespertina 656; de frustulo matutino 657; tempus ieiunii 658; personae ad ieiunium obligatae 660; num haec obligatio sit gravis 661; de liquido diebus ieiunii 662; causae excusantes a ieiunio 664; quis possit dispensare in lege ieunii *ib.*; ieiun. praescriptum ad lucrandum iubilaeum III 560.

—— **naturale** ante communionem III 198; quando incipiat *ib.*; non admittit parvitatem materiae neque ex parte temporis neque ex parte rei sumptae *ib.*; convenientia huius legis *ib.*; quomodo tempus mediae noctis computandum sit 200; laeditur hoc ieiunium per omne, quod per modum cibi aut potus ab extrinseco sumitur 199; non autem laeditur per tabacum fumatum neque per lotionem stomachi neque per nutritionem artificialem in intestino recto factam *ib.* et *nota* 5; exemptiones ab hoc ieiunio naturali 201; dispensatio in hoc ieiunio pertinet ad solum

Summum Pontificem 204; dispensationes concessae non solum moribundis, sed etiam infirmis 203; num liceat epikeiam adhibere in hac lege 204; ieiun. naturale laudabiliter, sed non necessario observatur in susceptione confirmationis 160.

Ignavia ut est vitium oppositum fortitudini II 638.

Ignorantia quid sit I 39; eius divisiones 40 sqq.; influxus eius in actus humanos 45; ignor. legis naturalis num sit possibilis 157 sq.; ignor. excusat a censuris III 484 488, non ab irregularitatibus 611, non a reservatione peccatorum 423, non ab impedimentis matrimonii 785 860.

Illegitimi filii quinam sint III 893; distinguuntur filii naturales et spurii *ib.*; quomodo legitimentur *ib.*; sunt irregulares 614; eorum iura et obligationes quantum ad dominium II 26; eorum obligationes erga parentes 586.

Imagines sanctorum quomodo coli possint II 387; imag. et statuae obscoenae in quantum sunt propter scandalum removendae I 614.

Immunitas ecclesiastica: eius laesio est sacrilegium II 543.

Impatientia ut vitium oppositum virtuti patientiae II 641.

Impedientes aliquem a consecutione alicuius boni, quando ad restitutionem teneantur II 94; imp. iurisdictionem ecclesiasticam excommunicantur III 510; imp. Litteras Apostolicas item excommunicantur III 511.

Impedimenta matrimonii quid sint III 767; quomodo distinguantur 768; imped. prohibentia 769 sqq.; impedimenta dirimentia 785 sqq.; impedimentorum cessatio in genere 861; cessatio per dispensationem 862 sqq.

—— ordinationis III 623.

Imperfectiones morales quid sint et num sint materia sufficiens absolutionis sacramentalis III 324.

Impositio manuum in confirmatione III 155, ut materia in ordinatione 594 sq.

Impotentia quaenam excuset a lege positiva I 236 sq., a restitutione II 242 243, a ieiunio ecclesiastico 665, ab integritate materiali confessionis III 379, ab incursu censurae 486.

—— prout est impedimentum matrimonii III 808; modus agendi observandus a parocho vel confessario in hoc impedimento 813.

Imprecatio v. **Maledictio.**

Imprimentes libros prohibitos num excommunicationem incurrant III 508; quinam censeantur esse imprimentes *ib.*; imprim. sine approbatione Ordinarii S. Scripturam eiusque commentarios vel adnotationes incurrunt excommunicationem nemini reservatam 526.

Impuberes quinam censeantur II 26; nonnullis legibus humanis non subiciuntur I 190; eorum sponsalia sunt rescindibilia III 722; eorum matrimonium est nullum 793. Cf. etiam **Infantes.**

Impudicitia v. **Aspectus, Oscula, Colloquia, Tactus** impudici.

Inadvertentia peccatoris consuetudinarii num excuset a peccato I 47.

Inaequalitas peccatorum I 363, virtutum 467 sqq.

Inanis gloria prout est filia superbiae I 414; prout opponitur magnanimitati II 639.

Incardinatio est receptio legitima in alienam dioecesim III 597.

Incarnationis mysterium num sit explicite credendum, necessitate medii I 499.

Incestus quid sit et qualem malitiam contineat II 701; quandonam gradus consanguinitatis aut affinitatis sit declarandus in confessione III 372.

Incola quis I 193.

Inconsideratio in agendis prout oritur ex luxuria I 420; prout opponitur prudentiae 634.

Inconstantia saepe oritur ex luxuria I 420; opponitur prudentiae 634, et perseverantiae II 642.

Indifferentes actus num exsistant in specie et in individuo I 128 sqq.

Indigna sacramentorum administratio quale sit peccatum II 552, III 56 sqq.; indigna susceptio sacramentorum est sacrilegium II 552, III 88.

Indissolubilitas matrimonii III 672 sqq.

Indulgentiae: notio III 539; sunt medium efficacissimum ad poenas temporales delendas 540; sunt simul absolutio et solutio 543; quid indulgentiae non sint *ib.*; divisiones 544; indulg. concessae alicui ecclesiae regularium cessant, si istae ecclesiae aliis traduntur 545; est in Ecclesia potestas concedendi indulgentias 547; haec potestas competit Papae eiusque delegatis 549; condiciones requisitae ad lucrandas indulgentias 550 sqq.; quomodo opera praescripta sint implenda 552; collectiones ad rem indulgentiarum pertinentes 557; indulg. iubilaei v. **Iubilaeum**; indulg. in articulo mortis v. **Benedictio**; indulg. altaris privilegiati v. **Altare privilegiatum**; regulae ad dignoscendas veras indulgentias ab apocryphis III 567; quaestum facientes ex indulgentiis incurrunt excommunicationem 514.

Infamia est vel iuris vel facti III 618; quomodo incurratur *ib.*; quomodo cesset *ib.*; infamia mulieris ex suspicione orta est causa canonica dispensationis matrimonialis obtinendae 871.

Infantes quid sint I 188; num subiciantur legibus 189; non licet eos provocare ad transgrediendam legem naturalem aut di-

vinam 151; quaenam sacramenta suscipere possint III 87; infans potest valide baptizari in utero materno 129; sors infantium sine baptismo mortuorum 117; baptismus quantum ad infantes parentum catholicorum, haereticorum, infidelium 126sqq.; infantes expositi quantum ad baptismum conferendum 128; pro infantibus sine baptismo mortuis non licet applicare Missam 249; infantes nequeunt contrahere sponsalia 722.

Infideles: quid sit infidelitas positiva et negativa I 509; malitia infidelitatis 510; communicatio cum infidelibus 511; infid. non subiciuntur legibus ecclesiasticis 187; potest pro illis Missa applicari III 249; eorum matrimonia subiciuntur legibus iustis civilibus 651; quomodo eorum matrimonium sit solubile 675.

Infirmitas quaenam excuset a Missa praecepta audienda II 486, a ieiunio ecclesiastico 665, a ieiunio eucharistico III 203; in qua liceat suscipere extremam unctionem 580; quaenam excuset ab integritate materiali confessionis 379; infirmitas corporalis aut spiritualis est ratio diminuendi satisfactionem sacramentalem 397.

Informis fides I 492, spes 538; informis contractus num sit validus II 259; informe testamentum 277; sacramentum informe quid sit III 33; num reviviscat 41sqq.; informia sponsalia num obligent in conscientia 718.

Ingratitudo materialis et formalis quale sit peccatum et quomodo committatur II 609.

Inimicus est ex caritate diligendus I 571; proinde deponi debet omne odium inimicitiae omneque desiderium vindictae 573sq.; exhibenda sunt inimico saltem communia signa dilectionis 575; quaerenda est reconciliatio 577.

Initialis amor quid sit et num requiratur in attritione III 345.

Iniunctis de iure iniungendis: quid sibi velit haec formula in Rescriptis usitata III 496.

Iniustitia v. **Iustitia.**

Innocens: eius occisio iniusta II 131; eius condemnatio iniusta 158.

Innominati contractus II 250.

Inoboedientia v. **Oboedientia.**

Inscriptio v. **Adnotatio.**

Insinuatio quid sit in contractu donationis II 271.

Integritas confessionis est vel materialis vel formalis III 366; integr. formalis semper necessaria, non item materialis *ib.*; integr. se extendit ad speciem infimam peccatorum, ad eorum numerum et ad circumstantias speciem mutantes 367sqq.; actus externus peccati est accusandus 373; item effectus externus praevisus 374; num peccata dubia sint accusanda 375; causae excusantes ab integritate materiali sunt impotentia physica et moralis 378sqq.; media ad integritatem confessionis obtinendam 383sqq.

Intellectus prout est donum Spiritus Sancti I 448; prout est virtus intellectualis 457; prout est pars integralis prudentiae 631.

Intemperantia v. **Temperantia.**

Intentio in genesi actus humani I 34; int. necessaria ad legis adimpletionem 223; int. ministri sacramentorum III 62; divisiones 63; ad sacramenta suscipienda sufficit aliquando intentio interpretativa, ad ea vero administranda requiritur saltem virtualis intentio *ib.*; int. faciendi quod facit Ecclesia est necessaria 66; quid si adsint duae intentiones insociabiles *ib.*; num sufficiat sola intentio externa ministri sacramentorum 67; quaenam intentio requiratur ad suscipienda sacramenta 87; non licet praesumere intentionem suscipiendi baptismi in pagano sensibus destituto 135; int. necessaria ad lucrandas indulgentias 550; int. recta est necessaria in ordinando 603.

Interdictum ecclesiasticum: eius notio III 527; divisiones *ib.*; effectus 528; cessatio *ib.*; interd. ab ingressu ecclesiae 529; interdicta hodie vigentia 530sq.

Internus actus num praecipi possit a lege humana I 182sq.; num peccatum internum reservari possit III 422.

Interpellatio coniugis infidelis requisita a privilegio Paulino III 677; obiectum eius *ib.*; dispensatio eius *ib.*

Interpres: num quis teneatur confiteri per interpretem III 365; talis interpres obligatur ad sigillum confessionis *ib.*; quomodo talis confessio possit prudenter fieri *ib.*

Interpretatio legis quid sit I 227; quotuplex sit 228; regulae observandae in interpretatione legis 230; dispensationis 262; privilegiorum 266.

Interpretativa intentio quid sit III 63; num sufficiat in ministrante 66, in suscipiente sacramenta 87.

Interrogationes a confessario faciendae debent esse moderatae, discretae, opportunae III 435; interrog. de consuetudine et occasione peccandi 370.

Interruptio: tot sunt peccata, quot sunt voluntatis actus mali moraliter interrupti I 378; interr. formae quandonam reddat sacramentum invalidum III 20; interr. Officii divini II 575, Missae 304, actus coniugalis 710.

Interstitia servanda inter singulas ordinationes III 600.

Inventarium: acceptare hereditatem sub beneficio inventarii II 278.

Inventor rei amissae ad quid teneatur ex iure naturali II 48, ex nonnullis iuribus

civilibus 50 sqq.; inventor alicuius operis industrialis quaenam iura habeat in foetus proprii ingenii 8.
Invidia: eius notio I 421; eius malitia 422; eius filiae 423; eius remedia 424; invidia fraternae gratiae est peccatum in Spiritum Sanctum 360.
Invocatio sanctorum II 344, infantium post baptismum mortuorum *ib.*, animarum in purgatorio *ib.*; num invocatio sanctorum non solum licita, sed etiam necessaria sit 345.
Involuntarium quid sit et quomodo distinguatur a non-voluntario I 56.
Ira quid sit ut passio I 84, ut vitium capitale 429; malitia irae, i. e. iracundiae 430; eius filiae 431; eius remedia 432.
Ironia est species mendacii II 167.
Irregularitas: eius notio III 609, divisio 610; condiciones ad incurrendam irregularitatem requisitae 611; ignorantia non excusat *ib.*; cessatio 612; quis dispensare possit 613; irregularitates ex defectu 614 sqq., ex delicto 620 sqq.
Irreligiositas quid sit II 500.
Irreverentia v. **Reverentia.**
Irrisio reducitur ad contumeliam II 184; aliquando est actus virtutis eutrapeliae *ib.*
Irritans lex I 213 sqq.
Irritatio voti quid sit II 411; quinam directe, quinam autem indirecte irritare valeant vota 416 sq.; effectus irritationis tum directae tum indirectae 412 sq.; irrit. iuramenti 454; irrit. contractus 251.
Iteratio sacramentorum quandonam sit licita aut necessaria III 21; publicationum matrim. 735.
Iubens v. **Iussio.**
Iubilaeum quid sit III 559; iubil. ordinarium et extraordinarium *ib.*; condiciones requisitae 560; facultates speciales durante iubilaeo 561; suspensio gratiarum durante iubilaeo 562; si quis in confessione a iubilaeo praescripta sacrilegium commisit, reservatio casus accusati non est ablata 428.
Iudaei non sunt violenter impellendi ad fidem catholicam I 511; possunt tamen cogi, ne cultum catholicum impediant *ib.*; communicatio civilis cum eis hodie videtur esse licita 523; quandonam eorum filii possint baptizari III 128.
Iudex: eius scientia necessaria II 153; tenetur iudicare iuxta leges iustas *ib.*; num teneatur ad restitutionem, si illegitime absolvit reum a mulcta solvenda *ib.*; potestne iudicare iuxta leges manifeste iniustas 154 et III 897; in dubio iudex debet favere reo II 156; non potest licite acceptare a litigantibus munera 157; num semper teneatur iudicare iuxta allegationes testium 158.
Iudicium temerarium quid sit II 199; eius malitia 200; quomodo in praxi eius gravitas sit iudicanda 201; iudicii defectus in iuramento quale sit peccatum II 458.
Iuramentum v. **Iusiurandum.**
Iurati iudices v. **Iudex.**
Iuridica culpa quid sit et quandonam inducat obligationem restitutionis I 92 98.
Iurisdictio quid sit III 406; debita ad licite distribuendam eucharistiam 219; divisiones 407; quibus competat iurisdictio ordinaria 409; iurisd. delegata quomodo acquiratur et cesset 411; iurisd. putativa quid sit 413; quandonam Ecclesia suppleat iurisdictionem *ib.*; num liceat absolvere cum iurisdictione dubia vel probabili 414; iurisd. confessarii regularis unde proveniat 415; iurisd. ad absolvendos regulares et religiosas 416 sq.; restrictio iurisdictionis quoad personas, locum, tempus, peccata 418; vide etiam **Reservatio casuum**; quomodo iurisdictio prohibeatur excommunicatis toleratis et vitandis 504; qui impediunt exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, excommunicantur 510; iurisd. ordinaria et delegata ad conferendos ordines 597.
Ius: diversae eius acceptiones II 1; eius relatio ad legem *ib.*; omne ius derivatur a lege aeterna *ib.*; divisiones 2; ius gentium quid sit 4; obiectum iuris 6; ius testandi fundatur quidem in iure naturali, sed determinatur a iure civili 274.
Iusiurandum: eius notio II 437; divisiones 438; eius honestas 439; condiciones requisitae ad validum et licitum iusiurandum 441 sq.; obligatio iurisiurandi 448; num votum magis obliget quam iusiurandum *ib.*; obligatio iurisiurandi fidelitatis 451; interpretatio 453; cessatio iurisiurandi promissorii 454; quinam iurare prohibeantur 455; laesio iurisiurandi 456; iusiurandum additum contractui 265.
Iussio quid sit et quomodo differat a mandato II 101; quomodo inducat obligationem reparandi damnum causatum *ib.*
Iustitia quid sit II 70; eius partes subiectivae 71; eius partes integrales 72; eius partes potentiales 73; eius laesio est peccatum mortale ex genere suo 74; eius laesio quandonam inducat obligationem restituendi 203.

K

Kalendarium v. **Calendarium.**
Kantianismus in re morali v. **Rationalismus.**
Kartell v. **Monopolium** II 301 *nota.*

L

Labor num sit necessarius unicuique I 569; quinam sit prohibitus diebus festivis II 492; quinam excuset a ieiunio 665.
Lactare prolem: qualis sit obligatio matris II 588.

Lacticinia diebus ieiunii et abstinentiae II 654.
Laicus potest in extrema necessitate administrare eucharistiam III 40; exsistens in statu peccati mortalis et administrans baptismum necessitatis non peccat mortaliter 57; nequit valide audire confessionem sacramentalem, quare sic dicta confessio laicalis olim usitata est abolenda 405.
Lampades: plures vel saltem una die noctuque perpetuo colluceant ante tabernaculum ss. sacramenti III 226; hoc praeceptum est per se grave *ib.*; ad nutriendam lampadem generatim utendum est oleo olivarum, potest tamen episcopus permittere etiam alia olea *ib.*; immo potest loco huius lampadis adhiberi lux electrica *ib.*
Latria cui sit exhibenda II 386.
Laxa conscientia v. **Conscientia.**
Laxismus ut systema morale quid doceat I 343; eius defensores *ib.*
Lectio pravorum librorum inducit grave periculum fidei I 530; quandonam puniatur excommunicatione III 508.
Lectoratus qualem potestatem tradat III 589; eius materia et forma 592; aetas requisita 605; scientia requisita 606.
Legalis iustitia II 71; consensus legislatoris ad validam consuetudinem necessarius I 278; legale praemium est titulus foeneris percipiendi II 288.
Legatum est vel stricte dictum vel fidei commissum II 275; num legata testamenti informis pro piis causis facta obligent in conscientia 277.
Legentes libros prohibitos quas poenas incurrant III 508; quid sit materia levis in tali lectione *ib.*
Legislator quomodo subiciatur propriis legibus I 191 sq.
Legitima pars heredum v. **Pars legitima.**
Legitimatio filii illegitimi III 893.
Lenitatis defectus ut est irregularitas III 619; excessus lenitatis opponitur virtuti clementiae II 710.
Lex quid sit I 142; quattuor eius actus 145; eius divisiones 146; lex aeterna quid sit et quomodo omnes aliae leges ab ea derivari debeant 149 sq.; lex naturalis quid sit 151; eius exsistentia 152; eius obiectum 153; eius proprietates 154; quomodo sit immutabilis et indispensabilis 155; quomodo possit ignorari 157 sq.; lex divina positiva Novae et Veteris Legis 159 sqq.; quomodo dispensari valeat in hac lege 164; legis humanae (ecclesiasticae) auctores 166 sqq.; obiectum legis humanae 181 sqq.; quinam subiciantur legi humanae 186 sqq.; promulgatio et acceptatio legis 200 sqq.; obligatio legis humanae 205 sqq.; lex poenalis quid sit et quomodo obliget 209 sqq.; lex irritans: eius notio 213; eius effectus 214 sq.; lex fundata in falsa praesumptione 216 sqq.; modus et tempus adimplendi legem 221 sqq.; interpretatio legis 226 sqq.; cessatio legis 234 sqq.; dispensatio 238 sqq.; privilegium 263 sqq.; lex civilis eiusque obligatio 284 sqq.
Liber status quomodo ante matrimonium sit probandus III 756.
Liberalitas ut est virtus specialis II 615; vitia opposita 616.
Libertas humana (liberum arbitrium) quid sit et quotuplex I 50; eius exsistentia probatur 51; libertas sic dicta conscientiae 302; lib. cultus 511; poenae contra violatores libertatis eccl. 510.
Liberum quid sit I 50; quotuplex sit *ib.*; quomodo distinguatur a voluntario 49.
Libri pravi causant vehemens periculum fidei I 530; cooperatio ad libros pravos edendos et divulgandos 623; quinam libri sint prohibiti sub excommunicatione III 508; actiones circa libros prohibitos, quae excommunicatione puniuntur, sunt lectio, retentio, impressio, defensio *ib.*
Licitatio v. **Venditio sub hasta.**
Ligamen prout est impedimentum matrimonii III 805 sq.; poenae contra violantes impedimentum ligaminis 807.
Linteamina Missae: eorum lotio III 300.
Liquidum diebus ieiunii quale sit permissum II 662.
Litaniae num sint recitandae in Officio divino II 361; lit. approbatae pro officiis liturgicis 381.
Lites exortae ut causa dispensationis matrimonialis III 871.
Litigium: eius notio II 614.
Litterae: num et quomodo peccet legens litteras alienas II 181; litt. testimoniales et dimiss. III 598; matrimonium contractum per litteras 660; quomodo scribendum sit ad S. Poenitentiariam pro obtinenda dispensatione matrimoniali 878; litt. «perinde valere» 883.
—— **Apostolicae:** si quis libros per eas prohibitos legit, incurrit excommunicationem III 508; falsarii Litterarum Apostolicarum incurrunt excommunicationem 511.
Locare domum meretricibus aliisque pravis hominibus quandonam sit licitum I 622.
Locatio: quid sit contractus locationis II 303; locatio rerum, operis faciendi, laboris 804; propria indoles locationis laboris *ib.*; obligationes operariorum 306, dominorum 305.
Locus sacer quinam sit I 545; locus debitus ad Missam audiendam 482, celebrandam III 293 sqq.; ad administranda sacramenta baptismi 141, confirmationis 162, communionis 212 222, confessionis 329, ordinationum 600; proclamationum matrimonialium 738.

Longanimitas: eius relatio ad patientiam II 635.
Loquelae defectus quandonam excuset ab integritate materiali confessionis III 379; quandonam inducat irregularitatem 616.
Loteria quando sit licita II 320.
Lotio prima corporalium et purificatoriorum facienda est a subdiacono III 300; aqua lotionis est in sacrarium proicienda *ib.*; moniales indigent speciali licentia S. Congr. Rituum, ut possint hanc primam lotionem peragere *ib.*
—— **stomachi** non laedit ieiunium eucharisticum III 199.
Lucrum a filiisfamilias acquisitum et retentum quomodo sit peccaminosum II 28; lucrum cessans est titulus foeneris percipiendi 287.
Ludus quid sit II 316; moralitas ludi recreativi 317; ludi contractus 318; ludi ex iure ecclesiastico prohibiti 319.
Lumen v. **Candelae, Cerei, Electrica lux, Lampades.**
Lunula ostensorii ex qua materia sit conficienda et an sit benedicenda III 227.
Luxuria sumitur in sensu lato et stricto II 681; luxuria stricte sumpta et directe volita est peccatum mortale ex toto genere suo 682 et I 420; indirecte volita admittit parvitatem materiae II 683; effectus luxuriae 684; peccata eius interna 685 sqq., externa 690 sqq.; luxuria sacrilega v. **Sacrilegium.**

M

Macula peccati quid sit I 392; qualis macula producatur a peccato veniali 393.
Magia quid sit II 517; magia alba licita, magia nigra illicita 518.
Magister: eius obligationes II 597.
Magnanimitas est virtus specialis II 626; eius relatio ad humilitatem 628; eius proprietates 629; eius vitia opposita 639.
Magnetismus quid sit eiusque moralitas II 519.
Magnificentia est virtus specialis annexa fortitudini II 630 sq.; eius relatio ad liberalitatem 632; eius vitia opposita 640.
Mala fides impedit praescriptionem II 62; possessor malae fidei eiusque obligationes 216 sqq.; quomodo mala fides vitiet dispensationes matrimoniales III 883.
Maledictio quid sit et quandonam sit illicita II 534.
Malefactores possunt a publica auctoritate licite occidi et cruente puniri II 118.
Maleficium continet duplicem malitiam, nempe contra religionem et contra caritatem II 518.
Malitia peccati in quo formaliter consistat I 359; peccata malitiae quaenam vocentur 360.
Mandatum in quantum causat iniustam damnificationem II 101; in quantum est contractus gratuitus 283; obligatio standi mandatis Ecclesiae in absolutione censurae III 426 et 496.
Manipulus sub levi praescribitur sacerdoti dicenti Missam III 298; clericus pro subdiacono serviens in Missa sollemni non potest portare manipulum 300.
Mansuetudo est virtus annexa temperantiae II 709; ei opponitur ignavia et iracundia *ib.*
Manuales Missae quaenam sint proprie vel ad instar III 271; quomodo dicendae vel aliis committendae sint 266.
Manus: munus a manu in simonia II 556; manus impositio in confirmatione etc. vide **Impositio manus**; manus violentas inicere clerico II 541, III 509 523.
Mappae tres ex lino vel cannabe confectae et rite benedictae necessariae sunt in altari, in quo Missa dicenda est III 297; benedictio requiritur sub levi *ib.*; celebrare Missam sine ulla mappa altaris est grave peccatum *ib.*
Maritus: eius potestas administrandi bona familiae II 16; irritandi vota uxoris et filiorum 417 sqq.; eius obligationes et iura 591.
Martyrium: quaenam ad illud requirantur II 623; eius efficacia et effectus 624; aureola martyribus donata *ib.*
Masochismus II 707.
Massonica secta prohibetur sub poena excommunicationis III 516; quinam sub hac censura cadant *ib.*; modus agendi in confessione cum membris sectae vetitae *ib.*; massones notorii non possunt admitti ut patrini in sacramento baptismi aut confirmationis, neque supultura ecclesiastica donari I 513.
Mater: eius obligationes quoad prolem II 587 sqq.; procurans abortum est excommunicata 142.
Materia gravis vel levis in peccato I 364; in furto duplici sensu sumitur II 80; in re sacramentaria III 7; proxima et remota in sacramentis 8; necessitas eius 9; immutabilitas 10; quandonam habeatur mutatio substantialis et accidentalis 11 sq.; etiam accidentalis mutatio materiae est peccaminosa, si fit sine sufficienti causa 15; simultas materiae et formae necessaria in sacramentis 16; certitudo materiae in sacramentis 18; repetitio materiae in sacramentis 21.
Matrimonium: utilitas et necessitas tractatus de matrimonio III 625; definitio nominalis 627; definitio realis 628; in matrimonio christiano contractus a sacramento non est dissociabilis *ib.*; essentia matrimonii non consistit in copula maritali 631, sed in mutuo consensu maritali

632; obiectum materiale et formale contractus matrimonialis 633; contractus matrimonialis est contractus sacer 634, bilateralis et nequit claudicare 635; necessitas et honestas matrimonii 637; divisiones 638 sqq.; matrim. christianum est verum sacramentum 642, institutum a Christo 645; ad solam Ecclesiam pertinet iudicare de omnibus, quae essentiam matrimonii christiani attingunt 646 sqq.; potestas civilis non solum potest et debet ferre statuta de effectibus temporalibus matrimonii, sed etiam de ipso matrimonio non baptizatorum 648 651; matrim. inter non baptizatos vel inter partem baptizatam et non baptizatam contractum non est sacramentum 649; materia et forma matrimonii 654 sq.; qualitates consensus maritalis 636; matrim. contractum sub condicione 661; minister sacramenti matrimonii 665 sqq.; subiectum validi et liciti matrimonii 667 sq.; proprietates matrimonii 669 sqq.; unitas *ib.*; indissolubilitas 672; matrim. christianum consummatum est omnino indissolubile *ib.*; matrim. infidelium potest dissolvi per privilegium Paulinum 675; matrim. ratum non consummatum potest dissolvi per dispensationem Summi Pontificis et per sollemnem professionem religiosam 681 sqq.; divortium imperfectum potest fieri propter adulterium carnale 689, propter adulterium spirituale 690, propter periculum grave animae vel corporis 692 sq., ex mutuo consensu 693; matrimonii bona 694 sqq.; matrimonii obligationes 700; debitum coniugale: eius liceitas et obligatio 700 sqq.; matrimonii praeparatio per sponsalia, examen sponsorum et proclamationes 716 sqq.; matrimonii celebratio externa 743 sqq.; celebratio matrimonii in mortis periculo 763, in locis ubi sacerdos haberi nequit 764; matrimonii impedimenta 767 sqq.; eorum cessatio 861; clerici et religiosi matr. attentantes 816.

Matrimonium civile III 894; quomodo distinguatur *ib.*; inter christianos initum non agnoscitur ab Ecclesia 895; num christiani possint caeremoniam matrimonii civilis peragere 896; effectus matrimonii civilis 897; num magistratus possit assistere matrimonio civili 898.

Matrimonium conscientiae III 639.

Matrimonium mixtum v. **Mixta religio.**

Matutinum: qualis sit obligatio illud privatim vel choraliter recitandi ante celebrationem Missae II 373, III 291.

Medicus nequit adhibere remedia minus secura relictis tutioribus I 333; medicus iniuste aliquem liberans a servitio militari 300; ligatur secreto commisso II 175; quandonam incurrat irregularitatem III 621.

Medium rei et rationis in virtutibus I 462; necessitas medii 495.

Memoria ut est integralis pars prudentiae I 631; mem. peccatorum auditorum qualis sit necessaria confessario III 387.

Mendacium quid sit II 166; eius divisiones 167; eius malitia 169; quale peccatum sit mentiri in confessione III 364.

Mendicantes pauperes ficti quomodo peccent I 598; quando excusentur mendicantes a lege ieiunii et abstinentiae II 665.

—— **ordines religiosi**: eorum privilegia quoad diversas dispensationes I 243 sqq.

Mensa nummularia: licet ibi ponere pecuniam ad obtinendum foenus sive ex obligationibus sive ex actionibus II 289; mensa communis ut titulus ordinationis III 607.

Mercatura quaenam sit prohibita diebus festivis II 493; in stipendiis Missarum III 273; num liceat vendere res malas, ut libros pravos, imagines obscoenas etc. I 623.

Merces operariorum est vel individualis vel familialis II 308; qualis merces sit iusta *ib.*

Meretricium reducitur ad fornicationem II 698; num mulier possit retinere pretium ex meretricio obtentum 253; num liceat locare domum meretrici I 622.

Meridies: num liceat post meridiem communionem distribuere III 222, dicere Missam *ib.* et 290.

Meritum actus humani quid sit I 136; quotuplex sit 137; condiciones requisitae ad meritum 139; quid mereri possimus 140; merita Christi et sanctorum in quantum influant in indulgentias III 541.

Metus quid sit I 67; eius divisiones 68; eius influxus in moralitatem actuum humanorum 69; leges positivae non solent obligare sub gravi metu 70; quomodo influat in validitatem contractuum 71 et II 258; in votum II 397; prout excusat a censuris III 487; metus prout est impedimentum matrimonii 794 sqq.

Militares personae nequeunt duellum acceptare ad honorem salvandum II 123; eorum obligationes et iura in bello 127; quantum ad praedam capessendam 47; quantum ad iuramentum fidelitatis 451; milites conscripti (mobilisati) ante bellum possunt absolvi sicuti fideles exsistentes in periculo mortis III 424 *nota*; militares capellani seu parochi castrenses solent habere iurisdictionem ordinariam personalem quantum ad assistentiam matrimonii 748; num teneantur applicare Missam pro suis subditis 254.

Militia peragenda a lege civili praescripta quomodo obliget I 296; quomodo fraudulenta subtractio a militia peragenda inducat obligationem restitutionis 300.

Minister sacramentorum: solus homo viator isque legitime deputatus aut etiam consecratus est minister sacramentorum III 53; non requiritur ad *validam* administra-

tionem sacramentorum neque fides neque probitas in ministro 55; quomodo peccet minister administrans sacramentum in statu peccati mortalis 56; quot peccata committat minister, qui in statu peccati mortalis exsistens administrat plura sacramenta 58; quaenam attentio sit necessaria 61; qualis intentio sit necessaria 65 sq.; minister numquam potest administrare sacramentum incapaci 75, neque indigno nisi ex gravissima causa 76; per se non licet petere sacramenta a ministro indigno 88; num catholicus rogatus possit advocare ministrum haereticum pro moribundo haeretico I 526. Quaenam requirantur in ministro singulorum sacramentorum vide singula sacramenta.

Minorennis quoad dominium rerum et quoad proprium salarium II 28 sqq.; quoad irritationem suorum votorum 419; quoad facultatem contractus ineundi 254; eorum bona solent esse impraescriptibilia 59.

Misericordia quid sit I 587; opera corporalia et spiritualia misericordiae *ib.*

Missa est verum sacrificium atque cruenti sacrificii crucis realis exhibitio incruenta III 230; soli Deo offertur, sed in honorem sanctorum potest offerri *ib.*; essentia Missae in quo consistat 231; nomen Missae 234; valor Missae 235 244; eius effectus quinque 236; eius fructus 237; diversi offerentes 238; dignitas Missae 239; limitatio fructuum Missae unde proveniat 240; modus producendi effectus 241; distinguitur fructus generalis, specialis, specialissimus et ministerialis Missae 243; valor Missae a malo sacerdote celebratae 244; applicatio Missae 245 sqq.; ad sacrificium complendum potest Missam dicere non ieiunus 201; obligatio celebrandi Missam ratione sacerdotii suscepti 251; gravitas et tempus huius obligationis 252; obligatio celebrandi Missam ratione officii pastoralis 254; obligatio celebrandi Missam ratione beneficii 259; Missae fundatae nequeunt reduci ab episcopo 261; obligatio Missae dicendae ratione stipendii 262 sqq.; liber et tabella Missarum 276; permutatio Missarum 277; pro Missa neosacerdotis probabiliter nequit sumi stipendium, secus est de tribus Missis votivis ex iniunctione episcopi dicendis 278; obligatio Missae dicendae ratione promissionis 279, ratione oboedientiae 280; superiores religiosi possunt subditis praescribere Missam applicandam *ib.*; Missa ultimo triduo hebdomadae sanctae 281; plures Missae dicendae eodem die 284; facultas binandi 286; ritus observandus in binatione 289; hora Missae celebrandae 290; Matutinum recitandum ante Missam 291; tempus adhibendum pro Missae celebratione 292; locus celebrationis 293; sacra utensilia necessaria ad celebrandum 297 sqq.; ritus in celebratione observandus 302 sqq.

Missa audienda a fidelibus: gravitas huius praecepti II 476; quinam illud observare teneantur *ib.*; requiritur praesentia corporalis 477, durante integra Missa 478; quaenam materia sit levis *ib.*; possitne satisfieri per partes plurium Missarum 479; requiritur assistentia religiosa 480, nempe debita intentio et attentio *ib.*; debitus locus, scil. ubi sit audienda Missa 482 sqq.; causae excusantes 486.

Missale cum cussino vel parvo pulpito requiritur ad Missam dicendam III 297.

Mixta religio est impedimentum prohibens matrimonii III 777; moralitas matrimonii mixti 778; munus parochi et confessarii quoad matrimonia mixta vitanda 779; dispensatio huius impedimenti 780; condiciones requisitae 781; ritus observandus in celebratione matrimonii mixti 782; proclamationes faciendae 735; matrimonium mixtum clandestine contractum quomodo sit tractandum 783; excommunicatione puniuntur ii, qui coram ministro acatholico matrimonium contrahunt 783; periculum matrimonii mixti est causa canonica dispensationis matrimonialis obtinendae 873; sponsalia inita, si contrahentes sunt mixtae religionis, num sint valida 722.

Moderamen inculpatae tutelae quid sit II 120; eius laesio *ib.*

Modestia: diversae eius acceptiones II 711 717.

Mohatra quid sit II 288 *nota.*

Mollities v. **Pollutio.**

Moneta falsificata v. **Pecunia.**

Moniales, i. e. omnes mulieres religiosae cum votis publicis, possunt valide et licite confiteri apud quemlibet confessarium pro utroque sexu approbatum, quoties extra propriam domum (quavis de causa) versantur III 417; neque superiorissa id prohibere neque ea de re inquirere potest *ib.*; debent quidem accedere ad confessarium extraordinarium illis concessum, sed non tenentur confiteri apud eum *ib.*; possunt exigere, ut etiam confessarius specialis advocetur ad audiendam ipsarum confessionem, dummodo adsit rationabilis causa *ib.*; moniales clausuram violantes III 517; mon. attentantes matrimonium 515 523.

Monitio quam debet facere confessarius III 436; monitio paterna, canonica, legalis facienda a superioribus ecclesiasticis 480; quomodo debeat fieri monitio canonica ante censuram ferendam *ib.*

Monopolium quid sit II 301; legale et privatum num sit licitum *ib.*

Mons pietatis quandonam committat iniustitiam II 289.

Monstrum utrum et quomodo sit baptizandum III 132.
Moralitas quid sit I 99; falsae sententiae circa normam moralitatis 100sqq.; divisiones seu species moralitatis 109; principia seu fontes eius sunt obiectum, circumstantiae et finis 110 sqq.; moralitas actus externi et eventus sequentis 132sqq.
Morbus contagiosus v. **Contagio.**
Moribundus v. **Mortis articulus.**
Morphium v. **Narcotica remedia.**
Mortale peccatum quid sit I 361; eius existentia 362; condiciones requisitae 364; peccatum mortale ex genere suo et ex toto genere suo *ib.*; effectus peccati mortalis 392; peccatum mortale est materia necessaria sacramenti poenitentiae III 321; praerequiritur ad censuram proprie dictam 484.
Mortis articulus seu periculum quoad baptismum III 135; quoad viaticum 188 202; quando excuset ab integritate confessionis 379; in eo quilibet sacerdos potest absolvere ab omnibus peccatis et censuris 326 424 494; benedictio papalis in articulo mortis, eius condiciones et effectus 563; quoad extr. unctionem 577; assistentia in matrimonio 763; dispensatio ab omnibus impedimentis matrimonialibus (exceptis duobus) iuris ecclesiastici *ib.* et 866 sq.
Mortis declaratio pro novo matrimonio ineundo III 806.
Mortis desiderium potest esse quid licitum, illicitum, imperfectum II 116.
Mortuorum sacramenta quaenam sint et quid producant sive per se sive per accidens III 33.
Motiva credibilitatis quid sint I 486.
Motus carnales seu venerei: eorum moralitas II 690.
Mulcta v. **Poena.**
Mulieres: earum ornatus quandonam scandalum praebeat I 613; earum emancipatio II 593. Vide etiam **Mater, Uxor.**
Munera publica inique distribuere quomodo inducat obligationem restitutionis II 99.
Munus a manu, lingua, obsequio in simonia II 556.
Mustum est quidem materia valida, sed graviter illicita in eucharistia conficienda III 173.
Mutatio quaenam sit gravis in horis canonicis II 370; in sacramentorum forma et materia III 11.
Mutilatio sui semper est illicita, nisi adhibeatur ad vitam corporalem salvandam II 115; mutil. malefactoris in quantum est cruenta punitio licita 117; mutil. in quantum inducit irregularitatem III 621; illi qui mutilant Cardinales aliosque principes Ecclesiae, excommunicantur 509.
Mutus ut cooperator iniustus II 109; num debeat scripto confiteri III 365; quoad preces praescriptas pro lucrandis indulgentiis 556; est irregularis 616.
Mutuum: contractus mutui quid sit II 284; num et quandonam liceat foenus sumere in contractu mutui 285.
Mysteria fidei credenda I 499 sqq.

N

Narcotica remedia quandonam sint licita II 672.
Natalium defectus ut irregularitas III 614. Vide etiam **Illegitimi filii.**
Nativitatis D. N. I. Ch. festo quilibet sacerdos potest, sed non tenetur dicere tres Missas III 284; pro qualibet Missa licet stipendium accipere *ib.*; sacerdotes caecutientes, qui habent privilegium dicendi quotidie Missam votivam, possunt ter dicere hanc Missam votivam *ib.*; num liceat ipsa nocte dicere tres Missas privatas *ib.*; quomodo liceat communionem distribuere nocte Nativitatis 222; in Vigilia Nativitatis est ieiunium gaudiosum II 656; die Nativitatis fideles non tenentur nisi uni Missae assistere 478.
Naturalis lex v. **Lex naturalis.**
—— **filius** v. **Illegitimi filii.**
Navigantes num possint in navi Missam dicere III 295; quomodo possint absolvere et absolvi 411.
Necessitas: quomodo adiuvandus sit proximus in necessitate exsistens I 583 sqq.; quandonam extrema necessitas sit causa legitima ad auferendam rem alienam II 86 sq.; excusat a restitutione facienda 242; necess. medii et praecepti quid sit I 495; necess. excusat ab integritate materiali confessionis III 366.
Negatio fidei numquam est licita II 507.
Neglegentia ut est vitium oppositum prudentiae I 634, oppositum studiositati II 716; negleg. in diversis officiis et actibus vide singula.
Negotiorum gestio est quasi-contractus gratuitus II 283; vi istius tenetur inventor rem assumptam custodire et dominum legitimum quaerere 48.
Neoconversi debent peccata confiteri, si sub condicione baptizantur III 138; modus eos recipiendi in gremium Ecclesiae *ib.*
«Nihil transeat»: quando hoc decretum ab episcopo emittendum sit III 740.
Nocturnus dicendus a neo-ordinatis III 601.
Nomen complicis est in confessione occultandum III 381; confessarius inquirens nomen complicis graviter peccat *ib.*
Nomen Dei in vanum assumere est peccatum veniale II 535.
Notorietas iuris et facti III 768.
Numerica distinctio peccatorum undenam sit desumenda I 376 sqq.

Numerus peccatorum mortalium, in quantum est moraliter possibile, debet declarari in confessione III 368; qualis numerus censeatur comprehendi in particula «circiter» *ib.*; in petitione absolutionis ab excommunicatione incursa propter absolutionem complicis indicandum est, quot vicibus absolutio complicis sit attentata 459; numerus personarum, quibuscum aliquis peccavit, non est necessario accusandus 372.

Nundinae quales prohibeantur diebus festivis II 493.

Nuptiae: earum sollemnitates prohibentur tempore clauso III 772. Vide etiam **Matrimonium** et **Bigamia.**

Nuptialis benedictio altera simplex altera sollemnis num sit impertienda III 762.

O

Obex in sacramentis quid sit III 36; non impedit impressionem characteris 108.

Obiectum est principalis fons moralitatis I 112; quomodo specificet peccata 373.

Oblationes ecclesiasticae quid sint II 499.

Oblivio quae excusat a peccato I 45 365, ab integritate materiali confessionis III 379; num peccatum grave oblitum sit confitendum ante communionem *ib.*; quid agendum, si poenitens oblitus sit satisfactionis impositae 401; poenitens, qui ex inculpabili oblivione omisit peccatum reservatum in confessione apud confessarium privilegiatum, valide absolutus est 428.

Oboedientia: altera est materialis, altera formalis II 575; eius obiectum 576; eius excellentia 577; eius extensio 578; vitia opposita 579; oboed. filiorum erga parentes 583, uxoris erga maritum 592, famulorum erga heros 596, subditorum erga principes 601.

Obreptio dispensationis I 256.

Obsequium: munus ab obsequio in simonia II 556.

Observantia diei dominicae et festorum vide **Dominica** et **Festa**; observantia est specialis virtus II 574; eius distinctiones 573; eius obligationes 574.

—— **vana** est species superstitionis II 513; eius divisiones 514; eius malitia moralis 515; criteria ad illam dignoscendam 516.

Obstetrices sedulo instruendae sunt de baptismo conferendo in casu necessitatis III 123, de baptizandis foetibus abortivis 131.

Occasio peccandi quid sit III 449; remota, proxima, voluntaria, necessaria, continua, interrupta *ib.*; occasio peccandi debet manifestari in confessione 370; occasio damni num inducat obligationem restitutionis II 95.

Occasionarii possunt absolvi, si degunt in occasione remota aut proxima necessaria 450; minime autem, si recusant deserere occasionem proximam voluntariam 451.

Occisio sui ipsius II 112, iniusti aggressoris 120, innocentis 131, infantis in utero materno 134 sqq. Vide etiam **Abortus.**

Occulta compensatio v. **Compensatio**; occultus peccator petens sacramenta quomodo sit tractandus III 79 sq.; occulta impedimenta matrimonii quae sint 768.

Occupatio quid sit II 40; occup. animalium 41, thesauri 45; num ex occupatione violenta ortum sit dominium privatum 4.

Odium prout est passio I 75; prout est vitium contra caritatem Dei 564, contra caritatem proximi 573; saepe oritur ex invidia 423.

Officii S. Congregatio I 167.

Officium divinum: diversa eius nomina II 360; propositiones in hac re damnatae *ib.*; partes eius 361; quinam obligentur 362; obligatio haec est gravis *ib.*; quaenam sit materia gravis *ib.*; quandonam oriatur haec obligatio pro clericis maioristis 363, pro beneficiatis 364; Off. div. canonicorum 366, religiosorum 367; forma Officii divini 368; quaenam mutatio censeatur gravis *ib.*; debitus ordo servandus 370; locus et situs 372; tempus 373; anticipatio Matutini et Laudum *ib.*; causae excusantes a recitatione 378; quis possit dispensare 380.

Oleum recens est adhibendum in consecratione aquae baptismalis III 100; oleum olivarum benedictum necessario requiritur ad materiam confirmationis 154; oleum pro extrema unctione 571 sqq.; asservatio 572.

Omissa peccata quandonam sint confitenda III 378.

Omissio: peccatum omissionis I 360.

Onanismus est vel solitarius vel coniugalis III 710; quomodo fiat onanismus coniugalis *ib.*; eius malitia moralis 711; cooperatio ad onanismum quandonam sit licita 712 sq.; media ad cavendum onanismum coniugalem 714; quomodo confessarius debeat agere cum coniugibus onanistis 715.

Oniromantia quid sit II 507; unde somnia proveniant *ib.*

Operarii: eorum obligationes in contractu conductionis II 306.

Operatio chirurgica v. **Chirurgica operatio.**

Operistitium quandonam sit licitum II 307.

Opifices quantum ad associationes interconfessionales I 523, ad observationem diei dominicae II 486 495, ad observationem ieiunii et abstinentiae 665.

Opinio: notio I 328; confessarius non est iudex opinionum 352.

Opium v. **Narcotica remedia.**

Oppressio mulieris v. **Stuprum.**

Opus operatum est expressio theologica habens duplicem significationem III 36.
Oratio: diversae acceptiones II 331 sq.; est actus religionis *ib.*; quid intendamus orando 333; subiectum remotum et proximum orationis 334 sqq.; divisiones orationis: mentalis, vocalis, publica, privata etc. 336 sqq.; quae in oratione peti possint 338; pro quibus sit orandum 340; ad quem orationes nostrae sint dirigendae 343; oratio est necessaria necessitate medii et praecepti 346; quandonam obliget praeceptum orandi 347; effectus primarii et secundarii orationis 349 sqq.; condiciones ad efficaciam orationis requisitae 352 sqq.; oratio Dominica num debeat ab omnibus cognosci I 501.
Oratorium publicum, semipublicum et privatum quid sint II 483 sqq.; quinam satisfaciant praecepto dominicali in oratorio privato 485; num quis teneatur uti privilegio oratorii privati, si secus Missam praeceptam nequit audire *ib.*; licet distribuere communionem in oratoriis privatis III 222; sed ibi non licet binationem facere 286; quandonam episcopus possit concedere oratorium privatum 293, vel ut Missa dicatur in domo privata *ib.*; quinam habeant privilegium oratorii privati 295.
Ordalia quid sint et num fuerint licita II 510.
Ordinandi III 602 sqq.
Ordinaria iurisdictio quibusnam competat III 409 411.
Ordinarius: quinam nomine ordinarii comprehendantur III 749; eius licentia requiritur pro matrimonio vagorum 760.
Ordo naturalis et **supernaturalis** quid sit I 25; omnes actus humani debent referri in ordinem supernaturalem, ac proinde existere nequit peccatum mere philosophicum *ib.*
Ordo caritatis quoad personas diligendas I 579 sqq.; quoad bona diligenda 583 sqq.
—— **restitutionis** faciendae a pluribus cooperatoribus II 227; inter diversos creditores 236.
—— **servandus in horis canonicis** II 371.
Ordo ut est **sacramentum** sumitur vel active pro ipsa ordinatione vel passive pro potestate collata III 585; ordo active sumptus est verum sacramentum *ib.*, a Christo institutum *ib.*; licet distinguantur plures ordines, quibus competit character sacramentalis, tamen omnes ordines constituunt unum totum potestativum 587; num quattuor ordines minores sint sacramenta *ib.*; prima tonsura non est ordo *ib.*; effectus ordinis in genere 588, in specie 589 sq.; materia et forma ordinis 592 sqq.; minister ordinarius et extraordinarius validae ordinationis 596; quaenam requirantur in ministro licitae ordinationis 597 sqq.; subiectum ordinationis 602 sqq.; qualitates ordinandi 602 sqq.; ordo sacer, prout est impedimentum matrimonii 817.
Organum: eius usus in ecclesiis II 464; haereticus potest temporarie exercere officium organistae in ecclesia catholica I 524, non autem vicissim catholicus in templo haeretico 526.
Orientalis ritus v. **Ritus.**
Ornatus mulierum I 613; orn. productus a sacramentis III 37; orn. altaris 297; orn. sacerdotis dicentis Missam 298.
Orphanotrophium: num illi sit restituendum, si quis clam mittit ibi prolem propriam II 148.
Oscula quandonam sint peccata II 693.
Ostensorium v. **Lunula ostensorii.**
Ostiariatus qualem potestatem tradat III 589; eius materia et forma 592; aetas requisita 605; scientia requisita 606.
Otium: num ad otium vitandum licet perficere leves labores diebus festivis II 496.
Ovariotomia num causet impedimentum impotentiae aut usum matrimonii reddat illicitum III 810 *nota.*

P

Palla ad Missam necessaria debet esse confecta ex lino vel cannabe, saltem in ea parte, quae tangit calicem III 299; in altera parte potest aureis aut sericis ornamentis operiri *ib.*
Palpo quis sit et quandonam teneatur ad restituendum damnum causatum II 106.
Panis triticeus est materia necessaria eucharistiae III 170; requiritur panis azymus in Ecclesia latina et panis fermentatus in Ecclesia orientali 171; non nisi in duobus casibus potest sacerdos latini ritus consecrare panem fermentatum *ib.*; fideles possunt etiam solius pietatis causa eucharistiam sumere in pane vel azymo vel fermentato *ib.*; num micae panis in pyxide sint consecratae 175.
Papales casus sine censura et cum censura III 421; absolutio casuum papalium 425.
Paramenta sacra v. **Utensilia sacra.**
Paraphernalia bona uxoris II 17.
Parasceve: num liceat isto die distribuere communionem III 222; dicitur dies aliturgicus, quia non fit consecratio hostiae 282; pro Missa praesanctificatorum in Parasceve non licet sumere stipendium 233. Vide etiam **Hebdomada Sancta.**
Parentes: officia eorum erga filios II 585 sqq.; nequeunt extra casum necessitatis licite baptizare propriam prolem III 122, neque gerere munus patrini 145; quomodo teneantur reparare damna a filiis causata II 110; quomodo possint irritare vota

filiorum 417; num eorum dissensus sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia III 728.

Parlamentum v. **Deputati.**

Parochus quid valeat circa relaxationem legis ecclesiasticae I 244; eius ius privativum est baptizare subditos III 120; non est ius paroeciale recipiendi pueros ad primam communionem 212; par. tenetur diebus dominicis et festivis Missam applicare pro populo sibi credito 254; num parochi castrenses habeant eandem obligationem *ib.*; parochi obligatio applicandi Missam est gravis, personalis et localis 258; quandonam binationem facere possit et debeat 287; par. habet iurisdictionem ordinariam audiendi confessiones suorum subditorum, quas proinde ubique terrarum audire potest 410; parochi castrenses num habeant iurisdictionem ordinariam *ib.*; par. nequit ferre censuras auctoritate propria 478; par. competens quoad celebrationem sponsalium 724, quoad celebrationem matrimonii 747 sqq.

Pars (portio) legitima hereditatis quid sit II 273; testator non tenetur ad restitutionem, si heredibus partem legitimam subtraxerit 281.

Parsimonialia bona clericorum II 37.

Participans vel in praeda vel in iniusta actione quomodo ad restitutionem teneatur II 108; num aliquando liceat materialiter participare in alterius actione damnificativa *ib.*

Particulae eucharisticae v. **Species eucharisticae.**

Parvificentia ut vitium oppositum magnificentiae II 640.

Paschalis communio praescripta est a lege partim divina, partim ecclesiastica III 212; parochi et confessarii possunt in casu particulari prorogare communionem paschalem *ib.*; qui sine gravi causa differt communionem paschalem, peccat graviter *ib.*; qui neglexit communionem paschalem, debet illam quam primum suscipere *ib.*; praecepto paschali non satisfit per sacrilegam communionem *ib.*; locus, quo debeat sumi communio paschalis *ib.*; qui tempore paschali sumpsit viaticum, censetur satisfecisse praecepto annuae communionis *ib.*; communio paschalis ordinarie non sufficit ad lucrandum iubilaeum 560; etiam die Paschatis communio potest laicis dari in ecclesiis religiosorum 220.

Passio sumitur in sensu vel Aristotelico vel Platonico I 72; sunt undecim passiones iuxta Aristotelem 73; influxus passionum in voluntarium 85.

Pastor animarum tenetur ex iustitia administrare sacramenta III 72; peccat, si se morosum exhibet in sacramentis administrandis 73; tenetur ex iure divino applicare Missam pro grege sibi credito 255; quinam censeantur in hac re pastores animarum *ib.*; dies quibus Missa applicanda est 256; haec obligatio est a) gravis, b) personalis, c) localis 258; solus pastor animarum vel eius delegatus potest licite administrare extremam unctionem 583.

Patena pro Missa necessaria debet esse intus deaurata III 299; ex quanam materia sit conficienda *ib.*

Pater v. **Parentes.**

Paternitas dubia ad quid obliget II 226.

Patientia est virtus specialis et valde necessaria II 633 sq.; relatio eius ad longanimitatem 635; media ad obtinendam illam 636; vitia opposita 641.

Patrimonialia bona clerici II 36.

Patrimonium ut est titulus ordinationis III 607.

Patrini sunt necessarii in baptismo III 144; eorum officium *ib.*; numerus eorum *ib.*; qualitates eorum 145 sq.; quinam excludantur a munere patrini *ib.*; patrini in confirmatione eorumque qualitates 163; patrini in duello excommunicantur II 124.

Paulinum privilegium quoad dissolutionem matrimonii legitimi III 675; condiciones requisitae 676; interpellatio necessaria 677.

Pauperes num habeant strictum ius ad eleemosynas I 589; quandonam excusentur ab observatione diei Dominicae II 487 496; in extrema necessitate possunt rem alienam auferre 86; quandonam liceat restitutionem faciendam tribuere pauperibus 233; pauperes ficti quomodo peccent I 598.

Peccatores publici non possunt recipere sacramenta III 79, neque sepulturam ecclesiasticam 503 et II 538; quomodo parochus eorum matrimonio assistere possit III 784; pecc. publici censentur, qui vivunt in notoria polygamia simultanea 671.

Peccatum: diversa eius nomina I 357; eius definitio 358; eius formale constitutivum 359; eius divisiones 360; peccatum mortale: eius essentia 361; eius exsistentia 362; inaequalitas peccatorum mortalium 363; condiciones requisitae 364 sqq.; eius effectus 392; peccatum veniale: eius essentia 367, exsistentia 369; eius divisiones 370; eius effectus 393; quomodo peccata distinguantur specifice 373 sqq., numerice 376 sqq.; causae peccatorum 382 sqq.; tentationes ad peccatum 385; peccata interna quid sint 394 sqq.; eorum malitia specifica 397 sqq.; peccata capitalia 406; peccata prout sunt materia remota poenitentiae vide in tractatu de poenitentia.

Peccatum originale: in Vetere Testamento exsistebat sacramentum ad tollendum hoc peccatum III 27; in Novo Testamento

deletur per baptismum 109; eius reliquiae non tolluntur 113.
Peculium clericorum: quaenam de eo sit licita dispositio II 36; quid sit peculium beneficiale *ib.*
Pecunia accepta ad celandum furtum vel crimen II 110; ut obiectum mutui 284; ut medium permutationis et mensura valoris in emptione 292; qui utitur pecunia falsificata, tenetur ad restitutionem 301.
Percussio iniusta clerici vel religiosi est sacrilegium personale II 541; punitur excommunicatione III 509 523; perc. parentum laedit pietatem II 571.
Peregrinus quis sit I 193; non tenetur legibus particularibus stricte territorialibus sui domicilii aut quasidomicilii 194, neque legibus territorialibus loci, ubi versatur (sunt tamen exceptiones) 195; tenetur legibus communibus, quae in loco commorationis observantur 196; potest uti privilegiis loci commorationis, non autem domicilii sui 197; a quo possit dispensari in legibus 248, absolvi a casibus reservatis III 429, baptismum recipere 120; quomodo possit censuris plecti 482.
Perfectio spiritualis in quo consistat, eiusque relatio ad statum perfectionis I 624.
Periculum v. **Mortis, Scandali, Peccati, Famae, Laesionis sigilli, Sortis, Matrimonii civilis periculum.**
—— **sortis** est titulus foeneris percipiendi II 287.
Periodica quandonam sub excommunicatione prohibeantur III 508.
Periurium quid sit II 456; eius malitia 457 sq.
Permixtio epularum licita II 654.
Perplexa conscientia I 317; regulae observandae *ib.*; perplexus casus v. **Casus perplexus.**
Perseverantia finalis quomodo cadat sub merito I 140; persev. ut est virtus specialis II 637; eius relatio ad constantiam *ib.*; vitia opposita 642.
Pertinacia ut est filia superbiae I 414; ut opponitur virtuti perseverantiae II 642; ut causat haeresim formalem I 514.
Petra sacra v. **Altare portatile.**
Photographia: num liceat eam peragere diebus dominicis et festivis II 490.
Piae causae in testamento II 277.
Pietas sumitur in diverso sensu II 569: prout est donum Spiritus Sancti I 451; ut specialis virtus est quaedam protestatio caritatis, quam quis habet ad parentes et patriam *ib.*; eius obiectum 570; officia pietatis 580 sqq.
Pingere penicillo vel acu num liceat diebus festivis II 490.
Piscatio v. **Venatio.**
Pisces: quid intelligatur diebus abstinentiae sub nomine piscium II 655; permixtio epularum, i. e. esus carnium et piscium diebus ieiunii permittitur 654.
Plenariae indulgentiae v. **Indulgentiae.**
Poena conventionalis in sponsalibus num solvenda sit III 720.
Poenae aeternae et temporales remittuntur omnes in baptismo III 110; quid sit poena in genere et poena ecclesiastica in specie 469; causa poenae ecclesiasticae est crimen externum 470; finis poenae ecclesiasticae *ib.*; eius divisiones 471; elenchus poenarum hodie exsistentium 472; quis possit ferre poenas ecclesiasticas 473; quinam subiciantur poenis ecclesiasticis 474; num poena a lege imposita sit subeunda ante sententiam iudicis I 212.
Poenalis lex: eius notio, exsistentia, obligatio I 209 sqq.
Poenitentia: diversae acceptiones huius nominis III 306.
—— **ut virtus** est qualitas supernaturalis a Deo infusa III 307; habet plures actus 308; subiectum eius proximum est voluntas 309, remotum est quilibet homo peccati reus vel saltem capax 310; in gehenna non datur vera poenitentia *ib.*; obiectum eius materiale est quodlibet peccatum personale 311; obiectum formale est offensa Dei expiabilis 312; virtus poenitentiae est pro peccatore necessaria necessitate medii et praecepti 313; praeceptum poenitendi obligat per se et per accidens 314; quaenam dilatio poenitentiae sit grave peccatum *ib.*; sola resipiscentia non sufficit ad poenitentiam 315.
—— **ut sacramentum:** exsistentia huius sacramenti III 317; errores circa eius exsistentiam 316; eius necessitas 318; eius definitio 319; est a Christo institutum in forma iudicii *ib.*; materia remota 320; materia necessaria 321, libera 322, certa 323, sufficiens 324; materia proxima sunt tres actus poenitentis 326; aliter sentientes de materia proxima 327; forma essentialis et rubricalis 328; obligatio caeremoniarum 329; effectus sacramenti poenitentiae sunt remissio omnium peccatorum, infusio gratiae sanctificantis, reviviscentia meritorum 335 sqq.; mutua relatio inter sacramentum et virtutem poenitentiae 338; num sacramentum poenitentiae possit esse informe 353; in ministro sacramenti poenitentiae requiritur potestas ordinis et iurisdictio 405; poenitentiae sacramentum nequit valide administrari a laico vel etiam a non-sacerdote *ib.*
Poenitentia ut pars sacramenti v. **Satisfactio.**
Poenitentiae ut infliguntur **a superiore ecclesiastico** in foro externo III 472; poenit. imponendae in exsecutione dispensationum matrimonialium 882.

Poenitentiaria, S. Romana, quomodo adeunda sit pro absolutione casuum papalium III 426, pro obtinenda dispensatione impedimenti occulti matrimonialis 865 878.
Poenitentiarius cathedralis vel collegiatae ecclesiae habet iurisdictionem ordinariam audiendi confessiones omnium dioecesanorum III 409.
Pollutio venerea quid sit II 705; eius malitia moralis *ib.*; delectationes venereae in feminis, pueris, spadonibus causatae habent malitiam pollutionis *ib.*; pollutio nocturna quomodo impediat susceptionem communionis III 197.
Pollutio ecclesiae vel loci sacri quando habeatur II 546.
Polyandria simultanea directe repugnat legi naturali III 669.
Polygamia simultanea contraria quidem est primaevae institutioni matrimonii, permittebatur autem ante Christum natum III 670; post Christum natum non solum christianis, sed omnibus est prohibita *ib.*; polygamia successiva licita est 671.
Pontifex Romanus: eius potestas legifera I 166; eius potestas declarandi legem divinam 164 241, dispensandi in omnibus legibus ecclesiasticis 241, dispensandi et irritandi vota 416 422.
Portatile altare v. **Altare.**
Positivismus moralis errat circa ultimam normam moralitatis I 104.
Possessor rei alienae est vel bonae vel malae vel dubiae fidei II 208; poss. bonae fidei quis sit 209; eius iura et obligationes 211 sqq.; poss. malae fidei quis sit 216; eius obligationes ratione rei acceptae, fructuum, damni emergentis et lucri cessantis 217 sqq.; poss. dubiae fidei quis sit et obligationes eius 221 sqq.
Praeambula fidei quid sint I 486.
Praecipitatio in agendis prout oritur ex luxuria I 420; prout opponitur prudentiae 634.
Praeda: num liceat eam capessere in bello II 47.
Praelatus religiosus v. **Superior.**
Praeparatio ad communionem per quantum tempus debeat durare III 105.
Praescriptio quid sit II 57; quomodo dividatur *ib.*; eius valor ad acquirendum dominium 58; condiciones requisitae ad legitimam praescriptionem 59 sqq.; statuta de praescriptione iuxta quaedam iura moderna 64; num sufficiat bona fides negativa ad praescriptionem liberativam 62 69; num valeant in conscientia praescriptiones biennales aliaeque breves 64; quomodo praescriptio faveat possessori bonae fidei 213.
Praesentia qualis requiratur pro consecratione eucharistiae III 175, pro absolutione poenitentis 330.
Praesumptio sumi potest in diversis sensibus I 549; prout opponitur virtui spei *ib.*; eius causae et remedia *ib.*; prout opponitur magnanimitati II 639; prout est filia superbiae I 412; lex fundata in falsa praesumptione *ib.* et 216.
Prandium diebus ieiunii qua hora sumi II 654; quantum protrahi possit *ib.*; quales cibi sumi possint *ib.*
Pravum desiderium v. **Desiderium.**
Precarium quid sit II 283.
Preces matutinae, vespertinae, ante et post mensam num obligent II 348; preces indulgentiis ditatae debent oraliter recitari III 556; preces recitandae ad intentionem Summi Pontificis quaenam sint *ib.*
Presbyter ut minister confirmationis quid observare debeat III 159.
Presbyteratus: quid sit materia proxima essentialis et forma essentialis: sex diversae sententiae III 594; quam conferat potestatem 590; est impedimentum matrim. etiam in articulo mortis 866.
Pretium in venditione quid sit II 294; est vel legale vel vulgare vel conventionale 295 sqq.; pretium legale est observandum 295; quandonam liceat vendere ultra pretium vulgare 298; quandonam pretium conventionale sit iustum 299; pretium simoniacum 556.
Primitiae ecclesiasticae quid sint II 499.
Principes: eorum obligationes II 599.
Principia moralitatis reflexa I 332 sqq.
Privilegium: eius notio I 263; eius divisiones 264; eius acquisitio 265; eius interpretatio 266; eius non-usus 267; eius cessatio 268; laedentes privilegia clericorum quomodo peccent II 540 sq.
—— **Paulinum** v. **Paulinum.**
Probabiliorismus quid doceat I 340; rationes pro eo 345; difficultates contra eum 346.
Probabilismus purus quid doceat I 342; argumenta pro illo 349; difficultates contra illum 350.
Probabilitas quid sit I 342; quotuplex sit *ib.*; quandonam certo non liceat sequi opinionem probabilem 333.
Proclamationes nuptiales v. **Banni.**
Procurator in munere patrini III 145, in matrimonio contrahendo 660, in sponsalibus 723.
Prodigalitas quando evadat peccatum mortale II 616.
Professio fidei I 485; praeceptum divinum profitendi fidem 504 sqq.; quinam ex lege ecclesiastica teneantur emittere professionem fidei 506.
Professio religiosa sollemnis dirimit matrimonium ratum III 681; est impedimentum dirimens 814.
Proles v. **Filii.**
Promissio Dei ut necessaria ad meritum I 139; non est spei obiectum formale quo

536; prom. ut contractus gratuitus quid sit II 267; num sit titulus sufficiens occultae compensationis 89 269; obligatio promissionis 268; gravitas huius obligationis *ib.*; cessatio 269; defloratio virginis sub promissione matrimonii ad quid obliget 149; prom. futuri matrimonii v. **Sponsalia**; primissorium iuramentum v. **Iuramentum.**

Promulgatio legis: eius notio I 200, necessitas 201, modus 202.

Pronuntiatio in Off. divino II 376.

Propaganda Fide, S. Congregatio de I 172.

Propositiones nota theologica qualificatae I 518; sunt haereticae, haeresi proximae, erroneae, temerariae etc. *ib.*

Propositum in sacramento poenitentiae quid sit III 354; distinguitur explicitum et implicitum *ib.*; propos. saltem implicitum requiritur ad validitatem sacramenti 355; num requiratur etiam propositum explicitum *ib.*; propos. debet esse firmum, efficax, universale 356; proposita generalia solent esse inefficacia, proindeque eliciendum est propositum valde particulare 357.

Protonotarii Apostolici gaudent privilegio oratorii privati III 295 *nota.*

Providentia ut virtus adnexa prudentiae I 631.

Prudentia ut virtus intellectualis I 457; ut virtus moralis 625; est vel acquisita vel infusa 626; dignitas et excellentia virtutis prudentiae 629; eius actus 630; eius partes integrales 631; eius partes subiectivae 632; eius partes potentiales 633; vitia opposita 634 sqq.; media ad acquirendam prudentiam 636.

Pubertas v. **Impuberes.**

Publicus peccator v. **Peccatores.**

Pudicitia non est ipsa castitas, sed specialis eiusdem circumstantia II 675; num liceat occidere invasorem pudicitiae 122.

Pueri ante septennium v. **Infantes;** quando teneantur ad confessionem III 361 sqq., ad communionem 212, ad extremam unctionem 580.

Purgatorium v. **Animae.**

Purificatorium requiritur pro Missa, sed probabilius non est benedicendum III 299; suppleri potest strophiolo mundo *ib.*

Pusillanimitas prout opponitur virtuti magnanimitatis II 639; saepe oritur ex acedia I 435.

Pyxis pro asservanda eucharistia debet esse confecta ex solida decentique materia III 226; non est consecranda, sed benedicenda *ib.*; si continet eucharistiam, velo albo serico circumdanda est *ib.*; operculum pyxidis debet auferri tum in offertorio tum in consecratione 176; num hostiae sint consecratae, quae inveniuntur in pyxide relicta extra corporale (ex inadvertentia) 177; pyxis continens hostias consecrandas quandonam debeat afferri in Missa 176.

Q

Quaestum facientes ex stipendiis Missarum puniuntur III 273 sq.; ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicantur 514.

Quasi-domicilium v. **Domicilium.**

Quietismus: eius falsitas ostenditur I 546.

R

Rapina includit duplicem iniuriam: alteram personalem, alteram realem II 77.

Raptus ut peccatum luxuriae II 700; ut impedimentum matrimonii III 801; condiciones requisitae ad hoc impedimentum 802; cessatio huius impedimenti 803; poenae contra raptores mulierum 804.

Rationalismus constituit insufficientem normam moralitatis I 102.

Rebaptizatio quandonam sit necessaria III 123 128 (Scholion) 138.

Rebellio v. **Seditio.**

Recidivus quis dicatur in stricto sensu III 453; nequit regulariter absolvi, nisi specialibus signis prius expulerit praesumptionem indispositionis contra ipsum existentem *ib.*; quid sint signa specialia sufficientis dispositionis *ib.*; aliquando ei oportet absolutionem differre *ib.*

Reconciliatio cum inimico necessaria I 577.

Recursus: quomodo praebentes recursum furi teneantur ad restitutionem II 107.

—— **ad S. Poenitentiariam** vel ad episcopum habentem speciales facultates necessarius est post absolutionem in casu urgenti vel in periculo mortis datam a casibus reservatis III 426; si tamen est moraliter impossibilis, omitti potest *ib.*; poenitens sacerdos numquam liberatur a recursu *ib.*

—— **ad laicam potestatem** ad impediendas Litteras Apostolicas inducit excommunicationem III 511.

Reductio Missarum est reservata S. Sedi III 261.

Reflexa principia quomodo adhiberi possint ad solvendum dubium practicum I 332.

Regulares: quibus incumbat obligatio recitandi choraliter vel privatim horas canonicas II 367; quonam calendario uti debeant 369; quomodo possint suis subditis extra monasterium decumbentibus communionem aut viaticum administrare III 219; possunt dare viaticum et extremam unctionem suis alumnis convictoribus *ib.* et 583; possunt distribuere communionem laicis etiam die Paschatis 219; tenentur observare taxam dioecesanam pro Missis manualibus, non autem pro Missis fundatis 270; indigent iurisdictione episcopi dioecesani 415; possunt audire confessiones omnium perpetuo commensalium

sine approbatione episcopi 410; possunt licite absolvi a quolibet confessario ab episcopo loci approbato, et quidem etiam a casibus in ordine reservatis 416; generatim non subiacent censuris ab episcopo latis 482; possunt absolvere a censuris episcopo ex iure reservatis 521; possunt dispensare in votis (exceptis nonnullis) II 425, in pluribus irregularitatibus III 613; nequeunt esse patrini 147; superior regularis v. **Superior.**

Reincidentia: absolutio a censuris ad reincidentiam III 491.

Reiteratio sacramentorum v. **Iteratio** et **Rebaptizatio.**

Religio: eius etymologia II 324; eius diversae acceptiones *ib.*; prout est virtus 325; eius subiectum 326; eius necessitas 327; eius extensio *ib.*; actus religionis praecipui sunt devotio, oratio, adoratio, sacrificium, usus sacramentorum, votum, iuramentum, adiuratio, sanctificatio quorundam dierum: vide singula verba; vitia opposita virtuti religionis 500 sqq.

Religiosi v. **Regulares.**

Religiosorum negotiis praeposita S. Congregatio I 171.

Reliquiae sanctorum quomodo sint colendae II 387.

Remedia contra tentationes I 389; contra superbiam 415; contra avaritiam 419; contra luxuriam 420; contra invidiam 424; contra gulam 428; contra iram 432; contra acediam 436; a confessario praescribenda contra relapsum in peccatum III 436; remedia sic dicta poenalia 472.

Requies festiva praescripta diebus dominicis et festivis quid requirat II 488 sqq.; causae excusantes 495.

Reservatio casuum quid sit III 418; primario afficit confessarium *ib.*; dantur reservatae censurae et reservata peccata 419; finis reservationis 420; potestas reservandi casus quibusnam personis competat 421; condiciones ad reservationem requisitae 422; quomodo ignorantia excuset a reservatione 423; absolutio a casibus reservatis in articulo mortis 424; absolutio casuum papalium 425; absolutio casuum episcopalium 427; quid faciendum, si confessarius simplex ex inadvertentia absolvit a casu reservato 428; absolutio peregrinorum a casibus reservatis 429; quomodo regulares possint absolvi a casibus in ordine reservatis 416; aliquando circumstantiae aggravantes sunt accusandae propter reservationem annexam 370.

Restitutio iustitiae laesae quid sit II 202; quomodo differat a satisfactione, a solutione *ib.*; oritur ex sola iustitia commutativa laesa 203; num restitutio materialis sit facienda pro damno mere personali 204; necessitas restitutionis 205; praeceptum restituendi est praeceptum negativum 206; radices restitutionis sunt res aliena aut possessa aut damnificata 207; mensura restitutionis 223; ordo restitutionis faciendae a cooperatoribus 227; cui sit restituendum 228 sqq.; quo tempore 237; quo loco 238; quo modo 240; causae a restitutione totaliter eximentes 241; ad tempus excusantes 243; restitutio facienda pravis societatibus 229, rei publicae 230, assecurationi 231; post fraudulentam cessionem bonorum 232; ob defraudata tributa I 293; ob militiam elusam 296 sqq.; ob duellum II 128; ob stuprum et adulterium 147 sqq.; ob neglectum Officium divinum 364 sq.; restitutio pretii simoniaci II 566.

Restrictio mentalis quid sit et quomodo distinguatur II 171; numquam licita est restrictio pure mentalis, necessitate autem postulante licet uti restrictione late mentali 172 sq.

Retentio librorum prohibitorum quandonam inducat excommunicationem III 508.

Retractatio pravi mandati aut consilii dati II 101 sq., calumniae impositae 197.

Reus num debeat fateri proprium crimen II 163; quomodo possit se defendere *ib.*; eius fuga 164; quantum ad poenas sustinendas *ib.*

Revalidatio v. **Convalidatio.**

Revelatio secreti quandonam sit licita II 180; rev. complicis in confessione III 381; impedimenti matrimonii 740.

Reverentia quid sit et quomodo differat ab honore II 182; debita Deo et rebus sacris 325, parentibus 582, heris 596, principi 600.

Reverentialis metus III 794.

Reviviscentia sacramentorum quid sit III 41; quaenam sacramenta reviviscant 42; condiciones requisitae 43; modus et gradus reviviscentiae meritorum per sacramentum poenitentiae 337.

Revocatio legis I 270; dispensationis 259; privilegii 268; consuetudinis 282; testamenti II 279; iurisdictionis III 412.

Rigorismus v. **Tutiorismus.**

Ritus observandi in administrandis sacramentis et in celebranda Missa v. **Caeremoniae;** licet sumere s. communionem secundum alium ritum ab Ecclesia approbatum III 214; ritus, i. e. officia liturgica, quae prohibentur excommunicatis 501; catholici ritus orientalis **inter se** contrahentes matrimonium non tenentur forma praescripta pro Occidentalibus 743; sin autem contrahunt cum catholico ritus latini tenentur *ib.*

Rituum S. Congregatio I 174.

Rixa quid sit I 431; solet oriri ex ira *ib.*

Romanus Pontifex v. **Pontifex Romanus.**

Rubricae quomodo distinguantur et obligent in administratione sacramentorum III 70, in Missa 303 sqq.

S

Sabbato Sancto strictissime prohibentur Missae privatae III 283; licet tunc distribuere s. communionem etiam devotionis causa *ib.*; post meridiem cessant ieiunium et abstinentia II 658.

Sacellum v. **Oratorium.**

Sacerdos ut minister confirmationis quid observare debeat III 159.

Sacramentalia quid sint III 89; quomodo distinguantur 90; eorum effectus 91; eorum modus operandi 92; differunt ab indulgentiis 93; usus sacramentalium non prohibetur excommunicatis et haereticis 500.

Sacramentalis gratia quid sit III 40.

Sacramentum: nomen sacramenti in diversis sensibus sumitur III 2; eius definitio realis 3 5; exsistebant vera sed imperfecta sacramenta in Vetere Lege 3; omnia sacramenta sunt in genere *signi* 4; sacramenta significant gratiam dandam, passionem Christi et vitam aeternam *ib.*; non omnia signa sacra sunt sacramenta 5; falsae sententiae haereticorum et Modernistarum de indole sacramenti *ib.*; ad essentiam cuiuslibet sacramenti tria requiruntur: signum sensibile, interior gratia, institutio a Iesu Christo *ib.*; extra casum extremae necessitatis non licet adhibere materiam et formam dubiam in sacramentis 18; exsistentia sacramentorum 26 sqq.; in Vetere Lege 27; numerus sacramentorum in Vetere et Nova Lege 28 sq., divisiones 33; dignitas diversorum sacramentorum 34; causalitas 37; sacramenta mortuorum causant per accidens gratiam secundam, sacramenta vivorum per accidens producunt gratiam primam 40; omnia sacramenta immediate a Christo instituta sunt 49; materia et forma sacramentorum specifice determinata est a Christo 50; modus et ritus conferendi sacramenta 70; obligatio dandi et denegandi sacramenta 70 sqq.; non licet sacramenta administrare indigno nisi ex gravissima causa 76; simulatio et dissimulatio 81 sqq.; quando agitur de valore sacramentorum, ordinarie non licet sequi opiniones probabiles 85; requisita ad validam et licitam receptionem sacramentorum 87 sq.; quaenam sacramenta suscipienda et administranda prohibeantur excommunicatis 500.

De Sacramentorum disciplina S. Congregatio I 169.

Sacrificium: differentia inter sacrificium et sacramenta III 5; essentialis notio 229; condiciones requisitae ad verum sacrificium 230; cf. etiam **Missa.**

Sacrilegium: eius definitio nominalis et realis II 526 sq.; distinguitur personale, locale, reale 538; eius malitia 539; quot modis fiat sacrilegium personale 540 sqq.; quandonam laesio voti sit sacrilegium 544; sacrileg. locale quomodo fiat 545 sqq.; sacrileg. reale quomodo fiat 551 sqq.; sacrileg. carnale 702; praecepto ecclesiastico non satisfit per sacrilegam communionem III 212, neque per sacrilegam confessionem 362; praecepto divino sumendi viaticum non satisfit per sacrilegam communionem 208.

Sadismus II 705.

Salarium v. **Merces.**

Salutatio inimici quandonam sit necessaria I 576.

Sanatio matrimonii in radice quid sit III 887 sq.; quattuor condiciones requisitae 889 sqq.; petitio et exsecutio illius 891; effectus illius 892.

Sanctificatio diei Dominicae et festorum quaenam praecepta includat II 467.

Sapientia ut est donum Spiritus Sancti I 447; ut est virtus intellectualis 457.

Sapphismus II 705.

Satisfactio congrua potest ab inimico exigi I 577; quomodo satisfactio sit praestanda pro honore laeso II 185; duellum est medium prorsus ineptum ad satisfactionem debitam obtinendam 123.

—— **ut pars sacramenti poenitentiae:** satisf. quid sit in genere III 391; quid sit et valeat satisfactio a Christo praestita *ib.*, quid satisfactio sacramentalis et extrasacramentalis *ib.*; quid sit finis satisfactionis sacramentalis iuxta Concilium Tridentinum *ib.*; divisiones satisfactionis sacramentalis 393; necessitas satisfactionis imponendae 394; gravitas huius obligationis imponendae 395; quantitas et qualitas satisfactionis imponendae 396; causae diminuendi satisfactionem 397; satisfactiones incongruae 398; poenitens per se sub gravi tenetur acceptare et implere satisfactionem a confessario rationabiliter impositam 399; quid poenitens facere debeat, si oblitus est satisfactionis impositae 401; tempus et modus satisfactionis implendae 402 sq.; quis possit commutare satisfactionem sacramentalem 404; poenitentia salutaris imponenda in dispensationibus matrimonialibus 882.

Satisfactio Christi et sanctorum est thesaurus, ex quibus Ecclesia largitur indulgentias III 541.

Scandalum quid sit I 605; eius divisiones 606; malitia 607; obligatio vitandi scandalum quandonam adsit 610; reparatio scandali 612; scand. in quibusdam casibus particularibus 613 sqq.; scand. vitandum ut causa sufficiens laesionis ieiunii eucharistici III 201, excusationis ab inte-

grita e materiali confessionis 380, obtinendi dispensationem impedimenti matrimonialis 873.

Schismatici quinam sint I 509; licet pro illis Missam applicare III 250; excommunicatio in schismaticos 507; non ligantur, si inter se contrahunt, ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam 743.

Scholae debent diligenter supervigilari ab episcopis I 528; scholae acatholicae et neutrales quandonam possint licite frequentari *ib.*; quandonam liceat in iisdem scholis munus magistri aliudve munus suscipere *ib.*

Scientia theologiae moralis quid sit I 2; donum scientiae 449; virtus intellectualis scientiae 457; scientia necessaria in iudice II 151, in advocato 160, in confessario III 432, in ordinandis 606.

Scribere manu vel machina num sit opus servile II 490; num quis teneatur scribere peccata, ne memoria excidant III 365 384; sponsalia valida debent esse scripta 723.

Scriptura Sacra quomodo sit fons theologiae moralis I 5; eam eiusve commentarios edere sine auctoritate legitima, punitur excommunicatione III 526.

Scrupulosa conscientia: eius signa, causae, remedia I 319 sqq.; privilegia scrupulosorum 323.

Scurrilitas quid sit I 427; saepe oritur ex gula *ib.*

Secretum obiective et subiective sumptum II 175; divisiones *ib.*; quandonam liceat explorare secretum alterius 176; non licet uti secreto iniuste cognito *ib.*; quomodo obliget secretum servandum 177; causae iustae manifestandi secretum 180; secr. confessionis v. **Sigillum.**

Sectae prohibitae vel cum vel sine censura III 516.

Sectio caesarea licita est ad salvandam prolem II 133; non incumbit matri stricta obligatio subeundi sectionem caesaream III 130; num debeat fieri mortua matre *ib.*

Secundinae: baptismus collatus super secundinis est invalidus III 102.

Seditio est illicita II 601 sq.

Semen humanum effusum in loco sacro II 546; quomodo fluxus seminis impediat susceptionem communionis III 197.

Semifatui quoad communionem III 189.

Senex quandonam a ieiunio excusetur II 665; num possit suscipere extremam unctionem III 580.

Sensibus destitutus quoad absolutionem III 327; quoad extr. unctionem 577.

Separatio coniugum quandonam liceat, v. **Divortium.**

Sepultura ecclesiastica quibusnam interdicatur III 503; quomodo polluatur locus sacer per sepulturam excommunicati *ib.*; excommunicantur mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos aut excommunicatos vel interdictos 524; vendere sepulturam ecclesiasticam aliquando est simonia II 564.

Sequestrum quid sit II 283; sequestrantes bona et reditus ad personas ecclesiasticas pertinentes excommunicantur III 518.

Servilia opera quaenam prohibeantur diebus dominicis et festivis II 488 492; praeceptum abstinendi ab operibus servilibus admittit parvitatem materiae 494; causae excusantes ab hoc praecepto 495; quis dispensare possit in illo 498.

Servilis condicio ut impedimentum matrim. III 791.

Servitor in Missa requiritur sub gravi III 304; deficiente ministro masculo licet Missam celebrare, si mulier (praesertim monialis) respondeat *ib.*

Servitus sub quibus condicionibus sit licita II 11.

Sexualis perversio quid sit II 707.

Sigillum sacramentale quid sit III 443; subiectum sigilli, i. e. ii, qui tenentur ad illud *ib.*; obiectum sigilli 444; sig. sacramentale obligat strictissime nec ullam exceptionem admittit 445 sqq.; poenae contra laedentes sigillum *ib.*; quibus modis laedatur 447; periculum laedendi sigillum excusat ab integritate materiali confessionis 380.

Signum sensibile in sacramentis III 6.

Simonia: eius definitio nominalis et realis II 555 sq.; eius divisiones 558; eius malitia moralis 560; quandonam contingat simonia iuris divini 561 sqq., iuris ecclesiastici 564 sqq.; poenae simoniacorum 565.

Simulatio quid sit II 168; reducitur ad mendacium *ib.* Vide etiam **Fictio** sacramentorum.

Simultaneitas cultus heterodoxi in aliqua ecclesia potest ab episcopo tolerari I 526.

Sinceritas in confessione III 364.

Sobrietas ut virtus specialis II 668.

Socialistae: quaenam sint eorum postulata II 5; num eorum sectae sint prohibitae sub excommunicatione III 516.

Sodomia quid sit et quomodo dividatur II 706; vocatur peccatum in caelum clamans I 360.

Solidum: obligatio restitutionis in solidum quid sit II 223.

Sollemnitas votorum est vel essentialis vel accidentalis II 391; sollemnitates nuptiarum prohibitae tempore clauso III 772.

Sollertia ut est integralis pars prudentiae I 631.

Sollicitatio ad turpia in confessione: quaenam condiciones requisitae ad hoc crimen III 461 sqq.; obligatio denuntiandi sollicitatorem 464; causae excusantes ab hac

obligatione 465; modus faciendi denuntiationem 466; quomodo episcopus debeat procedere post denuntiationem acceptam *ib.*; poenae contra sollicitatores 467; poena inflicta calumniose denuntianti 468.

Sors: periculum sortis est sufficiens titulus foeneris percipiendi II 287.

Sortilegium quid sit et quandonam sit licitum II 509.

Species eucharisticae ut continent corpus et sanguinem Christi constituunt essentiam sacramenti eucharistiae III 166; si istae species in ore dissolvuntur vel ex ore auferuntur, non producitur effectus eucharistiae 185; non licet sub specie vini dare viaticum in ecclesia latina 223; de communione sub utraque specie 214; quandonam sit licita etiam in ecclesia latina *ib.*; qui species euch. abiecerit aut retinuerit, excommunicatur 506; — species infima peccatorum unde desumatur I 373 sq.; est accusanda in confessione III 367.

Spectacula solent saepissime causare grave scandalum I 615.

Spes quid sit ut passio I 80, ut virtus theologica 533; obiectum spei theologicae 535; obiectum formale quo est omnipotentia auxilians 536; motiva secundaria spei 537; subiectum remotum et proximum 538; proprietates 541 sq.; necessitas 543 sqq.; vitia contra spem 547 sqq.; quomodo spes sit excolenda 550; spes ut est virtus informis 476.

Spiritismus: eius notio II 523; eius moralitas 524.

Spiritualis cognatio prout est impedimentum matrimonii III 836; condiciones requisitae 838; cessatio huius impedimenti 839.

Sponsalia: eorum *essentia* III 717 sqq.; ad eorum valorem requiritur forma debita externa 718 723, promissio libera 719; num error et metus irritent sponsalia *ib.*; promissio deliberata et mutua 721; habilitas tum naturalis tum legalis 722; eorum *effectus* sunt obligatio ineundi matrimonii 725, impedimentum prohibens 726; eorum *dissolutio* fieri potest: mutuo consensu 727, notabili mutatione superveniente 728, violatione fidei sponsaliciae 729, electione status perfectioris 730, dispensatione pontificia 731; num liceat privata auctoritate dissolvere sponsalia 732.

Sponsio ut contractus quid sit II 314; eius liceitas et obligationes 315.

Spurius filius quis sit III 893.

Status gratiae requiritur ad meritum I 140; ad efficaciter orandum II 354; ad licite suscipienda sacramenta vivorum III 88; ad lucrandas indulgentias 551; status gratiae et vitae probitas in ordinando 604.

Status liber: moralis certitudo de eo requiritur ante ordines suscipiendos III 609; ante matrimonium celebrandum 756.

Status originalis iustitiae non habuit sacramenta III 26.

Status perfectionis includit tria consilia evangelica I 624; quomodo se habeat ad ipsam perfectionem spiritualem *ib.*

Status vitae: filii ex ipso iure naturali liberi sunt in electione status vitae II 585.

Stipendium Missae: origo eius III 262; liceitas 263; obligatio ex stipendio accepto 264; non licet stipendium sumere pro Missa praesanctificatorum die Parasceves 233, neque pro fructu specialissimo Missae applicato 243 (3); circumstantiae specialiter a stipendium offerente mandatae fideliter adimplendae sunt 266 sqq.; intra quodnam tempus sint dicendae Missae manuales 266; quomodo taxa dioecesana sit observanda in stipendiis 270; quid sit observandum in tradendis stipendiis superfluis 271; commercium stipendiorum prorsus prohibitum 273; nihil licet detrahere ex stipendiis acceptis 274; sunt tamen nonnullae exceptiones 275; nullum stipendium potest sumi a sacerdote habente privilegium binationis pro secunda Missa, nisi adsit specialis licentia 257 288; num stipendium sit sub gravi restituendum, si Missa non sit dicta 264; num sacerdos teneatur dicere Missam, si stipendium sine eius culpa amissum est *ib. nota*; pro Missa, quam celebrant neo-sacerdotes cum episcopo, isti probabiliter nequeunt stipendium sumere 278.

Stola induenda a sacerdotibus et diaconis communionem recipientibus III 196; quomodo sit necessaria in celebratione Missae 298, in administratione sacramenti poenitentiae 329; quomodo diaconus debeat gestare stolam in distributione communionis 217; stola semper gestanda est in administratione communionis infirmorum aut viatici 223 (7).

Stomachi lotio probabiliter non laedit ieiunium eucharisticum III 199.

Studiorum S. Congregatio I 177.

Studiositas ut est pars potentialis virtutis temperantiae II 716; ei opponitur per excessum curiositas *ib.*, per defectum neglegentia *ib.*

Stuprum quid sit II 699; quomodo inducat obligationem restitutionis 147 sqq. 226.

Suadere malum vel minus malum v. **Consulens.**

Subdiaconatus qualem potestatem conferat III 590 300; eius materia et forma 593; aetas requisita 605; scientia requisita 606; inducit obligationem recitandi Officium divinum II 363, servandi coelibatum, et quidem vi voti 391 et III 819; potest conferri a sacerdote 596; subdiaconus in statu peccati mortalis ministrans in Missa sollemni quomodo peccet 59.

Subhastatio II 300.
Subiectivismus est falsum systema moralitatis I 103.
Subreptio in dispensatione I 256.
Subsannatio quid sit II 183.
Successio hereditaria est vel ab intestato vel per testamentum II 273.
Suffragium: quomodo peccent suffragium dantes malo deputato II 105 604; quomodo deputati peccent et ad restitutionem teneantur suffragium dantes pro iniquis legibus condendis *ib.;* ius suffragii num feminis sit tribuendum 593; applicatio indulgentiarum per modum suffragii III 543.
Suicidium: eius malitia II 112, causae *ib.;* suic. indirectum quandonam sit licitum 112; num liceat se occidere ad vitandam mortem duriorem 114; num virgo possit potius eligere mortem quam sui violationem 115.
Sumptuositas est vitium oppositum magnificentiae II 640.
Superadulta aetas sponsae ut est causa dispensationis obtinendae III 871.
Superbia quid sit I 409; eius malitia 410; sup. est vitium periculosissimum *ib.;* eius filiae 411, remedia 415; quomodo causet vehemens periculum fidei 532.
Superior quinam possit leges ferre I 179; quandonam debeat reparare damnum a subdito causatum II 101 109; non impediens sui subditi diffamationem peccat 195; superior, a quo petitur facultas absolvendi a casu reservato particulari, tenetur ad sigillum III 443; nequit uti notitia hausta ex confessione ad externam gubernationem 445 sq.
—— **religiosus** solet habere potestatem quasi episcopalem, ac proinde in subditos suos potest fere eosdem actus exercere ac episcopus in dioecesanos I 243; habet iurisdictionem ordinariam ad audiendas confessiones subditorum III 410; potest quidem sibi reservare casus, sed non potest impedire, ne subditi petant absolutionem a quocumque confessario approbato 416; debet aliquando Missam applicare pro suis subditis III 255.
Superstitio quid sit II 501; eius species *ib.;* in quantum adversetur virtuti fidei I 509.
Supplet Ecclesia iurisdictionem putativam exsistente errore communi III 413.
Surdo-muti quoad communionem recipiendam III 189; quoad confessionem peragendam 365; quoad indulgentias lucrandas 556.
Surdus (surdaster) quoad confessionem III 365; quoad irregularitatem 616; quoad munus testis in sponsalibus et in matrimonio 755; quoad recitationem breviarii cum socio II 374.
Suspensio quid sit III 531; proprie et late dicta *ib.;* divisiones *ib.;* eius effectus 532; cessatio 533; suspensiones hodie vigentes 534 sqq.
Suspicio temeraria quid sit II 199; suspicionem haeresis incurrit ille, qui per annum sordescit in censura III 505; suspicionem criminis falso in alium transferens quandonam ad restitutionem obligetur II 95.
Sustentatio debita uxori II 16, clericis beneficiatis 37, filiis etiam illegitimis 586 588.
Susurratio quid sit II 188; reducitur ad detractionem *ib.;* saepe oritur ex invidia I 423.
Symbolum fidei I 485; symb. apostolicum quomodo sciendum sit 501.
Symphyseotomia quid sit II 135.
Synderesis quid sit I 303.
Synesis ut est potentialis pars prudentiae I 633.
Systemata moralia ad habendam certitudinem moralem exsistente dubio I 337 sqq.; systema compensationis 344 351.

T

Tabacum fumatum aut etiam masticatum non laedit ieiunium naturale III 199.
Tabella Missarum fundatarum est exponenda in sacristia III 276; tabellae, quae solent poni super altari, non stricte praescribuntur 297.
Tabernaculum ss. sacramenti quomodo construendum et ornandum sit III 226; in illo nihil aliud servari licet nisi eucharistia *ib.;* lampas ibi lucens 227.
Tabulae rotantes num possint adhiberi II 520.
Tactus obscoeni quomodo sint peccaminosi II 694; tactus vasorum sacrorum cui sit licitus III 300; tactus instrumentorum in s. ordinatione 592 sq.
Taxa dioecesana observanda in stipendiis Missarum III 270; taxa in dispensationibus matrimonialibus 877.
Telegraphus v. **Telephonium.**
Telephonium potestne adhiberi ad absolvendum a peccatis III 331, ad obtinendas dispensationes matrimoniales 878.
Temerarium iudicium quid sit II 200; eius malitia *ib.;* interius tantum conceptum raro est peccatum mortale *ib.;* propositiones temerariae quid sint I 518; temeritas ut vitium oppositum fortitudini II 638; temeraria exspectatio specialis auxilii divini est tentatio Dei 525.
Temperantia ut condicio cuiuslibet virtutis et ut virtus specialis II 643; eius obiectum 644; relatio inter temperantiam naturalem et supernaturalem 645; eius partes integrales 646, subiectivae 647, potentiales 648; vitia opposita 667 sqq.
Templa haereticorum quandonam liceat adire I 527, construere aut pecunia adiuvare 620.

Tempus persolvendi leges I 225; requisitum ad legitimam praescriptionem II 63; assignatum ad horas canonicas recitandas 373; tempus paschale pro communione suscipienda III 212; tempus pro communione distribuenda 221; temporis circumstantia in persolvendis Missarum stipendiis 266; quantum tempus adhibendum pro Missae celebratione 292; circumstantia temporis sacri per se non est necessario manifestanda in confessione 372; tempus pro ordinationibus faciendis 600; tempus clausum quoad matrimonii celebrationem 772.

Tentatio sumitur in diverso sensu I 385; tentatio ad peccatum oritur ex diversis causis 386; consentire tentationi est peccatum, non autem eam sentire 387; non licet temere provocare tentationem 388; remedia contra tentationes 389; — tentatio *Dei* in quo consistat II 525; eius divisiones 526, malitia 527.

Tepiditas v. **Acedia.**

Testamentum: diversae eius formae II 276; valor testamenti informis 277; non licet clam supplere defectum formae legalis *ib.*; acceptatio testamenti 278; eius revocatio 279, commutatio *ib.*, interpretatio *ib.*

Testator: cui competat ius testandi II 274; modus testandi 275; obligationes testatoris 281.

Testimoniales litterae quid sint III 598; quibus necessariae sint pro ordinibus suscipiendis 530; de statu libero nupturientium 756; de baptismo suscepto ante nuptias *ib.*

Testis: obligatio ferendi testimonium in iudicio II 160; excusationes a testimonio ferendo *ib.*; culpa falsi testimonii *ib.*; obligationes falsi testis 161; in iuramento Deus invocatur ut testis veracitatis 437; haereticus potest esse testis in baptismo catholico III 145; testes necessarii in sponsalibus 723, in matrimonii celebratione 755; num catholicus possit esse testis in baptismo vel matrimonio haeretico I 526.

Theatrum v. **Spectacula.**

Theologia moralis: eius definitio nominalis I 1; definitio realis 2; finis 3; in stricto sensu nequit dici ars pag. 3, *nota 2*; eius relatio ad ethicam et dogmaticam 4; eius fontes 5 sqq.; de usu rationis in theologia morali 8; methodus adhibenda 9; historia theologiae moralis 10 sqq.

Theologica culpa in damnificatione II 92 96.

Thesaurus quid sit II 45; ad quem pertineat dominium thesauri inventi 46; num leges civiles de inventione thesauri sint mere poenales *ib.*; num liceat pretio vulgari emere agrum, in quo absconditus est thesaurus *ib.*

Theses damnatae v. **Propositiones.**

S Thomas Aquinas: eius auctoritas I, prologus; quam methodum adhibuerit in theologia morali I 11.

Timiditas ut est passio timoris I 83; ut est vitium oppositum fortitudini II 638.

Timor ut passio I 83; ut donum Spiritus Sancti 453; ut est coniunctus cum virtute spei 542; timor gehennae in attritione III 342 sqq.

Titulus: diversae distinctiones II 62; quinam sit necessarius ad legitimam praescriptionem *ib.*; quinam sufficiat ad percipiendum foenus seu interesse 287; nullus titulus requiritur, ut Ecclesia suppleat iurisdictionem putativam III 413; titulus quo episcopus evadat proprius ad ordines conferendos 597; titulus sustentationis pro clericis ma'oristis 607.

Tobalea ex lino vel cannabe confecta et benedicta requiruntur in altari, ubi Missa dicitur III 297.

Tonsura prima clericalis non est ordo III 587; disponit ad ordines suscipiendos et plures alios effectus iuridicos producit 591; aetas requisita 605; scientia requisita 606.

Tortura animalium quale sit peccatum II 14.

Traditio: eius usus in theologia morali I 6.

Tribadismus II 705.

Tributa quid sint I 291; divisiones 292; leges iustae tributorum obligant in conscientia 293; num ex iustitia commutativa an legali 294; quandonam ex defraudatione tributorum oriatur obligatio restitutionis 295; defraudare tributa ecclesiastica est contra religionem et iustitiam II 499.

Trinitas, SS., estne necessitate medii explicite credenda I 499; est necessario exprimenda in forma baptismi III 103; nemo adultus potest baptizari, qui non summarie saltem cognovit mysterium SS. Trinitatis III 136.

Trinus contractus quid sit II 288, *nota* 3.

Tristitia prout est passio I 79; trist. de bono alterius est invidia 421; de bono spirituali est acedia 433.

Truncatio verborum quale sit peccatum in recitatione Officii divini II 374, in forma sacramentorum III 13 sq.

Trust est species monopolii; v. **Monopolium.**

Turpis condicio in contractu II 253, in matrimonio contrahendo III 663; turpes tactus, aspectus, oscula, sermo, lectio II 691 sqq.

Tutiorismus absolutus vel mitigatus ut systemata moralia I 338 sq.

Typographus quandonam incurrat excommunicationem III 508.

Tyrannicidium est illicitum II 601.

U

Unctio in confirmatione necessario debet fieri in fronte et per signum crucis III 156.
—— **extrema:** comparatio inter illam et confirmationem III 568; notio 569; est verum sacramentum Novi Testamenti 570; materia eius remota valida 571, licita 572; materia proxima 573; modus faciendi unctiones 574; forma extremae unctionis 575; est necessario deprecatoria *ib.;* effectus 576; momentum quo extrema unctio effectus producat 579; subiectum seu quis possit recipere extremam unctionem 580; obligatio suscipiendi hoc sacramentum 581; iteratio eius 582; minister huius sacramenti 583.
Unilateralis contractus II 250.
Unio moralis inter materiam et formam sacramentorum necessaria III 16 sqq.
Unitas matrimonii III 669 sqq.
Urceoli ut sunt materia acolythatus III 592; v. etiam **Ampullae.**
Usucapio II 57.
Usura quid sit II 285; usura proprie dicta est contra ius naturale, divinum, ecclesiasticum 286; causae extrinsecae seu tituli permittentes foenus seu usuram late dictam 287 sq.
Usurpatio bonorum ecclesiasticorum quid sit et quomodo puniatur III 512 518; est sacrilegium II 554.
—— **ordinis sacri** punitur irregularitate III 622.
Usus activus et passivus in actu humano I 34; ut est species dominii II 3; usus notitiae ex confessione habitae quandonam sit illicitus III 445 sq.
Ususfructus ut est species dominii II 3.
Utensilia sacra pro Missa III 297; sunt ornatus altaris *ib.*, ornatus sacerdotis dicentis Missam 298; vasa sacra 299; quomodo istae res benedictionem aut consecrationem amittant 301.
Uterus: num excisio eius causet impedimentum impotentiae aut reddat illicitum usum matrimonii III 810 *nota;* num infans in utero materno sit baptizandus 129.
Utilitarismus constituit falsam normam moralitatis I 101.
Utilitas: num liceat augere pretium rei vendendae, quae alteri valde utilis est II 294.
Uxor: eius bona II 17; eius dominium iuxta codices nonnullarum nationum 18 sqq.; furta uxoris 83; num maritus possit directe irritare vota uxoris 418; num possit materialiter cooperari ad onanismum mariti III 712 sq.

V

Vacantia bona II 39.
Vagi quinam sint I 193; quomodo teneantur legibus territorialibus 198; pro dispensationibus obtinendis debent recurrere ad superiorem loci, in quo hic et nunc versantur 247; quoad baptismum III 120; quoad absolutionem a reservatis 429; quoad proclamationes nuptiales 738; quoad celebrationem matrimonii 760.
Valor rei v. **Pretium.**
Vana observantia v. **Observantia;** vana assumptio nominis Dei aliarumque rerum sacrarum quale sit peccatum II 535.
Vasa sacra pro Missa necessaria III 299; quomodo exsecrentur *ib.* et 301; vasa sacra ad usum profanum adhibere extra casum gravissimae necessitatis est sacrilegium II 553.
Vasectomia quid sit, num sit licita, num inducat impedimentum impotentiae III 809.
Vectigalia v. **Tributa.**
Vehiculi publici pretium: quando eius defraudatio ad restitutionem obliget II 85.
Venatio potest prohiberi et reservari a principe territorii II 42; lex prohibens venationem non est lex mere poenalis *ib.;* quandonam venatio illegitime peracta peccatum mortale sit *ib.;* quandonam oriatur obligatio restitutionis 43; consuetudines vigentes circa venationem sunt attendendae 44; num venatio sit licita diebus festivis 497.
Venditio: contractus emptionis-venditionis quid sit II 290; obligationes venditoris 291 sq.; num venditor aliquando possit diminuere pondus aut mensuram 293; venditio sub hasta 300, per proxenetas 302.
Venerea delectatio quid sit II 681; directe volita extra matrimonium est peccatum mortale ex toto genere suo 682; indirecte volita admittit parvitatem materiae 683.
Veniale peccatum: eius notio et intima indoles I 367; eius exsistentia 369; eius divisiones 370; eius effectus 393; damnificatio venialiter mala num inducat obligationem restituendi II 97; num ad confessionem annualem teneatur reus solius peccati venialis III 361.
Veracitas sumitur in diverso sensu II 165; praestantia et officia virtutis veracitatis *ib.;* vitia illi opposita *ib.*
Verberare num privatus homo alium licite possit II 119.
Verecundia non est virtus proprie dicta, sed passio laudabilis II 646; est custos castitatis *ib.*
Vespertinae preces v. **Preces.**
Vestes sacrae in administrandis sacramentis, vide singula sacramenta; in Missa III 298; vestis talaris induenda pro Missa *ib.*
Vetitum Ecclesiae ut est impedimentum matrimonii III 770.
Vetus Testamentum quomodo eius praecepta moralia, caeremonialia, iudicialia obligent I 5 163.
Viaticum: num pastor animarum illud cum periculo propriae vitae administrare de-

beat III 73; amentes possunt recipere viaticum 188; viaticum potest sumi a non ieiuno 202; durante periculo mortis aegrotus potest *quolibet die* viaticum sumere *ib.*; viaticum in articulo mortis est suscipiendum ex iure divino 208; per sacrilegam susceptionem non satisfit huic praecepto *ib.*; num ille, qui paulo ante sumpserit communionem ex devotione, subito constitutus in periculo mortis viaticum sumere teneatur 209; quomodo dandum sit viaticum pueris 211; num deficientibus sacerdote et diacono clericus vel etiam laicus possit viaticum administrare 217; viaticum administrare est ius paroeciale 219; quandonam religiosi possint viaticum administrare *ib.*

Vicarius Apostolicus tenetur applicare Missam pro grege sibi commisso III 256.

—— **Capitularis** tenetur Missam applicare pro populo III 256.

—— **Generalis** habet iurisdictionem ordinariam III 411.

—— **paroeciae incorporatae** aequiperatur parocho quoad assistentiam matrimonii 747.

Vidua gaudens de usu matrimonii praeteriti quandonam peccet I 401; paupertas viduae est causa canonica dispensationis matrimonialis obtinendae III 871.

Vinculum matrimonii quomodo solvatur III 675.

Vindicatio prout est virtus specialis II 610; vitia opposita 611.

Vindicativa iustitia potest reduci ad iustitiam vel legalem vel distributivam vel commutativam II 71 *nota.*

Vindictam sumere numquam est licitum I 574.

Vinum de vite est materia necessaria in sacramento eucharistiae III 172; vinum cui subtractum est omne alcohol, non est materia apta *ib.*; vino debili licet addere 17—18 % spiritum vini 173; vino consecrando oportet admiscere modicam aquam *ib.*; num guttulae vini intus vel extra haerentes ad latera calicis sint consecratae 175.

Violentia (violentum) quid sit I 63; actui externo, non autem actui interno voluntatis violentia inferri potest 64 sq.; mulier violenter oppressa num teneatur potius mortem quam sui violationem pati 66; num possit ipsa invasorem occidere II 121; quale peccatum sit violenta oppressio mulieris 699 sq.; num sponsalia solvi possint, si sponsa fuerit vi oppressa III 729; violenta manuum iniectio in clericos etc. quomodo puniatur III 509 523 et II 541; violentia ut est filia avaritiae I 418.

Virga divinatoria: num eius usus sit licitus II 510.

Virginitas sumitur vel pro integritate carnis vel pro statu coelibatus vel pro virtute morali II 677; num votum requiratur ad virtutem virginitatis *ib.*; excellentia virtutis virginitatis 678; quomodo amittatur virginitas 677; votum virginitatis prout est impedimentum prohibens matrimonii III 774.

Virgo num possit eligere potius mortem quam sui violationem II 115.

Virtus quid sit II 443 sq.; quomodo dividatur 456 sq.; relatio inter virtutes et dona fructusque Spiritus Sancti et beatitudines 445 sqq.; exsistentia et essentia virtutum acquisitarum 460 sqq.; earum proprietates 462 sqq.; virtus consistit in medio 463; connexio virtutum 464; earum inaequalitas 467 sqq.; earum duratio 471; exsistentia et essentia virtutum infusarum 472 sqq.; earundem proprietates 475 sqq. Vide etiam singulas virtutes.

Vis prout est impedimentum matrimonii III 794 sqq. Vide **Violentia.**

Visitatio ecclesiae praescripta ad lucrandas indulgentias III 555; diversae eius qualitates *ib.*

Vita: homo non habet plenum dominium neque in vitam propriam II 6, neque in vitam alterius 118 sqq Vide **Suicidium, Mutilatio, Occisio.**

Vitandi: quinam sint excommunicati vitandi III 499; invalide absolvunt extra articulum mortis 500; aliae eorum poenae 501 sqq.

Vitia capitalia quid sint I 406; eorum numerus 407; eorum malitia 408.

Vivorum sacramenta quaenam sint et num per accidens causent gratiam primam III 33.

Vocatio divina ad ordines suscipiendos III 602; in quo consistat *ib.*; signa vocationis clericalis *ib.*

Voluntarium quid sit I 48; distinguitur a volito, spontaneo et naturali actu *ib.*; quotuplex sit 49; volunt. indirectum quid sit et quandonam liceat admittere malum indirecte voluntarium 57 sqq.; hostes voluntarii sunt ignorantia 45, violentia 63, metus 67, passio seu concupiscentia 72, nonnulli status corporales pathologici 91.

Voluptas: non licet agere propter solam voluptatem I 125.

Voluptuariae expensae II 208.

Votiva Missa: circumstantiae votivae Missae mandatae ab offerente stipendium obligare solent sub levi III 268.

Votum quid sit II 388; valor moralis et utilitas votorum 389; divisiones 390; in quo consistat essentia voti sollemnis 391; ad valorem voti requiritur ex parte subiecti perfectus usus rationis 393; intentio vovendi 394; deliberatio sufficiens et libertas 395, sine notabili errore 396, sine gravi metu iniusto 397; nonnulla vota a

lege ecclesiastica prohibentur 398; obiectum voti 399 sqq.; obligatio voti 402; qualitas huius obligationis 404; impletio voti 406; obligatio voti condicionati, disiunctivi, poenalis, dubii 407; interpretatio votorum 408; cessatio voti ab intrinseco 409 sq., per irritationem 411 sqq., per dispensationem 420 sqq.; vota Summo Pontifici reservata 423; quomodo episcopi et confessarii regulares possint dispensare in votis 424 sq.; cessatio votorum per commutationem 429 sqq.; num votum privatum virginitatis dissolvat sponsalia antea inita III 730; votum prout est matrimonii impedimentum prohibens 774 sqq.; ut est impedimentum dirimens 841 sq.

Vulneratio v. **Mutilatio.**

Z

Zelus: ira per zelum est licita I 429; zelus causatur ex amore 551; ardens zelus animarum valde necessarius est confessario III 434; zelus coniugalis eiusque remedia 698.

Zoophilia erotica II 708.

HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
FRIBURGI BRISGOVIAE (GERMANIAE)

Modo prodiit *editio altera* operis

Manuale Iuris Ecclesiastici

In usum clericorum

praesertim illorum qui ad Ordines religiosos pertinent

edidit

DOMINICUS M. PRÜMMER O. Pr.
Professor in Universitate Friburgi Helvetiorum

Editio altera aucta et secundum Codicem Iur. Can. recognita.
In-8⁰ mai. (LII et 700 p.)

Iudicia aliqua de editione prima huius operis:

„Auctor huius operis quam maxime brevitati, perspicuitati, facilitati discipulorum intuitu studet. Per quaestiones ac responsiones procedens, omnia quae studio et communi praxi necessaria sunt, quacumque superfluitate resecata, iuris nostri capita tradit.... *Nil clarius, facilius et discipulorum mentibus aptius dici poterat.* Nil igitur dubitandum quin *Manuale* hoc, suo nomini in cunctis respondens, maximo cum gaudio a discipulis suscipiatur." (Acta Pontificia, Romae.)

„Ein Handbuch des Kirchenrechts wird uns hier geboten und wir haben Grund, dem Verfasser aufrichtigen Dank zu wissen. Schon die äußere Ausstattung gewinnt; zwei gute Inhaltsangaben erschließen den gebotenen Reichtum. *Die Klarheit der Anordnung, das Beiseitelassen alles unnötigen Beiwerks, die Leichtfaßlichkeit der Sprache machen das Studium angenehm.* Dabei wird uns ein Inhalt geboten, geschöpft aus besten Quellen und geformt nach berufenen Gewährsmännern (St. Thomas, Piat), der geeignet ist, alle Studenten und Lehrer des Kirchenrechts zu interessieren, vorzüglich jene, welche selbst dem Ordenstande angehören."
(Theolog.-prakt. Monatsschrift, Passau.)

„...: En un mot, l'auteur a parfaitement rempli la tâche qu'il s'était assignée, et son Manuel de droit ecclésiastique prendra place dans les écoles auprès des ouvrages du P. Vermeersch et du P. Piat de Mons."
(Le Canoniste Contemporain, Paris.)

„...Father Prümmer deserves every congratulation for his *clearly-written* and *up-todate work,* which will enable students to acquire an ample knowledge of Canon Law."
(The Dublin Review, London.)

»...We can recommend the book as a *clear, succinct, and accurate* account of the modern law of the Church.« (The Tablet, London.)

»Esta obra forma un buen *complemento de Teología Moral,* claro, ordenado, conciso y que al mismo tiempo contiene todas las cuestiones necesarias para la práctica ordinaria.« (Razón y Fe, Madrid.)

HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
FRIBURGI BRISGOVIAE (GERMANIAE)

Ab eodem auctore conscriptum prodiit:

Vademecum Theologiae Moralis

in usum examinandorum et confessariorum

In-16°. (XXIV et 394 p.)

Libellus iste, conscriptus ab auctore qui bene versatus est aeque in theoria ac in praxi, continet quasi in nuce totam Theologiam Moralem omnesque etiam recentissimas Curiae Romanae decisiones. Ideoque non est dubium quin sit revera gratissimum *Vademecum* tum iis clericis iunioribus, qui debent adhuc praeparare examina in Theologia Morali, tum imprimis omnibus confessariis et missionariis, qui volunt peragere aut facilem repetitionem, aut quaerunt brevem et claram alicuius quaestionis moralis solutionem. Tolle et utere!

Iudicia aliqua:

„Studierende und Beichtväter werden das vorliegende Werk wärmstens begrüßen. Es bietet in gedrängter, übersichtlicher Fassung das Ganze der moraltheologischen Disziplin unter Rücksichtnahme auf die Bestimmungen des neuen kirchlichen Rechtsbuches. Das Werk will nicht einzige Grundlage für das Studium der Moraltheologen sein. Es ist aber für jeden, der ein Lehrbuch dieser Disziplin durchgearbeitet hat, ein kaum in einem Punkte versagendes Hilfswerk, das nicht nur Definitionen, sondern die ganze einschlägige Lehrdarbietung bereitstellt.“ (Anzeiger f. die kathol. Geistl., Breslau.)

„Eine kurze Zusammenfassung der gesamten Moral, ausgezeichnet durch klare, übersichtliche Darstellung.“ (Chrysologus, Paderborn.)

„Candidats aux examens et confesseurs, professeurs aussi, sauront le plus grand gré au R. P. Prümmer de s'être décidé à publier ce résumé si pratique de la théologie morale. Rien ne pouvait leur être plus utile. Le format lui-même est commode, l'impression et le papier excellents.“ (Revue des sciences phil. et théol., Lille.)

„Degelijk en duidelijk van inhoud, keurig en handig van vorm, overzichtelijk en accuraat van typografische uitvoering zij dit Vademecum Theologiae Moralis aan alle theologie-studeerenden, die onder een der categorieën vallen, ten wier gebruike het is geschreven: in usum examinandorum et confessariorum, ten sterkste aanbevolen. Tolle, utere.“ (Nederlandsche Katholieke Stemmen, Zwolle.)